ENCHIRIDION LITURGICUM

COMPLECTENS THEOLOGIAE SACRAMENTALIS
ET DOGMATA ET LEGES

IUXTA NOVUM CODICEM RUBRICARUM

CONCINNAVIT

POLYCARPUS RADO O. S. B.

PROFESSOR FACULTATIS THEOLOGICAE BUDAPESTINENSIS

TOMUS SECUNDUS

HERDER
ROMAE - FRIBURGI BRISG. - BARCINONE
1961

Nr. 163/1960 IMPRIMATUR

Datum in S. Monte Pannoniae, die 19. Sept. 1960

† Ìvorbertus Legânyi O.S.B.
archiabbas et ordinarius

Nr. 2225/1960 IMPRIMATUR

Strigonii, die 28. Octobris 1960

Dr. Arthurivs Schwarz-Eggenhofer
Administrator apostolicus

. Ô 1961, Casa Editrice Herder - ROMA

Ann Ghahchi SXV - Via S. Pietro, 7 - Napoli Portici - Tel. 339.000 P.B.X

INDEX SYSTEMATICUS TOMI SECUNDI

Pag.

VI. Tractatus. De Poenitentia — — — — — — — — — — 735-918

A) *De existentia Sacramenti* ***Poenitentiae*** 736-759

1. Vox Ecclesiae 736. — 2. Adversarii Sacramenti Poenitentiae 737. — 3. Testimonium Scripturae de Sacramento Poenitentiae 739. — 4. Traditionis testimonium de Sacramento Poenitendae 745. — 5. Sacramentum Poenitentiae ratione commendatur 756.

B) *De essentia Sacramenti Poenitentiae in genere* . 759-761

C) *De materia remota seu circa quam Poenitentiae* 761-771

I. De materia remota insufficiente 762. — 2. De materia remota sufficiente necessaria Poenitentiae 764. — 3. De materia sufficiente libera Poenitentiae 767.

D) *De contritione ut materia Poenitentiae* — — — — — — — 771-789

1. De poenitentia secundum quod est virtus 771. — 2. De actu virtutis poenitentiae in genere 775. — 3. De contritione ad Sacramentum Poenitentiae absolute necessaria 780. — 4. De proprietatibus contritionis 783. — 5. De proposito non peccandi de cetero 786.

E) *De confessione ut materia* ***Poenitentiae*** 789-808

1. Fundamentum dogmaticum confessionis 789. — 2. De proprietatibus confessionis 795. — 3. De examine conscientiae 803. — 4. De iteratione confessionis 805.

F) *De satisfactione ut materia Poenitentiae* — — — — — — — 808-820

1. De satisfactione secundum quod est actus virtutis 808. — 2. De notione satisfactionis sacramcntalis 810. — 3. De impositione satisfactionis 814. — 4. De acceptatione, adimpletione et commutatione satisfactionis 818.

G) *De indulgentia ut complemento satisfactionis* 820-842

1. De notione indulgentiae 820. — 2. De potestate Ecclesiae circa indulgentias 823. — 3. De modo concedenti indulgentias 828. — 4. De consecutione indulgentiae 836. — 5. De quibusdam indulgentis maioris momenti 839.

II) *De forma Sacramenti Poenitentiae* — — — — — — — — 842-852

1. De sensu absolutionis qua forma Poenitentiae 842. — 2. De qualitatibus absolutionis 847. — 3. De fonnula liturgica absolutionis 850.

J) *De efficientia Sacramenti Poenitentiae* — — — — — — 852-862

K) *De potestate ministri Sacramenti Poenitentiae* — — — — — — 863-897

1. De potestate ordinis et jurisdictionis 863. — 2. De jurisdictione ordinaria et delegata 867. — 3. De iurisdictione suppleta 872. — 4. Dc iurisdictione limitata quoad poenitentia 875. — 5. De iurisdictione limitata quoad materiam 878. — 6. De abusione potestatis Jurisdictionis 891.

Pag.

L) De obbligationibus ministri Poenitentiae — — — — — — 897-918

l. De *obligationibus ministri ante confessionem* 897. — *2. De* obligationibus ministri in confessionem 900. — 3. Obligationes ministri post confessionem 909.

\ II. Tractatus. *De Extrema Unctione* — — — — — — — — 919-957

A,! *De existentia Extremae Unctionis* . . . — — — . 920-925

B' *De essentia Extremae Unctionis* — — — — — — — — — 925-927

l. De materia remota Extremae Unctionis 925. — 2. De materia proxima Extremae Unctionis 926. — 3. De forma Extremae Unctionis 927.

C) *De efficientia Extremae* ***Unctionis*** 927-936

D) *De personis sacramentalibus Extremae* ***Unctionis*** 936-943

I. De subiecto Extremae Unctionis 936. — 2. De ministro Extremae Unctionis 940.

E) *De ritibus Extremae* ***Unctionis*** 943-957

1. De evolutione rituum Extremae Unctionis 943. — 2. Explicatio ritus Extremae Unctionis iuxta Rituale Romanum 945. — 3. De visitatione et cura infirmorum 949.

VIII. Tractatus. De Sacramento Ordinis — — — — — — 958-1034

Λ) De *existentia Sacramenti* ***Ordinis*** 959-963

B) *De gradibus Sacramenti* ***Ordinis*** 963-969

1. De ordinibus non-sacramentalibus 963. — 2. De ordinibus sacramentalibus 965. — 3. De unitate Sacramenti Ordinis 968.

C) De *essentia Sacramenti* ***Ordinis*** 967-977

1. De materia et forma ordinum sacramentalium 969. — 2. De materia ‹ t forma subdiaconatus et ordinum minorum 972. — 3. De legibus cultualibus ordinationis 973.

D) *De efficientia Sacramenti Ordinis* 977-985

1. De potestate Sacramenti Ordinis 977. — 2. De gratia sacramentali Ordinis ad maiorem idoneitatem 981. — 3. De gratia sacramentali ad digne ministranda mysteria Christi 984.

E) De personis *sacramentalibus Ordinis* 985-1000

1. De ministro Sacramenti Ordinis 986. — 2. Leges cultuales de ministro Ordinis 987. — 3. De subiecto Ordinis ad validitatem 989. — 4. De subiecto Ordinis ad liceitatem 992.

F) *De* ritibus Sacramenti ***Ordinis*** 1000-1034

1. De ritibus ordinum minorum 1000. — 2. De ritibus ordinationis ministrorum sacrorum 1001. — 3. De ritibus consecrationis presbyteri 1009. — I. De ritibus consecrationis episcopi 1015. — 5. De ritibus ordinationi analogis 1025.

IX. Tractatus. De Matrimonio — — — — 1035-1076

K) De existentia Sacramenti Matrimoii i . 1036-1040

B' De essentia sacramenti **Matrimonii** 1040-1045

1. De materia et fonna Matrimonii 1040. — 2. Proprietates consensus maritalis 1041. — 3. De potestate Ecclesiae in Matrimonium 1042.

Pag.

C) *De efficientia Sacramenti Matrimonii* — — — — — — — 1045-1057

I. De effectibus naturalibus matrimonii: 1. De «prole» Matrimonii 1046. — 2. Dc « fide » seu unitate Matrimonii 1046. — 3. De bono « sacramenti » seu indissolubilitatc Matrimonii 1049. — II. De effectibus supematuralibus Matrimonii: 1. De casto connubio 1055. — 2. Auxilium peculiare ad officia coniugalia 1056. — 3. Consecratio matrimonii 1057.

D) De *personis sacramentalibus* ***Matrimonii***..... 10.58-1066

1. De ministro matrimonii 1058. — 2. De subiecto Matrimonii 1058. — 3. De praeparatione Matrimonii 1060. — 4. Leges cultuales celebrationis Matrimonii 1063.

E) De *ritibus* ***Matrimonii***..... 1066-1076

1. De evolutione rituum Matrimonii 1066. — 2. Explicatio rituum Matrimonii 1070. — 3. De ritibus postnuptialibus 1073.

X. Tractatus. Hcortologia seu de Ecclesia sanctificante tempora 1077-1398

Λ) De *notione anni liturgici* — — — — — — — — — — 1077-1088

1. Definitio et sensus anni liturgici 1077. — 2. Nomina et conceptus anni liturgici 1080. — 3, Origo et evolutio anni liturgici 1081. — 4. Partes anni liturgici 1084. — 5. Annus liturgicus Ecclesiae orientalis 1085.

B) De *cyclo* ***hebdomadali***..... 1088-1102

1. Dc origine Dominicae 1088. — 2. De indole Dominicae 1090. — 3. De legibus cultualibus Dominicarum 1095. — *4.* De feriis poenitentialibus 1096. — 5. De feriis Quatuor Temporum 1098.

C) De s. *cyclo natalitio* — — — — — — — — — — 1102-1145

1. De tempore Adventus 1102. — 2. De festo et tempore Nativitatis Domini 1111. — 3. De Epiphania Domini 1132. — 4. De Purificatione BMV. et Praesentatione Domini 1138.

D) De *tempore poenitentiali cycli paschalis* — — — — — — — 1145-1218

1. De tempore Septuagesimae 1145. — 2. De Quadragesima in genere 1152. — 3. De capite iciunii 1165. — 4. Dc tempore Passionis 1168. — 5. De Dominica II. Passionis seu in Palmis 1180. — 6. De Fer. V. in Coena Domini 1188. — 7. De Fer. VI. Passionis et Mortis Domini 1202. — 8. De Sabbato Sancto 1215.

E) Dc *tempore gaudioso cycli paschalis* — — — — — — — — 1219-1273

1. De Paschate in genere 1219. — 2. De sollemni Vigilia Paschatis 1229. — 3. De sollemnitate SS. Quinquagesimae Paschalis 1248. — 4. De Ascensione Domini 1262. — 5. Dc consummatione Paschatis: SS. Pentecoste 1268.

F) Dc *tempore liturgico extracyclico* — — — — — — — — 1273-1317

1. De Dominicis postpentecostalibus 1273. — 2. Dc festo SS. Trinitatis 1277. — 3. De festo SS. Corporis Christi 1281. — 4. Festum SS. Cordis Jcsu 1289. — 5. Dc festis· minoribus Domini 1295.

C) Dc *festis B. Mariae Virginis in anno liturgico* — — — — — — 1317-1363

1. Dc cultu liturgico BMV. in genere 1317. — 2. De festo Immaculatae conceptionis 1332. — 3. De festo Purificationis BMV. 1338. — 4. De festo Annuntiationis BMV. 1338. — 5. De festo Assumptionis Deiparae 1343. — 6. De festo Nativitatis BMV. 1349. — 7. De festis minoribus BMV. 1351.

Pag.

H; De cultu Sanctorum in anno **liturgico**..... 1363-1398

J. De cultu liturgico Sanctorum in genere 1363. — 2. De festis SS. Apostolorum 1369. — 3. De festis Sanctorum eximiorum 1377. — 4. De festis Sanctorum Angelorum 1384. — 5. De festo Omnium Sanctorum 1391.

•\'I. Tractatus. De Ecclesia sanctificante spatium et res seu Hierotopologia et **Paramentica**..... 1399-1479

Λ) *De legibus artis* **sacrae**..... 1399-1403

1. De legibus generalibus artis sacrae 1399. — 2. Leges speciales de architectura sacra 1401. — 3. Leges speciales de arte sacra figurativa 1402.

B) *De locis* **sacris**..... 1403-1433

1. De ecclesiis 1403. — De partibus constitutivis ecclesiae 1407. — 3. De dedicatione ecclesiae 1420. — 4. De coemeteriis 1429.

(' Dc vasis **sacri?**..... 1433-1442

1. *De* vasis sacris Missae 1434. — 2. De vasis sacris eucharisticis 1437. — 3. De vasis sacris secundariis 1439.

De vestibus **sacris**..... 1442-1479

1. De vestibus sacris in genere 1443. — 2 De indumentis imis liturgicis 1449, — 3. De vestibus summis liturgicis 1454. — 4. De insignibus liturgicis 1460. — 5. De vestimentis accessoriis liturgicis 1472.

Index alphabeticus rerum 1481-1520

Index biblingraphicus 1521-1522

Vi. Tractatus sextus.

De Poenitentia.

Tractantes de sanctificatione hominis, qua elevatur et conservatur in ordine supernatural!, iam percurrimus tractatus de Sacramento regenerationis spiritualis, de Sacramento perfectionis et de augustissimo inter omnes, Sacramento sc. unitivo cum Christo Capite. Restat nunc agere de Sacramento hypotheticae necessitatis, si homo regeneratus pristini decoris restitutionem, gratiam gratum facientem per peccatum misere amiserit. Humana enim fragilitas, « proclivis ad labendum, prona ad offensam » (Gelasianum), avertere potest a Deo fine ultimo et summo bono, et convertere ad creatum et apparens bonum, sicque unicum verum malum patitur, quod homo regeneratus pati potest. Peccatum est « grave malum, sed non incurabile (athcrapeuton); grave est illi solum qui id retinet, et bene curabile ei, qui id per poenitentiam deponit » (Cyrill. Hierosol. Cat. 2,1). Peccator conterritus peccatis suis et mole miseriae suae, non debet desperare, prohibetur et confortatur per Scripturam dicentem: « Ideo Christus pro omnibus mortuus est, ut et qui vivunt, iam non sibi vivant, sed ei, qui pro omnibus mortuus est » (2 Cor 5,15). — Peccator christianus clamitat: « Domine miserere mei! Hei mihi! Ecce vulnera mea non abscondo; medicus es, aeger sum, misericors es, miser sum! » (Confess. 10, 27, 38).

Divinus Medicus caelestem medicinam exhibere volens Sacramentum condidit immensa sua miseratione Poenitentiae. Multae difficultates, tum circa evolutionem historicam huius Sacramenti, tum speculativae, tum demum permultae regulae pastorales pertractandae difficiliorem reddunt totam hanc materiam. Quae ideo paulo fusius tractabitur:

A) De existentia Sacramenti Poenitentiae.
B) De essentia Sacramenti Poenitentiae in genere.
C) De materia remota seu « circa quam » Poenitentiae.
D) De contritione ut materia Poenitentiae.
E) De confessione ut materia Poenitentiae.
F) De satisfactione ut materia Poenitentiae.
G) De indulgentiis, ut complemento satisfactionis.
H) De forma Poenitentiae.
I) De efficientia Poenitentiae.
K) De potestate ministri Poenitentiae.
L) De obligationibus ministri Poenitentiae.

A) De *cxistentia Sacramenti poenitentiae.*

Sacramentum poenitentiae definitur secundum Catechismum Catholicum: « *Sacramentum a Jesu Christo institutum pro fidelibus, quoties post baptismum in peccata lapsi fuerint, ipsi Deo reconciliandis* » (qu. 413).

Nomina poenitentiae sunt:

1°. Desumpta e parte *formae:*

Absolutio nomen inter scholasticos interdiu usitatum; vel « Sacramentum remissionis ».

2°. Nomina synecdochica e parte *materiae,* seu ex actibus poenitentis:

Confessio, vel « confessio peccatorum », sic iam Cone. Veronense (1184, Denz. *402);* Graece iam aevo antiquo « exomologesis », quo vocabulo etiam Latini usi sunt (Cyprian, Tertull.).

Ab actu poenitendi peccata, iam ab antiquissima aetate vocabatur « *metanoia* », a saec. XII. « *poenitentia* », haec nomina nunc exclusive adhibentur. Ab actu *satisfaciendi* est desumpta denominatio: *baptismus laboriosus* (Grcg. Naz.).

3°. *Ab effectu Sacramenti* vocabatur plurimis nominibus.

« *Reconciliatio* » *sc.* cum Deo et Ecclesia, nomen usitatissimum inter Patres seu « Sacramentum reconciliationis » (Gelas).

« Pax », pacem accipere, « pax Ecclesiae » simili modo usitatum.

Effectum restitutivum iustitiae amissae denotant nomina:

• *Tabula post naufragium»* (Tertull., Ambros., Hieron.: «secunda tabula... »). — « *Poenitentia secunda* »; prima enim ante baptismum agenda est; antiqua aetate frequenter hoc nomine usi sunt. — « *Secundus baptismus* » (Clem. AI.) « iterabilis baptismus » (Aug.).

4e. E parte *ritus* huius Sacramenti derivantur nomina:

« *Manuum impositio* », interdiu additum est: « *reconciliatoria* », nam nomine hoc aevo antiquo etiam ordinatio designata est.

« *Disciplina* » denominatum est hoc Sacramentum ex ordine seu ritu totali.

1. Vox Ecclesiae.

Cone. Lateranense IV. (1215) cap. 1. in genere loquitur de hoc Sacramento: « Si post susceptionem baptismi quisquam prolapsus fuerit in peccatum, per veram potest semper poenitentiam reparari » (Denz. 430).

Sollemnis definitio habetur in *Trident, sess. XIV, can. 1.:* S.q.d. in catholica Ecclesia poenitentiam non esse vere et proprie Sacramentum pro fidelibus, quoties post baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, a Christo Domino Nostro institutum: a.s. (Denz. 911.). — *Can.* 3: « S.q.d., verba illa Domini Salvatoris: Accipite Spiritum Sanctum, (piorum remiseritis peccata, remittuntur cis. et quorum retinueritis retenta sunt, non esse intelligenda de potestate remittendi et retinendi peccata in Sacramento poenitentiae, sicut Ecclesia catholica ab initio semper intellexit, detorserit autem, contra institutionem huius Sacramenti ad auctoritatem praedicandi Evangelium: a.s. » (Denz. 913).

2. Adversarii Sacramenti poenitentiae.

a) Primi adversarii

huius Sacramenti saec. II-o exsurrexerunt *Monlanistae,* qui restrinxerunt potestatem hierarchicam Ecclesiae et loco eius statuerunt charismata « novorum prophetarum », qui Spiritum nolle remittere aliqua peccata immania affirmarunt. Testis huius sectae est Tertullianus, ipse quoque Montanista factus: « Sed habet, inquis, potestatem ecclesia delicta donandi. Hoc ego magis et agnosco et dispono. qui ipsum Paraclitum in prophetis novis habeo dicentem: Potest ecclesia donare delictum, sed non faciam ne et alia delinquant... Nam ecclesia proprie et principaliter est ipse Spiritus » (De pudicitia c. 21). — Dein saec. III. schisma *Nooatiani* negabat lapsos in persecutione Decii imperatoris (250-1) reconciliari posse, sed antequam se abscinderet ab Ecclesia, quia non ipse fuit electus episcopus Romanus, sententiae mitiori adhaesit. — Saec. IV-V. *Donatis tarum* hacresis in suo schismate permanens paulatim negabat Ecclesiam posse peccata condonare.

b) Medio aevo

Abaelardus non recte de hoc Sacramento locutus est, quem Synodus Senonensis (Sens in Gallia) anno 1140. damnavit, quia docuit: « ...quod potestas ligandi atque solvendi Apostolis tantum data sit, non successoribus » (Denz. 379). *Waldenses et Albigenses* cum ceteris etiam hoc Sacramentum negabant, ideoque profiteri compulsi sunt: « Peccatoribus vere poenitentibus veniam concedi a Deo credimus, et eis libentissime communicamus » (Denz. 424). — Saec. XIV. *Wicleff* docuit: « Si homo fuerit contritus, omnis confessio exterior est sibi superflua et inutilis » (Denz. 587). — Huss *autem* simile quid docuit, nam *Wicleffitis et Hussitis* proponenda erat quaestio: « Item, utrum credat, quod Christianus ultra contritionem cordis, habita copia sacerdotis idonei, soli sacerdoti de necessitate salutis confiteri teneatur, et non laico seu laicis. quantumcunque bonis et devotis » (Denz. 670).

c) Aevo Novatorum

Protestantes primigenii non recte senserunt de Sacramento poenitentiae, sed ipsam confessionem peccatorum et absolutionem nondum reiecerunt.

1°. *Luther* de poenitentia dicit «Pontificiorum»: «Nulla hic (sc. in Ecclesia catholica) fides, nullus Christus erat. Et virtus absolutionis non explicabatur confitenti, sed consolatio eius in enumeratione peccatorum et pudefactione consistebat. Nemo autem recitare potest miserias, carnificinas, fraudes et idololatrias, ex confessione ista natas » (Articuli Smalcaldici 1537 p. art. 3).

2°. *Melanchthon* mitius, sed captiose loquitur, contorquens absolutionis effectum ad verba quae per auditum effectum sortiuntur: « Potestas clavium administrat et exercet evangelium per absolutionem, quae est vera vox evangelii... Nam audito evangelio, audita absolutione erigitur et concipit consolationem conscientia. Et quia Deus vere per verbum vivificat, claves vere coram Deo remittunt peccata... Quare voci absolventis non secus ac voci de caelo sonanti credendum est. Et absolutio proprie dici potest sacramentum poenitentiae » (Apologia Confessionis Augustanae 1531. art. 12).

3°. *Calvinus de ministris dicit, quod propterea* affirmantur « peccata dimittere animasque solvere, quia sunt testes a Deo ordinati, qui conscientiis certificent peccati remissionem » (Instit. *relig.* christ. III, 4,12), quin tamen hic actus Sacramenti nomine possit insigniri, nam « promissio clavium est tantum in praedicatione evangelii » (ibid, IV, 19,17).

i\ Anglicanorum sententia declaratur in « <39 articulis »; dicunt quidem, • lapsis a baptismo in peccata locum paenitentiae dandum esse » sed negant « paenitentiam pro Sacramento evangelico habendam esse » (art. 16. et 22.).

5', *Lutherani confessionem ut liberam* suscipiendam diu retinuerunt, praeeunte *Luthero,* qui dixit: « De confessione semper docuimus, eam liberam esse oportere ad tyrannidem Papae destruendam », ratio autem est, quod Christianus bonus ultro se subiicit: » Bistu nu ein Christ, so darfstu wecler meines Zwanges, noch Pabst Gcbot liberal), sondern willst dich wohlselbst zwingen und mich darum bitten, class du solches mogest teilhaftig werden... W àrstu ein Christ, so soiltest du froh werden, class du mochtest hundert Meilen darnach laufen... Wir dringen niemand, sondern leiden, class man zu uns dringt » (Kurtze Vermahnung zur Beicht, of. Kirsch, Geschichte cl. kath. Beicht 167-8). In *Catechismo Minore,* a. 1529. edito, Lutherus talia dicit de confessione, quomodo simpliciores de ea erudiendi sint: « In hunc modum debes *alloqui ministrum verbi:* Reverende et dilecte domine, rogo te ut confessionem meam audias et me propter Deum remissionem annunties. Miser ego peccator confiteor coram Deo me omnium peccatorum reum esse, inprimis confiteor coram te, me quidem servum, ancillam etc. esse... Ideo doleo, gratiam imploro, emendationem promitto... Et si quid aliud contra praecepta Dei in cuiusque vocatione occurrit... Si *vero plane nullius tibi conscius es* (quod propemodum impossibile est), nullum etiam in specie recites, sed accipias remissionem, facta generali confessione, quam coram Deo ad ministrum pronuntias. — *Respondeat autem minister:* Deus tibi sit propitius et confirmet fidem tuam. Arnen. — Interroget etiam conGtentem: Num meam remissionem credis esse Dei remissionem? — Mfirmanti et credenti *porro dicat:* Fiat tibi, sicut credis! Et ego ex mandato D.N.J. Christi remitto tibi tua peccata in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. \inen. Vade in pace». (J. T. Müller, Svmbol-Biicher der ev.-luth. Kirche p. 363-4).

6°. Quoniam vero Protestantes utpote palmites abscissae a vera Vite, confessionem privatam cito neglexerunt, iam Luthero vivente querelae exortae sunt, sic e.gr. *Urbanus Regius,* superintendens ducatus Lüneburgensis, circa 1530 scripsit praedicatoribus suis: « Ich bore, class cttliche von der Beicht wenig ha!ten und ihre Schafilein nicht fleissig verhoren. Und einen gantzen Hauffen, die da beichten, zu auff einmal unterrichten. und absolviren. Welches ailes nicht taugt, die Christenheit zu bauen, sondern mehr zu verstôren ⅱ (Kirsch op. cit. p. 1). *Theologi vero* Lutherani adhuc sacc. XVII. putabant, quod ⅱ peccata gravia et notoria singulariter confiteri debent, pro aliis sufficit confessio generalis » (sic Amesius 1643., Kirsch p. 94).

d) Nostra aetate.

Γ. *Protestantes liberales,* eosque sequentes *Modernistae* veram Sacramenti notionem etiam quoad poenitentiam negant. E Protestantibus commemorentur

praesertim *Ad. von Harnack, Loofs, Lea, Bonwetsch,* iuxta eos reconciliatio solummodo *receptionem in Ecclesiam* significabat, non autem unionem (Gemeinschaft) cum Deo (Bonwetsch, Grundriss der Dogmengeschichte 2. ed. 1919, 71). Inter Modernistas *Alfr. Loisy* eminet, doctrina eorum damnata est per S. Pium X.: « Non adfuit in primitiva Ecclesia conceptus de christiano peccatore auctoritate Ecclesiae reconciliato, sed Ecclesia nonnisi admodum lente huiusmodi conceptui assuevit. Immo etiam postquam poenitentia tamquam Ecclesiae institutio agnita fuit, non appellabatur Sacramenti nomine, eo quod haberetur uti sacramentum probrosum »; dein alia propositio damnata: « Verba Domini Accipite Spiritum Sanctum... minime referuntur ad Sacramentum poenitentiae, quidquid Patribus Tridentinis asserere placuit » (Denz. 2046 s.).

2°. Adversarii habendi sunt etiam *aliqui Catholici,* non quidem heterodoxi, qui tamen hypercriticismo ducti opinabantur reconciliationem communionem *tantum cum Ecclesia* restituisse; dein, quod ante s. VII. tantum poenitentia *publica* demonstrari potest, privata non; item quod peccata *capitalia paulatim* tantum remitti coeperunt, usque ad 150 *nullum* remittebatur, circa 220 (Callistus) fornicatio et moechia coepit absolutionem recipere, versus 251 lapsi in idololatriam, post 314 homicidae in articulo mortis, post saec. IV. tantum relapsi seu recidivi. Talia profitebantur — *non omnes omnia* — Dionysio *Petavio* (t 1652) praeeunte, qui sententiam suam dein aliquantum retractans emendavit; recentiore tempore *F. X. Funk, P. Batiffol, E. Vacandard, G. Rauschen, Karl Adam* (anno 1917, retractans sententiam 1929 in Theol. Quartalschrift 1929, 30 s.), *Hugo Koch* (1926), *Bernh. Poschmann,* et alii (opera eorum cf. in calce huius quaestionis).

3. Testimonium Scripturae de Sacramento poenitentiae.

a) Christus implicite dedit potestatem super peccatores.

I. textus est: *Potestas Petro data Mt 16,19:* « Tibi dabo claves regni caelorum. Et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis, et quodcunque solveris super terram erit solutum et in caelis ».

Potestas clavium edicitur hac enuntiatione fundamentali iam aliunde cognita et explicata. Ut litteratura rabbinica docet, « ligandi » potestas significat aliquid vetandi, « solvendi » potestas autem aliquid permittendi. « *Claves* » autem significant, quod Petrus non solum ut doctor, sicut Rabbini fecere, *magistraliter* potest aliquid vetare aut permittere, sed etiam *auctoritative,* i.e. hoc, quod permittit vel prohibet quoad regnum caelorum vim habebit; Petri itaque determinatio, quid faciendum, quid vitandum fidelibus Christi, *auctoritative* sumenda est, nam effectum habebit, quis possit ingredi regnum caelorum.

Quia autem haec potestas *illimitate* edicta est a Domino, patet in hac Dotestate *implicite etiam peccatores* contineri. Finis enim huius potestatis legislativae est, ut fideles pervenire possint in regnum caelorum, hoc autem peccata impediunt, ergo potestas debet etiam ad peccata eorumque sequelas extendi. Quali modo exercebitur haec potestas super peccata et peccatores, nondum edictum fuit, quando Christus Dominus haec verba protulit.

II. textus est: *Potestas apostolis data: Mt 18,18.* « Arnen dico vobis, quaecunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in caelo, et quaecunque solveritis super terram, erunt soluta et in caelo ».

Dum *priora verba Domini* ad Petrum *eiusve* successores directa erant, haec verba *Apostolis, i.c. Ecclesiae dicta sunt., Hoc* elucet e *contextu,* nam praecedentia *huius enuntiationis* agunt de fratre, qui peccaverit in aliquem: hic debet *corripi* ab eo, quem laesit «inter te et ipsum solum »; dein, si non resipuerit, adhiberi debent unus vel duo testes; si nec hos audierit, denuntiandus est ecclesiae. *Si* autem ecclesiam non audierit, habendus est ut ethnicus vel publicus peccator (15-17). *Ratio* autem, *cur sit* habendus ut ethnicus vel publicus peccator (telones = publicanus) est, quod noluit «audire», i.e. se subiiccrc « ecclesiae », hic actus inoboedientiae vero ideo est peccatum, quia: «...quaecunque alligaveritis super terram... ».

Agitur hoc textu non de aliquibus fratribus simul sumptis: hi enim contradistinguuntur (v. 16: «adhibe tecum adhuc unum vel duos ») ab « ecclesia ». Potestas autem regiminis, quae data est primum Petro, nunc autem etiam Apostolis et eorum successoribus, evidenter *includit etiam peccata:* nam hoc loco *praecise de fratribus peccantibus* agitur. Hic textus ergo confirmat valorem verborum eodem modo sonantium, quae Petro dicta sunt.

b) Christus explicite instituit Sacramentum ad potestatem super peccata exercendam.

I. textus classicus: *Potestas explicite Apostolis data: Jo 20,21-23.*

Eircne hymin!	Pax vobis!
Kathôs apestalken me ho Pater	Sicut misit me Pater,
kagô pempô hymas.	et ego mitto vos.
Kai touto cipôn	Haec cum dixisset,
enephysêsen kai legci autois:	insufflavit et dixit eis:
Labctc Pneuma hagion:	Accipite Spiritum Sanctum:
an tinôn aphiête	quorum remiseritis
tas hamartias,	peccata,
aphcôntai,	remittuntur eis,
an tinon kratète,	et quorum retinueritis,
kekratêntai.	retenta sunt.

Si Joannes iam provectus aetate non cessisset suorum discipulorum precibus et sexaginta annis elapsis post Ascensionem Domini non scripsisset Evangelium quartum, complementum gratiosum Evangeliorum « veterum », multum sudare deberemus in vindicanda veritate Sacramenti Poenitentiae e S. Scriptura. Evangelia enim synoptica solummodo *implicite* enarrabant potestatem super peccata, explicite ne verbulum quidem protulerunt. Dominus quidem seipsum vivum praebuit in multis argumentis (« tekmeriois=indicium, Kennzeichen, ismertetojel), per dies quadraginta apparens eis et loquens de regno Dei Quod haec colloquia sacrosancta gloriosi Domini *etiam res sacras* attigerint. prodit nobis S. *Clemens Romanus* versus 96 scribens: « Cuncta ordine (taxei) debemus facere, quae nos Dominus (ho Despotes) statutis temporibus peragere iussit. Oblationes scilicet et Sacra officia perfici (tas te prosphoras kai Icitournas cpiteleisthai), et non temere et inordinate fieri praecepit, sed statutis temporibus et horis, ibi et per eos, per quos voluit ut perficiantur » (1 Cor 40, 1 2 PG 1.288) Certum habendum est ergo, Dominum *de Sacramentis quoque*

locutum esse, sed quod de poenitentia verba fecit necne, tantum coniicere potuissemus, si Joannes eodem fere tempore, ac Clemens, Evangelium quartum non scripsisset. Nunc autem textum habemus evincentem de poenitentiae \ eritate.

1°. Christus *veram potestatem* dedit Apostolis ad peccata remittenda, non ad solam declarationem faciendam, quod Deus peccata remisit. « *Aphiêmi* » = dimittere, liberum relinquere, proiicere significat; « *an tinôn* « = « *ean* » = *si* aliquorum peccata remiseritis » (aphiête: coniunctivus aoristi) autem clare ostendit, hanc potestatem esse veram potestatem propriam: *si* vultis aliquorum peccata remittere, remittuntur eis, *si* non vultis remittere peccata, tunc non remittuntur: « *an* (=ean) *tinôn kratête* (si aliquorum peccata retineatis=kratête est coni, praes, de continuatione status): *kekratêntai* (=perf. pass, retenta sunt). Ab Apostolis ergo dependet, num peccatores absolvantur. Philologice ergo certum est, quod Apostoli veram habent potestatem tum remittendi tum retinendi peccata. — Quod de vera *potestate delendi* peccata agitur, demonstrat contextus verborum Domini: nam *eam* prorsus potestatem dat Apostolis, quam Ipse habet: « Sicut misit me Pater et ego mitto vos »: atqui Christus *non declarare* venit in mundum remissa esse peccata per Deum, sed — ut declaravit sanando paralyticum — « Filius hominis *habet potestatem* in terra dimittendi peccata » (exousian echei... aphienai hamartias, Xlt 9,6).

2°. Dominus potestatem dedit quoad *peccata veri nominis.* Vox « *hamartia* » enim in S. Scriptura potest significare a. *sacrificium pro peccato,* hebr. *chata,* LXX sic vertit hoc vocabulum hebraicum, et in NT-o hoc sensu quoque semel occurrit: « Eum, qui non novit peccatum (sc. personale), pro nobis peccatum (sc. sacrificium pro peccato) fecit » (2 Cor 5,21). Clarum est in textu nostro non posse hunc sensum subesse verbis Domini: nam quale sacrificium pro peccato remitterent Apostoli? — b. Hamartia potest significare etiam *poenam pro peccato* debitam, etsi tali sensu nunquam occurrat in NT-o. Hoc loco autem non potest significare remissionem poenae pro peccatis debitae: si enim significaret remissionem solummodo poenae *temporalis,* tunc tantum venialia peccata possent remitti per Apostolos; peccatores ergo non multum haberent ex hac potestate. Si autem concessio Domini etiam poenam aeternam includat, et Apostoli quoque hanc possent remittere, tunc habetur iam remissio peccatorum; poenam enim aeternam remittere sine remissione reatus culpae iustitia Dei non sinit. Ergo remissio poenae aeternae supponit remissionem culpae gravis. — c. Hamartia significare potest etiam *concupiscentiam* et *peccatum originale,* sic utitur S. Paulus hac significatione (Rom. 5.12; 7,13 etc.). Absonum autem esset, Apostolos remittere solum peccatum originale, personalia non; item omnino clarum est neminem posse e hominibus dimittere concupiscentiam humanam, quod experientia constat. — Remanet ergo d. significatio: hamartia=actus individualis contra legem divinam, i.e. *peccatum veri nominis.* Sic, tali sensu utitur hoc vocabulo totum NT, praesertim Synoptici et ipse Joannes saepissime.

3°. Christus *nil sibi reservavit* e peccatis: *omnia indiscriminatim peccata* possunt remitti ab Apostolis: « *an tinôn aphiête* » tantum hoc potest significare, nam ubi nil distinguitur, ibi nil excipitur. Potestas ergo his verbis Christi a Joanne relatis non coarctatur. — Sed *nec* coarctatur *aliis verbis,* et si provoca-

bant *aliqui ad effatum Domini:* » Qui autem blasphcmaverit in Spiritum Sanctum. *non habebit remissionem in* aeternum, sed reus erit aeterni delicti » (Mc 3,29, cf. Mt 12,31 et Lc *12,10). Peccatum* hoc enim, ut e contextu constat, est *peccatum impoenitentiae: Pharisei videntes* Jesum curasse hominem caecum et mutum, daemonium habentem, tamen dixerunt: « Hic non eiicit daemones, nisi in Beelzebub principe daemoniorum » (Mt 12,24), ergo peccatum commiserunt voluntariae impoenitentiae. Peccatum ergo in Spiritum Sanctum est *de natura sua irremissibile, in* quantum exludit ea, per quae fit remissio peccatorum. Et *ideo « sicut aliquis dicitur* morbus incurabilis, secundum naturam morbi, per quem tollitur id, per quod morbus potest curari, puta cum morbus tollit virtutem naturae, vel inducit fastidium cibi et medicinae... ita etiam peccatum in Spiritum Sanctum dicitur irremissibile secundum suam naturam » (IMI q. 14 a. 3.).

4°. Certum est, hac commissione Dominum *nullo modo* intellexisse *baptismum,* etsi etiam baptismus in remissionem peccatorum (eis aphesin hamartiôn Act 2,38) institutum est. Baptismus enim *non* potest dici institutum esse in « *retentionem peccatorum* », quod tamen in hoc mandato Domini ut possibile dicitur.

5 Haec potestas per *sententiam iudicialem* exercenda est. Dominus enim dixit: «Nolite indicare secundum faciem, sed iustum indicium indicate! » (Jo 7,24). Debent ergo cognoscere singula peccata, ut non secundum merum eorum beneplacitum remittant vel retineant peccata hominum, quae potestate a *Christo* data remittunt, sed Deus *non vult iniustitiam.* Ecclesia definivit, quod ex his verbis Christi, nempe « ex institutione Sacramenti poenitentiae iam explicata universa Ecclesia semper intellexit, institutam esse a Domino etiam *integram peccatorum confessionem* », sacerdotes vero « pro potestate clavium remissionis aut retentionis peccatorum sententiam pronuntient. Constat enim sacerdotes indicium hoc incognita causa exercere non potuisse, neque aequitatem quidem illos in poenis iniungendis servare potuisse, si in genere dumtaxat et non potius in specie ac singillatim sua ipsi peccata déclarassent » (Trident, sess. XIV, cp. 5. Denz. 899).

6°. E textu sequitur quod *remissio haec sensibiliter fiat,* etsi hoc non dicitur his verbis Domini, sed tamen evidenter supponitur. Si enim remissio fieret sine verbis, sine ullo nutu vel signo, *peccator nesciret,* utrum remissionem acceperit necne. Signum ergo aliquod ad remissionem per se patet, quod adhiberi debet. Quod autem hoc signum etiam *impertitur gratiam,* consequens est e lege generali N. Testamenti: ordinaria via gratiae impertiendae habetur per Sacramenta.

7°. Haec potestas non solum Apostolis, sed *etiam eorum successoribus* data est, etsi hoc a Joanne evangelista hac vice non adnotetur; sicut Synoptici hoc fecerunt quoad institutionem Eucharistiae. Christus enim *eodem modo* dedit etiam potestatem remittendi peccata, sicut baptizandi, consecrandi et docendi: quia haec munera *permanserunt* in Ecclesia, clarum est, quod secundum voluntatem Domini etiam potestas remittendi permanere debebat. *Finis* enim huius muneris a Christo dati est liberatio a peccatis, ergo quamdiu hic finis verificari debet, i.c quamdiu adsunt homines peccatores, etiam *medium,* i.e. potestas remittendi permanere debet. S. *Padanus Barcinonensis* iam respondit ad hanc

quaestionem: « An tantum hoc (se. peccata remittere) solum *apostolis* licet? Ergo et baptizare solis licet, et Spiritum Sanctum dare solis et solis gentium peccata purgare, quia totum hoc non aliis, quam apostolis imperatum est... Si ergo et lavacri et chrismatis potestas, maiorum et longe charismatum ad episcopos inde descendit et ligandi quoque ius adfuit et solvendi » (Ad Sempronianum PL 13, 1057).

II. textus est: Lc. *24, 46-47.*

Ingenioso modo ostendit nobis viam probationis ex hoc textu S. Thomas (III q. 84 a. 7); Lucas enim enarrans apparitionem Christi in Dominica Resurrectionis, factum solummodo a Joanne relatum institutionis nempe poenitentiae, *ut notum supponit.* Narrationem quidem Lucas non habet de institutione huius augusti Sacramenti, sed *Logion Domini* refert, de quo Joannes nihil dicit. Hoc Logion autem evidenter supponit institutionem poenitentiae, secus inintelligibile esset: « Et dixit illis, quod sic scriptum est, et sic oportuit Christum pati et resurgere ex mortuis tertia die et praedicari (kcrychthenai) in nomine eius poenitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes ».

Quod hoc Logion *non solum de baptismo* intelligendum est, sed etiam, vel forsitan *primario de poenitentia,* demonstratur factorum connexione: Dominus enim advesperascente die Dominica instituit Sacramentum Resurrectionis: poenitentiam, ergo verisimile est, quod hoc Logion primario de poenitentia intellexit. S. Thomas reapse hoc Logion ad convenientiam institutionis huius Sacramenti adlegat, dicens: « Efficaciam autem huius Sacramenti et originem virtutis eius manifestavit post resurrectionem, Lue. ult., ubi dixit, quod oportet praedicari in nomine eius poenitentiam et remissionem peccatorum, in omnes gentes, praemisso de passione et resurrectione. Ex virtute enim nominis Jesu Christi patientis et resurgentis hoc Sacramentum efficicaciam habet in remissionem peccatorum. Et sic patet, convenienter hoc Sacramentum in nova lege institutum fuisse ».

c) Apostoli sibi vindicabant potestatem super peccata.

I. textus: *Petrus Act 8,22:*

Simoni Mago post tentamen suum pecunia possidendi potestatem dandi Spiritum Sanctum, Petrus dixit post correptionem: « Poenitentiam itaque age ab hac nequitia tua et roga Deum, si forte remittatur tibi haec cogitatio cordis tui n. Non dicitur, num Apostoli talem remissionem dederunt.

II. textus: *Paulus 2 Cor 12,20-21:*

Paulus audivit, inter Corinthios « multos » esse, qui peccatum commiserunt « immunditiae, fornicationis et impudicitiae », ideoque scribit cis: « Timeo ne forte cum venero, non quales volo, inveniam vos »; quid vult vero, dicit aperte: lugere deberet si super peccata haec non agerent poenitentiam: « ...ne iterum cum venero, humiliet me Deus apud vos, et lugeam multos ex iis, qui ante peccaverunt, et non egerunt poenitentiam super immunditia et fornicatione et impudicitia, quam gesserunt ». Ex his verbis sequitur, quod ex una parte, qui poenitentiam egerint super haec peccata, *iam non habebantur* peccatores; dein ex altera parte, quod haec poenitentia sic peragenda erat, quod *superiores*

Corinthiaci partem habebant in ea peragenda, ita ut etiam Apostolus partem sibi vindicat in ea, non erat ergo res privata cum Deo solummodo tractanda.

1Π. textus: Paulus 1 Tim 5,20-22:

Textus hic in antiquitate Christiana intelligebatur de peccatorum remissione, quam per manuum impositionem exercebant. *P. Lainez S.J.* etiam in Concilio *Tridentino hanc interpretationem* vindicavit, quam sequentes Galtier exponimus Aux origines du Sacr. de pénitence 1951, 97-106). Postquam S. Paulus locutus est Timotheo de presbyteris (v. 17-19), transit ad peccatores dicens: « Peccantes coram omnibus argue, ut et ceteri timorem habeant. Testor coram Deo et Christo Jesu et electis angelis, ut haec custodias sine praeiudicio, nihil faciens in alteram partem declinando. Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis ». Quod hunc textum recte de peccatorum absolutione per impositionem manuum danda debemus intelligere, probabile redditur eo, quod:

1°. *Antiquissimi scriptores* haec verba de reconciliation peccatorum intellexerunt, sic Tertullianus (De pudicitia 18,9) et S. Pacianus Barcinon. (Paraenes. ad poenit. c. 8. et Ep. 3,19).

2°. Hanc hypothesim *duo facta suadent:* Apostolica aetas *saepissime* adhibuit ritum impositionis — ex altera parte statim ac primi textus de ritu reconciliationis apparent, videmus, hunc ritum factum esse *per impositionem manuum.*

3°. *Contextus* quoque huius loci favet huic hypothesi, quod « manus cito nemini imposueris » de peccatoribus, non autem de ordinandis presbyteris intelligcndum est. Hoc cap. 5-o enim tractat Paulus varios status fidelium, sed eo respectu, qualia peccata evenire solent inter eos. De ordinandis iam egit cap. 3., ideoque perperam explicant multi hodierni interpretes v. 20 (« peccatores coram omnibus argue ») de presbyteris redarguendis, non vero, ut nos in hac hypothesi, de peccatoribus *in genere,* sicut Patres unanimiter intellexerunt. — Consequenter etiam « communicare peccatis alienis » (22) de peccatorum incauta receptione sine debita poenitentia intelligenda est, ut aetate apostolica et sequentibus intellectum fuit. lure provocat Galtier ad *recentes exegetas* hanc interpretationem probabilem indicantes (Lock, The pastoral epistles, Edinburg 1921, M. Dibelius, Die Pastoralbriefe ed. 2. 1931, R. Falconer, The pastoral epistles, Oxford 1937, Similiter Doronzo I. 89-90).

IV. textus: S. *Joannes Apoc 2,21-22:*

« Angelo » Thyatirae scribens Joannes meminit mulieris, symbolice Jezabel vocatae quae fideles seduxit faciens eos « fornicari et manducare de idolothytis » (v. 20), ergo *ad duo peccata capitalia* fornicationis et idololatriae. Tamen eam mulierem et fideles per eam seductos hortatur ad poenitentiam agendam: « Et dedi illi tempus, ut poenitentiam ageret, et non vult poenitere de fornicatione sua. Eccc, mittam eam in lectum, et (pii moechantur cum ea, in tribulatione maxima erunt, nisi poenitentiam ab operibus suis egerint ».

Epilogus. lure concludimus demonstrationem e Sacra Scriptura cum optime dictis Galtier: « Quae facta, quamvis in se sane paucissima sunt, tamen, si habentur, ut haberi debent, tamquam vestigia *mero casu servata* rerum status

qui vigebat in ecclesiis; si conferantur praeterea, ut conferri debent, cum eis *Apostolorum dictis,* ubi fideles supponuntur quidem posse peccare... at simul invitantur poenitentiam agere, quia Deus patienter agit nec vult aliquos perire, sed omnes ad poenitentiam reverti (2 Pt 3,9), haec, inquam, facta... funditus evertunt thesim, ex qua Apostoli, cum vellent, virginem castam exhibere Christo non admiserint in Ecclesia manere aut ad eam reverti eos qui semel a fidei aut a sanctitate vitae defecissent » (p. 186).

4. Traditionis testimonium de Sacramento Poenitentiae.

Prologus.

Uti iam vidimus, haec quaestio historica de poenitentia habet etiam adversarios catholicos, qui fortasse nimio ducti sunt spiritu hypercriticismi, ideo necessarium est, ut quaedam principia praevia nobis prae oculis ponamus.

1°. Non multum refert, an quaestio de existentia poenitentiae solvi debeat *modo aprioristico* (ut dicunt « dogmatico »), vel mere historico seu « aposteriorístico », i.e. e factis concludendo ad doctrinam professam Ecclesiae. — Liceat tamen allegare monitum sapientissimum *Enc. a Humani generis* * (12. aug. 1950.): « Theologiae semper redeundum est ad divinae revelationis fontes ...Sed hac de causa theologia positiva, quam diximus, scientiae dumtaxat *historicae aequari* nequit. Una enim cum sacris eiusmodi fontibus Deus Ecclesiae suae Magisterium vivum dedit, ad ea quoque illustranda et enucleanda, quae in fidei deposito nonnisi obscure ac vehit implicite continentur ». Ex his ostendit nobis praelaudata Encyclica *rectam methodum procedendi,* in quaestionibus, quae coniunctae sunt cum historia quoque: « ...patet omnino falsam esse methodum, qua *ex obscuris clara* explicentur, *quin immo contrarium* omnes sequi ordinem necesse est » (AAS 1950, 569 p.).

2°. Patet *opiniones singulares* non esse decisivas, nam e.gr. *quidam episcopi* potuerunt sententiam rigidiorem per aliquod tempus sequi, sic episcopi Afri, de quibus Cyprianus affirmat, eos « dandam pacem moechis non putasse, et in totum poenitentiae locum contra adulteria clausisse » (Ep. 55,21). Item etiam *singuli Patres* potuerunt errare in aliquo puncto doctrinae nondum sat illustrato, sic e.gr. *S. Cyprianus* putabat, « si presbyter repertus non fuerit, et urgere exitus coeperit, apud diaconum quoque cxomologesim facere delicti sui possint, manu eis in poenitentiam imposita, veniant ad Dominum cum pace » (Ep. 18,1). E tali particulari errore non potest inferri, Ecclesiae praxim fuisse talem, nam evidenter agitur de opinione singulari.

3°. Etsi aliquando Ecclesia non dedisset per aliquod temporis spatium absolutionem reis, qui capitalibus peccatis gravati erant, ex hoc non sequeretur se putasse *non habere potestatem* absolvendi. Nam non uti potestate per se possibile fuisset, Ecclesia enim e gravi causa potest denegare aliquod Sacramentum etiam necessarium, sicut e.gr. S. Officium decreto suo (28. jan. 1637) dixit, infantibus apostatarum π baptisma non posse conferri in articulo mortis nisi id fiat sine scandalo »; sic ergo per se potuit etiam veniam denegare, ut Umberg argumentatur (« Absolutionspflicht und altchristliche Bussdisziplin, *in:* Scholastik 1927, 321-341), cui adstipulantur Lercher (p. 87) et Galtier (De paenit. p. 180).

1. *Nullo modo opinamur Ecclesiam per longum* tempus, puta per saecula *non esse usam officio absolutionis,* v. gr. poenitentes privatos *(i.e. non* publice *poenitcntes)* nunquam absolvendo. Protestantes liberales et Modernistae putant, Ecclesiam in hac re *mutasse doctrinam suam,* non solum praxim, Catholici *hypercritici dicunt, hoc fuisse solummodo praxim* disciplinarem, dum doctrinalitcr Ecclesiae in comperto fuit, quod omnia peccata potest, si vult, absolvere. Quod enim Umberg affert, verum est, sed non potest extendi ad praxim Ecclesiae per plura saecula universaliter durantem, in tali casu censemus paritatem negendam esse. Ecclesia in rebus fidei morumque infallibilis errasset talem praxim per longissimum tempus admittens, nec obligationi suae satisfecisset, quod utrumque absurdum est.

Ingredienda ergo est probatio, Ecclesiam semper usam esse sua potestate absolvendi quaecunque peccata.

I. Aetate postapostolica

clare deprehenditur praxis omnes indiscriminatim peccatores absolvendi.

a) *Didache* saec. I-o exeunte simpliciter dicit de remissione peccatorum: π In ecclesiis confitere (exomologêsê) peccata tua et non accedas ad orationem cum conscientia mala » (4,14). Haec confessio peccatorum fit in conventibus eucharisticis singulis Dominicis celebratis: « Dominica autem die Domini convenientes frangite panem, postquam antea confessi eritis peccata vestra (procxomologêsamcnoi ta paraptomata hyrnon), ut mundum sit sacrificium vestrum » (14,1). Ileic habetur casus, quo obscura e claris explicanda veniunt: *exomologesis* semper significat *praxim poenitentidlem,* praecise accusationem. Haec generalis fuit, ut verius creditur, sed nihil impedit quominus huic confessioni generali ante precem eucharisticam certis in casibus iungi vel substitui potuit confessio explicata quorundam peccatorum particularium (cf. uberius Galtier, Origines du Sacr. de pénitence p. 108-115.).

b) Eodem saec. I-o exeunte, inter 86-98 habentur duo adhuc testimonia. Primum quidem, *Epist. Ps. Barnabae* idem dicit, ac Didache: « Non facies dissidium, sed pacem concilies contendentes (machoumenous) associans. Confessiones facies super peccata tua (exomologêsê epi hamartiais sou (19,12 RJ η. 37.). — Alterum testimonium habetur in *epist. Clementis Romani:* « Vos igitur, qui seditioni fundamenta iecistis, in oboedientia subditi estote presbyteris, et correctionem suscipite in poenitentiam (paideuthête eis metanoian) genua cordium vestrorum flectentes (I. Cor 57,1 RJ n. 27, cf. uberius Galtier, Origines 115-122).

c) Item duo testimonia afferri possunt e primo decennio *saec. Il-i* versus 107.

1. Primum praebet S. *Ignatius Antiochenus* ad martyrium ductus scribens ad Philadelphenses de poenitentia: e Quotquot enim Dei et Jesu Christi sunt, hi sunt cum episcopo, et quotquot poenitentia ducti (metanoêsantes) redierint ad unitatem ecclesiae, et hi Dei erunt, ut sint secundum Jesum Christum. . Vbi autem divisio est et ira, ibi Deus non habitat. Omnibus igitur poenitentibus remittit Deus, (pasin oun metanoousin aphiei ho Theos), si se convertent ad unionem Dei et ad synedrium episcopi » (3,2 et 8,1 RJ n. 56.59). In hac epistola etiam additur ad « remissionem » (« aphiei » idem vocabulum ac Jo

20,23) peccati requiri *ecclesiae potestatem* : « syncdrium » i.e. consilium e presbyteris constans episcopi; presbyteri enim sunt « synedrium (i.e. senatus) Dei « secundum eundem Ignatium (Ad Trallianos 3,1 RJ 49).

2°. Alter testis est paulo post annum 107 invenis episcopus Smyrnensis S. *Polycarpus,* qui in unica sua epistola superstate ad Philippenses scribit ad iuvenes et virgines, ut se abstineant a concupiscentiis et vitiis carnis, nam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. *Sed* — uti manifestum est e contextu — *supponit* tales iuvenes in peccata prolabi, nam subito post admonitionem iuvenum adhortatur *presbyteros* tali modo: « Et presbyteri sint ad commiserationem proni (eusplanchnoi), misericordes erga cunctos, aberrantia reducentes (epistrephontes ta apopeplancmena) ...abstinentes ab omni ira, acceptione personarum, indicio iniusto... non cito credentes adversus aliquem, non severi nimium in indicio », — *rationem* autem assignat quod etiam « nos omnes debitores sumus peccati. Si ergo deprecamur Dominum, ut nobis dimittat, debemus et nos dimittere » (6, 1.2. PG 5, 1009). lure meritoque dicit Galtier (De paen. 187), his verbis misericordiam commentari et *facilitatem in dimittendo peccato,* ita ut nemo non videt, mentem esse S. Polycarpi, quod peccata omnia dimitti possunt (cf. Galtier, Origines 123-130).

II. Praxis saeculi II.

quoque ostendit poenitentiam universalem.

a) Primus allegari potest S. *Dionysius* episcopus Corinthius versus 160 in epistola deperdita ad ecclesiam Amastriae in Ponto see. Eusebium scribens « multa quoque de nuptiis et castitate iis praecipit et cunctos qui a quovis lapsu sive delicto sive etiam a haeretica pravitate resiliunt, benigne suscipi iubet » (Eccl. Hist. 4,23 PG 20,386). In hoc testimonio perspicuo notari debet, quod praecise de peccatis *carnis* agens, tamen nullum peccatum excipit et quod episcopo quem Palmam appellat iubet benignum esse, res ergo *ad Ecclesiam* pertinet. Sic opinabantur Corinthii.

b) Eodem fere tempore, post 155 S. *lustinus martyr de apostatis* scripsit, qui in iudaismum prolapsi sunt, et Christum negaverint, eos non posse salvari nisi « ante obitum poenitentiam egerint », *rationem* autem adducit: « nam qui poenitentiam peccatorum agit, eum benignitas et humanitas Dei.... perinde ac iustum ac peccatis carentem habet ». Item simpliciter enuntiat de peccatoribus: « Si poenitentiam agant, omnes volentes assequi misericordiam a Deo possunt, et beatos illos Scriptura praedicat, dicens: Boatus cui non imputavit Dominus peccatum. Hoc est, si peccatorum eum poeniteat, peccatorum a Deo accipit remissionem, sed non, sicut vosmetipsos decipitis et alii quidam in hoc vobis similes, qui dicunt, etsi peccatores sint, modo Deum agnoverint (Theon de ginôskousin) non imputare illis Dominus peccatum » (Dial, cum Tryphone 47. et 141. PG 6,577 et 797). lure dicit Galtier: « Haec autem quam parum aspirant rigorismum paenitentialem, nemo non capit » (p. 188).

c) Versus 180 S. *Irenaeus Lugdunensis* testatur de poenitentia, narrans, quomodo quaedam mulieres *in peccata adulterii* a Gnosticis seductae poenitentiam agentes restitutae sunt in vitam Dei: « In regionibus quoque nostris Rhodanusiae (se. fluminis Rhodani = Rhone) multas seduxerunt mulieres, quae cautcrizatas (cf. 1 Tim 4,2 kekautêriesmenai = exustas i.e. reatu culpae notatas)

habentes conscientias, quaedam quidem in publico faciunt confessionem (exomologountoi); *quaedam* autem pudore suffusae (dysôpoumenai) propter hoc *(sc. propter publicam exomologesim), in silentio* desperabant de vita Dei; aliquae totaliter abscesserunt (apestesan-apostasial); aliquae autem in utramque partem vacillant (epaniphoterizousin) » (Adv. haeres. I, 13,7 RJ n. 193). Supponitur ergo, ut per se patens, etiam, eum qui peccatum carnale commiserit, posse agere publice poenitentiam (exomologountai), et tales restituuntur in vitam *Dei, non sicut mulierculae pudore* perfusae (dysôpoumenai), nam (piae non agunt poenitentiam, « apostatae » factae sunt, et iam non inveniuntur in Ecclesia.

d) Haec sunt ergo manifesta testimonia pro poenitentia omnibus concessa saeculo *II-o,* quibus ab adversariis contraponi solet *locutio ambigua Hermae,* auctoris operis celeberrimi « *Poimên* » (Pastor), fratris S. Pii I. pontificis Romani *(140-155). Hic enim* auctor mysticus ab aliquibus dictus est induxisse praxim novam, eo quod annuntiavit peccatores poenitentiam consequi posse; ab aliis autem dictus est rigorismum invexisse eo, quod unam tantum poenitentiam permisit. Deciditur haec quaestio in hunc sensum, quod Hermas poenitentiam *omnibus* etiam *adulteris* permisit, quae praxis *non* fuit *nova* sed — uti vidimus — communis, novum vero fuit, quod poenitentiam *unam* postbaptismalem tantum admisit, quia falso conceptu *eschatologico* imbutus erat.

1°. Hermas poenitentiam *omnibus permisit·,* « Quotquot ex toto corde suo poenitentiam egerint, et se purificaverint ab iniquitatibus suis praedictis neque amplius quidquam adicccrint peccatis suis, sanationem (iasin) peccatorum priorum accipient a Domino » (Similitudo VIII, 11,3 RJ 90).

2°. *Etiam adulteris* permisit poenitentiam: loquens de muliere in adulterio deprehensa, « si vir peccatum eius cognoverit, neque poenitentiam egerit mulier, sed permanet in fornicatione sua, ac convivit cum ea, particeps fit peccati eius » (Mandatum IV, 1,4 RJ 86).

3°. Quod praxis haec *nova non fuit,* videtur praeter hucusque dicta e *Tertulliano* Montanista, qui sensu peiorativo Hermam « pastorem moechorum » denominat.

4°. Verum est, quod Hermas hanc *poenitentiam unam* tantum admittit, sic enim verba eius intellectu difficilia et ambigua meliore modo interpretantur: « Ego dico libi: post vocationem illam magnam et sanctam, si quis tentatus a diabolo peccaverit, unam poenitentiam habet; sin autem subinde peccat, et poenitentiam agit, non prodest homini eiusmodi, difficile enim vivet » (Mand. IV, 3,6 RJ 87).

5'. Hoc ideo facit, quia *falso conceptu eschatologico* imbutus erat. Putabat enim, ut saepe videtur e suo libro, non solum ultimi iudicii diem iam proxime instare, sed etiam millenarismum (chiliasmum) profitebatur (uberius cf. Galtier, De paen. p. 191-199). Post adventum Christi fideles iam firmantur et cum Christo regnant, paganis autem adhuc patet poenitentiae, nempe baptismi via. Sic intelligi potest ellatum cius intellectui non statim praevium: « luravit enim Dominus per gloriam suam super electos suos (sc. fideles Christi), si terminato hoc dic (sc. ultimo), adhuc peccatum fuerit, non habere eos salutem; poenitentia enim iustis habet finem, completi sunt dies poenitentiae omnibus sanctis, (i.e. christianis), gentibus autem (i.e. qui nondum sunt Christiani) poenitentia est usque ad novissimum diem » (Vis. II, 2,4-5).

6°. Haec poenitentia *datur in Ecclesia,* quae se profitetur *esse* « tyrgos » = turris aedificanda e lapidibus vivis qui sunt christiani: « Turris quam vides aedificari ego sum, Ecclesia » (Vis. III, 3,3; de Herma cf. Galtier, Origines p. 132-143).

e) *Casus quidam poenitentiales* saec. II-i clare confirmant testimonia allata recte a nobis intellecta *esse,* eo nempe sensu quod eo tempore omnibus peccatoribus facilis aditus ad reconciliationem patebat (de quibus cf. luculentius Galtier, Origines 145-155).

1°. A S. *Joanne Apostolo* sene baptizatus est quidam iuvenis, qui dein inter latrones abibat, peccata perpetrans varia ab eodem Apostolo in poenitentiam conversus est. Apostolus eum deduxit in suam civitatem, ibique eum reconcilians, ecclesiae praesentavit, ut narrat *Clemens Alexandrinus* (Quis dives salvetur 42).

2°. S. *Polycarpus* Philippensibus scribens anno 107 corripit quendam sacerdotem *Valentem,* qui avaritiae deditus, scandalo fuit suae ecclesiae. Una cum uxore sua S. Polycarpus eum adhortatus est ad poenitentiam, ecclesiaeque fidelibus commendat, ut « sicut passibilia membra et errantia eos revocate, ut omnium vestrum corpus salvetis » (Phil 11,4).

3°. Sub *Hygino* episcopo (138-142) Romam venerunt capita haeresium e variis regionibus Imperii Romani: *Valentinus,* quem Irenaeus patrem Gnosticorum appellat, ex Aegypto; *Marcion,* primus adversarius Veteris Testamenti, dualista, e provincia Ponti, et *Cerdon* ex Asia. De Valentino et Marcione Tertullianus scribit, quod « semel et iterum eiecti.... novissime in perpetuum discidium relegati sunt » (De praescr. haereticor. 30,2), quod evidenter supponit eorum *iteratam admissionem et reconciliationem.* De Cerdone hoc expresse affirmatur a S. Irenaeo, Cerdon « veniens ad ecclesiam, poenitentiam faciens (exomologoumenos) in ea permansit per aliquod tempus, dein reassumens suam arcanam doctrinam, iterum poenitentiam egit, sed quia iam punitus fuit propter suam falsam doctrinam, a communione fratrum eiectus est » (Adv. haer. III, 4,3 PG 7,857). Signanter ergo Irenaeus, sed implicite etiam Tertullianus supponit, haereticum sine diuturna poenitentia posse reconciliari suscipique in ecclesia.

4°. De mulierculis a Gnosticis ad fornicationem seductis in regione *Rhodanusiae* versus 180 scribit Irenaeus (cfr. supra c.).

5°. Circa annum 200, sub pontificatu episcopi *Zephyrini* (198-207) narratur casus cuiusdam *Natalis* ab auctore saec. III. cuius opus deperditum Eusebius allegat (H.E. V., 28). Natalis quondam catholicus ab Adoptianis seductus est, imo ab eis etiam passus est se episcopum ordinari. Conversus est propter remorsus conscientiae, et ob verbera quibus eum angelus Domini nocte flagellavit. Altera die in sacco et cinere egit poenitentiam coram universa ecclesia, supplicatione eius lacrimabili, ostensioneque plagarum noctu acceptarum commoti fideles postulabant eius susceptionem quae statim facta est.

f) Praxim saec. II-i poenitentialem testimonio concludimus *Tertulliani adhuc catholici,* qui versus 200 conscripsit libellum *De Poenitentia* (PL 1, 1227-1248). Post 206 inclinans in Montanismum iam non potest haberi testis indubius traditionis et in libro suo ultimo *De pudicitia* proprium opus De poenitentia retractavit, prodens hoc facto se in isto opere traditionis catholicae (« psychicae ») fuisse testem. Nihil in hoc tractatu revera habetur de peccatis

• *remissibilitibus* » *et* « *irremissibilibus* », *sicut in libro* Montanistae De pudicitia. *Simpliciter affirmat* « *poenitentiam secundam* » (baptismus est « prima ») peccatoribus *praesto esse:* « *Omnibus ergo delictis,* seu carne, seu spiritu, seu facto, seu voluntate *commissis, qui poenam per indicium* destinavit, idem et veniam per poenitentiam spopondit» *(c. 4. RJ 312).* Peccatores poenitentiam publicam agunt variis operibus mortificationis peractis: « Exomologesis prosternendi et humilificandi hominis disciplina est,... de ipso quoque habitu atque victu mandat: sacco et *cineri* incubare, corpus sordibus obscurare, animum moeroribus *deicere, illa quae* peccavit, tristi tractatione mutare... plerumque vero ieiuniis preces alere, ingemiscere, lacrimari et mugire dies noctesque ad Dominum Deum tuum, presbyteris advolvi, et caris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suae iniungere » (c. 9. RJ n. 315). Ut ex hoc effatu videri potest, supponit poenitentiam *in manibus Ecclesiae* sitam esse (« presbyteris »). Peccator per poenitentiam « *absolvitur* », et quidem « palam », i.e. publice, nam interrogat peccatores: « An melius est damnatum latere, quam palam absolvi? » (c. 10. RJ n. 316). — Effectum huius actus dicit, quod peccator « *restituitur* sicut Babylonius rex in regna restitutus est » (c. 12).

III. Praxis saeculi III.

prima parte saec. huius eadem remansit, sed poenitentia paulatim maiorem publicitatem acquisivit. Inde ab initio saeculi tamen invenitur *spiritus rigorismi e* coetibus *haereticorum et schismaticorum* prodiens, prima vice, ut videtur penes Tertullianum, Montanistarum.

a) *Tertullianus iam Montanista* primus enumerat *peccata capitalia:* idololatriam, moechiam i.e. adulterium et *homicidium,* simul affirmans ea esse irremissibilia (Dc pudicitia c. 2). Clare elucet *e controversia* eius cum « psychicis », quod in Ecclesia catholica haec peccata remissionem acceperunt, at praecise pro eis fuit statuta poenitentia publica. Psychici secundum Tertullianum « huius quoque poenitentiae fructum, id est veniam, in sua potestate usurpaverunt » (ibid. c. 3). Verisimiliter a Montanistis affecti, *aliqui episcopi Africani* primis decenniis saec. Hl-i, ut Cyprianus de episcopis aliquibus ante eius tempora viventibus dicit « dandam pacem moechis non putarent, et in totum paenitentiae locum contra adulteris clauderent » (Ep. 55,21). Quidam episcopus eminentioris dignitatis exemplum suum tunc patefecit; eius edictum occasioni fuit quod Tertullianus libellum suum De pudicitia inter annos 217-233 conscripsit *Edictum* hoc ab eo sic allegatur: « Audio etiam edictum esse propositum et quidem peremptorium. Pontifex scilicet maximus, quod est episcopus episcoporum, edicit: Ego et moechiae et fornicationis delicta paenitentia functis dimitto. Edictum, cui adseribi non poterit: « Bonum factum! » (De pudicitia c. 1. RJ n. 383). Pontifex hic putabatur olim esse Callistus Romanus pontifex, vel Zephyrinus, sed certo *non fuit Romanus pontifex,* nam agitur de « ecclesia Petri propinqua » (ibid. c. 21. RJ n. 387), quales Africanae ecclesiae fuerunt; fortasse erat *Agrippinus* Carthaginensis, primas Africae.

b) Romae S. *Hippolytus* accusavit Callistum propter nimium laxismum in condonandis peccatis, sed talis edicti nec verbo meminit. *Callisti,* Romani pontificis, peccatum secundum Hippolytum fuit, quod « primus excogitavit permittere hominibus ea (prae voluptatibus favent, dicens omnibus se dimitti peccata » Philosophumena 9,12). Quae sunt autem « *peccata* », a Callisto tolerata, Hippolytus significat: episcopos qui peccaverint ad mortem, loco suo non mo-

veri; ordinari digamos et trigamos; matrimonia post susceptos ordines iniri; et coniuctiones occultae, i.e. morganaticae feminarum cum servis (Galtier De paen. p. 208-209). Num haec S. Callistus revera permiserit, certum non est, sed non agebatur nec penes Hippolytum *de pace deneganda moechis* qua talibus: haec praxis exceptio fuit in ecclesiis, et non talium absolutio innovatio, sed *denegatio* absolutionis.

c) Medio saec. III-o exarsit *persecutio Deciana,* in qua multitudo magna fidelium ubique a Christi fide defecit, ut S. *Cyprianus* testatur, maior pars propriae gregis. Aliquo modo *lapsorum poenitentia reformari* debuit, ut Cyprianus in Synodo Carthaginensi anni 251 exposuit in sua « pro memoria » : *De lapsis* (PL 4,465-494). Lapsi enim omnes indiscriminatim, statim « pacem » i.e. absolutionem petebant, Cyprianus autem hoc reprobavit, quod lapsi « ante expiata delicta, ante exomologesim factam criminis, ante purgatam conscientiam sacrificio et manu sacerdotis, ante offensam placatam, indignantis Domini » (De lapsis c. 16) veniam consequantur. Ideo Cypriano postulante Synodus decrevit, e lapsis « *sacrificatos* » debere usque ad finem vitae poenitentiam agere (sed in Synodo anni sequentis data est eis « pax » propter persecutionem suspicatam), « *libellaticos* » vero post congruam poenitentiam absolvi debere. Contra hanc — ut ipsis visum est — nimiam severitatem *Novatus presbyter* Carthaginensis et Felicissimus diaconus dives et quatuor presbyteri *schisma* facientes a Cypriano excommunicat! sunt.

Interea *Romae* post martyrium Fabiani papae, sede per 15 menses vacante *clerus Romanus epistolam* scripsit Carthaginensibus, annuntians, quod « lapsorum curam mediocriter temperandam esse credidimus, ut interim, dum episcopus dari a Deo nobis sustinetur, in suspenso eorum qui moras possunt dilationis sustinere, causa teneatur (sc. in suspensive), eorum autem, quorum vitae suae finem urgens exitus dilationem non potest ferre, acta poenitentia... ita demum caute et sollicite subveniri » (Cypr. Ep. 30, 8). Anno 251 electus est *Cornelius* in pontificem Romanum, 47 presbyterorum suffragio, sed quinque presbyteri *Novatiano* adhaerentes, a Cornelio eiusque ecclesia in schisma abierunt. Occasio huius schismatis *non* erat *mitigatio rigoris pristini* quoad lapsos in idololatriam, ut adversarii nostri catholici « hypercritici » protendunt, sed solummodo contentiones ignominiosae de episcopatu a parte eorum qui non sunt electi. Novatianus enim, sub cuius praesidio epistola superius allegata ad Carthaginenses scripta est, post schisma factum statim accusavit Cornelium de nimio laxismo in reconciliandis pocnitentibus, et declaravit lapsos *omnes prorsus exclusos* debere manere a poenitentia, quod deinde *ad omnia peccata graviora* extendens, e schismate in haereticam pravitatem delapsus est. Novatus vero, qui Romam se recepit ad accusandam *severitatem* Cypriani, etiam ipse adversarius ob eius electionem (249) ad episcopatum, nunc adhaesit schismati Novatiani propter accusatam *lenitatem* exorto.

d) Haec facta saec. III-o in districtu Romano et Africano non sunt ergo taliter accipienda, ac si Novatiani retinuissent rigorem primitivum, innovatio vcr0 — ut adversarii affirmant — laxando rigorem primigenium quoad lapsos penes Catholicos invaluisset; contrarium est verum: praxis mitior saec. I-II-i etiam saec. III-o usitata, Romae et in Africa mutata est quoad lapsos in severiorem, propter magnum numerum apostatarum. Quod revera *saec. Ill-i prima parte mitior praxis* observata sit, ostendunt recentes inquisitiones *C. Rahner*

Busslehre und *Busspraxis der Didascalia* Apostolorum, *in:* Zfk Th 1950, 257-291) ct independenter ab eo *P. Galtier* (Aux origines du Sacrement de pénitence, Rome 1951, *157-1S2 et 189-221).* Recte affirmant hi auctores falsam esse eam *opinionem* praeconceptam, iuxta quam rigorismus seu denegatio absolutionis *elementum* primigenium quoddam fuisset (Rahner: « dass ein grundsatzlicher *Rigorismus, der die* Todsiinder definitiv von der Kirche ausschliesst, das Urspriingliche sei » p. 258 et Galtier: « rigorisme primitif » p. 191) et exemplo Didascaliae primis decenniis s. Ill-i exortae ostendunt, quod principium huius evolutionismi linearis historice falsum est. In Syria peccator publicus tempore praedicto excommunicatus est (II, 16-12), qui peccatum suum confessus est; tempus poenitentiae ab episcopo accepit, 2-7 *hebdomadas,* ab hoc momento « peccator humiliter remanet solus » (11,50, 4; 16,4). Elapsis hebdomadibus episcopus admonetur peccatorem « *recipere* »: « Tota ecclesia pro eo orante, ei manus impone... ac deinde permitte, ut in ecclesia sit » (II, 18,7). Hic ritus non solummodo receptionem significat in communionem ecclesiae, sed *etiam gratiam* impertitur; peccatores etenim « per impositionem manus accipiunt participationem Spiritus Sancti » (II, 41,3), postea statim « potest communicare », (II, 38,4), quod secundum Rahner participationem in synaxi significat (p. 267). — Simili modo indicat de praxi Didascaliae J. Grotz (Entwicklung d. Busstufenwesens 1955, 371-391).

IV. Evolutio poenitentiae severioris.

Saec. IV. invenitur iam modus severior poenitentiae agendae, cuius radices saec. III-o iam deteguntur.

a) *Peccata gravia et publica* tali poenitentia severiore expiari debebant, ut absolutionem consequi possint. Ut S. *Caesarius* Arelatensis (t 542) adhuc monuit: «Tota incumbendum est spiritus compunctione, ut vetusta mala tamquam sagittae quaedam de conscientia visceribus evellantur. Non sufficit summis labiis dicere: peccavi, parce ct remitte! » (Horn. 29). S. *Ambrosius* vero dixit: • Volo veniam reus speret, petat eam lacrimis, petat gemitibus, petat populi totius fletibus, ut ignoscatur, obsecret, et cum secundo et tertio fuerit dilata eius communio, credat remissius se supplicasse, fletus augeat, miserabilior postea revertatur, teneat pedes brachiis, osculetur osculis, lavat fletibus, nec dimittat, ut de ipso dicat Dominus Jesus: Remissa sunt peccata eius multa, quoniam dilexit multum » (De poenitentia I, 16.).

b) *Exclusio ab ecclesia* multis in locis verbotenus verificata est: non potuerunt ecclesiam ingredi, praesertim in Oriente, saepius in atrio (narthex) tantum basilicae potuerunt esse. *Romae* autem, ut J. A. Jungmann ostendit, in ipsa basilica habebant locum velaminibus separatum, vestigia foraminum in columnis aliquarum basilicarum Romanarum adhuc detegi possunt, ubi intromissa erant tigilla velamen portantia. Super hos peccatores recitabantur tempore Quadragesimae *orationes* « *pro peccatis* » quarum locum serius orationes π super populum » occupabant, saepe cum textu identico, e.gr. « Deus qui speran-tibus in te misereri potius eligis quam irasci: da nobis digne flere mala, quae fecimus, ut tuae consolationis gratiam invenire mereamur » (Missale Roman. Sabb. p. Dom. IV. Quadr., eodem loco iam in Sacramentario Gregoriano Hadriani, ed. Lietzmann n. 65. — Jungmann, Die lat. Bussriten 1932, 22. 15-20).

c) « *Poenitentiam agere* » significabat per multa saecula *opera laboriosa*

abnegationis. Exercitia a poenitentibus quotidiana servanda sunt secundum S. *Padanum Barcinonensem:* « Flere in conspectu ecclesiae, perditam vestem sordida veste lugere, ieiunare, orare, provolvi, si quis ad balneum vocet, recusare delicias, si quis ad convivium roget, dicere: Ista felicibus, ego deliqui in Dominum, et periclitor in aeternum perire, quo mihi epulas, qui Dominum laesi? Tenere praeterea pauperum manus, viduas obsecrare, presbyteris advolvi, exoratricem ecclesiam deprecari, omnia prius tentare quam pereas » (Paraenesis ad poenitent).

d) *Absolutio* inde a saec. IV-o Romae Fer. V. in Coena Domini impertita est, similiter in Africa, Mediolani, teste S. Ambrosio Fer. VI. Passionis et Mortis Domini. *Ritus Romanus* per magnam partem Occidentis divulgatus saec. VI. *describit hanc reconciliationem* (Gelasianum, cf. Wilson p. 63-69 et Pontificale Pictaviense, cf. Jungmann, Lat. Bussriten p. 80-86). *Diaconus* invitavit poenitentes prostratos in terra et postulabat multis verbis pontificem, ut « laetitia habeatur de absolutione poenitentium ». *Dein dixit:* « Redintegra in eo, apostolice pontifex, quicquid diabolo scindente corruptum est, et orationum tuarum patrocinantibus meritis, per divinae reconciliationis gratiam fac hominem proximum Deo! » — *Pontifex* dein admonuit eos, ut quod poenitendo diluerunt, iterando non revocent, postea *diaconus* advocavit fideles, ut « *litaniarum* sollemnia pro poenitentibus et reconciliandis nostris ac pro omni ecclesia sancta Dei sensualiter alternando modulemus ». *Episcopus* vero iterum ascendit ambonem, poenitentes venerunt ante eum et mox ut diaconus clamaverit: « Orate poenitentes, prostrati in terra, expectantes divinae misericordiae reconciliationem per ministerium pontificale! » pontifex super poenitentes prostratos *4-7 orationes deprecativas* fudit, interea *presbyteri* « tangunt dextris manibus indesinenter ipsos poenitentes vice pontificis ». His orationibus dabatur *absolutio,* ut videri potest e verbis diaconi qui expletis orationibus ad poenitentes dixit: « Surgite de terra *reconciliati Deo!* » Dein incipiebant *Missam fidelium* — haec enim post Evangelium facta sunt, — et ad gratiarum actionem omnes coeperunt canere «offerendam»: «Dextera Domini fecit virtutem...».

V. Quaestio poenitentiae « privatae ».

a) Cum etiam alia peccata committi solent quam notoria et « capitalia », multum quaerebatur quod praeter poenitentiam publicam existebatne poenitentia « privata ». Primo notiones debemus explanare quid nos intelligemus sub poenitentia privata vel publica. *Privata* ea intelligenda est, quae *sine aggregatione in ordinem poenitentium data est,* etsi aliquod elementum, utputa exclusio ad tempus a s. communione, publicum evasit. Poenitentia vero *publica* intelligitur ea, quando peccator « publicam poenitentiam gerens *divino fuerit reconciliatus altario* » (Cone. Toletanum anno 400. con. 2.), i.e. quando poenitens aggregatus fuerit ordini poenitentium. *Tali sensu* poenitentiam privatam extitisse ab Ecclesia *sollemniter definition est:* « Si quis... dixerit, modum secrete confitendi soli sacerdoti, quem Ecclesia catholica ab initio semper observavit et observat, alienum esse ab institutione et *mandato Christi, et inventum esse humanum:* anathema sit » (Trid. sess. XIV. can. 6. Denz. 916). Si autem hoc definitum est, poenitentiae privatae vestigia possunt etiam detegi et *vix potest* cum adversariis Catholicis teneri (una cum plerisque Protestantibus), quod *ante saec. VII. nullum vestigium* cius detegi potest sic Poschmann, (Abcndlan-

dische Kirchcnbusse in Ausgang des christl. Altertums 1928. et Das christliche Altertum u. *die* kirchliche Privatbusse, *in:* ZfkTh 1930, 214-252.) et eum sequentes, ut Lercher, affirmans: « Introducta est praxis Poenitentiae privatae certe non ante saec 7-8. et quidem primum in aliquibus provinciis Hispanicis et in Gallia... causa proxima erat activitas missionaria monachorum Hiberniorum duce S. Columbano versus finem saec. 6. » (p. 103).

b) At vestigia poenitentiae privatae sensu explicato sine dubio multo ante saec. VII. inveniri possunt, si « obscura e claris explicentur, quem ordinem sequi omnino necesse est», ut «Humani generis» dicit. Nam *poenitentiae privatae vestigia* habentur in *antiquitate Christiana:*

1 *In Syria* primis decenniis saec. III-i teste *Didascalia* Apostolorum (II, 37,6-38,4 et 39,6; Caltier p. 253), peccator pertinax, qui noluit nec episcopum audire, excommunicatus est; si autem obtemperavit episcopo, res inter episcopum et ipsum solum peragenda fuit.

2°. *In Aegypto Origenes* testatur (J. Stufler, Oeffentliche und geheime Busse hei Origenes, *in:* ZfkTh 1913, 193-201, cf. B. Poschmann, Paenitentia secunda p. 440-471). luxta eius doctrinam peccator, cuius peccatum non est evidens, non potest eiici ab acclesia. Ideo *consilium tale* datur ab Origene: « Vide ergo, quid docet nos Scriptura, quia oportet peccatum non celare intrinsecus... Si quidem occultant et retinent intra se peccatum, intrinsecus urgentur et propemodum suffocantur a phlegmate et humore peccati. Si autem sui accusator fiat, dum accusat seipsum et confitetur, simul evomit et delictum atque omnem morbi digerit causam. Tantummodo *circumspice diligentius,* cui debeas confiteri peccatum tuum. Proba prius medicum, cui debeas causam languoris exponere, qui sciat infirmari cum infirmante... Si intellexerit, talem esse languorem tuum, qui in conventu totius Ecclesiae exponi debeat et curari, ex quo fortasse et ceteri aedificari poterunt, et tu ipse facile sanari, multa hoc deliberatione et satis periti medici illius consilio procurandum est » (Horn. 2. in Ps 37,6). Manifestum ergo est ex hoc textu ante 224 exorto, quod possibile est huic peccatori *remedium* invenire etiam *sine « expositione in conventu totius ecclesiae »*; insuper « medicus » intelligendus est sacerdos (cf. Horn. 2. in Levit.). — Item *in alia homilia* dicit: « Si peccaverimus, debemus dicere: Peccatum meum notum feci tibi et iniquitatem meam non abscondi, dixi: annuntiabo iniustitiam meam contra me Domino. Si enim hoc fecerimus, et revelaverimus peccata nostra, non *solum Deo, sed et his, qui possunt mederi* vulneribus nostris atque peccatis, delebuntur peccata nostra ab eo, qui ait: Ecce delebo ut nubem iniquitates tuas et sicut caliginem peccata tua » (Hom. in Lucam 17. RJ n. 477). In homilia hac paulo post 233 prolata ergo de poenitentia publica in casu nil dicit, sed supponit, peccatum per medicum sanari posse.

3 . In *Africa* S. *Cyprianus* dicit eos, qui tantum *per intentionem negaverunt fidem* posse reconciliari privato modo: « Qui, quamvis nullo sacrificii aut libelli facinore constricti, quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipsum apud sacerdotes Dei dolenter et simpliciter exomologesim conscientiae faciunt, animi sui pondus exponunt, salutarem medelam parvis licet et modicis vulneribus exquirunt » (De lapsis c. 28).

I'. *In Hispania* inter 300-306 *Concilium Illiberitanum* de puellis loquitur, quae « xirginitatem suam non custodierint», sed eos, qui eas violaverint duxerint et tenuerint maritos, tales puellae iubentur a Concilio « post annum sine poenitentia reconciliari » (can. 14), quod iuxta Caltier clare significat, eas per

annum a communione quidem abstinere ac post annum absolvi debuisse, at quin inter poenitentes proprie dictos constiterint (p. 251).

5°. *In Persia,* procul ab Imperio vivens, *Aphraates,* archimandrita Mossulensis, inter 337-345 talia scripsit de peccatoribus: « Non virum in proelio vulneratum sapienti medico se committere piget, eo quod in pugna superatus ceciderit, idemque, cum sanatus fuerit, a rege non reiicitur, sed exercitui eius adnumeratur et adseribitur. Ita eum qui a Satana percussus fuit, non debet pudere delictum suum confiteri illudque relinquere et poenitentiam in remedium postulare». *Ad sacerdotes* autem talem dirigit adhortationem: «Vos igitur, medici, qui insignis medici nostri estis discipuli, non debetis medicinam iis denegare quibus curatione opus est. Quicunque vobis vulnus suum detexerit, ei *remedium imponite poenitentiae,* eum autem, qui infirmitatem suam manifestare erubuerit, ne hanc a vobis abscondat, adhortamini, cumque ipsam vobis revelaverit, *nolite eam publicare,* ne propter illum ab inimicis et ab iis, qui nos oderunt, innocentes in culpa esse indicentur » (Demonstrationes 7,3 RJ 685).

6°. *In Cappadocia* post 377 S. *Basilius Magnus* in Regulis brevius tractatis manifeste supponit poenitentiam privatam pro monachis: « Qui confiteri vult peccata sua, debetne confiteri omnibus et quibuslibet aut quibus? — *Responsum.* Peccata eis confiteri nccesse est. Sic enim et qui olim poenitentiam egerunt, coram Sanctis fecisse comperiuntur. Scriptum est in evangelio, quod peccata sua Joanni Baptistae confitebantur, in Actis vero, apostolis ipsis a quibus etiam baptizabantur cuncti » (Interrogatio 288 RJ n. 977). De monialibus autem mandat, quod in confessione peccatorum presbytero facienda, superiorissa praesens esse debet (Interrog. 110 PG 31,1157).

7°. *Romae* S. *Leo Magnus* (440-461) manifeste distinguit inter « paenitentiam publicam » et privatam in casu, quo aliqui *infantes baptizati rapti* a gentilibus et inter eos viventes redierunt a captivitate iam adulti. Si « aut idola adoraverunt, aut homicidiis vel fornicationibus contaminati sunt », debebant publicam peragere poenitentiam. Si autem « convivio solo gentilium et escis immolatitiis usi sunt, possunt ieiuniis et manuum impositione purgari » (Ep. 167. ad Rusticum PL 54, 1209). Clare etiam supponit esse *peccata « quae non poscant poenitentiam »* sc. publicam, *in epistola* sua data *ad episcopos Campaniae* anno 459: « Illam etiam contra apostolicam regulam praesumptionem, quam nuper agnovi a quibusdam illicita usurpatione committi, modis omnibus constituo submoveri. De poenitentia scilicet, quae a fidelibus postulatur, ne de singulorum peccatorum genere, libello scripta professio publice recitetur... quia non omnium huiusmodi sunt peccata, ut ea, qui poenitentiam poscunt, non timeant publicare, *removeatur tam improbabilis consuetudo...* Sufficit enim illa confessio, quae primum Deo offertur, tum etiam sacerdoti, qui pro delictis poenitentiam precator accedit » (Denz. 145).

Scholion de relapsis.

Aliis iam non indigentes testimoniis Traditionis circa existentiain Poenitentiae, probe scientes quod difficultates — nostra opinione apparentes — solum primis quinque saeculis habentur, unum adhuc volumus adiicere: quaestionem *de una poenitentia* aevo antiquo Christianorum. Haec quaestio aliis verbis dicitur etiam *quaestio de relapsis:* i.e. num ii, qui poenitentia publica persoluta semel iam remissionem peccatorum acceperunt, potueruntne de novo per talem poenitentiam publicam reconciliari.

1 *Certum est secundam* poenitentiam *publicam bis* datam in multis ecclesiis non *fuisse,* « poenitentia secunda » enim habetur poenitentia publica post « primam poenitentiam », i.e. baptismum peracta, quae *multis in locis habebatur unica. Galtier iure dicit, agi de ecclesiis,* quarum praxis per documenta noscatur, et nil affirmatur *de praxis illius* universalitate aut diuturnitate p. *267-274). Revera eodem* anno, quo Galtier librum suum edidit (De paenitentia ed. *2.* Romae *1950), K. Rahner* praxim mitiorem viguisse primis decenniis saec. *III-i in* Syria *ostendit (ZfkTh 1950.* art. cit.) Didascalia enim Apostolomm ab ipso funditus perlustrata nullibi loquitur de una tantum poenitentia, in uno casu autem, quando nempe aliquis falso denuntiavit fratrem et peracta poenitentia publica, iterum idem crimen commisit negare demandat iteratam poenitentiam tali recidivo. Quia hoc mandatum per longum et latum probare studet, dare sequitur in Syria incognitum fuisse poenitentiae iterationis vetitum.

2 Secus plurima habentur vestigia unius tantum poenitentiae publicae. *Tertullianus* adhuc catholicus iam commemorat hoc, dicens: Deus « collocavit in vestibulo poenitentiam secundam, quae pulsantibus patefaciat, sed iam semel, quia iam secundo, sed amplius nunquam, quia proxime frustra » (De paenitentia c. 7. RJ n. 311). — Item S. *Siricius* Romanus pontifex ad Himerium Tarraconensem rescripsit anno 385. de iis, « qui, acta poenitentia, tamquam canes ac sues ad vomitus pristinos et volutabra redeuntes » fuerint, quod tales « iam suffugium non habent poenitendi », et mitigavit disciplinam antiquam permittendo, quod tale « sola intra ecclesiam fidelibus oratione iungantur, sacrae mysteriorum celebritati, quamvis non mereantur, intersint, a dominicae autem mensae convivio segregentur... quos tamen quia carnali fragilitate ceciderunt, viatico munere, cum ad Dominum coeperint proficisci, per communionis gratiam volumus sublevari » (Ep. 1,6 Kirch, Enchiridion hist. eccl. ant. n. 657). — S. *Augustinus* quoque manifeste loquitur de praxi poenitentiae unicae: « In tantum autem hominum iniquitas aliquando progreditur, ut etiam post actam poenitentiam. post altaris reconciliationem, vel similia vel graviora committant... Et quamvis iis in ecclesia locus ille poenitentiae non concedatur. Deus tamen super eos patientiae non obliviscitur... Quamvis ergo caute sahibriterque provisum sit, ut locus illius humillimae poenitentiae semel in ecclesia concedatur,... quis tamen audeat Deo dicere: Quare huic homini, qui post primam poenitentiam rursus se laqueis iniquitatis obstringit, adhuc iterum parcis »? (Ep. 153,3,7 RJ n. 1435).

3°. Merito monet Galtier e praxi hac non debere oriri *difficultatem dogmaticam,* nam non statim ab initio clare perspectum est, quantum pateret aditus divinae misericordiae; item ante Tridentinum nondum satis viderunt Sacramenti vim praecipue in absolutione sitam esse; demum, quod haec denegatio communionis orta est *e praesumptione insufficientis dispositionis* penes peccatores, non e falsa sententia, quod Ecclesia non posset tales absolvere etiam iteratis vicibus (p. 273-274).

5. Sacramentum poenitentiae ratione commendatur.

a) Ratio sumi potest e *parallclismo inter Vetus et Novum Testamentum.* l i V< (t n I.e sollemne erat homines purificari per ritus aliquos, ut sacerdotes .r>t< consecrationem, totum populum in die expiationis, singulos peccatores p M commissa peccata. Item etiam *tempore Christi* Joannes Baptista, sequendo

sectas contemporaneas, ritu lotionis significavit spiritum poenitentiae; ipse Dominus voluit, ut aggregatio in regnum Dei fieret per lavacrum baptismi. Ergo « parallclismus servatus inter duas oeconomias *suggerit voluntatem Christi* fuisse, ut in novo Dei populo, praeter ritum aggregationis medium etiam aliquod esset, quo qui peccasscnt, iterum mundari possent » (Galtier p. 98-99, fusius: Origines p. 35-42).

b) Ratio convenientiae ex eo modo desumpta, quo *Christus diabolum vicit.* Christus Dominus per arma a diabolo adhibita vicit ipsum diabolum in opere redemptionis. *Atqui* praecise in Sacramento poenitentiae haec verificantur. *Ergo* Sacramentum poenitentiae quam maxime convenit operi redemptionis.

Maior probatur. Sacra liturgia affirmat: « Unde mors oriebatur (i.e. a peccato instigante diabolo commisso), *inde* vita (sc. aeterna) resurgeret et qui in ligno (nempe scientiae boni et mali) vincebat, in ligno quoque (sc. Crucis) vinceretur ». *Arma ergo diaboli* see. hunc textum sunt: mors et omnia ex ipsa provenientia: dolores passionis, et figura praeteriens huius mundi, — dein *lignum* scientiae boni et mali, quo significatur *natura per peccatum vitiata,* proclivisve facta per tentationes sensuum ad peccandum. Christus autem mortem nostram (spiritualem) moriendo (corporaliter) destruxit, sicque peccatum protoparentum, omnis mali originans, factum est occasio redemptionis iureque vocatur « felix culpa, quae talem ac tantum meruit habere redemptorem ».

Minor probatur. In Sacramento poenitentiae per arma diaboli vincitur Satanas. *Mors* et aliae sequelae peccati vincuntur per mortificationes satisfactionis sacramentalis et per medicamen gratiae e passione Christi promanantis; *sensuum oblectamenta* per signum sensibile poenitentiae; homines peccaminosi autem fiunt ex institutione divina ministri oeconomiae Dei et sic per peccatum peccatum devincitur.

Ad consequentiam. Sacramentum poenitentiae quam maxime convenit operi redemptionis: diabolus enim apparenter vicit per redundantiam peccati ubique terrarum, tamen morte devicta per diabolum procurata Christus vivit et regnat, quae victoria repetitur usque ad ultimam victoriam in fine saeculi. (G. Belon).

c) *Ratio Sacramenti invenitur in poenitentia.* Est 1°. *sensibile;* teste historia semper *verbis* orationis absoluti sunt peccatores quod summopere convenit, Christus enim voluit, ut homines scirent, an remissa sit eorum culpa vel non.

2°. Gratia *signatur* per poenitentiam: *quod* etenim *remissionem peccatorum* signat, in ordine praesenti salutis necessario modo *etiam gratiam habitualem* adsignificat, sine qua non habetur remissio.

3°. Signum hoc etiam *efficit* gratiam, hoc Sacramentum etenim constat praecipue e iudiciali sententia absolutionis, sententia autem iudicialis habet veram causalitatem efficientem, sententia haec remittit peccatum per gratiae infusionem, Sacramentum ergo causât gratiam. Causalitas haec instrumentalis debet esse quod salvatur eo, quod minister principalis Christus est.

4°. In poenitentia signum sacramentale *ex opere operato* consequitur effectum, nam remissionem ministrorum ratam habent et in caelis, quod edicitur sine ulla restrictione, effectum ergo habet infallibilem.

Litteratura.

S. *Robertas BellarminuS,* Controversiarum de poenitentia (ed. J. Fèvre Paris 1870, IV, •137-644). — F. *Suarez,* Comment, ac disp, in III. p. D. Thomae, (De poenitentia) 1. 38.

, i Vîtes 1861, *XXII, 1-806). — H. J. Schmitz, Dic* Bussbiicher und das kanonische Bussver Dii"<'dort 1898. — D. *Palmieri,* Tractatus de poenitentia, 2. ed. Romae 1896. — */. d< San. Tractatus de* poenitentia, Brugis 1901. — *P. A, Kirsch.* Geschichte der kath. B· Wurzburg 1902 — *E. Vacandard,* La pénitence publique dans l'Église primitive, ptre 1903. — J. *Stufler, Die* Siindenvergebung bei Origines, *in:* ZfkTh 1907, 196-228) — *Idem Du* Bus'dis7in!in der abendland schen Kirche bis Kallistus, *in:* ZfkTh 1907, 433-474 — *Idem.* Die Bchandhmg der Gefa'lenen zur Zeit der decischen Verfolgung, *in:* ZfkTh 1907, 577-618. — *Idem,* Die Siindenvergebung bei Irenaus, in: ZfkTh 1908, 488-497. — *C. Pwist'hcn,* Eucharistie und Bussakrament in den ersten sechs Jahrhunderten, Freiburg i. B- 1908. — *B Schmoll, Die* Busslehre der Frühscho'.ast k, Miinstcr 1909. — *H. Bruders,* Vt 16,19, 18.18 und Jo 20.22.23 in frühchristlicher Auslegung, *in:* ZfkTh 1910, 659-677, 1911. "9-111, 292-346, 466-481, 690-713. — *K. Adam,* Die kirchb'che Siindenvergebung meh dem h! Augustin, Paderborn 1917. — *B. F. M. Xiherta,* Clavis Ecclesiae, Romae '922. — /. *Stufler,* Die entfemte Vorbereitung auf die Rechtfertigung nach dem hl. Thomas, *in* ZfkTh 1923, 1-23, 161-183. — *P. Batiffol,* Études d'histoire et de théologie positive, l.èrc série, ed. 7. Paris 1926. — //. *Koch,* Cyprianische Untersuchungen, Bonn 1926. — *Th Spacil,* Doctrina theologica Orientis separati de Sacramento poenitentiae, Romae 1926. — \ d'A/ér, Prima lineamenta tractatus dogmatici de Sacr. Poenitentiae, Paris 1926. — A. *Landgraf,* Gnmdlagen fiir em Verstandnis der Busslehre der Friih- und Ilochscholastik, *in* ZfkTh 1927, 161-194. — *B. Poschmann,* Die abcndlandische Kirchenbusse am Ausgang des chrisllichen Altertums, München 1928. — *J. Mac Neill,* Celtic Penitential·» and their influence. Paris 1929. — *B. Poschmann,* Die Kirchenbusse im friihen Mittelalter, Breslau 1930, — G. *lluarte,* Tractatus de Sacr. Poenitentiae, Romae 3. ed. 1930. — *L. Kopler,* Bussakrament und Ablass, Linz 1931. — *J. A. Jungmann,* Die lateinischen Bussriten in ihrer geschichtlichcn Entwicklung, Innsbruck 1932. — *P. Galtier,* L'Église et la remission des péché' aux premiers siècles, Paris 1932. — B. *Bartmann,* Die Erlôsung, Siinde und Sühne, Paderborn 1913 — F *Amann-A. Michel-M. Jugie,* Pénitence, in: DThC XII (1933), 722-11 '8. — F. *Caiallera,* Le decret du Concile du Trente sur la Pénitence et l'Extrème Onc-! on. in Bulletin littéraire ecclésiastique 1938, 3-79. — *B. Poschmann,* Paenitentia secunda. Die kirchlichc Busse im altesten Christcntum bis Cyprian und Origines, Bonn 1940. — C Boy< r, Tractatus de Sacr. Poenitentiae et de Extrema Unctione, Romae 1943. — *E. Dortmzn,* Tractatus dogmaticus de poenitentia. I. De Sacramento et virtute, Milwaukee (Bruce) 1949 — *P Anciaux,* La théologie du sacrement du pénitence au XII-e siècle, Louvain 1919 — P, *de Vooght,* La théologie de la pénitence, Bruges 1949. — *K. Rahncr.* La doctrine d'Origène sur la pénitence, in: Rev. Scicnc. Rel. 1950, 47-97, 252-286, 422-456. — B *Povhmann,* Die innere Stniktur des Bussakramentes, Miinch. Theol. Zeitschr. 1950, 1 II. 3,12-30 — AL *Schmaus,* Reich Gottcs und Bussakrament, *ibid.* 1950, 1. IL 1,20-36. — P. *Galticr,* De poenitentia tractatus dogmatico-historicus, ed. nova Romae 1950. — *Idem,* Aux origines du sacrement de pénitence, Romae 1951. — K. *Rahncr,* Zur Théologie der Busm bei T< rtullian, in: Festschrift f. K. Adam, Düsseldorf 1952, 139-167. — *Idem,* Die Bussb'hre dis hl. Cyprian, in: ZfkTh 1952, 257-276, 381-438. — C. *Vogel, La discipline* pénitentielli· en Gau.e des origines à la fin du VH-e siècle, Paris 1952. — AL *Mellet-A. Al. Henry,* La pénitence, in: Institutions théolog. IV. Paris 1954, 597-670, — *K. Rahncr,* \ (: ?λ μ i μ - Wahrheiten über das Bussakrament, in eiusdem: Schriften zur Theol. II Koln 1955. 113-183. — *J. Grot:,* Die Entwicklung des Busstufenwcsens in der vomizanischen k (. l t< burg i. Br 1955. — C. Aogcl, La discipline pénitentielle en Gaule des origines au 1\ si,,'. |c dossier hagiographique, in: Rev. scienc. re'ig. 1956, 1-26. — *P. Anciaux,* L< s u n menl de la pénitence, Leuven 1957. — IL *Rondet,* Esquisse d'une histoire du S erine ut de Pénitence, in: Nouv. Rev. théol. 1958, 561-584. — P. AL *Gy,* Hist, liturg. du suer- de pénitence, Maison-Dieu 56 (1958) 5-21.

Respectu pastorali sequentia opera in decursu tractatus adhilx?ri possunt.

R I Si fueler. Verwaltung des Bussakramentes, Paderborn 1894. — A. *Tappehorn-* (,. ▮,;'t. \nli tune zur Verwaltung des hl. Bussakramcnts, 6. ed. Dülmen, 1927. — D. *Priimtn.r.* M mali rbeol. Moralis, 5. ed. Friburgi Brisgoviae 1928, III. n. 305-567. — B. Afer-*h* Qua<'tion< s pastorales, Paderborn 1928. — *Ph. Oppermann,* Die Verwaltung des I ' Bit'sikrauiento, 3 ed. Breslau 1932. — E. *Walter,* Das Siegel der Versohnung, 2. ed. I r. '› i>; 1939. — L Anlcr, Comes pastoralis confessant praesertim religiosi, 10. ed. Fulda 1917 - J Zorkin. Die ijftcre Bcicht Pastoraltheologische Gedanken zur Verwaltung des l · ' ▮' A- ›.' i ides. 2 cl Stuttgart 1948 — A *Vermeersch-). Creusen,* Theologiae Moralis principia, responsa, consilia, 4 ed. HI Romae 1948. n. 403-602. — B. *Merkelbach,* summa

Theologiae Moralis, 8. ed. III. Romae 1949, n. 394-684. — *B. Baur,* Die hàufige Beicht, 7. ed. Freiburg i. B. 1950. — *J. Aertnys-C. A. Damen,* Theologia Moralis secundum doctrinam S. Alfonsi de Ligorio Doctoris Ecclesiae, 16. ed. II. 1950, η. °'M-532. — *J. Fanfani,* Manuale theor.-pract. Theol. Moral. IV. Romae 1951, p. 313-594. — *O. SchôUig,* Die Verwaltung der hl. Sakramente tinter pastoralen Gesichtspunkten, 4. ed. Freiburg i, Br. 1952, p. 111-336. — *//. Noldin-A. Schmitt-G. Heinzel,* Summa Theol. Moral. 30. ed, 1954, n. 217-428. — W. *Bauch,* Ueber Sinn und Wert des Bussakramentes, Freiburg i. Br. 1956.

B) De essentia Sacramenti poenitentiae in genere.

Status quaestionis.

Hac et sequentibus quaestionibus (C.D.E.F.G.H.) de compositione physica Poenitentiae tractandum erit. Secundum ordinem investigationis inquirendum est in partes constitutivas huius Sacramenti. Forma Sacramenti, pars eius praecipua, est absolutio sacerdotalis; materia autem eius non habetur eodem modo ac penes alia Sacramenta, est « quasi-materia », quae potest vocari remota, seu materia « circa quam », materia haec sunt peccata. Materia proxima seu « ex qua » constat ex actibus poenitentis: contritione, confessione, satisfactione.

Essentia physica Poenitentiae:

- MATERIA:
  - *remota* seu circa quam
    - insufficiens
    - sufficiens
      - necessaria
      - libera
  - *proxima* seu ex qua
    - contritio
    - confessio
    - satisfactio
- FORMA: Absolutio sacerdotis

Hac quaestione de essentia Poenitentiae *in genere* aliqua dicenda veniunt, de quibus statuitur:

THESIS. Quasi-materia proxima seu « cx qua » Poenitentiae sunt: (1) de facto tres actus poenitentis, (2) quoad modum quo sunt: materiam constituunt essentialem. 1. de fide, 2. probabilior.

Pars I. probatur: de facto materia Poenitentiae sunt actus poenitentis.

Vox Ecclesiae.

Leo X. damnavit errorem *Lutheri:* « Tres esse partes poenitentiae: contritionem, confessionem, satisfactionem, non est fundatum in sacra Scriptura, nec antiquis sanctis christianis doctoribus. (Prop. 5. Denz. 745).

Trident sess. XIV. cp. 3: « Sunt autem quasi materia huius Sacramenti ipsius poenitentis actus, nempe contritio, confessio et satisfactio. Qui quatenus in poenitente ad integritatem Sacramenti, ad plenam et perfectam peccatorum

remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione poenitentiae partes dicuntur» (Denz. 896). — *Ibid. can. 4:* « Si quis negaverit, ad integram et perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in poenitente quasi materiam Sacramenti poenitentiae, videlicet contritionem, confessionem, et satisfactionem, quae tres poenitentiae partes dicuntur...; anathema sit » (Denz. 914).

Haec materia proxima inferius tractabitur (quaest D.E.F.), nunc sufficiat rationem dare, *cur possint materiae nomine* insigniri. In Sacramentis illis, in quibus confertur *excellens gratia** quae superabundat omnem facultatem humani actus, adhibetur aliqua *corporalis* materia exterius, sic in baptismo, confirmatione, extrema unctione. In Sacramentis autem praedictis *humani actus* non sunt de essentia Sacramenti, sed habent se *dispositive* ad Sacramenta. In illis Sacramentis autem, quae habent *effectum correspondentem humanis actibus,* sicuti in Poenitentia, ubi actus humanus est dolor de peccato, confessio humilis peccati et satisfactio pro peccato, his actibus humanis correspondet effectus etiam in vita naturali: nempe remissio, condonatio culpae. Supernatural» modo hoc fit in Sacramento Poenitentiae et propter hanc correspondentiam actus poenitentis fiunt loco materiae, « sicut etiam in medicinis corporalibus quaedam sunt res exterius adhibitae, sicut emplastra et electuaria (= Pilaster u. Salbe, tapasz és kenoes), quaedam vero sunt actus sanandorum, puta exercitationes corporales » (III q. 84. a. 1 ad 1).

Pars II. probatur: de modo quo hi actus materia sunt.

Dum *factum,* quod actus pocnitentis, contritio, confessio, satisfactio materia sunt Poenitentiae, de fide est definita, *modus,* quo hi actus hoc esse possunt, disputatur. *Concilium Tridentinum* quaestionem *dirimere noluit,* et abstinuit, ut expresse edixit, de modo loquendi, quae damnaret opinionem Scoti. Ideo peremptorium argumentum e Tridentino fieri nequit, (quam argumentationem pulchre congestam vide Lercher p. 129-130). Tres sententiae habentur de hac re.

/. sententia est et fuit semper communior, quae tenet actus pocnitentis constituere *materiam essentialem* Sacramenti huius i.e. materiam « *ex qua* » Poenitentia physice constituitur. Sic Alexander Halensis, S. Thomas et omnes Thomistae, etiam Societatis Jesu.

II. sententia tenet actus pocnitentis non esse nisi « *materiam circa quam* », dum Thomistae hoc nomine peccata designant. Actus hi iuxta hanc sententiam requiruntur ut necessaria dispositio sunt ergo tantum *pars integralis Poenitentiae.* Sic *Scotus,* qui dixit, actus pocnitentis spectare « quidem ad poenitentiae sacramenti integritatem et necessitatem ex divina institutione, sed tamen minime involvuntur in formali ratione eius » et aperte negat « hos actus esse ullo modo partes Poenitentiae ut est sacramentum » (Opus Oxoniense IV. dist. 16. q I n 7. ed. II. dc Montefortino, Romae 1903, VI, 4). Actus pocnitentis ergo sunt dicendi « quasi materia, quatenus non importantur directe ab hoc Sacramento, sed in obliquo et connotative » (Reportata Parisiensia IV. dist. 14. n. 6., Montefortino p. 5.). Scotum sequuntur *Ballerini* S. *J., Berardi* et *Tanquerey.*

III. sententia putat absolutionem solam esse elementum essentiale, actus pocnitentis autem requiri *qua conditio necessaria,* ut possit esse sententia iudiviahs. Sic Scotus *interpretatus* » a theologis Scotistis posttridentinis, *Frassen, lin quet us. Hier dc Montefortino.* Haec sententia quoad substantiam eadem est ac secunda.

Sententia II. et III. refutari potest eo, quod argumentum Scotistarum, quod

« *contritio quoddam spirituale* in anima non sensibilis » res sit, ideoque non potest nt materia Sacramenti necessario sensibilis adhiberi, cadit, nam contritio *manifestari debet,* sive per confessionem dolorosam, sive verbis vel signis expressis, bis autem actus poenitentis, etiam contritio rationem iam habent signi sensibilis. — Item Scotistae provocant *ad factum absolutionis moribundi* sensibus destituti, qui iam nullum signum dare potest contritionis, nec confiteri potest, tamen absolvitur. Ad quod respondendum, talem absolutionem nullo modo certe validam esse, ideoque *sub conditione* solum dari posse, et hoc etiam post Tridentinum multis contradicentibus. Talis moribundus ideo potest absolvi, quia praesumitur quod confitendi desiderium per se vel per alios ostenderit, forsan solum gemitibus et suspiriis.

Sententiam vero I., Thomistarum commendare possumus his argumentis:

1°. *Catechismus Romanus* hanc sententiam amplectitur: « actus poenitentis vocantur quasi materia, « non quia verae materiae rationem non habeant, sed quia cius generis materia non sint, quae extrinsecus adhibeatur, ut aqua in baptismo, chrisma in confirmatione » (Cat. Trident, de poenit. nr. 13.).

2°. Auctoritas et argumenta S. *Thomae:* « Omne Sacramentum producit effectum non solum virtute formae, sed etiam virtute materiae, ex utroque enim est unum Sacramentum.... Unde sicut remissio culpae fit in *baptismo* non solum virtute formae, sed etiam virtute materiae, scilicet aquae, principalius tamen virtute formae, ex qua et ipsa aqua virtutem recipit, ita etiam remissio culpae est effectus poenitentiae *principalius* quidem *ex virtute clavium* quas habent ministri, ex quorum parte accipitur id, quod est formale in hoc Sacramento... Secundario autem *ex vi actuum* poenitentis pertinentium ad virtutem poenitentiae; tamen prout hi actus aliqualiter ordinantur ad claves Ecclesiae ¶ (III q. 96. a. 6.).

3°. Actus poenitentis esse materiam essentialem, probatur etiam eo, quod Ecclesia *nullam habet* praescriptionem quoad *absolutionem moribundi sensibus destituti,* imo *Rituale Romanum* dicit, « si et vox et loquela aegro deficiant, nutibus et signis conetur, quoad eius fieri poterit, peccata poenitentis cognoscere, quibus utcunque vel in genere, vel in specie cognitis, vel etiam si confitendi desiderium, sive per se, sive per alios ostenderit, absolvendus est » (Tit. IV. c. 1. n. 25.). E quibus sequi videtur, actus poenitentis essentiales esse; quod confirmatur, si nunc dicta conferantur cum *Instructione* S. *Poenitentiariae* (25. mart. 1944) de « sacramentali absolutione generali modo pluribus impertienda ¶ (AAS 1944, 155-6). Absolutio sacramentalis dari potest non solum militibus et civibus, sed etiam pluribus simul, (pii secus « diu gratia sacramentali et sacra communione carere cogantur ». Fideles supponuntur esse vere contriti, quod praesentia sua, geneflexione, etc. manifestant. Etiam ex hac Instructione patet, aliquo modo actus poenitentis esse partes essentiales Poenitentiae.

C) Dc materia remota seu « circa quam » Poenitentiae.

Status quaestionis.

Terminus materiae remotae non omnibus placet. Cl. Schütz e. gr. dicit: « Materia remota paenitentiae nulla est. Praesertim non est in peccatis ponenda, sequeretur enim peccata esse causam instrumentalem (partialem) gratiae, quod est absurdum. Sunt utique materia circa quam... » (Summarium p. 465). *Recta*

notione materiae « remotae » in Poenitentia supposita, quod nimirum peccata ‹ materia remota Poenitentiae sunt *non* acceptanda, *sed* detestanda et destruenda » III q. *84.* a. 2.), secure uti possumus hoc termino technico, nam non solum auctoritas S. Thomae sed etiam Rituale Romanum hunc suadet terminum: « Remota materia sunt peccata, proxima vero sunt actus poenitentis » (Tit. IV. c. 1,1, ed. typ. 1952).

Materia remota Poenitentiae in duas classes dispescitur. Habetur materia remota *insufficiens,* i. e. peccata, quae non possunt absolvi, et *sufficiens:* peccata, quae possunt absolvi; quae iterum subdividuntur in materiam *liberam,* si eorum confessio ad luhitum potest fieri poenitentis, et *necessariam,* si potestati clavium omnino subiicienda sunt.

Agendum ergo nobis est:

1. De materia remota insufficiente.
2. De materia remota sufficiente necessaria.
3. De materia remota sufficiente libera.

1. Dc inateria remota insufficiente.

Materia remota insufficiens vocantur *partim vera peccata* quae tamen non possunt esse materia « circa quam » Poenitentiae, *partim non genuina peccata,* sed iis similia. Secundum doctrinam Ecclesiae enim tria requiruntur ad peccatum, ut materia remota sufficiens sit Poenitentiae, si autem unum e tribus elementis requisitis desit, peccatum iam non potest esse materia sufficiens Poenitentiae. *Haec tria elementa* sunt sequentia: Peccatum debet esse:

a) Peccatum personale,

nam peccatum non personale, i. e. *peccatum originale* iuxta Ecclesiae doctrinam per baptismum remittitur: « lustificatio est translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adae in statum gratiae... post Evangelium promulgatum sine lavacro regenerationis aut eius voto fieri non potest » (Trid. sess VI, cp. 4. Denz. 796).

b) Peccata post baptismum commissa,

quod evidens est c Tridentino docente Ecclesiae datam esse « potestatem remittendi et retinendi peccata ad reconciliandos fideles post baptismum lapsos » (Sess. XIV cp. 1. Denz. 894); Poenitentia etenim est « vere et proprie Sacramentum pro fidelibus, quoties post baptismum in peccata labuntur » (ibid. can. 1. Denz 911) Ideo etiam *CIC can. 870:* « In poenitentiae Sacramento... remittuntur peccata post baptismum commissa ».

1 Ergo *peccata ante baptismum commissa* nullo modo possunt esse materia sufficiens Poenitentiae; non ideo, quia iam remissa sunt, nam peccata iam remissa possunt esse materia sufficiens, etsi libera, absolutionis, sed praecise ideo, quia potestas clavium Ecclesiae se tantum ad peccata post baptismum patrata extendit. Utique nihil obstat, ut aliquis etiam peccata ante baptismum commissa *pandat* patri spirituali, sed *absolvi* non possunt; si vult, hoc poenitens id‹o facit, ut directio spiritualis confessarii fructuosior evadat.

2°. Peccata ante baptismum commissa *in uno casu accusari* debent: si *baptismus alicuius haeretici vel schismatici dubius fuit* et sub condicione iterum baptizari debet. Si baptismus ab acatholicis ei collatus certe *validus* fuit, tunc sine dubio tenetur omnia peccata sua post baptismum perpetrata confiteri, nam non sunt remissa et qua haereticus non est confessus; si schismaticus est, absolutio schismaticorum propter defectum jurisdictionis non est certo valida. *Si* baptismus dubius *non fuit validus* — sed in casu dubio non constat, num validus fuit, vel non — *non* deberet per se confiteri, sed quia de hoc certo non constat, pars tutior eligenda est. Nam, si baptismus acatholicus validus fuit, tunc omnia peccata post baptismum commissa adhuc extant et remitti debent; insuper Ecclesia certum ius habet super eum e baptismo etsi forte invalide collato. Similiter agendum est quoad confirmationem, ordinationem et matrimonium talis sub conditione baptizati. — Sententia haec *sola est in praxi tuta,* etsi pauci thelogi dissentiant, nam Ecclesia pluribus in casibus semper respondit, *peccata omnia* tali in casu confitenda esse *post* baptismi condicionati collationem (sic Priimmer, Manuale Th. Mor. III, 138, Noldin-Schmitt III η. 230., Merkelbach ed. 8. III n. 168).

3°. Si *baptismus catholici iterandus* sit propter validitatem dubiam sub conditione, baptizatus sub conditione non tenetur peccata iam semel commissa iterum confiteri. Etenim si baptismus dubius validus fuit, consequenter valida fuerunt etiam eius confessiones, si autem baptismus dubius invalidus fuit, tunc baptismus conditionatus evadit validus et delet omnia peccata. Quia tamen nescitur qualis baptismus fuerit validus, debet peccata sua — ut patet tantum gravia — post ultimam confessionem patrata post baptismum confiteri, si enim baptismus conditionatus fuit invalidus, tunc haec peccata non fuissent remissa. — Absolutio peccatorum in utroque casu *sub conditione* fieri debet.

c) Peccatum debet esse verum,

ut sit materia sufficiens, non autem quod sensu latiore dici solet peccatum; Christus etenim super peccata dedit Apostolis potestatem. Nunc autem aliquid aut est peccatum, aut non: si ergo dubie est peccatum, in casu, quod revera non est peccatum, non habetur materia Poenitentiae remota, circa quam absolutio fieri potest et Sacramentum frustrationi exponeretur. — Peccata vera autem imita auctores non sunt imperfectiones et peccata dubia, proinde non constituunt materiam sufficientem Poenitentiae.

1°. Materia insufficiens sunt *imperfectiones,* i. e. transgressiones *indeliberatae praecepti* aut transgressiones *deliberatae consilii. Prima* habetur, si quis ante pubertatem ludens onaniam commiserit, nesciens esse peccatum, vel Fer. VI. carnes manducaverit non advertens diem vetantem, *secunda* vero haberetur, si e. gr. omittit recitationem « Angelus », vel non dat alicui eleemosynam etc. — Iure monent tamen auctores et magistri vitae spiritualis, imperfectiones posse confiteri, nam saepe *includunt* peccatum veniale, quando nempe aliquid sine ratione fit; vel e levitate, tepiditate, aut ex intentione non recta procedit. Ideo utiliter exponuntur in confessione, quia praecise imperfectiones pandunt animum poenitentis coram confessario, qui his cognitis melius potest eum in via perfectionis dirigere, demum ideo, quia etsi non sunt materia sufficiens pro absolutione, tamen quia saepe in se includunt aliquem defectum moralem ut dictum est, potest ex eis dolor contritionis concipi sicque Deus magis placari.

2' Materiam insufficientem constituunt *peccata dubia,* nam si reapse non (ueriunt vera peccata, non haberetur materia sufficiens absolutionis. Peccatum *potest* evadere dubium e triplici causa:

a. Dubium potest versari *circa commissionem* peccati, cum poenitens nescit, an peccatum commiserit, necne. In hoc casu non habetur ulla obligatio confitendi; nam e Tridentino accusari debent peccata, quorum « sibi conscius » est isess. \IH. cp. 7. Denz. 880), in dubio autem de commissione peccati praecise haec conscientia deest.

b. Dubium potest versari *circa gravitatem* peccati, cum poenitens conscius est se peccasse, sed nequit declarare gravitatem actus sui ob dubium circa materiam vel circa consensum perfectum. Quod attinet *gravitatem materiae:* poenitentes *rudes* tenentur talia peccata confiteri, praesumi potest enim eos saepe peccatum grave pro levi habere; poenitentes autem *sufficienter instructi* tali in dubio non obligantur ad confitendum peccatum. Quod attinet *perfectionem consensus,* an nimirum plene assensit peccato, poenitentes habituari et *laxioris* conscientiae debent peccata dubia confiteri, dum poenitentes *timoratae conscientiae* a confessione peccatorum dubiorum abstinere possunt.

c. Dubium potest versari *circa factum confessionis:* poenitens dubitat, num tale peccatum grave iam confessus sit vel non. Tali in casu *confessio non est* stricte* *obligatoria,* lex enim confitendi iam probabiliter impleta fuit, et lex dubia non obligat (sic Noldin-Schmitt-Heinzel III n. 280). *Alii* autem tenent, Probabilioristae nempe et Aequiprobabilistae, in tali casu debere confiteri peccatum, si probabilius est, quod nondum clavibus subiectum sit, « quia in dubio verisimilius est agendum et hic est usus fidelium, probatus a S. Thoma q. 6. a. 4. ad 3 » (sic Merkelbach III n. 523).

d *Quoad praxim* notandum est: In utroque casu, sive imperfectiones, sive peccata dubia subiiciantur potestati clavium, semper curare debet poenitens, \el eo hoc nesciente confessarius, ut materia remota habeatur absolutionis *certo sufficiens,* ne absolutio frustretur. Ideo confessarius interroget eum de pereatis quae saepe obveniunt, c. gr. contra patientiam, veracitatem, distractionibus, negligentiis in oratione, et si nec sic materiam certo sufficientem habeat, peccata iam confessa anteactae vitae quaerat, quae etsi iam accusata et remissa fuerunt, tamen materiam certo sufficientem absolutionis constituunt. Talis ergo dicere debet: «Accuso me et doleo propter peccata anteactae vitae contra virtutem religionis, sextum praeceptum etc. patratis ». — Si poenitens declararet, st* neque talia peccata habere, (quod aliquando evenit), suspicio haberi potest, quod talis poenitens instrui deberet, vel non est omnino sui compos, vel forte quod non serio vult suscipere Sacramentum. Per se in his casibus nunquam isset absolvendus, absolute nimirum, et nec conditionate quidem, nam, ut diximus Sacramentum non licet exponere periculo nullitatis. Ex urgente causa autem, et si confessarius ipse anceps haereret, semper potest sub conditione tales absolvere.

2. De materia sufficiente necessaria Poenitentiae.

Materia remota necessaria sunt peccata, quae subiici debent necessario poti stati clavium. Secundum doctrinam Ecclesiae autem peccata haec sunt:

a' Omnia peccata mortalia, (b) vi clavium nondum directe remissa, (c) vel debite non accusata. De fide.

a) Omnia peccata mortalia sunt materia necessaria.

1°. *Vox Ecclesiae. Trident, sess. XIV. cp. 5:* « Jesus Christus... sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit, tamquam praesides et indices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quae Christi fideles ceciderint » (Denz. 899) — *Can 7:* « S. q. d., in Sacramento poenitentiae ad remissionem peccatorum necessarium non esse iure divino confiteri omnia et singula peccata mortalia... anathema sit » (Denz. 917). — *Can. 901. CIC:* « Qui post baptismum mortalia perpetravit... debet omnia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habet, confiteri ».

2°. *Ius divinum* manifeste in verbis Domini hoc Sacramentum instituentis continetur. « Quorum remiseritis, remissa sunt, quorum retinueritis, retenta sunt », hoc dictum *falsum esset,* si peccatum mortale omnino independenter ab Ecclesiae potestate remissionem posset accipere. Non enim salvaretur potestas *retentionis* Ecclesiae, si indiscrimatim omnia mortalia remissa forent; item non salvaretur potestas *remittendi,* si etiam sine ea aliqua mortalia remitterentur, haec potestas enim vana esset. Nec dicas, peccata mortalia etiam per contritionem perfectam remitti posse, nam certo non remittuntur sine voto Sacramenti.

Singillatim omnia tractanda veniunt inferius, ubi de confessione peccatorum recurrit sermo (E. 2. d).

b) Peccata vi clavium nondum directe remissa:

sunt materia necessaria Poenitentiae. Directe remissa sunt peccata quae potestati clavium subiecta fuere, et per absolutionem sacramentalem acceperunt remissionem. *Indirecte remissa* dicuntur peccata, quae non vi absolutionis sacramentalis, sed per infusionem gratiae remittebantur, *sive* per *absolutionem* aliis peccatis datam, *sive* per susceptionem alicuius *Sacramenti vivorum,* supposito, quod subiectum Sacramenti bona fuit fide.

1°. *Vox Ecclesiae.* Habetur ex damnatione propositionis per *Alexandrum VII.* (24. sept. 1665.): « Peccata in confessione omissa seu oblita ob instans periculum vitae, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere » (Denz. 1111). Ex hac damnatione sequitur, quod omnia peccata mortalia debent potestati clavium submitti, nam hac propositione *supponitur casus,* quod aliquis *vel iure omisit* confessionem mortalium (n ob instans periculum vitae »). *vel oblitus est* confiteri mortale aliquod, itaque bona fuit fide. Idem edicitur alio documento Ecclesiae: *Instructio S. Poenitentiariae 25. mart. 1944:* nam qui generali tantum modo absolutionem acceperunt, « in primo deinceps suscipiendo poenitentiae sacramento, gravia sua singula peccata confiteri » debent (AAS 1944, 155-6). Item clare praecipitur *Can. 901. CIC:* « ... mortalia, quae nondum per claves Ecclesiae directe remissa sunt », debent confiteri.

2C. *In praxi* saepissime evenit, quod peccata indirecte tantum remittantur, si poenitens e. gr. tria gravia confessus unius peccati gravis, alterius speciei quam alii, oblitus sit. Confessarius non absolvit peccatum omissum, non fuit enim subiectum potestati clavium, sed quia dispositio subiectiva poenitentis bona erat (diligenter seipsum examinavit, dolorem habuit cum proposito non peccandi de cetero, et satisfactionem habuit saltem in voto), ideo per absolutionem sacramentalem aliorum peccatorum accepit infusam gratiam sanctificantem, cui non obstabat obex, sicque omnia peccata etiam oblitum, delevit. Manet

autem obligatio, si aliquis *recordetur peccati obliti. istud in* proxima suscipienda *confessione exprimendi.*

cl Peccata debite non accusata sunt materia necessaria.

Peccata non aliquali modo, sed « debito » debent potestati clavium subiici, e *confiteri* debent secundum speciem infimam et numerum ut docet nos:

Γ. *Vox Ecclesiae. Trident, sess. XIV. can. 7:* « S. q. d.... non esse iure divino necessarium confiteri *omnia et singula* peccata mortalia, quorum memoria cum debita et diligenti praemeditatione habeatur... *et circumstantias* (piae peccati speciem mutant...: anathema sit » (Denz. 917). — *Can. 901. CIC:* • ... mortalia omnia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habeat, confiteri et circumstantias in confessione explicare, quae speciem peccati mutent ».

2 . *Omnia peccata* debent subiici potestati clavium, nam verbis institutionis nullum peccatum grave excipitur; *singula* peccata i. e. secundum speciem infimam debent subiici. secus non sunt singula peccata, sed tantum gravitatem actus haberent commune cum aliis peccatis; sed de his inferius sermo adhuc recurrit.

3 . Nunc solummodo de *confessione generica* peccatorum debemus agere, quae tunc habetur, si accusatio non fuit secundum speciem infimam. Confessio generica peccatorum *triplex distinguitur:*

a. Confessio *prorsus generica,* (piando solummodo genus accusatur: • Peccavi! » Quod potest etiam per signa vel nutibus e. gr. percussione pectoris, recitando Confiteor etc. exprimi.

b. Confessio *parlim* tantum generica: *specifica quoad gravitatem:* « Peccata gravia commisi! ».

c. Confessio *partim* tantum generica: *specifica quoad speciem subalternam:* • Peccavi contra iustitiam etc. ».

1 . Procul dubio talis accusatio, seu *confessio generica non sufficit,* nam per eam non subjiciuntur omnia et singula peccata mortalia, in casu autem necessitatis sufficit. *Ratio vero est:*

a. *Ecclesia hoc* semper permisit *in aliquibus casibus,* cf. Alexandri VII. damnationem, quae casum necessitatis agnoscere videtur; dein Instructionem 1911. allegatam, demum Rit. Roman. Tit. IV. c. 1. n. 25. supra citatum.

b. *Aliqua cognitio causae* etiam in confessione generica habetur; confessarius scit, se peccatorem coram se habere, et quia plus non potest cognoscere e variis causis, infra de confessione loquendo declarandis), hoc sufficit, Poenitentia enim est « tribunal misericordiae ».

c. Supposita impotentia physica vel morali poenitentis, principium debet idlidvn · Ad *impossibile nemo tenetur* » Si ergo quis non potest se accusare quod speciem infimam peccatorum, absolvi debet: a praeceptis enim affirmativis, quale est praeceptum debite confitendi, impotentia excusat.

5 Postea etiam talia peccata *accusanda sunt;* obligatio haec remanet. Non quidem ‹ quamprimum » debet confiteri, sed « in *sequenti confessione* » (Alexander X II · in *primo deinceps suscipiendo poenitentiae Sacramento* (Instr. I .Untiariav 1911), et usque ad hanc confessionem etiam s. communionem suscipere potest.

3. Dc materia sufficiente libera Poenitentiae.

Materia libera Poenitentiae est ea materia, quae ad libitum omitti potest a poenitente citra peccatum, sed si sola materia libera afferatur, tamen habetur materia vera et sufficiens, ut pocnitcns absolvatur gratiasque sacramentales accipiat.

Materia libera quae sit, edicitur clare per CIC: *Can. 902:* « *Peccata post baptismum commissa: (a) sive mortalia directe potestate clavium iam remissa, sive (b) venialia sunt materia sufficiens, sed non necessaria* ». Pars I. (a) de fide catholica ex usu Ecclesiae et CIC. pars II. (b) de fide definita.

a) Mortalia directe iam remissa: materia sufficiens.

1°. Vox Ecclesiae. *Benedictus XI. Const. «Inter cunctas sollicitudines » 17.* feb. 1304: « Licet... de necessitate non sit, iterum eadem confiteri peccata, tamen, quia propter erubescentiam, quae magna est poenitentiae pars, ut eorundem peccatorum iteratur confessio, reputamus salubre... » (Denz. 470). *Can. 541. CIC:* « Postulantes, antequam novitiatum incipiant... praemittant generalem anteactae vitae confessionem », quo praecepto manifeste supponitur, peccata iam remissa iterato subiici posse potestati clavium. Etsi nec Benedictus XI. expresse de venialibus loquitur, nec CIC, qui tantum expresse de mortalibus sermonem habet, tamen etiam *venialia a fortiori* possunt iterum subiici clavibus Ecclesiae. « Qui enim potest tollere maius impedimentum, recte colligitur posse tollere minus eiusdem ordinis » (Billuart, De poenit. diss. 5. a. 2).

2° *Demonstratio de possibilitate* talis iteratae confessionis est necessaria, nam difficultas invenitur in eo, quod debitum (Schuld, dette, debt, adôssâg) semel tantum solvi potest, tunc enim extinctum est: sic etiam reatus peccati iam semel remissus videtur iterum remitti non posse. At confessio peccati remissi tamen possibilis est; etenim:

a. Notandum in peccato *duplex esse momentum:* reatum culpae, i. e. vulnus quo anima affligitur, *et factum offensionis* historicum. Reatus culpae utique remissus est, et nunquam redit in aeternum, hic ergo iam non potest iterum remitti. Sed, quia factum infectum fieri nequit, pro facto iterata venia iterum atque iterum posci potest a Patre Aeterno, quo testamur caritatem erga maiestatem semel offensam.

b. *Salubre* est peccata iam remissa iterum subiicere potestati Ecclesiae. Primo quidem habetur emolumentum *psychologicum* erubescentiae a Benedicto XI. inculcatum. Habetur dein emolumentum *paedagogicum:* confessarius qua director spiritualis summopere uti potest ad directionem animae talibus peccatis iterum confessis; scit enim, quae pericula, quales calamitates poenitenti insidiantur. Habetur demum emolumentum *supernaturale:* qui enim Poenitentiam suscipit, particeps fit gratiae sacramentalis, absolutio enim non solum remittit peccata, sed quia per eam infunditur vel augetur gratia, ideo haec etiam tunc augetur, si sensu stricto iam nil habetur quod stricte remitti debeat.

c. Peccata iterato indicio submittere, salubre est etiam *respectu totius communitatis,* nam si semper tantum homines peccatis gravibus onerati irent ad confitendum, multo gravius esset huius Sacramenti susceptio. Revera S. Patres multum sudarunt in alliciendo homines ad poenitentiam publicam.

d. Cum recentioribus temporibus Ecclesia ad Poenitentiae Sacramentum *adsidue frequentandum* saepissime adhortetur fideles (Enc. « Mystici Corporis

1913 · Mediator Dei » 1947), et imperfectiones pcccatave dubia nullo modo constituant materiam sufficientem, necessarium est peccata iam remissa iterum subiicere potestati clavium *(J. Zorlein, Die* dftere Beicht, ed. 2. Stuttgart 1948, 11-17 et .1. *Bogsrucker,* Einschluss schon gebeichteter Siinden, *in:* Theol. prakt. Quartalschrift 1951, 142-5).

b) Peccata venialia sunt materia libera Poenitentiae.

Vox Ecclesiae. *Trident, sess. XIV. cp. 5.:* «Venialia quibus a gratia Dei non excludimur, ct in quae frequentius labimur, quamquam *recte* et *utiliter* citraque omnem praesumptionem in confessione dicantur, quod *piorum hominum* usus demonstrat: *taceri* tamen citra culpam, *multisque aliis remediis* expiari possunt » (Denz. 899). — *Can. 7:* « S. q. d., non licere peccata venialia confiteri: anathema sit » (Denz. 917). — *Pius XII.* « *Mystici Corporis* » 29. jun. 1943. « Ad alacriorem cotidie per virtutis iter progressionem faciendam volumus pium illum, *non sine Spiritus Sancti instinctu* ab Ecclesia inductum, *crebrae confessionis* usum, quo *recta sui ipsius cognitio augetur,* christiana crescit humilitas, morum eradicatur pravitas, *spirituali neglegentiae torporique obsistitur, conscientia purificatur,* roboratur voluntas, salutaris animorum moderatio procuratur, atque ipsius Sacramenti vi augetur gratia » (AAS 1943, 235). Crebrae confessionis usus nil aliud est, quam etiam venialium sedula confessio ut initio huius incisi a S. Patre clarissime edicitur: « Ex falsis etiam eorum placitis evenit, quod asseverant non tanti esse faciendam frequentem admissorum *venialium,* ut aiunt, *confessionem* ».

Singula specialiter explicanda sunt.

1'. « *Recte* citraque omnem praesumptionem dicuntur in confessione venialia (Trident.), Pius XII. loquens de venialium frequenti confessione, affirmat « crebrae confessionis usum pium, non sine Spiritus Sancti instinctu ab Ecclesia inductum esse », ergo *directe* provocat ad Ecclesiae etiam *in rebus practicis infallibilitatem.* Revera cur non possint etiam venialia recte confiteri, non videtur: Christus *omnia* prorsus peccata remitti posse dixit, veniale autem *verum est peccatum* Inoboedientia enim est erga Deum, cuius voluntati clare cognitae non obtemperatur; ac etsi non habetur in eo aversio a Deo, sicut in peccato gravi, habetur tamen inordinata conversio ad bonum creatum.

2 · *Utiliter* » accusantur etiam venialia, et quidem propter sequentes rationes: Per confessionem venialium:

a. « *Conscientia purificatur, roboratur voluntas* », ut Pius XII. dicit. Venialia quidem etsi non excludant e regno Dei. tamen debilitant vires animi, Sacramentum vero praecise gratias dat confortantes, sicque « roboratur voluntas ». Sed etiain purificatur conscientia: venialia etenim, etsi gratiam habitualem non extinguunt non placent Deo et saepe repetita viam sternunt mortalibus. Confessione autem eorum sedula revocantur et animam Deo magis placentem efficiunt.

b. ‹ Spirituali *negligentiae torporique obsistitur* » (Pius XII), confessio eorum optimum remedium est tcpidilalis, quae consistit in *neglegentia* exercitiorum pu tatis dem in eo quod solummodo *remisse* peragantur, sine advertentia, supʃ 'hciali modo, demum pessimum tepiditatis genus est, quando pax initur eum venialibus opinando ea non *multum referre,* cum non sint mortalia.

c. « *Recta cognitio suiipsius augetur* », confessio enim venialium speculum est, quo anima seipsam funditus cognoscere potest, scrutando saepe conscientiam et ope confessarii (pia moderatoris spiritualis semetipsam in viam salutis dirigere,

3°. Sic habet confessionem venialium « *piorum usus* », et quidem circiter inde a saec. VII-o. Praxis poenitentiae privatae — ut nos opinamur — semper adfuit, sed hoc tempore incepit usus confitendi *etiam venialia,* quorum notio tunc coepit expoliri, frequensque confessio paulatim e monasteriis monachorum Hibernicorum, qui etiam in Continente terra missionarium opus exercuerunt, penes fideles usuvenit, cum frequentia autem confessio venialium, quae tamen semper libera remansit. Nunc e legitima consuetudine facienda est *specifica venialium confessio,* eo sensu, quod *saltem unum* specifice accusetur; extra casum necessitatis non sufficit confessio venialium prorsus generica (Noldin-Schmitt-Heinzel n. 267) dicendo solum: « Accuso me de meis venialibus». Si materia tantum dubia habeatur in confessione suadendum est, materiam certe sufficientem adiicere, quod tunc tantum fit, si aliquod veniale specifice accusetur, vel si e peccatis anteactae vitae unum saltem per genus vel speciem subalternam declaretur. — Praxis confessionis frequentis tunc tantum salubris erit, si omnia venialia accusentur specifice, tum quod maius emolumentum spirituale attinet et gratiae confortantis largitionem, tum praesertim directionem spiritualem, quae nihil proficeret tantum per genericam venialium confessiones, etiam partialem.

4°. Tamen venialia « *taceri possunt* », ut Ecclesia semper docuit, tum ideo, quia relate ad mortale peccatum veniale non habet rationem aversionis, tum quia poenas tantum consequitur temporales. Accusatio venialium nec e parte cognitionis causae est essentialis, nam omnes homines committunt venialia (Trident.: « ... in quae frequentius labimur... »).

5°. Venialia etenim « *aliis remediis expiari possunt* ut Tridentinum docet, quae remedia apte examinanda sunt, etsi nolumus optimum remedium expiationis venialium, confessionem videlicet hoc vilipendere. Existunt remedia expiationis venialium *ex opere operantis* et *ex opera operato.*

I. Ex *opere operantis* remittuntur venialia:

a. *Per actum poenitentiae actualis,* non utique contritionis solum quae etiam mortalia remittit (supposito voto Sacramenti), sed etiam attritionis. Si actus attritionis non sufficeret ad expiandum (remittenda) venialia, tunc Tridentinum incassum diceret, venialia multis aliis remediis expiari posse. Non aliqualis attritio, sed attritio *e motivo perfectiore* concepta requiritur; i. e. attritio ad confessionem sufficiens (concepta e motivis turpitudinis peccati, metu poenarum) *non* sufficit ad delenda venialia *extra Sacramentum:* secus venialia semper remitterentur iam ante confessionem, sed Poenitentia ad remissionum omnium peccatorum ordinatum est. *Motiva* ergo commendantur a Noldin ad attritionem extra Sacramentum de venialibus concipi ex eo, quod sunt contra oboedientiam, et reverentiam Deo debitam, quia minuunt honorem et cultum Dei, quia retardant conjunctionem cum Deo (ed. 13. n. 244. 2. b.).

b. Per *actum poenitentiae virtualis* quoque delentur venialia, nam quodcunque opus bonum, quod *directe contrarium* est peccato veniali commisso, est actus poenitentiae virtualis, e. gr. mortificatio est contra peccatum intemperantiae etc. — Si opus bonum *non est directe contrarium alicui peccato,* non

remittitur intuitu eius veniale, nisi intentio habeatur, per eiusmodi opus bonum talis venialis *remissionem consequendi; sic* e. gr. actus mortificationis non conducit ad remittendum mendacium, nisi actus intuitu remissionis mendacii ponatur.

c. Per « *eleemosynam* », i. *e. actum caritatis erga proximum* quoque remittuntur venialia, nam Scriptura dicit: « Eleemosyna ab omni peccato et a morte liberat, et non patietur animam ire in tenebras » (Tob 4, 11) et: « Ignem ardentem extinguit aqua et eleemosyna resistit peccatis « (Sir 3, 33). S. *Clemens Romanus* affirmat, quod « eleemosyna bona est quasi poenitentia peccati... eleemosyna enim fit levamen (kouphisma) peccati » (Ad Cor. II. Enrichiridion asevt. 11.). Siliter *Patres,* praesertim S. Chrysostomus. — Eleemosyna enim, i. e. actus misericordiae corporales et spirituales erga proximum etiam sine attritione « actuali » et etiam sine attritione *a* virtuali » vim remissivam habent delendi peccata, et quidem ideo, quia actus talis caritatis ordinarie non est obligatorius, sed supererogatorius, in talibus autem actibus Deus praefertur omnino omnibus quae Ei displiceant, sicque delet peccata.

II. *Ex opere operato* remittuntur venialia:

a. Per *sacrificium Missae* habens fructum propitiatorium, ex opere operato, sed *mediate,* nam primario Missa instituta est ad cultum Dei, secundario ad sanctificationem hominum, dum Sacramenta primario instituta sint ad hanc sanctificationem. Deus intuitu fructus expiatorii directe ad id movetur, ut donum gratiae concedat peccatori, hic autem per gratiam movetur ad poenitentiam: Sacrificii «oblatione placatus Dominus, gratiam et donum poenitentiae concedens, crimina et peccata etiam ingentia dimittit » (Trid. sess. XXII. cp. 2. Denz. 910).

b. *Sacramenta* autem *immediate* ex opere operato delent venialia, quod pronum est quoad baptismum et poenitentiam *ad hoc ordinata,* item quoad extremam unctionem similiter sed secundario ad delenda peccata institutam, et procul dubio etiam quoad *Eucharistiam,* quae secundario etiam ad delenda venialia data est: Salvator enim noster « sumi voluit hoc Sacramentum tamquam antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis n (Sess. XIII. cp. 2. Denz. 875). — *Quod cetera* adtinet Sacramenta, verisimile est etiam ea posse venialia delere, nam mortalia quoque per accidens remittunt, a fortiore ergo venialia.

c. *Sacramcntalia* quoque remittunt venialia ex opere *operantis Ecclesiae,* respectu ergo subiecti ob modum operationis infallibilem potest dici « ex opere operato Ecclesiae ». Talia sacramcntalia sunt: usus aquae benedictae, susceptio cinerum, recitatio Confiteor, orationes «Misereatur» et «Indulgentiam», recitatio Psalmorum poenitentialium, Litaniarum etc.

d. *Notandum,* quod adtinet remissionem venialium ex opere operato, non requiri nec attritionem de venialibus, nam per eam ex opere operantis remittuntur venialia, requiri vero *intentionem* utendi talibus mediis supradictis ad remissionem peccatorum. Pronum est hoc tantum fieri posse, si subiectum in statu gratiae sit. nam venialia non remittuntur sine mortalibus; dein, quod liber debet esse de *actuali* (non habituali) allectu ad quodcunque veniale.

litteratura.

II Brudert, AUmahliche Einführung lâsslicher Sünden in die Bekcnntnis der Beicht I
‹n ZJVTh 1910. 526-5-13. — D. Mannaioli, De obligationibus christianorum propriis quibus I

in genere dubie baptizati obstringuntur, in specie de confessione sacramcntali, Romae 1913. — P. *Galtier,* La rémission fles péchés moindres dans l'Église du troisième au cinquième siècle, *in:* Recherches de science religieuse 1923, 97-129. — B. *Baur,* Bcseb'gende Be.cht, 2. ed. Fr. i. Br. 1927, 7. ed.: Die haufige Beicht 1950. — *J. Lucas,* Ein Büchlein vom frohen Beichten, Limburg 1928. — F. *Zimmermann,* Lass.iche Sünden u. Andachtsbeicht, 1931. — *K. Rahner,* Vom Sinn d. hiiufigen Andachtsbeicht, *in:* Zeitschr, Asze.se u. Myst. 1934, 323-336. — A/. *Fabrèges,* Estne opportunum sola venialia confiteri? *in:* Periodica de re morali 1939, 5-24. — *J. Zorlein,* Die ôftere Beicht. Pastoralthcologische Gedanken zur Verwaltung des Bussakramentes, 2. ed. Stuttgart 1948. — *K. Rahner,* Die K'rche der Sunder, Freiburg im Breisgau 1948. — A. *Vermeersch-J. Creusen,* Theol. Mor. III. 4. ed. 1948, n. 404-405. — *E. Doronzo,* Tract, dogm. de poenitentia. I. De sacramento et virtute, Milwaukee 1949, p. 209-259 et tom. H. De contritione et confessione 1951, p. 96-107, 530-548. — *B. Merkélbach,* Summa Th. Mor. III. 8. ed. 1949, n. 432-440. — *J. Aertnys-C.* A. *Damen,* Th. Mor. IL 16, ed. 1950, n. 273-275 bis. — *J. Fanfani,* Manua.e theorico-practicum Th. Mor. IV. 1951, p. 331-340. — *O. Schollig-R. Weber,* Verwaltung der hl. Sakramentc unter pastoralen Gesichtspunkten, 4. ed. 1952, p. 111-113. — VV. *Schollgen,* Sünde als isolierte Tat und als Symptom einer inneren Entwicklung, *in:* Anima 1952, 143-148. — P. *Morant,* Christus Pastor und die Sünde, *ibid.* 1952, 11-17. — *Noldin-Schmitt-Heinzel,* Summa Th. Mor. III. 30. ed. 1954, n. 226-231. — *De Letter,* Sacramental Forgiveness of Venial Sins, *in:* Eph. Theol. Lovan. 1954, 54-64. — A. *M. Roguet,* Le sacerdoce du Christ, la rémission des péchés et la confession fréquente, *in:* Maison-Dieu cah. 56 (1958> 50-70. — *]. J. O' Brien,* The remission of venial sin, Washington 1959.

D) De contritione ut materia Poenitentiae.

Contritio significat vi etymologica huius nominis cordis contusionem i. e. dolorem propter peccata, ut *Catechismus Romanus* apte dicit: « Recte autem contritionis nomen peccati detestationi... ad significandam vim doloris impositum est, ducta similitudine a rebus corporeis, quae minutatim saxo aut duriore aliqua materia confringuntur, ut eo vocabulo declaretur, corda nostra, quae superbia obduruerunt, poenitentiae vi contundi atque conteri. Quare nullus alius dolor vel ex parentum et filiorum obitu, vel cuiusvis alterius calamitatis causa susceptus, hoc nomine appellatur, sed illius tantum doloris proprium est nomen, quo et amissa Dei gratia atque innocentia afficimur » (II. 5, 25).

De contritione (Rene, repentance, banat) agendum est nobis ut est *materia proxima* Poenitentiae, sed ad bene cognoscendam eius naturam functionemque, necessarium est etiam de contritione ut est *actus virtutis* alicuius specialis, poenitentiae nempe, tractare. Ideo agendum est nobis hac quaestione:

1. De poenitentia secundum quod est virtus.
2. De actu virtutis poenitentiae in genere.
3. De contritione ad Sacramentum Poenitentiae absolute necessaria.
4. De proprietatibus contritionis.
5. De proposito non peccandi de cetero.

1. Dc poenitentia secundum quod est virtus.

a) Nomina Poenitentiae.

1°. « *Noham* » i. e. displicentia de actu vel consilio praeterito (Os 13, 14), quod pluries tamen occurrit voce verbali *«niham»* unde substantivum «noham» derivatur. Interpretes Veteris versionis Graecae LXX vocabulis « *metamelein* » ‹'t « *metanoein* » transtulerunt vocabulum Hebraicum (Ex 13, 17; Jcr 8, 6; 31,

I'). Jud 21. 6 15), Vulgata autem transtulit vocabulum per « poenitere, dolere, gemere, poenitentiam agere ».

2 . « *Sub* ·, quod vocabulum LXX recte quidem verbotenus per « *epitrephein* » vel · *apostrephein* · verterunt i. e. «converti ». Vulgata autem saepius eram hoc vocabulum per « poenitentiam agere » transtulit (2 Par 6, 24· 7 14· 3 Reg 8,33; Ez 18,21.30).

3°. In libris Sapientialibus vox occurrit saepe « *metanoia* » et « *metanoein* », idem quoad sensum, quod « niham », i. e. sensum mutare in alium quam hucusque fruit (Sap 5, 3; 11, 24; 12, 10; Eccli 17, 20; 48. 16). In Vulgata semper per « *poenitentiam* » vertitur, etymologice translatum esset « transmentatio »,

. Latine adhuc adhibetur terminus *compunctio,* compunctum esse, compungi », quod vocabulum acrem dolorem punctionis significat, et transsumptum est e versione Vulgata, quae varia verba Hebraica per boc vocabulum vertit (Ps 34, 16: « dissiparti sunt nec compuncti » = *celo dammu;* Ps 4, 5: « in cubilibus vestris compungimini» = *oedammu;* Ps 108, 17: «compunctus corde » = *nikêh lebâiï).*

5e. Item terminus technicus theologiae scientificus pro actu poenitentiae • *contritio· e* versione Vulgata originem ducit: Ps 50, 19: « cor contritum et humiliatum Deus non despicies» = *leb nidkeh,* Is 57, 15: «cum contrito et humili spiritu » = *leb nidkaim, Habbêr* = conterere.

6' Nomina haec omnia significant actum poenitentiae sub aliquo respectu, habetur in eo dolor (compunctio, contritio), versio suiipsius ad aliquod aliud («conversio, transmentatio »). Usitatissimum vero tum in Vulgata, tum apud scriptores Latinos vocabulum « *poenitentia* evasit, cuius sensus etymologicus non est omnino certus.

a. Potest enim derivari, quod verisimilius videtur e « *poena* », Graece « poine ", in \vesta « kaena », qua significatur « pretium, quo iniuria pensatur (reparatur), satisfactio quaevis... debita merces, pretium, quod solvitur pro iniuria illata ». ut Forcellini dicit (Totius Latinitatis Lexicon, IV, 714). LU idem lexicographus affirmat, vocabulum saepe scribitur etiam « paena » vel « pena », quo dein derivatur « *poeniteo* », « poenam seu dolorem affero, poena afficio. doleo, moleste fero, displicet quod placuit ». E participio autem praesentis derivatur vocabulum · *poenitentia* », quo significatur « dolor ob aliquod factum noxium, aut occasionis praetermissionem », sic iam penes Phaedrum. Livium, Plinium. Curtium, Rufum. Senecam. Tacitum, Suetonium; vocabulum boc usitatissimum adhibuerunt etiam christiani.

b. Gellius et Donatus, scriptores antiqui aevi putabant « *poenitentiam* » non a «poena», sed *ab adverbio* « *paene* » (quod scribitur etiam «pone») *derivari.* quod ‹ n m designat, quae ad aliam ita accedit, ut cum ea coire atque in ea rrcipi videatur et exponitur: fere, quasi » (Forcellini p. 561). Secundum Grhum «poenitere» esset idem ac «parum videri», see. *Donatum* «parum putare ». m quibus etiam habetur ratio poenitentiae: « ... quae de nostra vTelAb facta sunt ea nobis post incipiunt displicere» (Gellius). Sed non \ Jitur cur debeat relinqui ctvmologia deducta e «poena», et cur debeat verbi cum quibusdam rceentioribus « pacnitentia ».

b) Existentia virtutis poenitentiae.

1°. Vox Ecclesiae. *Trident, sess. XIV. cp. 1:* « Fuit quidem poenitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, *quovis tempore* ad gratiam et iustitiam assequendam necessaria, illis etiam, qui baptismi Sacramento ablui petivissent, ut perversitate abiecta, et emendata tantam Dei offensionem cum peccati odio pio animi dolore detestarentur » (Denz. 894).

2°. Scriptura Sacra. Deus mandato suo tum in Vetere, tum in Nova Lege poenitentiam *praecipit, sed* Deus tantum actus virtutum praecipit, *ergo* poenitentia est virtus.

Ad maiorem cf. *Ez IS, S0:* « Convertimini et agite poenitentiam (subu vehàsibu) ab omnibus iniquitatibus vestris, et non erit vobis in ruinam iniquitas». — *Joel 2, 12-13:* « Convertimini (subu) ad me in toto corde vestro, in ieiunio, et in fletu et in planctu. Et scindite corda vestra et non vestimenta vestra et convertimini (vesubu) ad Dominum Deum vestrum: quia benignus et misericors est ». — In Nodo *Testamento* quam plurimum commendatur poenitentia; sufficiat allegare textus a Tridentino citatos *Lc 13, 3:* « Nisi poenitentiam egeritis, omnes similiter peribitis », et *Act. 2, 38:* « Poenitentiam agite et baptizetur unusquisque vestrum ».

3°. Traditio sacra prorsus idem saepissime affirmat et inculcat; plures monographias scripserunt de poenitentia, ut *Tertullianus,* ineunte saec. III-o, S. *Padanus* et *Ambrosius* saec. IV-o, S. *Chrysostomus* novem homilias habuit de poenitentia ad populum. Satis est exempli instar allegare dictum notissimum *Ambrosii:* « Peccatum non tollitur nisi lacrimis et poenitentia. Nec angelus potest, nec archangelus, Dominus ipse, qui solus potest dicere: « Ego vobiscum sum », si peccaverimus, nisi poenitentiam deferentibus non relaxat » (Ep 51, il PL 16, 1162).

c) Recta notio virtutis poenitentiae.

1°. *Poenitentia est virtus* (III q. 85, a. 1.).
Definitur: « Poenitentia est moderatus dolor de peccatis praeteritis cum intentione removendi ea ».

Est virtus, nam « virtus est *habitus electivus* secundum rationem rectam. Pertinet autem ad rationem rectam, ut aliquis doleat de quo dolendum est, et eo modo et fine quo dolendum est, quod quidem observatur in poenitentia de qua nunc loquimur, nam poenitens *assumit moderatum dolorem* de peccatis praeteritis cum intentione removendi ea. Unde manifestum est, quod poenitentia de qua nunc loquimur, vel est virtus, vel actus virtutis ».

2°. *Poenitentia est specialis virtus* (art. 2.). — Virtus est habitus electivus et species *habituum* distinguuntur secundum species *actuum* huius habitus, qui est virtus. Si ergo habetur specialis actus laudabilis seu bonus, ibi etiam necesse est etiam esse specialem habitum huic actui speciali correspondentem. *Atqui* « manifestum est quod in poenitentia invenitur *specialis ratio* actus laudabilis, scilicet *operari ad destructionem peccati* praeteriti, inquantum est Dei offensa, quod non pertinet ad rationem alterius virtutis. *Unde* necesse est ponere, quod poenitentia est specialis virtus ».

3 *Poenitentia qua virtus pertinet ad iustitiam* (art. 3.). — Peccatum enim laedit iustitiam erga Deum. Deus enim est *absolutus dominus* omnium, qui ergo abutitur aliqua re, praesertim suis facultatibus et actibus inde promanantibus, laedit ius Dei strictum in omnia. *Atqui* poenitentia, qua dolet de peccatis et vult ea removere, per hoc *reparat ius Dei laesum,* pertinet *ergo* ad justitiam.

4'. *Poenitentia pertinet ad iustitiam commutativam* (art. ad. 3.) « Sicut est commutatio quaedam *in beneficiis,* cum scilicet aliquis pro beneficio recepto gratiam rependit, ita est etiam commutatio *in offensis,* cum aliquis pro offensa in alterum commissa *vel* invitus *punitur,* quod pertinet ad *vindicativam* iustitiam, te/ voluntarie *récompensât* emendam, quod pertinet ad *poenitentiam,* quae respicit personam peccatoris, sicut iustitia vindicativa personam indicis. Unde manifestum est quod utraque sub iustitia commutativa continetur n.

5 . *Poenitentia est pars potentialis iustitiae.* luxta Doctorem Communem IMI p. 48. a. 1.) pars potentialis seu virtus ei adiuncta est ista, quae « ordinatur ad actus *secundarios,* quasi non habentes *totam* potentiam principalis virtutis, n *Atqui* poenitentiae virtus non habet totam potentiam iustitiae, nam *non attingit aequalitatem in reparatione* iuris Dei laesi, peccatum enim respectu Dei infinitam malitiam continet, quam homo nullo modo potest aequare. Iustitia ergo poenitentiam habet ut actum secundarium quae ut pars ad iustitiam commutativam pertinet, sed quia aequalitas deest, ideo est pars *potentialis* iustitiae.

6°. *Subiectum virtutis poenitentiae* quoque solet definiri (art. 4.). Doctor Angelicus *de subiecto proximo* poenitentiae loquitur art. citato: quia iustitia ut subiectum proprium *appetitum* habet rationis, qui est *voluntas,* pronum est, quod etiam pars iustitiae potentialis, quae est poenitentia, voluntatem habet ut subiectum virtutis *proximum. Subiectum remotum* ut patet *peccator* est, qui dici debet subiectum *stricte* dictum poenitentiae. Sed subiectum poenitentiae potest etiam esse, qui non habet peccatum, subiectum nimirum *late* dictum: peccata enim omnia quae laedunt ius divinum doleri possunt ab omnibus. Sic Christus et B. Maria Virgo *exempla possunt esse* poenitentibus. « Poenitens enim — ut dicit Angelicus — laudabile exemplum dare potest, non ex eo, quod peccavit, sed in hoc quod voluntarie poenam sustinet pro peccato. Unde Christus dedit maximum exemplum poenitentibus, dum non pro peccato proprio, sed pro peccato aliorum voluit poenam subire ɳ (III q. 15. a. 1. ad 5.).

7". Haec quidem est recta notio virtutis poenitentiae, sed expolita est etiam *falsa cius notio* a Novatoribus. Sic in sermone anno 1518. habito de poenitentia Luthcru.s affirmavit, quod « in usu sacrae Scripturae poenitentia non dicitur dolor, sed mutatio mentis et consilii ». Ex hoc sermone fuit excerpta et a Leone X damnata haec quoque propositio: «Verissimum est proverbium et omnium doctrina de contritionibus hucusque data praestantius: de cetero non facere summa poenitentia, optima poenitentia nova vita » (Prop. 7. Denz; 747). In Serin, de poen. 1518 dixit: « quo magis timore poenae et dolore damni sic conteruntur, eo magis peccant et afficiuntur suis peccatis, quae coguntur, non autem xolunt odisse ». — *Melanchthon* in sua Disputatione de poenitentia dicit, quod « stulte et impie docuerunt Scholastici, peccata remitti per contritionem sim fide » Prop. 7.) *Lutherani* autem « rigidi » in Colloquio Altenburgensi d \»'unt « Contritio non est opus nostrum, est potius passio nostra, qua contcnmur et concutimur» et eius est «hominem... concutere timore, tremore,

horrore » (allegatum a S. Bellarmino, De poenitentia q. II. c. 2.). — Terrores hi secus iam in *Apologia Confessionis Augustanae* saepe memorantur, e. gr. « Dicimus contritionem esse veros terrores conscientiae, quae Deum sentit irasci peccato et dolet se peccasse. Et haec contritio ita iit, quando Dei verbo arguuntur peccata » (art. 12.).

2. De actu virtutis poenitentiae in genere.

Poenitentia secundum quod est virtus, actum habet principalem contritionem, de qua nunc in genere agendum est.

a) Definitio contritionis.

1° Magisterium Ecclesiae sic definit contritionem: « Contritio quae primum locum inter dictos poenitentiae actus habet, *animi dolor ac detestatio est de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero* » (Trid. sess. XIV. cp. 4).

2° Tali modo autem *describitur quoad motiva et effectus eius, e* qua descriptione statim videtur, duplicem esse contritionem: « Fuit autem *quovis tempore* ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius et in homine post baptismum lapso ita demum *praeparat ad remissionem peccatorum*... Docet praeterea, etsi *contritionem* hanc aliquando *caritate perfectam* esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur, ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni *sine Sacramenti voto,* quod in illo *includitur,* non esse adseribendam. Illam vero *imperfectam contritionem,* quae *attritio* dicitur, quoniam vel *ex turpitudinis peccati* consideratione vel ex *gehennae et poenarum metu* communiter concipitur, si *voluntatem peccandi* excludat cum spe veniae, declarat... donum Dei esse et Spiritus Sancti impulsum... Et quamvis *sine Sacramento* poenitentiae per se ad iustificationem perducere peccatorem *nequeat,* tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento poenitentiae impetrandum disponit » (Denz. 897-8.).

b) Diviso actus virtutis poenitentiae.

Actus virtutis poenitentiae dividitur in contritionem mere naturalem, in contritionem imperfectam et contritionem caritate perfectam.

1°. Perfectio virtutis alicuius, sic etiam poenitentiae, dependet *a motivi perfectione,* perfectionem autem maiorem vel minorem consequitur effectus. Si quis *praecisive ob poenam* dolet i. e. praescindendo de Deo, de quo fortasse nec cogitat et poenas solummodo mundanas (incarcerationem, amissionem famae, morbos e peccato contractos etc.) respiciat, habetur contritio *mere naturalis,* quae nullum producit effectum, nam cum Deo nullo modo cohaeret.

2°. Si quis *ob culpam* dolet eamque detestatur, potest in culpa respicere defectum oppositum *bono creato* (i. e. bono hominis), quatenus culpa *malum* est homini. Culpa enim rectae rationi humanae adversatur (= turpitudo peccati), dein etiam poenas habet secum coniunctas. Peccator has poenas considerare potest non praecisive, seu comprehensive, quatenus nempe poenae a Deo irato infliguntur (tum aeterna, tum temporalis). Contritio e tali motivo concepta est *contritio imperfecta,* seu *attritio,* quae, uti vidimus, concipitur e motivo super-

naturali. *hoc est relationem* habente cum Deo, sed tamen inferiore: detestatione jiropler turpitudinem peccati et timore poenarum a Deo inflictarum. Haec attritio, *motivo* a contritione perfecta differens, *effectum* extra Sacramentum nullum sortitur, sed ad Sacramentum suscipiendum disponit, inquantum sufficiens est, ut cum absolutione sacerdotali hominem justificet. (De attritione *inferius cf.* incisum 3. b.).

3r. Si quis oh culpam dolet eamque detestatur, potest in culpa respicere defectum oppositum *bono increato* (i. e. bono divino), quatenus culpa *malum* est Deo in se considerato. Tunc ut motivum contritionis habetur caritas Dei et *contritio* est *caritate perfecta,* effectumque sortitur, ut etiam extra Sacramentum hominem iustificet. De hac contritione perfecta nunc iam sermo habetur in sequentibus.

c) Natura contritionis perfectae.

1°. Perfectio contritionis dependet a motivo eius. Hic actus virtutis poenitentiae = contritio) etenim ut motivum habet *amorem amicitiae* seu benevolentiae erga Deum, quo ei bonum volumus: ut Deus summe amabilis agnoscatur, et eius mandata observentur. Ad hunc amorem Dei propter summam eius bonitatem requiritur *mutua amatio,* quae ex parte Dei adest: nam Deus vult nobis communicare bonum divinum, ipsam vitam divinam per gratiam (II-II q. 23. a. 1.). Contritio ergo perficitur, seu perfecta fit caritate Dei, i. e. amore amicitiae erga Deum, iureque vocatur ideo contritio « *caritate perfecta* » a Tridentino. Contritio perfecta est unus modus e pluribus, quibus caritas Dei hacc theologica exerceri potest.

2 . *Motivum caritatis Dei* elici potest *vel* consideratione perfectionum divinarum, ita ut simul *omnia attributa* Dei respiciuntur, *vel* per considerationem perfectionis alicuius *singulariter sumptae,* inquantum concipiuntur sub ratione boni, puta sanctitatis, omnipotentiae, iustitiae, benignitatis, et etiam misericordiae etiamsi perfectio sit relativa. Omnes enim perfectiones seu attributa Dei identicae sunt cum cius essentia, sicque motivum possunt constituere caritatis perfectae.

3'. Contritio perfecta potest esse *virtualis,* si habetur *actus caritatis elicitus.* In actu caritatis enim continetur etiam detestatio peccati, nemo enim potest Deum perlecte diligere, quin odio haberet peccata sua, etiamsi casu non cogitet de iis Quia autem actus caritatis perfectae erga Deum hominem iustificat, *contritio virtualis* (i e. actus caritatis elicitus in se implicite continens detestationem etc. peccati) iustificat peccatorem. Nam homo perfecte diligens Deum amore amicitiae, implicite detestatur etiam peccata sua sicque perfecte habetur aversio a peccatis et conversio ad Deum.

Sed in praxi vix possibilis est contritio supradicta virtualis, elicita sc. non cogitando de peccatis, nam si aliquis in mortalibus sit constitutus, *vix* fieri potest quod Dei summam bonitatem considerans non veniret ei in mentem suus praesens status damnationis.

I . Contritio perfecta potest esse *formalis,* si actus doloris et detestationis peccati, le contritio, est actus a *caritate imperatus,* ita ut *duo actus* habeantur: actus cantatis, qui imperat actum *contritionis. In praxi* vix occurrere posse videtur, quod aliquis eliciens actum contritionis perfectae, non habeat etiam

actum caritatis perfectae formalem (quod tamen Noldin-IIeinzel possibile putat esse n. 247.). Peccator enim actum poenitentiae (contritionem) eliciens, hoc ideo facit, quia considerat peccata sua tamquam infinitae Dei bonitati repugnantia, et *praecise bonitas Dei summa* movet cum, ut peccata detestetur sua et de ii.s doleat: habet ergo etiam actum formalem caritatis.

5°. In Veteri Testamento contritio perfecta formalis vel virtualis iustificavit peccatores, virtute gratiae futuri Redemptoris et *etiam nunc* iustificat. Sed *non sine voto Sacramenti* poenitentiae vel baptismi, quod votum tamen, praesertim penes eos qui non cognoscunt religionem veram, potest esse *implicitum* (Trident: « includitur n). Notandum tamen, quod Christiano ad suscipiendum Sacramentum non sufficit contritio virtualis, sed debet esse formalis.

d) De effectu contritionis perfectae

statuitur:

THESIS. Contritio caritate perfecta: (1) peccatorem iustificat, (2) supposito voto Sacramenti. De fide definita.

Pars I. probatur: Peccatores justificantur per contritionem.

1°. *Vox Ecclesiae.*

Trid. sess. XIV. cp. 4. iam allegatum ubi definitur « contritionem aliquando caritate perfectam esse contingere hominemque Deo reconciliare » (Denz. 898). *Catech. Romanus:* « Contritio... statim, ut eam mentibus nostris concepimus, peccatorum remissionem nobis a Deo tribui alio loco eiusdem prophetae verba illa declarant: Dixi, confitebor adversum me iniustitiam meam, Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei (Ps 31,5) » (II. c. 5. n. 34). — *Prop. 32. Mich. Baii 1. oct. 1567. a* S. *Pio V. damnata:* « Caritas illa quae est plenitudo legis, non est semper coniuncta cum remissione peccatorum » (Denz. 1032).

2°. *Adversarii.*

a. Alii sunt *haeretici,* sc. Novatores omnes, qui de justificatione falsissimam tenentes doctrinam, necessario negabant per caritatem posse hominem iustificari, nam justificatio secundum eos solummodo per fidem possibilis est.

b. Alii adversarii sunt *heterodoxi,* qui falsas (haereticas, partim suspectas, temerarias etc.) tenebant sententias, ut *Michael Baius* professor Lovaniensis, *Cornelius Jansenius* episcopus Yprensis, qui opinabantur justificationem ex caritate contingere solum rarissime et non de lege ordinaria gratiae et tantum in casu extremae necessitatis, sicque vim caritatis perfectae extenuabant.

c. Alii demum adversarii sunt *Catholici,* qui iusto plus affirmabant sententiam suam *de quantitate contritionis,* cuius quantitas, i.e. *intensitas* debet esse absolute summa, ut *Adrianus VI.* Summus Pontifex in opere antea scripto; vel dicebant debere esse *comparative* summam i.e. maiorem quovis alio terreno dolore, sic Petrus *Soto;* plus minus *recto maiorem* gradum caritatis requirebant alii, ut *Christianus Lupus* O.S. Aug. (t 1685), *Jenin* oratorianus (f 1707), *Berti O.S.* Aug. (t 1766), Gazzaniga O.P. (t 1799), (de quibus cf. Galtier 63).

3°. *Scriptura Sacra*

indefinite docet, quod actus caritatis elicitus amicum facit Dei, i.e. iustificat. Sic legitur:

a. *Jo 14,23:* « Si quis diligit me et sermonem meum servabit, et Pater meus *diliget eum et ad eum* veniemus et mansionem apud eum faciamus ». Verba *habentur in futuro:* « Tèrèsei »=servabit, « agapêsei »=diliget, « eleusometha » =veniemus, « poiêsômetha » =faciemus, sed significant oblique etiam tempus praesens, nam loquuntur de casu, qui fieri potest, sed nondum factus est, quando sermo de eo fiebat. Edicitur autem, qui diligit Deum, statim ab eo redamari, et quidem *stabili modo;* Deus etenim mansionem (monên) facit apud cum, quae inhabitatio fit per gratiam habitualem; gratiae autem infusio expellit peccatum.

b. *1 Jo 4,7:* « Carissimi, diligamus nos invicem, quia caritas ex Deo est et omnis qui diligit, a Deo natus est et cognoscit Deum ». Contextu boc de dilectione proximi agitur: qui sic diligit proximum, hoc ideo facit, quia « caritas ex Deo est», quo *motioum* assignatur caritatis. *Effectus* vero significatur eo, quod sic diligens proximum « a Deo natus est », i.e. renatus, seu habet gratiam justificationis. Hac enim fit filius Dei adoptivus, et heres gloriae, aliis verbis est in statu gratiae, quae gratia expellit peccatum. Diligens ergo Deum justificatur a peccatis.

c. *In Vetere Testamento* quoque sic fuit: « Ego diligentes me diligo », (Prov 8,17), dicit Deus, iam vero dilectio Dei efficax est secum portans iustificationem, proin remissionem quoque peccatorum.

(I. Haec quidem de *actu elicito* caritatis, seu de contritione virtuali dicta sunt .De contritione formali, i.e. de *actu imperato* poenitentiae a caritate edicuntur a S. Scriptura quae supra iam allegata sunt. (1. b. 2°).

4°. *Traditio*

quoque abunde demonstrat thesim nostram. Sufficiat afferre testimonia pulchra:

S *Ghrysostomus:* « Sicut ignis in silvam ingressus, omnia purgare solet, sic caritatis fervor, quocunque inciderit, omnia tollit atque exscindit... Ubi caritas est, sublata sunt mala » (In 2 Tim hom. 7,3 PG 62,6-10).

S. *Augustinus* brevissime sed optime: « Deum non vides? Ama et habes! » (Sermo 34,3 PL 38,211).

S. *Petrus Chrysologus:* « Caelestis creditor totum debitum caritate compensat... Absolvi vis? Ama! Caritas cooperit multitudinem peccatorum. Negationis crimine quid peius? Et tamen Petrus amore solo valuit hoc delere » (Sermo 94. PL 52,466).

S. *Gregorius Magnus:* « Quid esse dilectionem credimus, nisi ignem? Et quid culpam, nisi rubiginem? Unde nunc dicitur: Dimittuntur peccata multa, quoniam dilexit multum. Ac si aperte diceretur: Incendit plene peccati rubiginem. quia ardet valide per amoris ignem » (In Evang. hom. 33,4 PL 76,1241).

5“. *Ratio theologica*

demonstrat thesim. nam si Dens *velit* peccatori reatum eius condonare, hoc tunc praecise facere debet, quando peccator omnino, (piam maxime potest, avertitur a peccato et convertitur ad Deum. *Atqui* praecise motivum caritatis awrtit peccatorem maximali modo possibili a peccato etc., ergo Deus, si condonin' vult, quod autem e revelatione certum est, condonat peccata e motivo caritatis detestata.

Corollarium. De modo quo contritio concurrit ad iustificationcm.

E pluribus locis S. Thomae sic colligi potest modus, quo contritio perfecta confert ad iustificationcm peccatoris. *Causa* iustificationis solummodo « *unica formalis* causa est iustitia Dei » (Trid. sess. VI, cp. 7.). *Quid facit* ergo *contritio* caritate perfecta? Respondendum, contritionem ad justificationem concurrere quidem, sed non ut causam formalem, hoc enim adversaretur Tridentino; item etiam ideo, quia una est causa iustificationis *in omnibus,* parvuli vero sine ullo actu iustificantur, adulti vero per attritionem et Sacramenti susceptionem etiam sine contritione perfecta justificantur. Remissio ergo peccatorum fit solum per gratiae infusionem, ad quam *conditio sine qua non* est contritio perfecta, *vel* attritio cum Sacramento. Contritio ergo *disponit* si perfecta sit, ad justificationem per infusionem gratiae etiam sine Sacramento; attritio disponit ad hoc eo, quod aliquis attritus suscipit Sacramentum.

Hoc probatur eo, quod *peccatum habituale,* quod tolli debet, consistit *in voluntaria privatione gratiae sanctificantis.* Haec privatio iuxta doctrinam S. Thomae consistit 1°. in *macula* animae, quae metaphorice est absentia nitoris, i.e. gratiae sanctificantis, dein 2°. in *aversione a Deo,* non in actu, qui iam praeterivit, sed in interruptione coniunctionis cum Deo per hunc actum peccaminosum, dein 3°. in *offensa Deo* illata, inquantum Deus non amantissimus Pater, sed iratus vindex est, demum 4°. in reatu, qui est debitum sustinendi odium Dei.

Atqui haec quatuor tolluntur solummodo per infusionem gratiae, contritio ergo tantum dispositive se habet ad gratiae infusionem. *Minor probatur:*

Ad 1°. Macula peccati tollitur tantum per gratiam, macula enim est absentia nitoris supematuralis (« refulgentia divini luminis ») quae est gratia, aufertur ergo per infusionem gratiae (I-II q. 86. a. 1. et q. 87. a. 6.).

Ad 2°. Aversio inquantum est interruptio coniunctionis, non potest tolli, nisi per novam coniunctionem, « haec autem coniunctio non est nisi per gratiam, per quam Deus mentem inhabitat et mens ipsi Deo per amorem caritatis inhaeret. Unde ad sanandam praedictam aversionem requiritur gratiae et caritatis infusio, sicut ad sanationem caecitatis requiritur restitutio potentiae visivae » (De veritate q. 28. a. 6).

Ad 3°. Offensa quoque Dei non potest tolli, nam homo incapax est satisfactionem condignam praestare, Deus hanc reparationem condignam remittit homini sicque Deus nobis pacatur. Haec pax « consistit in dilectione qua Deus diligit nos... Effectus autem divinae dilectionis in nobis, qui per peccatum tollitur, est gratia qua homo fit dignus vita aeterna, a qua peccatum mortale excludit. Et ideo non posset intelligi remissio culpae, si non adesset infusio gratiae » (I-II q. 113, a. 2.).

Ad 4°. Reatus autem *culpae* « non tollitur quamdiu homini non datur unde (Deum possit habere sibi pacatum) et possit ad gloriam pervenire: hoc autem est gratia » (De verit. q. 27. a. 2).

Ergo: Deus iustificat hominem peccatorem per gratiam suam, sed qui nos *creat solus,* Deus a pristino lapsos statu *non solus instaurat,* sed simul nostros labores exigit: *actum poenitentiae,* i.e. contritionem, quae ad impetrandam Dei gratiam *nos disponit.* Si caritate perficitur hic actus poenitentiae: cum Sacramenti *voto* iam fit reconciliatio, si actus habetur contritionis imperfectae, cum

S.n rame ito *rc suscepto justificat* hominem attritione ad hanc remissionem dispositum. *De qua nunc* attritione singulariter statim dicendum est nobis.

II. pars probatur: Votum Sacramenti.

Dominus non incassum instituit Poenitentiae Sacramentum, sed, ut via remissionis peccatorum in Nova Lege, aevo gratiae superabundant^, facilior et securior evaderet, ideo omnes necessario recurrere debent ad hoc medium. *Votum ergo Sacramenti* est etiam *conditio sine qua non,* sicut caritas in qua includitur: vere non potest Deum diligere, qui non vellet Sacramentum poenitentiae unquam suscipere, quando suscipiendum est *(vel* praecepto, ut est annua confessio, *vel* si vellet communicare). Hoc autem Sacramenti votum *saltem obicctive implicitum,* ut patet, non habet propriam vim peccata remittendi, nam votum Sacramenti in se talem vim non habet, ut clarum est penes eos, qui votum haberent explicitum cum sola attritione: nam tales non justificantur. Nec intuitu *futuri* Sacramenti suscipiendi votum huius modi Sacramenti vim deletivam peccata habere potest, quod enim mondum existit, non potest habere influxum.

3. De contritione ad Sacramentum Poenitentiae absolute necessaria.

Quaestio est, *qualis contritio* ad suscipiendum Sacramentum Poenitentiae simpliciter seu absolute necessaria sit e *tribus speciebus* virtutis poenitentiae. Pronum est actum poenitentiae *naturalis* nil efficere, non enim habet relationem ad ordinem supernaturalem. Ideo relinquitur quaestio, num ad Sacramentum suscipiendum necessaria sit contritio *perfecta, an absolute tantum actus attritionis requiratur.* De qua re magna exarsit lis inter theologos, sed nunc iam quaestio merum historicum habet momentum.

a) Contritionistae et attritionistae.

1°. Distinctionem inter contritionem caritate perfectam et contritionem imperfectam Sancti Patres nondum clare edixerunt, etsi rem ipsam cognoverunt. Primus *Alanus de Insulis* (Lille 1 1202) locutus est clare de attritione, sed nomine, quod iam ante eum usitatum fuit. *Alexander Halensis* (t 1245) iam notam supponens attritionem, eam primus cum Sacramento poenitentiae coniunxit, theoriam intricatam proferens. Distinxit etenim inter « dolorem attritionis, dolorem contritionis et dolorem satisfactionis », dixitque ex attrito posse fieri contritum, quod etiam alii docuerunt, ut Albertus· *Magnus* (t 1280), hac doctrina nondum expolita aliquo modo contritionem perfectam ad Sacramentum requirentes. *Petrus Lombardus* e.gr. manifeste docuit ad Sacramentum necessario requiri contritionem caritate perfectam, quia in revelatione solum caritati promittitur, quod operiet multitudinem peccatorum. S. *Bonaventura* (t 1274) iam docuit, attritionem esse caritatem probabilem, et sufficere ad Sacramentum; si quis ergo confiteatur cum attritione et haec non sit ficta, ipso facto evadit in Sacramento contritio. Duns Scotus (t 1308) et Scotistae docuerunt attritionem sufficere ad Poenitentiam.

2 Saec. XVI-o *Novatores* novam theoriam protulerunt, nam omnem contritionem insufficientem dixerunt, dicentes eam esse solummodo « conscientiae cruciatus, veram cordis passionem et sensum mortis » (Artic. Smalcaldici), Justificationem autem oriri c fide tantum. Verus autem » *contritionismus* » hoc

saeculo inter Catholicos exortus est. *Franc, de Victoria* (t 1546), parens theologiae Sahnanticensis O.P., déin *Andr. Vega O.F.M.* (t 1560) *Dom. Soto O.P.* (t 1560) dcin professores Lovanienses saec XVII-i aliqualem contritionem postulabant ad Sacramentum, affirmantes, quod poenitens saltem *actum initialem contritionis* caritate perfectae debet elicere. *Contritionistae extremi* fuerunt iam heterodoxi: *Jansenius, Midi. Baius et Quesnelius,* qui omnes actus caritate non formatos peccata habuerunt, ct consequenter ad Sacramentum contritionem perfectam postulabant. *Tridentinum* ex professo abstinuit a quaestione dirimenda, sed cum saec. XVII. disputatio in dies cresceret semperque acrior evasit, *Alexander VII.* a. 1667. ordinavit, quod partes litigantes « non audeant alicuius theologicae censurae... taxare alterutram sententiam, sive negantem necessitatem aliqualis dilectionis Dei in praefata attritione ex metu gehennae concepta, quae hodie inter scholasticos communior videtur, sive asserentem dictae dilectionis necessitatem, donec ab hac S. Sede fuerit aliquid hac in re definitum » (Denz. 1146).

3°. Etsi talis definitio usque hodie edita non est, tamen *sententia negans* necessitatem aliqualis contritionis perfectae seu eliciendi actum initialem dilectionis, hodie iam in praxi ab omnibus fere theologis, si paucissimos excipias ut *Périnelle,* communis facta est. *Priimmer* non dubitat enuntiare, quod haec propositio prorsus certa sit et contraria sententia nunc iam sit temeraria (Man. Th. Mor. η. 343), similiter alii.

b) Notio rectae attritionis.

1°. Secundum *doctrinam Ecclesiae Tridentinam* attritio procedit « *vel ex turpitudinis peccati consideratione vel ex gehennae et poenarum metu* » (Denz. 898). Quaestio non est, quod hic metus seu timor potest esse *filialis,* quo scilicet timetur malum *Dei,* quando nempe per peccatum Deus immense bonus Pater offenditur: hic timor filialis iam est caritatis. Sermo ergo est de *alio* timore, qui potest esse duplex. Timor *serviliter servilis* timet praecisive, ut dictum est, malum *hominis,* i.e. poenam aeternam et temporalem ut principale malum *sui,* itaque eligeret procul haesitatione peccatum, si poena non existerct. Talis timor non congruit cum fine hominis ultimo, ideoque non sufficit ad Sacramentum poenitentiae. Sed timor *simpliciter servilis,* qui non considerat poenam ut principale malum, nec fugam poenae ut finem ultimum, et non excludit, imo intendit ulteriorem relationem ad Deum: est iste timor e quo attritio ad Sacramentum sufficiens procedit (Hugon, O.P., Tractat. Dogm. IV. 5. cd. 1927, p. 597).

2°. Quod ergo adtinet *motiva rectae attritionis,* haec a. procedere potest e consideratione *turpitudinis peccati,* quae intelligi debet ea, qua peccatum adversatur legi divinae, non solum naturali rationi. Omne vero peccatum multiplicem rationem turpitudinis *in se* continet: inoboedientiam, ingratitudinem, contemptum legislatoris. Alia turpitudo autem in *effectibus* peccatorum potest considerari: animam deiformem Deo exosam reddit, imaginem Dei evacuat et deturpat, maculisque reatus foedat. — b. *Metus gehennae* est timor effectuum peccati gravis, qui consistunt in *poena damni* et poena *sensus.* Inquantum hae poenae considerantur tamquam *a Deo inflictae,* cuius iustitia non sinit peccata gravia sine ultione, habetur attritio sufficiens. — c. *Metus poenarum* est timor ob mala e peccato obvenientia, sive temporalia sint, sive alterius vitae, ut poenae purgatorii ignis.

c) Scriptura Sacra

hortatur peccatores ad timorem salutarem. Sic *Joannes Baptista* ad poenitentiam exhortatus est peccatores eo, ut fugiant poenas et iram Dei: « Progenies viperarum, quis demonstravit vos fugere a ventura ira? Facite ergo dignum fructum poenitentiae! » (Mt 3,7 s.). — Dominus saepe commendavit — plus quam triginta vicibus ut motivum ad fugienda peccata timorem gehennae, e.gr.: ‹ Potius timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam » (Mt 10,28).

d) Traditio

quoque talia profert, sic S. *Chrysostomus* dicit: « Quid gehenna gravius? Sed huius metu nihil utilius, gehennae nempe timor nobis affert regni coronam' ı PG 49,154). — Addi potest S. *Coelestinus* Papa (422-432), qui praecepit poenitentes reconciliari debere in articulo mortis etsi manifeste supponit eos non esse contritos, sed tantum — nostra terminologia — attritos, dicit enim, quod non absoluti damnarentur: « Quid hoc (sc. absolvere tales) rogo, aliud est, quam morienti mortem addere eiusque animam sua crudelitate, ne absoluta esse possit, occidere? » (Denz. 111).

e) Argumenta e ratione theologica.

Γ. Argumentum fit *e doctrina Tridentina;* etsi definitionem Concilium noluit dare, sed tamen docuit, quod attritio peccatorem « ad Dei gratiam in Sacramento poenitentiae impetrandam disponit ». Propter vocabulum « disponit » quidam opinabantur, quod disponit ad id, quod contritionem saltem ‹ initialem » habeat peccator, at hoc falsum est. Nam *primo* etiam contritio caritate perfecta se solum dispositive habet ad justificationem, *secundo* si « dispositio » per attritionem esset tantum mediata i.e. suscitans contritionem, tunc non esset dispositio Sacramenti, de quo Concilium loquitur, sed esset dispositio ad contritionem perfectam. *Tertio* evanesceret comparatio instituta a Tridentino inter contritionem caritate perfectam et attritionem: quod contritio nempe *sine* Sacramento disponit, attritio *cum* Sacramento ad Justificationem, si vero solum ad contritionem eliciendam disponeret, cur haberetur ista comparatio? (Galtier p. 349).

2 . Argumentum sumi potest *ex auctoritate* S. *Thomae:* « Si clavis *nullo modo* ad culpae remissionem ordinaretur, sed ad remissionem poenae tantum,... non exigeretur *votum suscipiendi effectum clavium* ad culpae remissionem, sicut non exigitur votum suscipiendi alia Sacramenta, quae non ordinantur ad culpae dimissionem, sed contra poenam » (Suppi, q. 18. a. 1.). — Similiter *Duns Scotus:* * iSi) per Sacramentum poenitentiae nunquam deleretur peccatum, sed necesse esset prius deleri per contritionem ad hoc, quod digne susciperetur Sacramentum poenitentiae... sequeretur inconveniens, quod nunquam Sacramentum poenitentiae posset esse secunda tabula, quia nunquam liberaret naufragum a periculo submersionis» (In IV. dist. 14. q. 4. nr. 6). — His dictis habetur argumentum convincens, nam dicitur: si *nunquam* sine contritione absolvi posset poenitens. tune rex era ad quid clavium potestas? Aliud est enim, si *aliquoties,* extraordinarie et per accidens iam ante susceptionem Sacramenti iustificatus sit p<ccator Sed si contritio perfecta absolute esset necessaria, tunc verum

esset, quod *Galtier* dicit: Poenitentia in hoc casu similis esset ianitori, qui claves reciperet ad aperiendum eis, qui vellent ingredi, sed eo pacto solummodo, ut clavibus non uteretur, nisi in favorem eorum, qui iam prius ipsi sibi ianuarn aperuissent (p. 347).

3°. Id quod Tridentinum postulat: quod ii qui disponuntur ad iustitiam, Deum« tamquam omnis iustitiae fontem *diligere incipiunt* » (sess. VI. cp. 6. Denz. 798): *servatur etiam in attritione recta.* Nam verum est, quod qui non diligit, manet in morte, eo sensu, quo exposuimus argumentum. Peccator enim attritus aversus est a peccato, *negative* ergo iam diligere incipit. *Positive* vero hoc habet, quod necessario requiritur: Deum vult sibi ut *finem ultimum,* nam non vult damnari. Revera, qui attritione detestatur sua peccata habetque propositum non peccandi de cetero, implet iam praeceptum caritatis: « Qui habet mandata mea et servet ea, *ille* est qui diligit me » (Jo 14,21). Amat implicite Deum, utique non amore amicitiae, seu propter se, sed *amore concupiscentiae,* qui potest vocari *amor spei* (cf. Schembri, Th. Dogm. De Sacr-is, II, p. 169). S. *Thomas* apposite dicit: « Ex hoc enim quod per aliquem speramus nobis posse provenire bona, movemur in ipsum sicut in bonum nostrum, et sic incipimus eum amare » (I-II q. 40. a. 7). lustificare vero hominem solummodo amor benevolentiae, caritas potest, quae pura est caritas. Sed ad hanc attritionem, quae in se includit *in ipso actu* rectae attritionis dilectionem initialem, *accedit vis* Sacramenti et homo sic justificatus per infusionem gratiae, accipit caritatem habitualem et sic fit ex attrito contritus (De amore Dei puro cf. R. Garrigou-Lagrange, L'amour de Dieu, Paris 1929, I, 136-141).

4. Dc proprietatibus contritionis.

Agitur nunc tum dc contritione caritate perfecta, *tum* de contritione imperfecta seu attritione, nam hi actus virtutis poenitentiae solum motivo et effectu differunt, secus easdem debent habere *proprietates,* seu alio verbo *attributa* vel *dotes. Quatuor* proprietates habet recta contritio.

a) *Debet esse* interna, « quae non ore tantum manifestatur, sed ex corde nascitur » (Catech. Cath. qu. 431). Interna debet ergo esse, seu veritati correspondons. Ergo:

1°. *Non: recitata,* qua sc. solum recitatur aliqua oratio poenitentialis seu « formula contritionis ».

2°. *Non: existimata,* ut putabant Petrus Lombardus, Bonaventura, quod sufficit dolor existimatus. At hi requirebant per se semper contritionem *perfectam,* et sic valet, quod dixerunt de contritione existimata, nam si aliquis non fuit contritus, tantum existimate, hic est attritus et si absolvitur, iustificatur. — Existimatio *etsi bona fide,* contritionis non sufficit ad obtinendum absolutionis effectum, nam bona fides non iuvat eum, qui existimavit acetum esse vinum, vel liquorem alium existimavit aquam: nec consecratio, nec baptismus potest validus esse propter deficientiam materiae necessariae.

3°. *Non: desiderata* tantum, i.e. si vellet dolere de peccatis, sed non dolet. Tamen in praxi fideles qui « dolent se non dolere », si timorati sint, non sunt inquietandi.

4°. *Non: de solo effectu,* sc. dolor praccisive propter poenam vel effectum malum peccati; requiritur dolor de peccato.

5'. *Non: virtualis, sed formalis* actus contritionis. Ergo non actus caritatis *perfectae. in quo dolor* implicite continetur, sed requiritur, ut materia habeatur Sacramenti: actus contritionis imperatus a caritate, *si contritio* perfecta habetur. *Si attritio* habetur tantum, etiam haec formalis debet esse: dolor et detestatio orta e motivo timoris poenarum vel e consideratione turpitudinis peccatorum.

b) *Secundo* actus contritionis *debet esse* supcrnaturalis, « quae sub influxu *gratiae* elicitur ex rationibus non humanis, sed *supernaturalibus* ex fide supernaturaliter apprehensis » (Catech. Cath. qu. 432). — *Supernaturalis* ergo est contritionis perfectae vel imperfectae actus, si:

Γ. « *Sub influxu gratiae n,* i.e. supernaturaliter quoad principium actus elicitur. Quod significat, actum contritionis cum auxilio Dei, gratia sc. excitante et adiuvante debere elici, secus haberetur dolor mere naturalis.

2 . « *Ex rationibus non humanis sed supernaturalibus* » i.e. actus supernaturaliter quoad motivum debet elici. Rationes supernaturales sunt, quae *relationem* habent cum Deo, *duplici* modo. a. Uno modo quidem, quia *rationes ad Deum referuntur,* ut in contritione *perfecta* amor amicitiae, benevolentiae erga Deum considerando eius summam perfectionem; in contritione *imperfecta* considerando peccati turpitudinem inquantum Deo odibilem reddit, et timendo poenas aeternas et temporales tamquam a Deo iuste inflictas. — b. Altero modo, quia motiva a *ex fide supernaturaliter* » apprehensa sunt; hoc autem habetur, nam existentiam gehennae et poenarum purgatorii solum per fidem apprehendimus.

c) *Tertio* contritio *debet esse* « summa, qua detestamur peccata super omnia mala » (Catech. Cath. qu. 433.), ad quod idem Catechismus allegat S. Thomam (Suppi, q. 3. a. 1), et dicit, quod contritio debet esse « appretiative *summa,* nullatenus intensive, nec expedit ut comparatio fiat n. Appretiative summa est contritio, si peccator peccatum grave *maximum malum aestimet* inter omnia mala et paratus est omnia subire, quam peccatum grave perpetrare. Haec aestimatio adesse debet tum in perfecta tum in imperfecta contritione, secus nec vera detestatio, nec verum propositum non peccandi haberetur. Sed actus contritionis non debet esse *alia ratione summa:*

Γ. Non: *intensive summa,* i.e. actus doloris et detestationis non debet superare quoad quantitatem alium actum huius generis, non debet ergo e.gr. Deum plus diligere *affective,* quam uxorem suam; gradus quivis doloris etc. sufficit, modo venis sit. Appretiative habet contritionem, si etiam propter uxorem intensive magis amatam nullo modo vult peccatum committere. I

2°. Non: *comparative summa* i.e. non debent comparationes institui, quid vellet potius sustinere, quam peccatum, e.gr. vivus sepeliri, vel comburi, acerbos dolores martyrum sufferre. S. *Thomas* affirmat: « Descendere in talibus ad singula, est inducere hominem in tentationem et praebere occasionem peccandi n (Quodl. 1. a. 9.); Priimmer vero prorsus incongruam iudicat talem usitatam formulam contritionis: « Mallem millies mori, quam te Deus, iterum offendere ▮ (n. 348). I

3 Non: sensibilis i.e. requiruntur actus sensibiles eo sensu, ut in appetitu sensibili sentiantur; non eo sensu, quod nullum signum habeatur doloris, nam dolor et detestatio *manifestari debet* (per confessionem, vel melius actu explicito verb s, pectoris contusione etc.). Hoc solummodo edicitur, quod contritio i non debet sentiri, non requiruntur lacrimae, suspiria, motus affectuales cordis. I

Sed tamen talis contritio *sensibilis valde bona est,* adeo, ut Ecclesia commendet talem dolorem a Deo petere: « Omnipotens et mitissime Deus, qui sitienti populo fontem viventis aquae de petra produxisti: educ de cordis nostri duritia lacrimas compunctionis, ut peccata nostra plangere valeamus » (Or. 21. nnter diversas « pro petitione lacrimarum »).

d) *Quarto* contritio *debet esse* « universalis, quae omnia peccata *mortalia commissa* post baptismum, nec directe potestate clavium remissa, complectitur » (Catech. Cath. qu. 434). Universalis est contritio seu perfecta seu imperfecta, si ad omnia mortalia commissa se extendit, etiam si oblita fuerint. Ideo *melius* est peccata mortalia *e motivo universali* detestari, quia tale motivum universale ad omnia peccata refertur. Contritio potest esse universalis:

1°. *Explicite,* si *vel* singula peccata in memoriam revocet poenitens et *unico actu* doloris de iis poenitet, *vel* si de singulis peccatis *singulos actus* contritionis elicit.

2°. *Ijnplicite,* si peccata *in confuso* considerentur et dolor e motivo universali, ad omnia peccata se extendens eliciatur. Talis contritio ad universalitatem sufficit.

3°. *Cur debeat* contritio universalis esse, manifestum est. Quodlibet peccatum mortale est aversio totalis a Deo, conversio ergo similiter debet esse totalis. Hoc vero non fit, si unum peccatum mortale excipiatur, nam mortale nequit remitti sine altero (Prümmer n. 349).

Corollarium I. de tempore contritionis.

Duplex habetur quaestio: quo tempore elici debeat contritio, et per quantum tempus perduret.

1°. *Quo tempore elici debeat contritio,* pronum est: *saltem ante absolutionem,* quae ut pars principalis materiam proximam determinat, remittendo peccata. Si ergo ante absolutionem non fuerit elicitus actus contritionis, absolutio erit invalida. — *Pro praxi* vero omnino commendandum est, ut contritio etiam *ante confessionem* iam eliciatur, quando adest tempus sufficiens ad considerandа motiva huius contritionis et ut habeatur confessio dolorosa.

2°. *Per quantum tempus perduret* contritio, ideo investigandum est, quia casus afferuntur, quorum solutio ex hoc dependet. Sic si quis vespere examinaverit conscientiam et contritionem elicuerit, sed mane vel meridie alterius diei confitetur tantum sine novo actu contritionis: fuitne valida eius absolutio? Respondendum est, quod quamdiu contritionis actus moraliter *perdurat,* potest absolutionem recipere. Perdurat autem, si non fuerit *revocata* contritio per novum peccatum, *et* quamdiu *etiam virtualiter* perdurat « in aliquo effectu, e.gr. in voluntate confitendi, in fuga occasionum, in frequentioribus orationibus etc. » (Noldin-Heinzel n. 256). Sine dubio per aliquot *horas,* imo see. eundem auctorem etiam *per plures dies* perdurare potest, « ubi nimirum confessio non ex mera devotione vel obligatione, sed ex dolore de peccatis concepto instituitur ».

Corollarium II. De mutuo influxu contritionis et confessionis.

Procul dubio actus caritatis sine actu contritionis (quando non cogitet quis de peccatis), i.e. actus contritionis *virtualis non sufficit* ad Sacramentum. Nunc autem ulterius quaeritur, si aliquis habuerit contritionem *formalem,* num hoc actu possit confiteri, *sine intentione* habita in actu contritionis ad confessionem?

Priimmer sapienter respondet, *si dolor* praecedens *nullo modo refertur* ad *confc?ssionem, videtur absolutio invalida esse.* Puta si quis audiens contionem, vehementer excitatur ad poenitentiam, doletque de peccatis, nihil cogitans de *confessione, crastina* autem die nihil cogitans de habita hesterna contritione confitetur peccata sua, invalide videtur absolutionem recipere. «Contritio et confessio se mutuo induere debent, contritio reddit confessionem dolorosam, et non mere narrativam, confessio vero coniungit contritionem cum absolutione et sic constituit totum sacramentum » (Priimmer n. 351).

Corollarium III. De sufficientia unius contritionis ad plures absolutiones.

Duplex distinguendus est casus: 1°. prior, si quis *oblitus peccati gravis,* redit ad sacerdotem et moralitcr *statim* confitetur peccatum oblitum. Tunc secundum communem sententiam confessarius eum absolvit, *nec debet novum actum contritionis elicere,* nec confessarius hoc requirere, quia haec secunda absolutio est complementum primae absolutionis, et « utraque videtur esse unum Sacramentum » (Priimmer n. 352). — 2°. Alius casus autem est, si poenitens *postea revertitur,* ut Noldin-IIeinzel affert casum: « Si poenitens peccata iam rite accusata et remissa postea, e.gr. *sequenti die* iterum subiiciat clavibus dolor heri elicitus sufficit, ut valida absolutio denuo concedi possit, dummodo hesternus dolor universalis virtualiter adhuc perseveret, suadenda est tamen renovatio » (n. 258). Verum iure notat Priimmer talem sententiam in praxi non esse licitam, si nempe tantum intervallum exsistit inter utrumque indicium sacramentale, « etenim *tunc certo duplex est Sacramentum,* ac proinde requiritur etiam duplex actus contritionis. Non enim ad validam susceptionem sufficit habitualis contritio, sed tamquam materia proxima partialis requiritur *actus* contritionis (saltem virtualiter perdurans) n.

5. Dc proposito non peccandi de cetero.

a) Notio propositi.

Propositum est firma voluntas non peccandi in futurum.

1 . *Intelligi* debet, ut patet, voluntas non committendi *peccata gravia, tum* quia dc peccatis gravibus Tridentinum loquitur, ut materia principali Sacramenti et sola necessaria; tum quia nemo efficaciter velle potest, quod impossibile est. atqui impossibile est sine speciali privilegio diu sine ullo peccato veniali vivere.

2°. Propositum est pars contritionis, quae est *dolor+detestatio+propositum.* Haec tria sunt formaliter constitutiva contritionis, seu actus poenitentiae, Scriptura etenim modo unum, modo alterum horum trium assignat, ut totum actum contritionis designet (Galtier p. 40).

3 . Quia virtus poenitentiae ut subiectum proximum voluntatem habet, ideo etiam actus cius, contritio; proinde etiam pars eius constitutiva: propositum non peccandi *ad voluntatem pertinet.* Propositum ergo est actualis voluntatis det. nninatio, qua a peccatis mortalibus quibuscunque avertitur et non vult peccare Sed talis actus volutantis non cohaeret, saltem necessario, cum indicio, quod iterum peccabit graviter. Indicium enim pertinet *ad intellectum,* et ideo p<>hst simul constare firmum propositum non peccandi et iudicium praevisionis se iterum peccaturum esse.

b) Proprietates propositi non peccandi.

Quinque dotes seu attributa debet liabere propositum:

1°. Debet esse *absolutum ratione essentiae.* Secundum doctrinam enim Ecclesiae Tridentinam, contritio necessario includit « propositum non peccandi de cetero », uti vidimus, et revera non haberet actum contritionis ille, qui non haberet hoc propositum: nam ad contritionem pertinet aversio a peccato, quod per propositum fit. Ideo hoc propositum absolutum debet esse, et *non conditionatum,* e.gr. « non negabo Deum, nisi in extrema necessitate constitutus ». Dein non potest esse propositum *limitatum nec ad materiam,* nam debet se extendere ad omnia peccata, nec *ad tempus, dicendo·.* « Per unam mensem abstinere volo ab hoc peccato gravi », nec *ad difficultates,* puta si quis eliceret propositum: « In quantum hoc possum observare ».

2°. Propositum debet esse *firmum ratione proportionis* i.e. debet velle vitare omnia peccata mortalia et quodcunque malum perpeti, quam iterum ea perpetrandi. Hoc tamen *generaliter* debet fieri, non in particulari. « Caveat confessarius, ne poenitenti proponat in particulari mala ferenda vel bona relinquenda » (Merkelbach n. 488,2). — Firmitas propositi *affectiva* debet esse, i.e. voluntas taliter affecta, ut si statim adesset occasio peccandi, non peccaret, non debet esse firma *effective in futuro,* i.e. quae omnino excluderet futuros lapsus.

3°. Propositum debet esse *efficax ratione efficientiae,* i.e. quia revera vult vitare mortalia, vitare etiam debet omnia quae ad peccatum conducunt. Propositum ergo non peccandi necessario etiam includit in se voluntatem vitandi *occasiones proximas* peccandi, dein debet habere volutatem *reparandi damna* illata, e.gr. laesionem famae, restituendo damnificationem, item voluntatem *condonandi* offensoribus, petendique condonationem ab offensis per eum.

4°. Propositum debet esse *universale ratione materiae,* i.e. omnia peccata gravia includere debet, etiam talia, quae nunquam commisit. In hoc *differt* propositum a contritione: haec enim se extendere debet ad omnia mortalia *commissa,* illa autem ad omnia mortalia *possibilia.* Ratio est, quod homo nunquam scire potest, num occasioni vel aliae tentationi subiaceat, et ideo tunc tantum Deo totaliter conversus est, si omnia vult vitare in posterum peccata. Pronum est, nullo modo debere poenitentem omnia et singula peccata gravia possibilia percurrere, imo hoc dissuaderi debet. Vehementer tamen suadendum, ut propositum etiam *particulare* et speciale concipiat praeter propositum universale: ut profectui suo spirituali consulat.

5°. Propositum debet esse *saltem implicitum,* quod iam a Tridentino innuitur per vocabulum « includitur ». Supponitur autem, quod contritio e motivo universali concepta sit, in hoc enim semper includitur propositum non peccandi. Propositum explicitum postulat S. *Alphonsus* e ratione practica, nam enumerans tres sententias de necessitate propositi explicit!, dicit, sententiam propositum explicitum exigentem non carere probabilitate, ideoque in praxi esse sequendam. Praesertim *Ant. Ballerini* (t 1881) sententiam de proposito implicito propugnabat, quae nunc iam communior evasit, nam propositum *explicitum nec praecepto positivo,* nec *e natura rei* requiritur, voluntas enim non peccandi in omni vero dolore et detestatione includitur. Hanc sententiam propositi impliciti tenent inter alios Vermcersch-Creusen (n. 529), Noldin-IIeinzel (n. 262), Merkelbach (n. 487), Aertnys-Damen (n. 288).

Corollarium I. De promissione occasionem vitandi.

Γ. In aliquibus regionibus usitata est *formula,* qua dicitur: « Promitto me non peccaturum de cetero *occasionemque peccati velle vitare.* » Per se non est necessarium edicere propositum vitandae occasionis, nam non omnes poenitentes sunt in tali occasione, sed si sint, « debent, ut cl. Vermeersch monet, *firmam voluntatem habere sub gravi* fugere occasionem proximam liberam, in quantum vero quis in occasione proxima *necessaria* esset, voluntatem debet habere, omnia remedia naturalia et supernaturalia adhibendi, nam « qui liberam occasionem proximam materialiter vel formaliter deserere renuit, actu graviter peccat contra virtutem, cuius neglegit officia... et quia actu graviter peccat, eius propositum non est universale, sicut esse debebat » (Vermeersch-Creusen n. 535).

2°. Quod autem *formulam memoratam* et alias eiusdem generis adtinet, recte notat *O. Eltl,* talem formulam nimis vagam et dogmatice iusto rigidiorem esse. Ideo si adhibeatur talis forma, bene declarari debet, ne homines assuescant promissioni quam practice exsequi non possunt, nam mortalia et non omnia quaevis peccata debent necessario vitari; item non quaevis occasiones, sed proximae liberae (Linz. Th. prakt. Quartalschr. 1951, 348).

Corollarium II. De omissione propositi expliciti.

Agitur de casu, si quis propositum solummodo implicitum, i.e. inclusum in vero dolore habuerit, sententia, quae negat necessitatem propositi expliciti, in praxi tuta est, ideoque *ante factum* curandum est, ut propositum semper cxplicitum habeatur. *Post factum* vero, si tantum propositum virtuale implicitum habebatur, « quiescat animus, tum quia de facto virtuale sufficit... tum etiam quia... nimis incertum est, ut necessaria sit iterata confessio » (Galtier p. 42).

Corollarium III. De proposito specialiter determinato.

Pro praxi pastorali prae oculis habendum est monitum cl. Priimmer: « Quando fideles frequenter eadem peccata confitentur, quae non tam ex fragilitate quam cx aperta socordia oriuntur, coniicere (etsi non certo indicare) licet, eos elicere proposita *nimis generalia* vel non satis strenua. Proinde sunt monendi, ut *maiore diligentia contritionem et propositum eliciant.* Non raro etiain poenitentes (praesertim mulieres) diu examini conscientiae incumbunt, minimas culpas maxima anxietate requirunt, et longas confessiones peragunt, nec tamen ita solliciti sunt, de dolore et firmo proposito. Serio instruendi sunt isti, ut (omissa meticulosa enarratione omnium peccatorum venialium) magis insistant in perfecta *contritione* elicienda et firmo ac *specialiter determinato* proposito statuendo. Ad firmitatem propositi augendam praestat ut poenitentes illud post confessionem *saepius renovent,* e.gr. quolibet die » (III. n. 357).

Litteratura.

P Mingi ›. Die .ingcblich laxe Reuelehre des Duns Scotus, in: ZfkTh 1901, 230-257. — Rrg *Schultc,* Reue und Bussakraincnt 1907. — Λ. *Arndt,* Die unvollkommene Reue nacb den L« hrlx-tiinmungen des Tridentiner Konzils, Paderborn 1912. — R. *Rimml,* Das Furchtprob'.rni in der Lehre des 111. Xugustin,in: ZfkTh 1921, 57-58. 240-249. — *M. Premm,* Das Tnd· ntiniscbt «diligere incipiunt», Graz 1925. — F. *Dickamp,* Melchioris Cani de contritnne ‹ t attritione doctrina, in; Xenia Thomistica III (1925) 423. et Th. dogm. Man. IV (19 ›1 312-331. — *J Pénnellc,* L'attrition d'après le Concile de Trent et d'après de Saint Thomas, Le Saulchoir 1927. — P. Galtier, Amour dc_ Dieu et attrition, in: Gregorianum | T1-416 et De pacnitentia 1950, 1-89 et 341-365. — V. *Heynck,* Zur Lehre von der

unvollkominenen Reue in der Skotistenschule des ausgelienden 15. Jahrhunderts, *in:* Franziskanische Studien 1937, 15-58. — *P. Dondaine,* L'attrition suffisante, Paris 1943. — V. *Ilcynck,* Zum Problem der unvollkommenen Reue auf dem Konzil von Trient, *in: G. Schreiber,* Das Weltkonzil von Trient, Freib i. Br. 1951, I, 231-280. — *E. Doronzo,* Tract, dogm. de poenitentia, II, Milwaukee 1951, 1-339. — C. *O. Brien,* Perfect contrition in theory and practice, Killiney 1952. — G. *Rambaldi,* Contrizione, attrizione, c loro efficacia in uno scritto del 1553 di J. Lippomano, *in:* Gregorianum 1953, 594-602. — *V. Heynek,* Zur Busslehre des hl. Bonaventure, *in:* Franzisk. Studien, 1954, 1-81.

Respectu pastorali. *D. Prümmer,* Man. Th. Moral, ed. 5. 1928, III. n, 339-357. — A. *Vermeersch-J. Creusen,* Th. Mor. ed. 4. 1948, III. n. 518-536. — *B. Merkelbach,* Summa Th. Mor. ed. 8. 1949, III. n. 474-506. — *J. Aertnys-C. A. Damen,* Th. Mor. ed. 16. 1950, II. n. 278-289. — *J. Fanfani,* Man. theorico-practicum Th. Mor. IV. 1951, p. 343-362. — *O. Ettl,* Zum Problem des Reuegebetes, *in:* Linzcr Theol. prakt. Quartalschr. 1951, 348-349. — *O. Schollig,* Verwaltung d. hl. Sakramente, 4. ed. 1952, 116-124. — I/. *Noldin-A. Schmitt-G. Heinzel,* Summa Th. Mor. ed. 30. 1954, III. n. 246-264.

E) De confessione ut materia Poenitentiae.

Actus principalis virtutis poenitentiae est contritio: actus secundarii hujus virtutis sunt confessio et satisfactio. *Confessio definitur* a Catech. Catholico: « Confessio peccatorum est eorum accusatio, facta sacerdoti legitime approbato, ad absolutionem sacramentalem consequendam » (qu. 442). Post rationem redditam dogmaticam confessionis, e doctrina Ecclesiae confessionis attributa dilucidantur, dein conditio praesupposita bonae confessionis, discussio i.e. examen suiipsius, demum iteratio confessionis. Tractandum ergo est nobis:

1. Fundamentum dogmaticum confessionis.
2. De proprietatibus confessionis.
3. De examine conscientiae.
4. De confessionis iteratione.

1. Fundamentum dogmaticum confessionis.

Qua fundamentum confessionis statuitur:

THESIS. Sacramentum poenitentiae (1) indolem habet indicii, (2) ideo confessio omnium mortalium iure divino necessaria est ad eorum veniam consequendam. De fide definita.

Pars. I. probatur: Indoles iudicialis.

a) Notio actus iudicialis.

1°. Actus iudicialis oritur e potestate iudiciali, quae potest esse *criminalis* vel contentiosa. Potestas sacramentalis *Poenitentiae est potestas iudicialis criminalis,* nam peccata sunt crimina contra maiestatem et dominium Dei commissa. *Differentiae* tamen signari solent inter potestatem criminalem iudicialem communem et sacramentalçm hae: a. Ratione *finis* Poenitentia praecipue *in favorem* peccatoris exercetur, ut absolvatur a criminibus suis. — b. Ratione *cognitionis causae* in Poenitentia non adhibentur testes et accusator, sed *ipse peccator* est reus, testis et accusator. — c. Ratione *sententiae* in Poenitentia sententia dependet non exclusive a culpae facto, sed praesertim a *dispositione*

peccatoris. — d. Ratione *poenae,* quae in Poenitentia *primario medicinalis* est cl satisfactoria, secundario solum vindicativa. — e. Ratione *fori,* quod in Poenitentia est *internum* per se, per accidens tantum externum.

2°. *Potestas iudicialis* in eo consistit, ut a. verus iudex habeatur, qui sententiam ex auctoritate fert, non vero arbiter, cui potestas confertur e communi consensu partium litigantium, dein b. ut sententia feratur iuxta *normam legum,* seu iuxta meritum causae, non ad beneplacitum arbitri. Haec in Poenitentia quoque contingunt.

b) Vox Ecclesiae.

Trid. sess. XIV, can. 9: « S.q.d., absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi et declarandi: a. sit » (Denz. 919).

c) Scriptura Sacra.

Verbis institutionis Sacramenti huius iam demonstrata est indoles eius iudicialis. /Xpostoli enim accipiebant potestatem sententiam ferendi *vel* remissionis vel retentionis, ergo indicium debent proferre, quod etiam in coelis efficaciam habebit; tanti momenti est potestas haec, ut comparatione clavium illustrata est ab ipso Domino.

d) Traditio

de hac potestate iudiciali tota testatur: antiqua aetate Ecclesiae poenitentes indicabantur, accipiebant poenitentiam iuxta sententiam episcopi, saepe usque ad mortem duraturam. Aetate quoque saeculorum subsequentium excommunicationes, casus reservati indolem demonstrabant iudicialem huius Sacramenti. Conscientia quoque huius indolis iudicialis edicitur. Sic *Constit. Apostolicae:* » *Potestatem habes indicandi* eos, qui peccarunt. Quoniam vobis episcopis dictum est: Quodcunque ligaveritis... ludica igitur, episcope, potestate fretus, tamquam Deus » (II, 11 PG 1, 614). — Versus finem saec. IV-i *Consultationes Zachaei et Apollonii:* « Dominus non denegat veniam peccatorum contra eum admissorum, si verae conversionis labore mereamur, ut sub eius praecepto caelum consentiat *cum iudicio* sacerdotum » (II, 18 PL 20,1143). — S. *Hieromimus* vero affirmat: « Absit, ut de his quidquam sinistrum loquar, quia apostolico gradui succedentes, Christi corpus sacro ore conficiunt; per quos et nos christiani sumus; qui claves regni caelorum habentes quodammodo ante indicii diem *iudicant* » (Ep. 14,2 PL 22,352).

e) Ratione

convenientiam indolis iudicialis ostendit Suarez: « Conveniens fuit longe aliter iemitti peccata ante baptismum commissa et quae post illum committuntur. nam illa priora remittuntur per modum regenerationis, et ideo prorsus delentur et magna facilitate... At vero peccata commissa post baptismum et fidei illuminationem, ex eo capite graviora sunt et medicinam postulant acerbiorem. ac propterva remedium adversus haec peccata per modum iusti indicii institui debuit Quod etiam expediebat, ne hominibus christianis ex facilitate veniae p<'\ « andi occasio *dari videretur.* Potestas igitur ad remittenda haec peccata judiciaria est » (De poen. disp. 16. sect. 1 nr. 11.).

Pars II. probatur: Necessitas confessionis omnium mortalium.

a) Vox Ecclesiae.

Trid. sess. XIV. can. 6: « Si quis negaverit, confessionem sacrarnentalem vel *institutam* vel ad salutem necessariam esse *iure divino,* aut dixerit, *modum secrete confitendi soli sacerdoti,* quem Ecclesia catholica ab initio semper observavit et observat, alienum esse ab institutione et mandato Christo et inventum esse humanum: a. sit » (Denz. 916). — *Ibid. cp. 5.:* « Constat, sacerdotes indicium hoc, incognita causa, exercere non potuisse... si in genere dumtaxat et non potius *in specie ac singillatim,* sua ipsi peccata déclarassent. Ex his colligitur, oportere a poenitentibus omnia peccata *mortalia* quorum *post diligentem sui discussionem* conscientiam habent, in confessione recenseri, etiam si occultissima illa sint » (Denz. 899).

b) Omnes Protestantes

negabant potestatem Ecclesiae judicialem et confessionis necessitatem ex ea fluentem. Sic e.gr. *Philippus Melanchthon:* « Quod obiiciunt, indicem debere cognoscere causam priusquam pronuntiet, hoc nihil ad hanc rem pertinet, quia absolutio est *exeeutio alieni beneficii* non est indicium » (Apol. Confess. August.). *Calvinus* vero simili modo: « Contendunt, non posse fieri indicium, nisi causa cognita; in promptu est solutio, temere hoc sibi arrogare, qui sunt *a seipsis indices creati* » (Instit. rei. chr. III. c. 4,18).

c) Scriptura Sacra.

Verba institutionis potestatem judicialem constituunt. Sed ex hac potestate ultro sequitur confessionis necessitas, nam accusatores ipsi sunt poenitentes, et praeprimis internum debent accusare actum peccaminosum, quod sine confessione i.e. accusatione suiipsius non est possibile. *Iure divino* necessaria est confessio non eo sensu, ac si Christi praeceptum directe et immediate e Scriptura demonstrari possit, sed eo sensu, quod Traditio de hac institutione divina confessionis testatur et quod *indirecte et mediate* etiam e verbis institutionis probari potest. Haec necessitas etiam *necessitas medii* est, nam si habetur potestas iudicialis, tunc necessario haberi debet etiam medium ad hanc potestatem recte exercendam: accusatio, i.e. confessio peccatorum.

d) E Scriptura ct Traditione simul

sumpta S. Bcllarminus ingeniose probat confessionis necessitatem ex *analogia figurarum* S. Scripturae (1. III. c. 3).

1°. *Prima figura* est *protoparentum* et *Cain,* a quibus Deus post peccatum commissum confessionem exigebat. « Non solum cordis, sed etiam oris, nec solum in genere, sed etiam in speciali, nec tantum coram Deo, sed etiam coram eius ministro », (pii fuit angelus in forma humana apparens, deambulans in Paradiso. Figuram « confitendorum potius delictorum quam negandorum » vidit in eorum historia Tertullianus, Ambrosius, Gregorius Magnus, Chrysostomus.

2°. *Secunda figura* habetur *Lev 13. et 14.,* ubi *indicium leprae* solis committitur sacerdotibus Veteris Legis: huic recognitioni assimilabant Patres, ut Chrysostomus, Hieronymus confessionem, per quam Christus « qui non per se,

sed per suos ministros in *terris fungitur* sacerdotio... per ministros suos concionatur, baptizat, absolvit, ligat, sacrificium offert etc., ita quoque per suos ministros cognoscit causas leprae spiritualis ».

3C. *Tertia figura est confessio peccatorum* instituta in *Veteri Lege Num 5,6:* • *Vir sive* mulier, cum fecerint ex omnibus peccatis, quae solent hominibus accidere, et per negligentiam transgressi fuerint mandatum Domini, atque deliquerint, confitebuntur peccatum suum », et *Leo 5,5,* quod Bellarminus iuxta textum Hebraicum vertit: « Et erit, cum peccavit in uno ex his, confitebitur rte peccatum, quod fecit ». Bellarminus provocat ad testimonia *Rabbinorum.* iuxta quos Hebraei praeceptum hoc de confessione peccatorum distincta intelligebant. Thomas Waldcnsis Carmelita Anglus (t 1430), in legatione regia in Austria commoratus, testatur hanc consuetudinem se in Austria ab Hebraeis cognovisse (De Sacr. II. c. 137).

4°. *Quarta figura* habetur *Mt 3,6* et *Mc 1,5,* in quibus locis narratur, multos venisse *ad Joannem Baptistam, a* qui baptizabantur ab illo in Jordanis flumine, confitentes (exomologoumenoi) peccata sua ». Bellarminus dicit, quod quia « baptismus Joannis non remittebat peccata ex opere operato, ideo satis erat conveniens, ut non solum baptizarentur, qui ad Joannem accedebant, sed etiam confiterentur, ut variis modis ad veram contritionem et satisfactionem excitarentur ».

5°. *Quinta figura* habetur *Jo 11,43-44 in historia Lazari.* Eo quod Dominus solvi iussit vincula funeralia, quibus Lazarus ligatus fuit, significari Patres dicunt, peccatores Dei voce suscitatos absolvi debere per ministerium sacerdotum: «Solvite illum ct dimittite eum abire». Sic Irenaeus, Ambrosius, Augustinus, Gregorius Magnus inter alios Patres, Bellarminus, ed. J. Fèvre tom. IV, p. 560-563).

c) Traditio sacra

quoque recte invocari potest quoad confessionem, sed sapiens monitum cl. Galtier prae oculis habendum est: confessionem peccatorum et totum Sacramentum Poenitentiae non licet *identificare,* sicut hodie fere factum est, ita ut a confessione nominetur vulgo totum Sacramentum. Confessio sacerdoti facta apud antiquos *subobscure* apparet, nam id, quod oculos in poenitentia ecclesiastica maxime percelleret, eo tempore non confessio, sed *satisfactio* longa et laboriosa erat. Ideo *errarent,* qui putarent, confessionem non adfuisse, quia raro ct obiter scriptores et concionatores antiqui aevi de ea loquuntur, sicut errarent hi. qui e concionibus nostrae aetatis concluderent, satisfactionem et contritionem non esse necessariam, quia fere semper de confessione sermo recurrit Hoc ideo factum est, quia Protestantes praecise manifestationem peccati non esse necessariam docuerunt (Galtier 372 p.). At non desunt tamen *testimonia dc confessione* sacerdoti facta. Testis adducatur S. *Hieronymus: t* Sic ct hic in Novo Testamento alligat et solvit episcopus vel presbyter, non vos. qui insontes vel noxii, sed pro officio suo, cum peccatorum audierit varietates. scit, qui ligandus, qui solvendus » (In Matth. 16,19 RJ 1386).

f) Ratione commendatur

confessionis peccatorum convenientia.

1 Confessio, i.e. accusatio peccatorum necessaria est, quia Poenitentia non est tribunal, ad quod homo coactus ducitur, nam cogitur a nemine, ut se

liberet a peccatis. Hanc *spontaneitatem liberandi* se a peccatis poenitens eo exprimit, quod ultro pandit peccata sua, quae remitti vult. Quia vero non sufficit, ut solummodo aliqua peccata remittantur, *unum* enim mortale non remittitur *sine* aliis, omnia peccata gravia confiteri debet, qui ab omnibus absolvi debet. Absolvitur enim per infusionem gratiae sanctificantis, quae cum omni peccato gravi habituali pugnat (iuxta Suarez).

2°. Sine sui accusatione et satisfactione Sacramentum Poenitentiae non esset antidotum et medicina peccatorum, sed *incitamentum peccati,* si sufficeret solummodo confessio generalis peccatorum et statim sequeretur absolutio.

3°. « Si absolutio non est actus iudicialis, sed *simplex annuntiatio* divinae promissionis, quae in Evangelic scripta extat, non minus absolvere potest *laicus,* imo etiam femina, aut puer, *aut infidelis,* quispiam aut diabolus vel *etiam psittacus* (Papagei, parrot, perroquet, papagaly), si doceatur ea verba, quam sacerdos » (Bellarminus l. cit. p. 559).

4°. *Rationes pro utilitate confessionis* enumerari solent fere hae: a. Confessione homo provocatur ad rectam *conversionem morum.* Multi, qui secus damnarentur, per confessionem revertuntur, et sic salvantur. — b. Confessio est *practica schola* vitae christianae, ubi omnia ad captum et individualitatem poenitentis accommodate traduntur, ita, ut gentes flagitiosae in eximiam viam perfectionis perductae sint. — c. Praecipue « conscientiae *pax ac serenitas* » (Trid.) confessioni reputandae sunt, qualem confessionem etiam hodierni psychoanalytic! conantur inducere. — d. Etiam *ordo socialis* promovetur per confessionem, tum in familiis, quia saepe per confessionem componuntur dissidia coniugum, impediuntur adulteria, condonantur peccata in invicem perpetrata.

Corollarium I. De tempore obligationis confessionis.

1°. *Praecepto divino* confessio obligare potest per se vel per accidens, a. *Per se* certe non statim post commissum peccatum grave, cuius ratio est, quod « non est de necessitate salutis corporalis, quod statim medicus quaeratur, nisi quando necessitas curationis incumbit, et similiter est de morbo spirituali » (Suppi, q. 6. a. 5. ad 2.) Ad quod adiici potest: sicut tamen valde utile est etiam in vita corporali *statim medicum consulere* ad praecavenda maiora mala, ita etiam in vita spirituali consuli debet, non remanere in sordibus peccati gravis. — b. Per se obligat certo *in periculo mortis,* vel alterius impedimenti, ob quod praevideatur, se nunquam iam confiteri posse, ut morbus, periculum gravis partus, operationes chirurgicae, incursiones aereae, bellum etc. — c. Per se obligat probabiliter *aliquoties in vita* ob periculum relabendi in peccata. — d. *Per accidens* urget, quando gravis tentatio aliter superari nequit, vel si Sacramentum vivorum suscepturus non potest certo conteri contritione perfecta.

2°. *Praecepto ecclesiastico* urget confessio: inde a *Cone. Lateranensi IV.: a* Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata *saltem semel in anno* fideliter confiteatur proprio sacerdoti et iniunctam sibi poenitentiam studeat pro viribus adimplere » (Denz. 437). Similiter *Can. 906:* « Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis, i. e. ad usum rationis pervenerit, tenetur omnia peccata sua saltem semel in anno fideliter confiteri ». a. Hic ergo determinatur, quid sit « *annus discretionis* », usus rationis, circiter septimus aetatis annus, et non solum « proprio » sacerdoti, i. e. parocho, sed *cuilibet* potest confiteri « confessario legitime approbato etiam alius ritus, cui maluerit » (can. 905). — b. De tempore huius

obligationis nil edicitur; secundum auctores *tempus* potest determinari a Pascha unius anni ad alterum Pascha, in Pascha debet enim Eucharistiam sumere, usus ergo est, quod etiam confessio annua adiungitur huic alteri praecepto. Sed annus potest computari etiam annus civilis (a 1. jan. usque ad 31. dec.), vel a confessione uaque ad confessionem. — c. Huic « praecepto confitendi peccata non satisfacit, qui confessionem facit *sacrilegam,* vel voluntarie nullam » (can. 907). — d. luxta auctores hoc praeceptum *probabiliter non obligat illos,* qui tantum *venialia* commiserunt. Quod eruitur e verbis praecepti Ecclesiae: « *omnia* sua peccata » debet confiteri, atqui iuxta Thomam hoc « de venialibus intelligi non potest, quia nullus omnia confiteri potest; et secundum hoc ille qui non habet mortalia non tenetur ad confessionem venialium, sed sufficit ad praeceptum Ecclesiae implendum, ut se sacerdoti repraesentet et se ostendat absque conscientia mortalis esse » (Suppi, q. 6. a. 3. ad 3). Hoc incisum solet citari, sed eodem inciso allegatur etiam alia *sententia,* quae *verior* videtur: « Ex vi Sacramenti non tenetur aliquis venialia confiteri, sed *ex institutione Ecclesiae,* quando non habeat alia, quae confiteatur n. Et revera Ecclesia generatim « omnibus utriusque sexus fidelibus » dat *praeceptum indiscriminatim,* sed nullo modo potest dici Ecclesiam supponere hos fideles moraliter omnes habere peccata mortalia, ideoque obligari ad annuam confessionem. Sed quia sententia communiter recepta probabilitatem habet, sequi potest. — e. *Praecepto ecclesiastico* quoque urget confessio, si aliquis s. *communionem* vult recipere vel Missam celebrare. (Cfr. supra De SS. Euch. E. 3. b. I. Regula).

Corollarium II. De confessione ut est directio spiritualis.

Leibnitz optime dicit de confessario: « Considero confessarium pium, gravem et prudentem, ut instrumentum summi momenti pro salute animarum. Consilia eius enim inserviunt ad dirigendos nostros affectus, illuminant nos circa defectus, removent occasiones peccandi, dissipant nostra dubia, spiritum demissum relevant, tollunt vel mitigant morbos animae » (cit. Mazzarella, Dogm. IV, p. 388). Utilitas confessionis elucet etiam eo, quod confessio, si in ea fiat directio spiritualis, *plus valeat,* ac directio spiritualis extra confessionem exercita. vel psychoanalysis. Confessio enim est pars Sacramenti, et ideo his plus dicit.

1°. Revera confessio est *secundaria et accidentali modo psychoanalysis* eo sensu, quod occasionem dat homini ut se exoneret, totum patefaciendo se expromat (sich aussprechen, kibeszélje magat) et sic ad sanationem vitiorum suorum aptum se faciat. *Sed et in hac functione sua secundaria* confessio differt ab omni psychoanalyst nam confessio qua narratio peccatorum ad essentiam Sacramenti pertinet et sic patefactio et discussio sui quoque participes erunt entitatis sacramentalis.

2'. Omnis patefactio sui quidem etiam in conspectu Dei fit, propter eius omnipraesentiam, sed confessio sacramentalis *modo qualificato fit in conspectu Dei* Minister enim vice Christi exaudit eius confessionem; poenitens vero ad pedes Crucis, de qua omnis salus provenit, pandit animum et chirographum peccati infigit Cruci.

3'. Directio et moderatio spiritualis in confessione *alia prorsus medendi ratione* fit. ac in psychothcrapia. Peccatum enim omnino remittitur et sic omnino et unescere *potest e* conscientia poenitentis qui psychice normalis est; peccata enim haec iam non existant, nec unquam revertentur. — Praeterea

gratia sacramentalis poenitentem absolutum etiam *pro futuro* tuetur, vires enim accipit sanctificantes: « Peccata non puro homini concreduntur, sed ipso Deo, qui ea in corde recepta non modo suffert, sed vere aufert. Peccator ibi non so um admonitiones atque institutiones accipit, sed etiam vires sanctificantes lucratur » (M. Schmauss).

2. De proprietatibus confessionis.

Confessio debet esse: fidelis — secreta — vocalis — et integra. Quod sit coram sacerdote praesente, tractabitur in quaestione de forma Poenitentiae (Cf. inferius H. 2. b.).

a) Confessio fidelis seu vera.

Fidelitas confessionis secum portat veritatem; sincera enim debet esse peccatorum accusatio, ut confessarius qua index indicium suum ferre possit. Indicium hoc *alteratur per sequentia vitia* confitentis:

1°. *Si negat,* interrogatus a confessario, scienter peccatum mortale, vel circumstantiam speciem mutantem.

2°. *Si tegit,* i. e. reticet seu silentio opprimit materiam gravem, ex industria omittens peccatum mortale vel circumstantiam etc.; vel data opera gravia aliqua sic profert, ut a confessario non intelligatur.

3°. *Si mutat* materiam gravem, ita ut confessarius eam levem putet.

4°. *Si auget* materiam, ex industria gravia confitens, quae non commisit, vel numerum maiorem indicans peccatorum.

5°. *Si mentitur* in confessione, de qua optime Prümmer: « Si quis mentitur circa rem gravem necessario declarandam, committit grave sacrilegium. Mentiri autem in aliqua re, ‘quae ad confessionem non pertinet, est peccatum iuxta qualitatem materiae » (n. 364). Nunc non agitur de peccatis ex industria omissis (qui « tegit »), sed de mendacio facto in confessione, a. *Primo* ergo affertur casus, si quis *circa rem gravem* necessario declarandam mentitur, e. gr. peccatum recenter (ab ultima confessione) commissum mentitur esse *peccatum olim commissum,* vel dicit peccatum hoc iam remissum esse. Secundum aliquos auctores, praesertim *Noldin* (n. 283.) per se satisfacit obligationi integre confitendi etiam iste, « qui nova peccata cum antiquis commiscet, vel qui in confessione generali ad aliis peccatis non distinguit peccata mortalia ab ultima confessione commissa, etsi de industria id faciat ad dissimulandum tempus, quo peccatum commisit ». At recte affirmat *Prümmer* contra hanc sententiam, eam in praxim deducere esse periculosissimum, tali enim modo agendi confessarius tam graviter decipitur, quod indicium eius de statu praesenti poenitentis substantialiter alteretur, « ita ut *iam non possit indicare de statu praesenti* poenitentis » (n. 364.). Ceterum recentiores editiones Noldin iam « theoreticam » dicunt hanc sententiam cl. Noldin et adiungunt « fieri posse, ut confessarius iure interroget de tempore quo peccatum commissum fuerit ». At dicendum videtur, *nunquam* licitum esse mentiri in re tam gravi poenitenti. — b. Alter casus est, si quis circa *rem ad confessionem non pertinentem* mentiatur: tunc peccatum est grave vel leve iuxta qualitatem materiae. E. gr. uxor confitendo dicit de suo marito, eum esse graviter bibulum, etsi hoc verum non sit; hoc mendacio iam gravem calumniam committit, et propter hoc peccatum indisposite

accipiens absolutionem etiam sacrilegium, etiam si mendacium per se, utpote non pertinens ad confessionem, non esset sacrilegium.

h) Confessio secreta seu auricularis.

Γ. « Modus secrete confitendi soli sacerdoti non est alienus *ab institutione et mandato Christi,* nec est inventum humanum, definit Tridentinum (sess. XIV. can. 6). Christus *implicite* voluit, ut ita fiat confessio, eo fine, ut fideles ab ea non arceantur; ad hoc autem oportet confessionem secretam esse, qui enim vult finem, vult et media. Non contra, sed *praeter hoc mandatum* Christi habebatur in Ecclesia antiqua etiam confessio accidentaliter publica, inquantum crimina capitalia publice accusabantur.

2 . Quia confessio secreta est, nemo tenetur *per interpretem confiteri,* etsi S Thomas adhuc dixit, « in eo qui usum linguae non habet, sufficit, quod per scriptum vel nutum aut per interpretem confiteatur » (Suppi, q. 9. a. 3 ad 2). *Hodierna lex esi can. 903:* « Qui aliter confiteri non possunt, *non prohibentur, si velint,* per interpretem confiteri, praecavendo abusus et scandala, firmo praescripto can. 889, § 2. », ubi edicitur obligatio servandi sigillum etiam pro interprete. Tales ergo faciunt confessionem genericam, et necessarium non est, iuxta legem Ecclesiae, excogitare *intricatam methodum confitendi* per interpretem, ita ut nil experiatur e confessione, puta, quod confessarius interrogat poenitentem, interpres vertit quaestionem, poenitens autem per signum dat responsum, sed poenitentem interpres non videt, quia per cortinam aliquam separatus est ab eo (quam sagacitatem commendat Priimmer n. 365. et etiam Vermeersch-Creusen n. 542. a.).

c) Confessio vocalis.

Confessio debet esse vocalis, i. e. *fieri debet verbis,* in quantum hoc possibile est. Praeceptum hoc non ex iure divino, sed ex natura rei et consuetudine Ecclesiae ortum est.

Γ *Ex natura rei,* ut S. *Thomas* explicat: « Confessio secundum quod est pars Sacramenti, habet determinatum actum, sicut et alia Sacramenta habent determinatam materiam, et sicut in baptismo ad significandam interiorem ablutionem assumitur illud elementum *cuius est maximus usus* in abluendo, ita in actu Sacramenti *ad manifestandum* ordinarie assumitur ille actus, quo maxime consuevimus manifestare, sc. proprium verbum. Alii autem modi sunt in supplementum istius » (Suppi, q. 9. a. 3.). Hoc praeceptum quia non est divinum, ad *liceitatcm* requiritur; si ergo aliquis sine causa scripto confiteatur, valide quidem confiteretur, sed graviter peccaret, et ex hoc capite absolutio eius propter defectum dispositionis esset nulla; sed in praxi talis casus vix occurret.

2". Si autem aliquis *verbis se accuset,* dicens *se peccata in scripto* habita commisisse et de iis dolere, iam non esset confessio scripto facta; quod itaque admitti potest propter nimiam verecundiam, vel si quis malo gutturis laboret, vel confessarius surdaster non intelligeret poenitentem.

3 Aliqui putant, scripturam esse *medium extraordinarium,* ad quod itaque nemo tenetur, e. gr. mutus qui per verba non potest confessionem peragere, et quia insuper etiam periculum revelationis secreti secumfert (sic Noldin-IIeinzel n. 273 et Vermeersch-Creusen n 442. a.). Hoc negant alii (Aertnys-Damen n 302., Merkelbach n. 525. 3'., Priimmer n. 365). Sententia negans dicitur

communis et probabilior, « regulariter loquendo, nam mutorum est *medium ordinarium* communicandi aliis (scriptura), neque ordinarie subiacet probabili periculo manifestationis, quippe quod facile caveri possit ut testatur experientia» (Aertnys-Damen). Sed quia sententia opposita probabilitate non caret et agitur de praecepto ecclesiastico, tuto sequi potest.

d) Confessio integra.

Quarta proprietas confessionis est gravissima inter omnes: nimirum integritas confessionis, quae ideo enucleate tractanda est.

I. Notio integritatis.

Integritas potest esse materialis et formalis et consistit in eo, quod *tota* materia necessaria confessionis *eidem* confessario subjiciuntur.

1°. *Integritas materialis* habetur, si absolute manifestantur omnia mortalia nondum remissa et debite non accusata. Haec integritas confessionis materialis est ergo integritas *obiectiva:* omnia quae revera acciderunt, accusantur. Haec integritas non potest semper ab omnibus servari.

2°. Alia est *integritas formalis,* seu *subiectiva,* quando nimirum omnia mortalia etc. accusantur, quae moraliter possunt et debent accusari. E. gr. si quis e quinque peccatis gravibus unius oblitus est, non habetur integritas materialis, sed habetur integritas formalis. Si autem aliquis omnia mortalia sua confiteretur, sed *unum veniale* — puta mendacium — *reputatis esse mortale,* scienter reticeret, tunc haberetur integritas quidem materialis, sed non formalis et confessio eius esset sacrilega et nulla.

3°. Ad confessionem *requiritur* ut patet, *integritas formalis* seu subiectiva: nam talis confitetur « omnia mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habet » (Trident.). Integritas formalis deficere potest tum e parte confessarii, tum e parte materiae remotae, i. e. peccatorum.

II. Integritas quoad confessarium.

Ut iudicium iustum sit, unus debet esse index, confessio ergo *eidem* debet confessario fieri. *Invalidum* ergo esset confiteri *dimidiam materiam* uni, dimidiam alteri confessario. Sed si quis *mortalia uni* confiteretur et rite absolutionem accepisset, potest tunc *venialia* sua *alteri,* puta confessario ordinario confiteri, qui putat hanc esse confessionem solitam. Factum confessionis non tenetur declarare poenitens. Clarum est *non posse* fieri, quod prius ordinario confessario solum venialia, et *dein tantum* mortalia alteri accusaret, quod esset actio sacrilega. Confessarius « nunquam curiose inquirat de confessione alibi facta, nec ostendat sibi displicere, si poenitens alteri sacerdoti confessus sit » (Priimmer n. 364.).

III. Integritas quoad materiam.

Est ea, quae intenditur, inquantum possibilis est. Ut confessio integra sit, requiritur, ut tota materia necessaria clavibus Ecclesiae subiiciatur, ergo omnia mortalia nondum remissa, vel debite non accusata, et quidem ut omnia et singula sint peccata: secundum speciem et circumstantias speciem mutantes et numerum.

1. *Omnia mortalia peccata* accusari debent nondum remissa et debite nondum accusata, de qua quaestione iam tractatum est (supra C. 2.).

2. *Secundum speciem et quidem infimam* debent peccata accusari. *Adversatur* huic confessioni secundum speciem factae *confessio generica,* de qua iam actum est superius (C. 2. c.). Sufficiat monitum sapiens cl. *Prümmei* describere: « Aliquando moraliter impossibile est a poenitentibus parum instructis sciscitari infimam speciem peccatorum praesertim internorum. Non enim distinguere valent e. gr. inter delectationem morosam, gaudium et desiderium, vel inter verba obscoena et verba solum sordida. Jamvero in istis casibus confessarius abstineat ad interrogationibus inopportunis, quippe quae ad nihilum utiles sint, et potius poenitentes perturbent aut taedio afficiant » (n. 367). Idem valet *de exacto numero* istorum peccatorum sciscitando. Nam, ut S. Alphonsus recte animadvertit, poenitentes tales tunc respondent, quicquid in « buccam » venit (n. 367).

3°. *Ad speciem pertinent etiam circumstantiae speciem mutantes,* quod dare edicitur *a Tridentino:* « Colligitur praeterea, etiam eas circumstantias in confessione explicandas esse, quae speciem peccati mutant, quod sine illis peccata ipsa neque a poenitentibus integre exponantur, nec indicibus innotescant » (sess. XIV. cp. 5, Denz. 899. et can. 7. Denz« 917). Ratio est, quod omnia peccata mortalia in specie sunt accusanda, sed *circumstantia, quae novam malitiam addit* contra alteram virtutem alicui peccato, *novum peccatum gignit,* ideo vocatur circumstantia speciem mutans. Pronum est, hanc circumstantiam debere esse gravem, ut accusari debeat. *Exempla* sunt: si aliquis parentes percusserit, laesio non solum contra V. praeceptum, sed etiam contra IV. praeceptum Decalogi habetur; similiter, si peccatum fit contra castitatem a sacerdote, vel cum sacerdote; si aliquis scandalum dat, qui ratione officii bonum deberet praebere exemplum, ut parochus; peccatum turpe cum persona consanguinea vel affine (incestus).

1. *Circumstantiae aggravantes per se* non, sed *per accidens* debent accusari. *Aggravantes* sunt, quae novam non addentes malitiam actui peccaminoso, ideo nullo modo mutant speciem moralem eius, sed *mutant speciem theologicam,* vel *augent* malitiam gravem intra eiusdem speciem theologicam. Circumstantia illa aggravans, quae mutet speciem theologicam, i. e. *e peccato levi facit grave* eiusdem generis, puta si (piis non materiam levem furetur, sed materiam gravem, hoc confiteri debet; non quidem propter circumstantiam, sed ideo, quia peccatum grave habetur.

a. *Circumstantia mere aggravans,* intra speciem theologicam, i. e. si peccatum iam grace gravius· fit, *non debet accusari: per se.* (1) Hoc manifestum est e *Tridentino* et Can. 901. quae solummodo de circumstantiis peccati speciem mutantibus loquuntur. — (2) Nunc iam sententia opposita Suarez, Billuart, Concma et aliorum relicta est. et sententia negans confessionem circumstantiarum aggravantium necessariam esse, fere communis evasit, quam iam S. *Thomas* (canit «Circumstantias aggravantes, quae in aliud peccati genus non trahunt, non tenetur homo confiteri, sicut nec peccata venialia, licet laudabile sit, quod '.('mu t a confiteatur » (Opusc. 11. ad lector. Bisuntinum qu. 6. ed. Paris, Fretté ›| 27 p 265). — (3) Valde magna esset difficultas decidendi, quando et quo gradu habetur circumstantia mere aggravans et reapse « carnificinam » faceret ‹ confessione.

b. *Per accidens* vero debent etiam *circumstantiae aggravantes* accusari in confessione, his rationibus: (1) *Ratione reservations* potest confessio circumstantiae aggravantis obligatoria esse, si haec circumstantia praecise reservata sit ratione censurae ei adiectae. Sic e. gr. *percussio sacerdotis* habet in se malitiam peccati contra V. praeceptum et sacrilegii personalis, si vero percussus sit *Cardinalis,* haec circumstantia per se aggravans debet confiteri, nam S. Sedi specialiter reservata est. — (2) *Ratione consuetudinis,* quae per se est circumstantia aggravans, tamen confessario interroganti de consuetudine debet eam fateri, iuxta propositionem damnatam ab Innocentio XL: « Non tenemur confessario interroganti fateri peccati alicuius consuetudinem » (Denz. 1208). — (3) *Ratione occasionis proximae* debet poenitens confessario interroganti veritatem pandere, e. gr. num quinque peccata fornicationis *cum diversis personis, vel cum eadem* commiserit, tenetur enim occasionem proximam vitare. — (4) *Ratione reparationis e.* gr. damni illati, debet accusari circumstantia notabiliter aggravans, nam aliter debet indicari casus furti materiae per se absolute gravis, unius aurei, vel furtum centum aureorum.

5°. *Peccata gravia accusari debent etiam secundum numerum,* etenim secundum Tridentinum et Can. 901: «Omnia et singula peccata ⁊ confiteri debent.

a. *Non* satisfaciunt ergo confitentes se « *aliquoties* » peccata luxuriae commisisse, « *saepe* » in Deum blasphemias protulisse etc., nam inquantum possibile est, debent peccatorum numerum indicare.

b. Si non recordentur numeri certi, debent numerum *approximativum* eruere, addita particula « *circiter* », quae *inde a* S. *Alphonso* (Th. Moral. VI, ⁊. 466) sic determinatur:

circiter 5 = 4-6
circiter 10 = 8-12
circiter 20 = 17-23
circiter 40 = 35-45
circiter 100 = 94-106
cire, mille = 950-1050.

lure dicit Vermeersch-Creusen, quod « haec *non sunt rigorose sumenda,* verum prudentis arbitrio reliquenda » (n. 538, 2); vix enim in praxi aliquis invenitur, qui tali intricato modo possit numerum indicare.

c. Ideo omnes auctores commendant *alterum modum numerum exprimendi* secundum *circumstantias* peccatorum iuxta eundem S. Alphonsum, indicando *consuetudinem et tempus frequentiae,* item *statum suum.* Sic sufficit dicere, imo et melius est ad congnoscendam causam, si dicitur: peccatum luxuriae commissum esse inde a mense bis vel semel *per hebdomadam,* ante hoc tempus semel circiter in mense cum personis diversis. Si vero *status* poenitentis cognoscitur, hoc sufficit, e. gr. si *meretrix* converti volens dicat se per quinque annos in meretricio vitam duxisse et cum omnibus indiscriminatiin peccasse. Vel si quis confiteatur, se per tres annos *in concubinatu* vixisse, extra hoc cum alia non peccasse etc. Vel si quis *peccatis internis* luxuriae (« Binnenerotik ») indulgens declaret, se mares et feminas, etiam cognatas, sacras, coniugatas concupivisse (Noldin-Heinzel n. 277, Priimmer n. 368., Merkelbach n. 522. B.) Imo Vermeersch-Creusen sapienter dicit, « quando reatus est *tantum in neglegentia,* quae causa est, ob quam servatur consuetudo v. g. blasphemiarum, *de harum*

numero non est habenda *sollicitudo,* namque singulae sunt tantum peccata materialia ▮ (n. .538. 2.).

Π'. Causae excusantes ab integritate confessionis.

Tales causae haberi debent, nam Christus voluit confessionis integritatem, in quantum ea possibilis est, noluitque impossibile, ad quod nemo tenetur; itaque noluit propter confessionis integrae impossibilitatem per accidens consecutam aliquem damnari remissionem peccatorum non consequendo. *Tres fontes sunt, e* quibus integritas confessionis propter causam gravem impossibilis fit: ignorantia, impotentia physica, impotentia moralis.

1°. *Ignorantia* quoad integritatem confessionis potest esse vel ignorantia *invincibilis,* si quis praeter suam culpam non est adeo instructus, ut peccata adamussim secundum speciem infimam cognoscat; vel *oblivio* alicuius peccati gravis, etsi diligentem instituerit sui discussionem. Tali in casu secundum doctrinam Ecclesiae ad integritatem non obligatur: « Reliqua peccata, quae diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eadem confessione inclusa esse intelliguntur » (cp. 5. Denz. 900). Talis oblivio potest esse *originis somaticae,* e. gr. fieri potest propter « statum lacunarem » ex arteriosclerosi provenientem. Clarum est talem committere nullum peccatum, etsi peccatorum gravium oblitus sit. — Etiam iste omni culpa vacat, qui ideo oblitus est peccatorum anteactae vitae, quia per decennia neglexit confessionem: si veram habet contritionem, defectus ex hac negligentia exorti iam non computantur; naturaliter enim sequuntur culpam neglegentiae, ob quam iam dolorem habet.

2°. *Impotentia physica.* Habetur, si integritas confessionis materialis physice impossibilis facta est. Tales causae tres habentur:

a. *Defectus virium,* si quis iam adeo debilis sit, ut loqui non possit, vel solummodo aliqua verba proferre, talis quantum potest ad hoc tantum tenetur et absolvi debet. Imo si praevideatur vel monito medici vel infirmarii compertum sit, aegrotum mox viribus esse defecturum, valide et licite absolvi debet, etsi tantum aliquid confessus sit.

b. *Defectus loquelae* quoque excusat, ideo poenitens *mutus* nutibus, vel ad interrogationes debet confiteri, quantum potest. Similiter si *surdus* sit sive poenitens. sive confessarius — qui *per se* non debet confessiones excipere — habetur etiam impossibilitas physica. Talis poenitens omnino surdus accuset se de peccatis, et confessarius non tenetur eum interrogare, imo, si periculum extet violandi sigilli, nec licet. Quod *surdastros* attinet, ducendi sunt in locum remotiorem ad confessiones surdastrorum destinatum, puta in aliquam cameram ad Sacristiam pertinentem, si hoc commode fieri potest. Surdaster enim saepe offenditur putans « se non esse surdum », et absterreri potest a confessione, vel alii in suspicionem possunt venire, quod de gravibus agitur, nam ducitur e confessionali in alium locum. Ideo « si confessarius poenitentis surditatem in progressu confessionis tandem advertit, caveat, ne ei alta voce iniungat, ut alio tempore redeat, quia hoc modo adstantes iudicare possent poenitentem gravioris peccati reum esse ». Econtra. si « statim ducit ad locum pro confessione surdorum destinatum, nihil aliud in hoc casu adstantes indicant, quam pocnitrnt< m ‹ sse surdum » (Noldin-Heinzcl n. 285, 2.). Num scripto confiteri debent, cf sup nus 2 c. — Huc pertinent etiam *ignari idiomatis,* de quibus iam dictum est. non teneri confiteri per interpretem (supra 2. b.).

c. *Defectus temporis,* item non ob morbum proveniens, de quo iam egimus sub a., sed *si tempus* ex aliis causis *non sufficiat* ad confessionem integram audiendam *et simul periculum sit mortis.* Ideo non possunt absolvi poenitentes « dimidiate tantum confessi, in die magnae festivitatis aut indulgentiae » (Prop. 59. damnata a B. Innocentio XI. Denz. 1209.). Sed possunt milites absolvi ante pugnam, fideles tempore incursionis hostilis, praesertim aereae, navigantes in naufragio, aegroti simul iacentes tempore morbi contagiosi (« pestilentiae d); ad quod referri potest casus ob peculiaria adiuncta, si sacerdos tantum clam posset confessionem alicuius aegroti sive in nosocomio publico, sive etiam alibi audire, quia impediretur, si detegatur. Talibus in casibus sive singulariter audiantur aliqui, sive turmatim absolvantur, absolutio valida et licita, imo praecepta est. *Instructio* S. *Poenitentiariae 25. Mart. 1944.* normas dat pro tali absolutione. (1) Sacerdotes, ut licite insimul absolvantur, *aci Ordinarium* debent recurrere, si id possibile sit. — (2) Ante absolutionem impertiendam sacerdos moneat, ut quisquis eliciat *contritionem;* convenit, ut hoc etiam *signo* aliquo manifestent e. gr. pectus percutiendo, item necessarium esse peccata rite non accusata in confessione proxime suscipienda declarare. — (3) *Instruantur* fideles, graviter eos prohiberi, ne divino vel ecclesiastico urgente praecepto (e. gr. ante communionem) de peccatis mortalibus confitendis, huic obligationi declinent, occasionem expectantes, qua absolutio turmatim detur (AAS 1944, 155-156.).

3°. *Impotentia moralis* integrae confessionis habetur, si haec integritas ob incommodum grave moraliter impossibilis evadat. Quia impotentia moralis non sit physica, quae integritatem simpliciter impossibilem faciat, ideo bene *perpendendae sunt conditiones,* ut tale morale impedimentum statui possit. Nam tunc tantum agitur de incommodo gravi, si: a. *non sit copia confessarii.* i. e. si alius non potest haberi, apud quem confessio non integra fieri possit; — b. si confessio sit *necessaria* nec differri possit; — c. si incommodum sit *confessioni externum,* nam incommodum internum, puta verecundia pudoris non excusat ab integritate. Externum est incommodum, si e peculiaribus circumstandis oriatur, sive poenitenti, sive confessario, sive tertiae personae.

4°. Ceterum *sex causae* assignari solent *impotentiam moralem involventes:*

a. *Periculum vitae,* si tempore contagionis vel persecutionis confessarii vita periclitaretur confessionem prolixam audiendo; vel tertii vita periclitaretur, in cuius hospitio confessio fiat.

b. *Periculum famae,* si poenitentes *tam arcte sint* sive prope confessionale, sive ob aliquod infortunium prope se invicem iacentes, ut alii quoque peccata audire possint. *Alter casus* possibilis est, si e confessionis prolixitate *concludere* possint circumstantes, agi de peccatis gravioribus, sic e. gr. si sacerdos mox celebraturus casum intricatum circa graviora peccata confiteri deberet. Similiter si medicus adesse debet vel infirmarius prope vulneratum vel parturientem etc.

c. *Periculum violationis sigilli,* si poenitens timere iure potest, sacerdotem qui adeo *elata voce* loquitur, quod de confessis peccatis gravibus loquens, prodat peccata audita; vel si, ut Lehmkuhl profert casum, *vicarius* cohabitans cum parocho valde magnum peccatum luxuriae confiteri deberet parocho, de quo merito timet, ne scientia e confessione hausta abutatur et ipsum male tractaturus sit (Lehmkuhl, Casus conscientiae II. n. 157., cui assentitur Priimmer n. 380, 4).

d. *Periculum damni spiritualis,* sive poenitentis, sive confessarii, tum scandali, tum lapsus. Periculum *scandali* haberetur, si pater deberet apud filium,

vel \merandus parochus inveni vicario cooperatori peccata probrosa contra castitatem confiteri (sic Génicot et Priimmer n. 380, 3). — Periculum *lapsus* posset timeri, si integra *confessio sive* poenitentem, sive confessarium in periculum peccandi induceret; sic e. gr. si mulier non potest confiteri, nisi apud sacerdotem quem certo scit esse valde proclivem ad luxuriam et timeat periculum peccandi, potest tale peccatum omittere (Noldin-IIeinzel n. 286. 3. a.). Item si poenitens ob notam suam fragilitatem timeat, se peccaturum fore, potest se obiter tantum examinare quoad peccata contra castitatem. — Idem de confessario, qui interrogando de materia contra sextum timet vel sibi vel poenitenti valde probabile periculum peccandi, quod iuxta Mcrkelbach sane rarissime occurrit (n. 525. C. 4.).

e. *Periculum damni temporalis* potest esse corporale damnum, vel psychicum. *Damnum corporale* timetur, si confessarius contagionem periculosam posset contrahere e prolixa confessione, tunc satis erit unum alterumve peccatum audire et poenitentem absolvere, sed *si confessarius paratus* sit periculum damni corporalis obire, poenitens ad integritatem tenetur. Item si poenitens e gravi morbo decumbens integram confessionem tantum cum periculo damnificationis corporalis posset peragere, ad hoc non tenetur (Acrtnys-Damen n. 303, 5). — *Damnum psychicum* timetur iure meritoque penes scrupulosos et psychasthenicos, qui excusari possunt ab examine prolixo conscientiae, et etiam ab integritate, quia semper magis in suo morbo obstinantur (Schollig p. 312-318). Ideo recte prohibentur repetere confessiones priores, etsi nonnulla peccata ex oblivione omitterent; item iure vetanda est iis examinatio diuturna, « ne enim ex suis anxietatibus grave damnum capiant, integritatem confessionis negligere possunt» (Noldin-IIeinzel n. 286, 4).

f. *Periculum manifestandi complicem vel alteram personam non omnimodo excusat* ab integritate.

(1) *Non licet:* cum manifestatione complicis confiteri peccata iam *semel remissa, e* devotione, e. gr. quod peccatum homosexuale commisit cum fratre gemello, vel luxuriam cum sorore. Nec licet *veniale* accusare commissum ob peccatum grave alterius personae, e. gr. querelas invectivas propter iniustam damnificationem alterius, cuius persona cognita fieret.

(2) *Non licet:* confessario ullo modo *inquirere in complicem.* Post gravia decreta Benedicti XIV. (1745-46) statuit etiam *Can. 888, 2.:* « ... caveat omnino, ne complicis nomen inquirat ». *Formalis* ergo, seu *directa* inquisitio complicis semper stricte prohibetur; graviter peccaret confessarius, et ab Ordinario potest puniri poenis ferendae sententiae.

(3) Non *licet manifestare* personam complicis vel alterius personae, si hoc necessarium non sit ad peccati speciem infimam declarandam; et si pocnitentes hoc facere vellent, confessarius debet hoc prohibere.

(4) *Licet peccatum confiteri* quod secumportat revelationem personae complicis secundum S. *Thornam* dicentem: « Si speciem peccati exprimere non possit, nisi exprimendo personam, cum qua peccavit, puta si cum sorore concubuit, ncccsse est. ut exprimendo peccati speciem, exprimat personam. Sed si fieri potest, debet quaerere talem confessorem, qui personam sororis penitus non cognoscat » lOpusc. 12. ad lectorem Bisuntinum. q. 6.). Sic quoque S. *Alphonsus* Λ l n 189), qui dicit periculum famae quod complex patitur apud confessarium non excusare ab obligatione integre confitendi; poenitentem ergo obligatum

esse ad confitendum peccatum etiam cum manifestatione complicis. — Sed quia ista sententia exclusiva non sit, et sententia opposita aliter opinatur:

(5) *Licet: peccatum* quod secumportet revelationem personae complicis *etiam reticere,* sic Cano, Petrus de Soto, Ledesma, de Lugo, Busenbaum et alii. Ideo iure dicitur, quod quia sententia haec probabilitate saltem externa non caret, potest confessarius eam in praxi sequi (Noldin-IIeinzel n. 287. d.), « ac proinde si quis eam sequi vellet, non est inquietandus » (Priimmer n. 381, cf. Vermeersch-Creusen n. 543).

(6) *Licet: confessorio indirecte inquirere* in *personam* complicis eo, quod directe in speciem peccati inquirit, haec enim inquisitio tantum materialis est, et revelatio peccati alterius vetita est, si sine iusta causa fiat, at hic habetur iusta causa: confessionis integritas, moderatio animae poenitentis.

Corollarium. De bono communi in confessione promovendo.

Potest fieri, quod confessarius e confessione comperit, in aliqua communitate (e. gr. convictu, gymnasio etc.) aliquem corrumpere iuventutem, sive persona adhuc iuvenilis hoc faciat, inducendo e. gr. ad masturbationem vel peccata luxuriae, sive persona iam adulta sit, e. gr. inducens ad paederastiam. In hoc casu potest poenitentem etiam sub poena denegatae absolutionis obligare, ut *extra confessionem* denuntiet corruptorem Superioribus, patri, domino, magistro, praefecto etc. Si ipse sit Superior, vel poenitens nollet manifestare rem alteri, etiam ipse potest denuntiationem excipere, sed *extra* confessionem, quamvis « generatim denuntiatio per confessarium non expedit » (Merkelbach n. 526. 3. c.).

3. De examine conscientiae.

Medium ad procurandam integritatem confessionis est examen conscientiae, quae fit per diligentem sui discussionem. Contritio et confessio una cum satisfactione sunt partes, ut nos putamus, *essentiales* Poenitentiae, sunt enim omnes tres actus virtutis Poenitentiae, qui elevantur ad ordinem supernaturalem et fiunt quasi-materia Poenitentiae, ut est Sacramentum. Tali modo examen conscientiae non est pars Sacramenti, sed est conditio ad confessionem, quae sine hoc medio plerumque non posset esse integra. Ut *Tridentinum* dicit, « constat nihil aliud in Ecclesia a poenitentibus exigi, quam ut, postquam quisque *diligentius* se excusserit et conscientiae suae sinus omnes et latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum et Deum suum mortaliter offendisse meminerit » (sess. XIV, cp. 5. Denz. 900).

a) Examen est relative necessarium,

inquantum nempe integritatem confessionis promovet. *Per accidens* non est necessarium, si quis frequenter confitetur et certus est se venialia tantum commisisse, etsi ad profectum in vita spirituali etiam in tali casu brevis discussio sui consulitur. Si quis vero mortalia se habere intelligit, *discussio diligens* necessaria est, nam confessionis integritas ab ea dependet. Sicque contingere potest, quod aliquis propter neglegentem discussionem suiipsius omittit confiteri mortalia, quae omissio voluntaria est in causa, ideoque graviter culpabilis, ita ut talis confessio, vel etiam plures, iterandae essent.

b) « Diligens » et « diligentior »

debet esse haec discussio, quae diligentia dimetienda est iuxta *tempus* et *qualitates* poenitentium.

1 *luxta tempus* confessionis: qui per longius tempus non suscepit Poenitentiam, per longius tempus se praeparare debet, quam qui per hebdomadas confiteri solitus est.

2®. *luxta qualitates* poenitentium: *rudes* propter eorum condicionem non tenentur ad talem diligentiam, quam homines culti et instructi. « Unde homo nidis veniens in confessionale sine sufficienti examine conscientiae non est dimittendus, sed adiuvandus ab ipso confessario. Nam si dimitteretur, aut animum desponderet et forsan non rediret amplius, aut, si rediret, effectus examinis peracti vix esset melior. Quapropter tunc ipse confessarius paucis, sed bene aptis quaestionibus positis adiuvet poenitentem in examine peragendo » (Priimmer n. 384).

3°. Poenitentes vero *instructi,* si deprehendatur, quod sine praeparatione ad confessionem accesserint, dimitti possunt, ut examen faciant diligentius, sed modo, quo *Catechismus Romanus* id praescribit: « Si sacerdos huiusmodi homines prorsus imparatos cognoverit, humanissimis verbis a se dimittat hortabiturque, ut ad cogitanda peccata aliquod spatium sumant, ac deinde revertantur. Quod si forte affirmaverint, se in eam rem omne studium contulisse, quoniam sacerdoti maxime verendum est, ne semel dimissi amplius non redeant, audiendi erunt, praesertim si emendandae vitae studium aliquod prae se ferant, adducique possint, ut negligentiam suam accusent, quam se alio tempore accurata meditatione compensare permittant » (II. c. 5. qu. 60.).

c) « Discussio n

debet institui, i. e. perscrutatio, examinatio « quoad omnes sinus et latebras conscientiae ». Quae verba extollunt, quod peccata possunt latere fugereque alicuius conscientiam, ideoque *recta methodus* adhibenda est.

1°. Commendari potest ea, quam *Catech. Cath.* profert: «Conscientiae examen ita est peragendum, ut poenitens, implorato Dei auxilio, diligenter in memoriam revocet peccata, quae cogitatione, verbo, opere vel omissione, contra *mandata Dei et Ecclesiae et contra officia proprii status* admiserit » (qu. 425). Methodus haec, peccata inquirere ad tramitem mandatorum Dei, sub quo Decalogus intelligitur, vetustissima est, et pro plurimis facillima. Etsi Decalogus e Veteri Lege originem ducat quoad formam, tamen continet praecepta legis naturae, sicque optime intelligi potest.

2°. Examinatio fieri potest etiam recogitando obligationes *secundum systema virtutum:* virtutes theologicas, morales, sed hoc non pro omnibus commendari potest.

3°. Adhiberi potest etiam schema: *Obligationes erga Deum,* erga *nosmetipsos,* erga *proximos,* ad quod idem dicendum ac ad schema praecedens. Libelli precum ct libri devotionum, item etiam aliqui auctores Moralistae concinnabant sicdictum *Catalogum* peccatorum, seu « Speculum confessionis, vel spirituale ».

4°. Si peccata iam inventa sint, non *debent conscribi,* sicut antiquiore tempore commendabatur. Quod *praeceptum,* ut patet, nunquam fuit, permulti enim poenitentes difficulter scribunt, ut pueri, vel rudes. Sed et si quis scribere queat, non potest dici, scripturam hodie iam esse medium ordinarium — ut Priimmer l. c. — etsi hoc verum sit pro multis regionibus terrae, hoc enim quaeritur, num in *ordine ad confessionem* sitne scriptura medium ordinarium. Nec qui h ' affrrnant. audent dicere, peccatorum descriptionem posse esse *per se* obliga-

toriarn. Num *per accidens,* quando quis facile potest scribere peccata et valde obliviosus est, disputari potest. Sed quia sententia certa non habetur, nec tali in casu potest sermo esse de vera obligatione.

4. De iteratione confessionis.

Praeter examen conscientiae aliud medium procurandae integritatis est iteratio confessionis. Iteratio *debet* fieri in aliquibus casibus, *potest* fieri ex utilitate spirituali vel devotione.

a) Debet iterari partialiter,

ii *confessio incompleta fuerit.*

1°. Aliud est enim *confessio invalida,* quae potest esse invalida propter defectum ex parte poenitentis, vel — raro quidem — ob defectum aliquem e parte confessarii. Aliud autem est *confessio incojnpleta,* quando confessio valida est, sed defectus aliquis suppleri debet. Talis defectus, qui suppleri possit, e parte contritionis (et ut patet propositi in ea conclusi) non existit, sed solummodo in confessione inveniri potest: in oblivione inculpabili peccati mortalis, vel circumstantiae speciem mutantis vel erroris circa numerum mortalium.

2°. Sic si aliquis deprehenderit, se oblitum esse aliquod mortale peccatum confiteri, et probe scit se diligens examen peregisse, *non debet statim confiteri,* potest ad sacram communionem accedere etiam pluries, et in sequenti suscipienda confessione declarare se talis peccati gravis oblitum esse. Similiter si oblitus esset se accusare de circumstantia speciem mutante, vel si errasset circa numerum, et postea deprehenderit numerum verum peccatorum gravium notabiliter maiorem esse numero eorum accusato.

b) Debet totaliter iterari

confessio *invalida* ob defectum ex parte confessarii vel poenitentis.

1°. Quod defectum *ex parte confessarii* adtinet, poenitens in pluribus casibus nihil scit de talibus, ergo ad nihil tenetur: puta si confessarius sine jurisdictione audierit confessionem, vel si — rarus casus — non intenderet absolvere. Si sacerdos nullum peccatum intellexit, quia dormivit intra confessionem: *si poenitens hoc adverterit,* tenetur confiteri peccata gravia in sequenti confessione, quia absolutio fuerit invalida, nec potest s. communionem sumere, si iam ante communionem hoc adverterit. *Si vero nihil scit* de tali defectu ex parte confessarii, « pie creditur, tunc poenitentem, qui est in bona fide, gratiam sanctificantem obtinere per contritionem, quam auxiliante divina gratia, aut mediante s. communione eliciet » (sic Priimmer n. 387), et adiiciendum censemus, s. communionem iustificare etiam poenitentem invalide absolutum, qui cum attritione solum confessus fuerit, et bona fide post attritionem in statu adhuc peccati mortalis exsistens, sed cum bona fide absolutionis acceptae accesserit ad s. communionem.

2°. Defectus *ex parte poenitentis* iuvat enumerare:

a. Defectus in examine conscientiae, propter quod gravia oblitus est confiteri: *negligentia.*

b. Defectus veri doloris vel carentis propositi veri: *impoenitentia.*

c. Defectus *in confessione, si:* negat — tegit — mutat — auget — peccatum grave, vel circumstantiam speciem mutantem vel numerum, — si mentitur in *confessione* iuxta normas expositas: *mala confessio.*

d. *Qua nonna generalis* prae oculis habendum est, tantum illos defectus ex enumeratis causare invaliditatem, qui scienter commissi sint. Si ergo aliquis post instructionem uberiorem, puta post peractum cursum s. theologiae, deprehenderit, aliquas confessiones aetatis iuvenilis fuisse invalidas propter defectum contritionis, sed tunc ne cogitaverit de tali defectu, vel multo magis, si de peccatis aliquibus tantum postea rescriverit ea peccata gravia fuisse: ad nihil tenetur, nam in confessionibus et Sacramentis postea bona fide susceptis justificatus est, et in tali casu nihil debet supplere.

c) Potest iterari

confessio sive *partialiter* sive *totaliter e devotione* propter maximam eius utilitatem spiritualem, quam extollit Benedictus XIV., dicendo: « Conscientiarum moderatores uno ore conveniunt multam ex generalium confessionum usu percipi utilitatem » (Const. Apost. 1749. Noldin-Heinzel n. 424.). *Utilitas* haec perspicaciter deprehenditur in profundiore *cognitione* suiipsius, quae fructus est salutaris « autocriticae »; *contritionis* intensitas crescit et augetur; *propositum* potest concipi firmius et efficacius; *amor spei* et etiam *amicitiae* in Deum suaviter exoriuntur in anima, quae vitae suae vias considerando videt « suam humanam fragilitatem tam proclivem fuisse ad labendum, tam pronam ad offensam », dum ccontra « Deus, humilium consolator, semper animam reparavit ad veniam » (Gelasianum III, XXXVI Wilson p. 253).

d) Confessio generalis

non est confundenda cum confessione *generica,* (cf. supra C. 2. c. 3°) et definitur *repetitio anteactarum confessionum.* Potest esse *partialis,* si tantum aliquae confessiones repetantur, et *totalis,* si omnes confessiones anteactae vitae repetantur. Utraque potest esse *libera,* vel *obligatoria.* Confessio *generalis libera* quae *ex devotione fit,* commendatur sequentibus casibus:

1°. Iis *qui dubitant* de valore confessionum aliquarum vel etiam totius anteactae vitae, si haec dubitatio fundata sit; imo etiam scrupulosis permitti potest confessio generalis *semel,* dein arcendi sunt ab iteratione, quae ipsis tantum nociva esset.

2°. Iis, qui *diu in occasionibus* proximis liberis et in *consuetudine peccatorum* vitam transegerunt, nunc autem converti vellent, suadetur confessio generalis inde a contracta consuetudine, vel tempore occasionis proximae.

3'. Tempore *missionum et exercitiorum* (seriorum) commendatur iteratio confessionum a tempore exercitiorum ultimorum.

Γ. Generalis confessio totalis, i. e. anteactae vitae optima est iis, qui *novam vitae rationem* ingrediuntur. Praeprimis ipsa Ecclesia vult, ut « *postulantes,* antequam novitiatum incipiant... iuxta prudens confessarii indicium praemittant generalem anteactae vitae confessionem » (can. 541.). — His annumerari possunt — confessionem talem generalem vitae anteactae suadendo — Seminarium ingredientes, post prima exercita spiritualia, omnes *ordinem sacrum* suscipiendi, yporui matrimonium contrahentes, viduae in statu honestae *viduitatis* permanere cupientes, *milites* vel captivi ante vel post bellum etc.

5°. Praesertim *in mortis periculo* talis confessio generalis consulenda erit, ut quiete expectare possint revelationem gloriae Dei, si vires infirmi non nimis deficiant.

c) Regulae pro poenitente,

qui confessionem generalem instituit:

1° Etsi integritas non sit necessaria in confessione generali libera, tamen commendatur *magna diligentia,* ut integra confessio fiat: tum salutaris rubor confusionis, tum cognitio vera suiipsius, tum pax optata animae sic tantum plene consequi possunt.

2°. Ideo etiam exhortari debent tales poenitentes, ut accurate se praeparent. *per spatium maius* ac ad confessionem consuetam, sunt qui etiam commendant, ut « per aliquot dies, in quantum negotia diurna id permiserint, in examinanda conscientia, in recogitandis et detestandis peccatis, praesertim vero in crebris orationibus, quibus veram conversionem implorent, occupentur» (Noldin-Heinzel n. 425, 3).

3°. Si confessio generalis *necessaria videtur,* assignatur primo ultima confessio certe valida, dein additur, quoties ad Sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae accedere solitus sit, et num etiam aliud Sacramentum susceperit.

4° Si vero *omnino libera* fuerit generalis confessio, poenitens prae oculis habeat, non tam integritatem confessionis esse rem maximi momenti, sed *claram recognitionem status animae,* contritionis et efficacis propositi concipiendi momentum praeponderare ceteris (Schollig p. 150, 3).

f) Regulae pro confessario

generalem confessionem excepturo:

1°. Libenter excipiat semper confessionem generalem, sed *neminem importune necessitet* ad eam, si non sit necessaria, « quia confessio generalis non libenter acceptata solet potius obesse, quam prodesse. Quapropter illi confessarii male agunt, quoties novum poenitentem nanciscumtur, statim vel mox illum impellunt ad generalem confessionem peragendam, quasi necessariam ad eum in vita spirituali rite dirigendum. Exspectet igitur confessarius, usquedum ipse poenitens desiderium exprimat peragendi confessionem generalem » (Priimmer n. 389.).

2°. Confessarius investiget, *cur vult* poenitens instituere confessionem generalem. Si cognoscat causam petitionis fuisse *anxietatem* animae incertamque inquietudinem, et praesertim, si poenitens iam saepius fecit confessiones generales, tunc studeat poenitentem tranquillare, nec concedat ei hac vice confessionem generalem. — Si poenitens conditionis psychicae *normalis* videtur, excipiat eius confessionem generalem. — Si vero solum ad « se patefaciendum ». ut qua *novus poenitens cognoscatur* a confessario, vellet statim generalem confessionem peragere, Schollig consilium dat, tali solummodo post seriem longiorum confessionum (« nach einer grôsseren Reihe von Einzelbeichten ») concedere confessionem generalem (p. 149).

3°. *Conditiones* poenitentis, si ignotae fuerint, debent experiri per interrogationes, num in matrimonio vivat, num votum habeat, qualem professionem exerceat.

4°. Ante confessionem generalem, si libera fuerit, semper audienda sunt

prius peccata inde ab ultima confessione commissa, dein confessio partialiter vel totaliter generalis. Hoc faciendum est praeprimis, ne peccatis recentibus nondum accusatis et remissis, peccata olim commissa admisceantur, et ut confessarius statum praesentem pocnitentis medius dignoscere possit.

Litteratura.

S. *Rob. Bellanninus,* Controv. de Poenit. L. III. De confessione (cd. J. Fevre, tom. IV. Paris 1873, p. 552-600). — *O. F. Cambier,* Dc divina institutione confessionis sacramentalis dissertatio historico-theologica, Lovanii 1884. — *II. Ch. Lea,* Λ history of auricular confession and Indulgences in the Latin Church, London 1896, I-II. Cf. ad hunc auctorem: *P. M Baumgarten,* Die Wcrke von H. Ch. Lea 1908. — *J. Gartmeier,* Die Bcichtpflicht, Regensburg 1905. — *F. X. Mayer,* Die Beicht als Bekcnntnis der Einzelsünden, Dillingen 1908. — L. *Dcsanctis,* La confessione, Firenze, 1925. — *R. Pettazzoni,* La confessione dei peccati nella storia dclle religioni, I-III. Bologna 1929-1935. — W. *Schollgen,* Psychothérapie und sakramcntale Beicht, *in:* Catholica 1932, 145. — *P. Hecht,* Die Haufigkeit der Beicht im Kirchenrecht, in: Liturg. Leben 1935, 259-269. — *P. Galtier,* De paenitentia, 2. ed. Romae 1950, 365-420. — *Vlad. Jankélevitch,* Valeur et signification de la mauvaise conscience, Paris 1951. — *E. Doronzo,* Tract dogm. de poenitentia, Milwaukee 1951, II, 340-988. — *P. E. Keever,* The necessity of confession for the sacrement of Penance, Washington 1953. — *II. Hafner,* Schulderleben und Gewissen, Beitrag zu einer personalen Tiefcnpsychologie, Stuttgart 1956. — *A. Snoeck,* Beichte und Psychoanalyse, Frankfurt a. Main 1958.

Respectu pastorali. *Priimmer* III. n. 358-390. — *Vcrmeersch-Creusen,* 4. ed. 1948, III n. 537-553. — *Merkelbach* 8. ed. 1949, III, n. 507-533. — *Aertnys-Damen* ed. 16. II. n. 290-315. — *Fanfani,* Man. theor.-pract. Th. Mor. 1951, IV, p. 362-394. — *Schollig,* Vcrwaltung d. hl. Sakramente 4. ed. 1952, p. 124-140 et 146-151. — *Noldin-Schmitt-Heinzel, ed.* 30. 1954. III. n. 265-298.

F) Dc satisfactione ut materia Poenitentiae.

Agendo de materia proxima Poenitentiae, quae sunt actus poenitentis, restat solum de satisfactione dicere sequentia:

1. De satisfactione secundum quod est actus virtutis.
2. De notione satisfactionis sacramentalis.
3. De impositione satisfactionis.
4. De acceptatione, adimpletione et commutatione satisfactionis.

1. Dc satisfactione secundum quod est actus virtutis.

a) Relatio satisfactionis ad ceteros actus poenitentis.

Contritio est actus virtutis poenitentiae, quo peccator reparare vult *odium Dei* exortum ob peccatum. *Confessio* est actus virtutis poenitentiae, quo peccator peccata detestata *subiicit* clavibus Ecclesiae, ut indicium institui possit, sine quo non habetur absolutio, itaque haec subiectio per confessionem facta *item reparare vult odium Dei. Satisfactio* quoque est actus virtutis poenitentiae, quo homo reparare vult *perversionem ordinis* per peccatum factam.

b) Etymon nominis satisfactionis.

Ie. Penes auctores classicos duplex occurrit sensus. Primo significat *placa-*
ttonem eius qui offensus est: « Satisfacere est tantum facere, quantum satis est

irato ad vindictam » (Asconius, cf. Forcellini, Totius Latinitatis Lex. s. voce), est ergo actus ad expiandum offensum.

2°. Alio sensu satisfactio vocatur *substitutio exsolutionis alicuius debiti:* « Omnis pecunia exsoluta esse debet aut eo nomine satisfactum esse. Satisfactum autem accipimus, quemadmodum voluit creditor, licet non sit solutum » (Digest. XIII, 7, 9). Satisfactio ergo non est aequalis exsolutio debiti, sed expeditio rei alio modo facta et a creditore acceptata (cautio, pignus, solutio partialis); reliquum non debet solvi.

3°. Si *utraque significatio* translate applicatur ad nostram materiam, videmus, quod *contritio et confessio* haberi debet ut satisfactio sensu placationis seu expiationis offensi, *satisfactio* autem sacramentalis intelligitur sensu quo est substitutio debiti. Contritio et confessio ergo diriguntur ad expiandum reatum culpae, satisfactio autem sacramentalis ad expiandum reatum poenae.

c) Satisfactio ut actus virtutis

poenitentiae *perversionem ordinis* vult reparare, ut explicatur a Doctore Communi. (I-II q. 87). Peccatum etenim pervertit *ordinem triplicem:* ordinem rationis, ordinem exterioris gubernantis hominis, et ordinem divini regiminis, ideoque *triplicem* quoque habet *poenam.* Poena pro perversione *ordinis rationis* est remorsus conscientiae; poenae pro disturbato *ordine hominis gubernantis* sunt poenae ab homine (spirituales vel temporales, seu ecclesiasticae vel civiles-politicae vel oeconomicae); demum propter perversionem *ordinis divini,* sustinere debet poenas Dei (aeternam et temporalem). Hoc debitum sustinendi poenam Dei inflictam vel infligendam vocatur reatus poenae (art. 1.).

Atqui per contritionem et per propositum in ea inclusum « *voluntas hominis ordinem divinae iustitiae acceptat* » et consequenter reparare vult etiam poenam cum culpa, sicque peccator « *vel ipse sibi* poenam spontaneus assumit in recompensationem culpae praeteritae, *vel* etiam *a Deo* illatam patienter *sustinet:* utroque enim modo poena rationem satisfactionis habet » (art. 6.).

Ergo per satisfactionem homo ordinis pervesionem vult expiare. Satisfactio fit, ut dictum est per poenam spontanee assumptam vel per patientem sufferentiam flagellorum Dei et in eo, quod per has poenas ordinis perversionem vult reparare, habetur actus virtutis poenitentiae; habetur deinde etiam ratio, *cur sufficiat satisfactio,* i. e. substitutio exsolutionis debiti erga Deum, etsi non ad aequalitatem fit solutio. Poenae enim spontanee susceptae vel patienter perpessae per se non placent Deo, qui non delectatur in perditione vivorum, « Deus enim *non* delectatur *in poenis* propter ipsas, sed *delectatur in ordine suae iustitiae,* quae hoc requirit » (art. 3. ad 3.). Et hic invenitur ratio, cur possibilis sit satisfactio: *Deus non indiget poenis,* i. e. operibus poenalibus ideoque potest remittere ex iis, sc. de poena debita. Aliis verbis: non exigit *satispassionem,* qua expiatio fit obiectiva; talem dat invitus malefactor morte mulctatus vel debitor, cuius bona, eo invito, venduntur sub hasta ad compensationem debiti, cuius solutionem creditor exigit. Sed sufficit Deo *satisfactio* qua substituitur solutio debiti; hoc in casu poenae temporalis. Ut S. *Thomas* dicit, « poenam, si propria voluntate a se exegerit (sc. peccator), per hoc Deo satisfacere dicitur, in quantum cum labore et poena ordinem divinitus institutum exsequitur pro peccato se puniendo, quem peccando transgressus fuerat, propriam voluntatem sequendo » (Cont. Gent. III. 158.).

2. De notione satisfactionis sacramentalis.

Vix aliquid tantam passum est mutationem, quam satisfactio sacramentalis, quae adeo inculcabatur aevo antiquo Ecclesiae, quod *nomen quoque* satisfactionis usitatissimum fuerit simpliciter « poenitentia », et « agere poenitentiam » primo sensu significavit implere opera satisfactoria. Temporibus istis praeteritis per longas et prolixas exercitationes debebant satisfacere et post praestationem tantum poenitentiae accipiebant peccatores absolutionem; nunc statim absolvuntur et solum postea debent praestare satisfactionem iniunctam, quae relate ad opera poenalia aetatum elapsarum levissima dici debet. Essentia tamen satisfactionis mansit, itaque debemus eam sedulo perscrutari.

a) Definitio et notio satisfactionis sacramentalis.

Satisfactio sacramentalis est opus poenale a confessorio in Sacramento Poenitentiae impositum, ad compensandam iniuriam Deo per peccata illatam, secundum quandam iustitiae aequitatem.

Singula elementa singillatim dilucidanda sunt.

1°. Satisfactio est *opus poenale,* quae opera semper in *tres classes* dividi solent. In statu enim naturae lapsae haec opera *aliquam subtractionem* dicunt, ideoque naturae difficilia evadunt, proinde meritoria. Ut S. *Thomas* dicit: « Ex *bonis fortunae* subtrahimus nobis aliquid per eleemosynam, ex bonis *corporis* per ieiunium, ex bonis autem *animae* non oportet quod aliquid subtrahamus nobis quantum ad essentiam vel quantum ad diminutionem ipsorum... sed per hoc, quod ea submittimus Deo totaliter et hoc fit per orationem » (Suppi, q. 15. a. 3.). Si sub « *eleemosyna* » opera caritatis erga proximum intelligantur, sub « *ieiumo* » etiam alia opera mortificationis: omnia recensita sunt opera poenalia. Etiam *oratio* in statu naturae lapsae inter ea recenseri potest, etsi aliquoties bona sit oratio et pergrata homini, sed non semper. Non placet ergo aliquorum sententia dicentium, orationem non esse accipiendam ut opus poenale, ideoque minus aptam esse ad satisfactionem sacramentalem praestandam. Est enim, ut dictum est, opus poenale; ex altera vero parte satisfactio habet etiam indolem medicinalem et hac ratione oratio optimum genus satisfactionis dicenda est.

23. « A *confessorio in Sacramento poenitentiae impositum* » debet esse hoc opus poenale, nam etsi omnis actus poenitentiae satisfactorius habeat meritum, sed non ex *opere operato,* sicut contingit in satisfactione Poenitentiae, quae elevata est ad dignitatem sacramentalem. Est enim *elementum constitutivum Sacramenti,* qua eius materia proxima, ideoque non solum ipse actus habet meritum ex opere operantis, sed ut actus significat et efficit remissionem poenae a Deo inflictae. — Satisfactio seu « poenitentia » a confessario iniuncta non debet necessario in ipso Sacramenti actu iniungi et acceptari, sed in relatione ad hunc actum, « in ordine » ad Sacramentum.

3 . « Ai/ *compensandam iniuriam* » significat, quod homo non potest expiare reatum culpae et reatum poenae aeternae, sed compensare potest de condigno *poenas temporales et reatum peccatorum venialium.* Ideo *Tridentinum* loquitur de satisfactionibus, « quibus poenitentes per Christum Jesum peccata redimunt » isess. XIV, can. 11. Denz. 924). Sed ideo non fiunt redemptores suiipsius ut Botus subsannando affirmavit (« alioqui essemus, saltem aliqua ex parte, redemptores » Denz. 1059), quia homo per *Christi merita* habet, quod iustificatus

est, ct quod cum gratia elicere potest talem actum meritorium, insuper in satisfactione sacramentali ex ordinatione Christi iit, quod actus hic non solum *proprium* meritum habeat ex opere operantis, sed etiam qua materia proxima Sacramenti, operationem habeat *ex opere operato.*

4°. « *Ad. (piandam iustitiae aequitatem* » dicit, quod satisfactio debet aliquam proportionem habere cum qualitate et quantitate (specie et numero) peccatorum.

b) De necessitate satisfactionis sacramentalis statuitur:

THESIS. Poenitentibus satisfactiones congruae imponi debent. De fide definita.

1°. *Vox Ecclesiae. Trident, sess. XIV. cp. 8:* « Debent sacerdotes Domini quantum spiritus et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum et poenitentium facultate salutares et convenientes satisfactiones iniungere » (Denz. 905). — *Ibid. can. 12:* « S. q. d., totam poenam simul cum culpa remitti semper a Deo, satisfactionemque poenitentium non esse aliam quam fidem, qua apprehendunt Christum pro se satisfecisse: anathema sit » (Denz. 922.). — *Ibid. can. 14.* « S. q. d., satisfactiones quibus poenitentes per Jesum Christum peccata redimunt, non esse cultus Dei, sed traditiones hominum, doctrinam de gratia et verum Dei cultum atque ipsum beneficium mortis Christi obscurantes: a. s. » (Denz. 924).

2°. *Adversarii.* Novatores saec. XVI-i ob eorum doctrinam de bonis operibus vehementi ira invehuntur in satisfactiones sacramentales.

a. *Lutherus initio* solum *praxim Ecclesiae antiquae* in memoriam revocabat et absolutionem ante satisfactionem persecutus est: « Perversitas est, quod peccatores absolvimus ante satisfactionem impletam... cum econtra absolutionem oporteat esse sicut in primitiva Ecclesia, posteriorem satisfactione peracta » (De captivit. babylon. Eccl. 1523). Suam veram doctrinam prodit in *Articulis Sinalcaldicis* anni 1537: «Ceterum satisfactio longe perplexior est. Nemo enim scire poterat, quantum faciendum esset pro uno tantum peccato, nedum pro omnibus... Et si quis centum annos poenitentiae ista ratione exercuisset, nondum certus tamen de sufficientia, perfectione et fine poenitentiae suae fuisset. Hoc erat scilicet perpetuo poenitere et nunquam ad poenitentiam pervenire » (P. III. art. 3,21-22.). Ibidem vero assignat *unicam* satisfactionem *passionem Christi:* « Sic et satisfactio non potest esse incerta, quia non est nostrum incertum et peccato contaminatum opus, sed est passio et sanguis immaculati et innocentis agni Dei qui tollit peccata mundi » (p. HI. a. III, 38). — *Melanchton* in *Apologia Confessionis Augustanae* (1531) sententiam de fide esse dicit, « quod *fide consequamur remissionem peccatorum* propter Christum, non propter nostra opera praecedentia aut sequentia. Et nos ob hanc causam praecipue de satisfactionibus disputavimus, ne susciperentur ad obscurandam iustitiam fidei, neve existimarent homines se propter illa opera consequi remissionem peccatorum » (Apol. VI, J. T. Müller, Symbol. Bûcher d. ev.-luther. Kirche p. 188).

b. *Jo. Calvinus* enuntiavit, quod « Christus est peccatorum remissio et ideo non est alia satisfactio » (Instit. rei. christ. III. 4,23). — *Calvinistae* autem *Hungariae* in conventu anni 1562. qua « Ecclesia vera in valle Agrina collecta » simpliciter enuntiabant: « Satisfactio aeterna pro peccatis nostris est Christi redemptio, per sacrificium aeternum... Solus Christus satisfecit Deo pro pec-

catis nostris, *dedit* aequivalens pretium, consummavit nos in aeternum, delevit peccata et redemit... Papistica satisfactio impia opinio et fabula est, ergo reiicimus. Fructus verae poenitentiae sunt satisfactiones piorum, a Spiritu Sancto per fidem in Christi merito per gratiam conditi » (E. F. K. Müller, Bekenntnisschriften der ref. Kirche 1903, p. 293).

3°. *Scriptura Sacra.* Christus Dominus solvere atque ligare dedit potestatem (Mt 18.) et « remittere et retinere peccata » (Jo 20.), tum cpioad *reatum culpae,* tum quoad *reatum poenae, i.e.* verum *indicium* mandavit super peccata. *Atqui* indicium *nunquam fieret,* si peccatum etiam quoad reatum poenae semper totaliter remitteretur. Ergo saltem *reatus poenae temporalis* retineri debet quoad partem. Ad hanc delendam habetur satisfactio sacramentalis.

4°. *Traditio.* Sufficit allegare unum *Augustinum,* qui clarissime loquitur de malis e peccato provenientibus, quae « cogitur homo tolerare etiam remissis peccatis, quamvis ut in eam veniret miseriam, primum fuit causa peccatum. Productior est enim poena, quam culpa, ne parva putaretur culpa, si cum illa finiretur et poena. Ac per hoc... temporaliter detinet hominem poena » (In Jo trac. 124,5 PL 35, 1972). — Alibi autem enuntiat modum, quo haec poena tollitur: « Veniat ad antistites, per quos illi (sc. peccatori), in Ecclesia claves ministrantur, et a praepositis Sacramentorum accipiat satisfactionis modum » (Sermo 351, 9 PL 39, 1545).

5°. *Ratio theologica.* Sacramentum Poenitentiae ordinatur de se ad remissionem peccatorum plenam atque perfectam (cf. Trid. XIV. cp. 3). *Atqui* hanc plenam remissionem non operatur per absolutionem solam, quippe poenam aeternam et reatum culpae tantum dimittit, sed plenam remissionem consequi potest per impositionem satisfactionis; propter satisfactionem vocatus est alter ille baptismus « laboriosus baptismus » a Patribus (Billot, De Eccl. Sacramentis II, 216 s.).

c) Divisio satisfactionis.

Satisfactio dividitur:

1°. *Ratione exsecutionis in satisfactionem in voto,* quae est *voluntas* acceptandi et implendi poenitentiam, et satisfactionem *in re,* quae est *actualis executio* poenitentiae. *Pars essentialis est satisfactio in voto,* quae potest esse implicita, si non haberetur, absolutio esset invalida. *Satisfactio in re est pars integralis,* complens Sacramenti; si non mandatur execution! satisfactio, Sacramentum manet validum, ut patet, sed incompletum, deficiente parte integral): satisfactione nimirum in re. *Ratio vero est:* Effectus primarius est remissio reatus culpae et poenae aeternae, qui effectus producitur per elementa significativa materiae proximae (contritionis et confessionis), etsi per accidens desit elementum specialiter significativum effectum secundarium: remissionem nempe poenae temporalis (Galtier p. 244). — Itaque *in praxi,* si confessarius non imposuerit satisfactionem, est eius culpa, poenitens obligatur ad petendam quoque satisfactionem, sed si etiam oblitus esset et confessarius iam adiri nequit, nihil faciendum restat, poenitens enim habuit satisfactionem in voto.

2°. *Ratione finis* habetur satisfactio *vindicative,* i.e. poenalis, cuius finis punitio est peccati, et satisfactio *medicinalis,* cuius finis est evitatio novi lapsus. Ili fines in omni opere bono inveniuntur, sed unus vel alter dominatur in eis.

3°. *Ratione circumstantiarum* habentur satisfactiones, quae etsi apparenter alterentur per has circumstantias, sed tamen manent verae satisfactiones. Talia opera per speciales alterata circumstantias sunt sequentia:

a. *Opus internum,* i.e. actus internus, qui ad extra non manifestatur. Sic si alicui iniungitur qua satisfactio examen conscientiae, vel ut eliciat actum caritatis, ut meditet per horae quadrantem etc. Haec opera eodem modo iniungi possunt in satisfactionem sicut opus externum, e.gr. oratio vocalis, nam naturae lapsae etiam haec opera onerosa sunt, ideoque poenalitatis rationem participant. Nunc vero nemo tenet iam Ecclesiam non posse praecipere actus mere internos; cf. mandata CIC, ut sacerdotes « orationi mentali vacent » et similia.

b. *Opus aliunde debitum,* si alicui qua satisfactio iniungitur opus, quod etiam alia ratione praeceptum est, ut si alicui iniungatur observare abstinentiam Fer. VI., vel adstare Missae die Dominica. Auctores commendant, si quis aegre ferret poenitentiam per se gravem, ut ei *imponant* poenitentiam *levem, gravem* vero *opus aliunde debitum* quod neglegere solitus est. Opus aliunde debitum per impositionem elevatur ad dignitatem satisfactionis sacramentalem. Si ergo poenitens non impleret hanc satisfactionem, duplex committeret peccatum.

c. *Opus etiam secus facturum,* i.e. opus poenale non obligatorium, quod iniungitur, poenitens ultro quoque faceret, e.gr. recitando quinque decades Rosarii Marialis. Ut patet, hoc sine ulla causa fieri potest, nam a nemine obligatur ad talem actum ultro faciendum.

d. *Opus applicandum* sive pro vivis sive pro defunctis, e.gr. s. communionem vel Missae participationem pro defuncto patre vel aegrota matre. Quod procul dubio fieri potest, tali in casu enim *meritum operis operantis* competit ei, pro quo opus bonum iniunctum est, *opus operatum* autem poenitenti obvenit, qui remissionem consequitur poenarum temporalium. Commendari solet hic modus ut poenitens graviorem satisfactionem libentius acceptet.

e. *Opus conditionatum* i.e. opus poenale *sub conditione relapsus,* e.gr. si iterum blasphemet, statim recitet Pater et Ave. Tale opus conditionatum tantum probabiliter haberi potest sufficiens satisfactio, ideo expedit, ut poenitenti, sicut in casu praecedente, modica *alia* satisfactio *absolute* quoque iniungatur. Quod clarum est; nam etsi opus tale conditionatum utile esse potest, impositio exclusiva talis operis conditionati suggerere videtur poenitenti, se certo relapsurum esse, quod valde nocivum esset.

d) Effectus satisfactionis.

1°. *Tridentinum* manifeste declarat satisfactionem remittere *reatum poenae temporalis:* « Satisfactoriae poenae... medentur quoque *peccatorum reliquiis* » (sess. XIV. cp. 8.). Atqui reliquiae peccatorum nil aliud possunt esse, quam poenae temporales; nihil aliud enim remanet post absolutionem. *De fine* etenim certum est, poenam aeternam et reatum culpae deleri, ideo clare definitur: « Virtute clavium sublata poena aeterna, poena temporalis plerumque exsolvenda remanet » (can. 15.). (Cf. Denz 904. et 925.).

2°. Effectum hunc consequitur satisfactio qua pars Poenitentiae *ex opere operato* ut S. *Thomas* demonstrat: « Cum enim satisfactio a sacerdote absolvente iniuncta sit pars Poenitentiae, manifestum est, quod in ea operatur vis clavium ita, quod *amplius valet* ad expiandum peccatum, quam si proprio arbitrio homo faceret idem opus » (Quodlibet, op. 3. art. 28). Rationem dant *Salmanticenses* dicendo: « Partibus substantialibus respondet effectus substan-

tialis, nimirum remissio culpae ac poenae aeternae; parti vero integral!, qualis est *satisfactio* complens Sacramentum, remissio residui poenae temporalis, qua peccatum complete fit remissum » (De poen. disp. 11. club. 6. n. 89).

3°. Effectum hunc tantum *post absolutionem* consequitur satisfactio, « Sin rniunctum opus *ante absolutionem* fiat, tunc eiusdem erit conditionis, ac attritio et confessio, quae ex appositione formae virtutem habentes, nonnisi in absolutionis instanti valent ad remissionem ex opere operato », sic Billot (II, p. 220). Si satisfactio *post absolutionem* praestatur *in re,* ab absolutionem vero affuerit satisfactio *in voto,* tunc producitur effectus remissionis eatenus *in instanti* absolutionis, quatenus absolutio inducit *ius* ad remissionem poenae temporalis, satisfactione persoluta.

Corollarium practicum satisfactionis

est: tunc tantum producit effectum remissionis poenae temporalis, si perficitur *in statu gratiae.* Quod pronum est, nam temporalis poenae remissio nil valeret sine remissione ponae aeternae. Iuxta auctores tamen praecepto satisfactionis obtemperatum est per talem satisfactionem. — Quod vero *Suarez* dicit de pocnitente, qui in statu peccati gravis poenitentiam peregerit, post recuperatum statum gratiae non improbabiliter etiam effectum huius satisfactionis consecuturum esse, difficulter potest probari. « Etenim difficulter intelligitur, quomodo opus bonum in statu peccati mortalis peractum, cum sit opus mortuum, apud Deum impetrare possit remissionem poenae temporalis, et hoc vel magis, quod talis homo sit dignus poena aeterna. Deinde adhuc difficilius intelligitur, quomodo *opus mortuum, quod nunquam vixit,* ablato obice reviviscere possit » (Priimmer n. 402). — Propterea consultum est, ut confessarius semper etiam saltem partialiter poenitentiam *statim* post confessionem absolvendam iniungat.

3. De impositione satisfactionis.

a) Obligatio impositionis

confessorium onerat: « Debent ergo sacerdotes Domini satisfactiones iniungere » (Trid.), quae obligatio *ex genere suo gravis* est, i.e. admittit parvitatem materiae. *In genere gravis* est obligatio, nam administer Sacramenti tenetur non solum ad essentialia, sed etiam ad integritatem Sacramenti, nostro ergo casu ad satisfactionem iniungendam. — *Per accidens* non tenetur ad impositionem satisfactionis, si hoc *impossibile* sit, sicut in moribundis sensibus destitutis; secus, si aegrotus valde debilitatus ad aliud inhabilis est. *sufficit,* si unum Ave dicat una cum confessario, vel exhortetur, ut nomina Jesu et Mariae corde dicat, vel ut osculetur Crucifixum.

b) Quantitas ct qualitas proportionata sit peccatis

commissis, ut can. 887. praescribit: « Pro qualitate et numero peccatorum et condicioni' poenitentis ». — Per *proportionem* intelligitur, quod a confessario *per .se pro peccatis gravibus gravis poenitentia* debet iniungi. Ideo gravit< r peccat confessarius satisfactionem levem iniungendo pro peccatis gravis- $imv> msi habeantur causae excusantes, propter quas possit iniungi poenitentia levis (inferius d.).

2°. Valde probabilis est sententia affirmans, confcssarium posse satisfactionem *gravem sub obligatione levi* imponere, quia confessarius quamvis vices Christi gerat, est tamen constitutus verus index et legislator, qui ex potestate sibi tradita solvit remittendo peccata, et ligat statuendo obligationem satisfactionis implendae, unde huius obligationis gravitas oritur non ex Sacramento, sed ex praecepto confessarii, sic Aertnys-Damen (n. 318, 2°).

3°. Idem auctor vero provocans ad sententiam *S. Alphonsi,* affirmat, confessarium imponere posse satisfactionem *gravem pro culpis levibus* cum *obligatione gravi* eam implendi. Hoc tunc fieri potest, si « venialia eiusmodi sint, quae poenitentem valde disponunt ad mortale, tunc enim potest gravis satisfactio medicinalis etiam sub gravi praescribi, ut poenitens amoveatur a periculo labendi in mortalia. Etiam pro peccatis mortalibus iam rite confessis potest satisfactio gravis iniungi, si pro illis poenitens dignam non egerit poenitentiam » (n. 318,3).

c) Quantitas satisfactionis

dimetienda est iuxta gravitatem et numerum peccatorum: quo maiora sunt peccata, quanto pluria, eo graviorem merentur satisfactionem.

1°. Maior habetur satisfactio *ratione materiae* et ratione *diuturnitatis;* si ergo non solum materia per se gravis iniungitur, sed pluries praestanda. Materia *per se gravis* satisfactionis habetur per comparationem ad usum Ecclesiae: quod Ecclesia sub gravi solet praecipere, est materia gravis satisfactionis.

2°. *Graves satisfactiones* quoad materiam solent ergo haberi: Missae adstare — ieiunare vel a carnibus abstinere per unum diem, vel ceteris paribus pro fumatore assueto: ab usu tabaci — quinque decades Rosarii Marialis — Litaniae Omnium Sanctorum — septem psalmi poenitentiales et similia. — Satisfactio *per se levis* est recitare quinque Pater et Ave Litanias Lauretanas vel alias, 2-3 decades Rosarii etc.

d) Qualitas satisfactionis

definitur per *convenientiam cum peccatis commissis;* Ecclesia enim praecipit, ut confessarius « convenientes satisfactiones iniungat » (can. 887). Haec convenientia *propius determinatur a Rit. Romano,* dicente: « Curet, quantum fieri potest, ut contrarias peccatis poenitentias iniungat, veluti avaris eleemosynas, libidinosis ieiunia, vel alias carnis afflictiones, superbis humilitatis officia, desidiosis devotionis studia » (Tit. IV. c. 1. n. 20.). Apte monet Noldin-Heinzel, hoc esse ita intelligendum, quod quasi pro singulis peccatis alia satisfactio imponi deberet, sed « ut pro peccato, in quod poenitens saepius relabitur, quantum fieri potest, contraria poenitentia iniungatur » (n. 303 2. b.).

e) Exempla satisfactionum qualificatarum.

1°. *Pro superbis:* Actus contritionis de peccatis praesertim superbiae in angulo ecclesiae, flexis genibus. — Visitatio ossuarii vel coemeterii cum precibus pro animabus in purgatorio, praecise hoc peccatum luentibus. — Meditatio sententiae Apostoli saepius repetita: « Quid habes quod non accepisti? ».

2°. *Pro avaris:* Impositio eleemosynae pauperibus erogandae tempore continuo, etsi exiguae, ut ex assidua consuetudine paulatim habitus liberalitatis

nascatur. — Meditatio paupertatis Christi — mortis, quippe quae ab omnibus separat.

3°. *Pro luxuriosis:* Consideratio passionis et mortis Christi. — Via Crucis et coram singulis stationibus contritio concepta ob praecise hoc peccatum. — Quotidiana devotio erga B. Mariam V. Immaculatam. — Pius usus aquae benedictae. — Sacramentorum iteratio intra definitum spatium temporis. — Quoties Spiritus immundus poenitentem tentationibus vexet, prex iaculatoria execrativa: « Recede Satana! » —, coniuncta cum devota pronuntiatione nominum Jesu et Mariae. — Aliqua mortificatio sensuum continua saepius repetita. — Abstinere quandocunque a visitatione Cinematographi, vel spectaculorum. — leiunia, abstinentiae; subtractio commoditatis in lectulo, diuturno somno. — Servare strictum ordinem diurnum.

4°. *Pro moechis (adulteris):* Patientia in perferendis aerumnis coniugis. — Silentium ad opprobria et ingenium morosum alterius partis. — Abstinentia a licitis delectationibus. — Maior industria in labore.

5°. *Pro invidiosis:* Consideratio caritatis et munificentiae Dei erga nos. — Beneficentia in eum, cui invidisti. — Laudatio coram aliis eorum bonorum, ob quae invidia premit.

6°. *Pro gulosis et bibulis:* Abstinentia in aliquo cibo delicato, ut electuario (confiture), crustula. — Cibatio pauperis esurientis. — Declinare invitationem ad convivium. — Devota precatio ante et post mensam. — Abstinentia totalis a potu inebriante per aliquod spatium temporis. — Permixtio potus cum largiore aqua. — Bibere tantum intra refectionem.

7°. *Pro blasphematoribus:* Quoties relapsus fuerit, precatur aliquam oratiunculam, ut « Mi Jesu misericordia! » — Frequenter laudet Deum, dicendo « Gloria Patri »... — Litanias recitet tot vicibus de SS. Nomine Jesu, vel dicat preces reparatorias blasphemiarum (« Sit Deus benedictus... »).

8°. *Pro impatientibus:* Deprecatio ob impatientiam coram imagine Crucifixi. — Cultus silentii et taciturnitatis per determinata tempora. — Numerare usque viginti antequam impatiens aliquid ageret.

9°. *Pro iracundis:* Ut vitent occasiones iracundiae. Post singulos defectus lenitatis recitent preces jaculatorias. — Consideratio malorum quae ex ira consequi possunt.

10°. *Pro pigris:* Consideratio brevitatis vitae. — Concertare cum aliquo in laborando. — Preciunculae aliquibus momentis continuo repetendae, e.gr. ad ictum horologii. — Secessus menstruus (« recollectio ») per aliquot horas.

11°. *Pro detractoribus:* Preces pro infamato. — Alia opera benevolentiae erga ipsum. — Quoties relaberit in detractionem, mulctam quandam sibi imponat. — Studere ut detegat bonas proprietates proximorum, de iisque loquatur. — (Roggl-Nogâly, p. 229-306 et Merkelbach n. 553).

f) « Pro poenitentium facultate »

(Trid.) debent imponi satisfactiones. Ex hoc capite habentur *causae excusantes* ab impositione poenitentiae gravis, quae ab auctoribus fere sequentes enumerari solent:

1 *Debilitas corporis,* propter aetatem vel conditionem, ut si poenitens puer sit, vel senex, aut aegrotus, vel asthenicae constitutionis.

2 . *Debilitas mentis* habetur si timeri debet, ne gravior poenitentia non proderit poenitenti, ut S. *Thomas* recte monet: « Videtur autem satis conveniens,

quod sacerdos non oneret poenitentem gravi onere satisfactionis, quia, sicut parvus ignis a multis lignis superpositis de facili exstinguitur, ita posset contingere, quod parvus effectus contritionis in poenitente nuper exercitatus propter grave onus satisfactionis exstingueretur, peccatore totaliter desperante » (Quodlib. III. q. 13. a. 28.).

3°. *Contritio superabundans* iure invocatur ut causa minuens satisfactionis gravitatem, talis enim actus fervidus contritionis melius meretur, quam tantum sufficiens.

4°. *Periculum odii Sacramenti,* si sc. impositio satisfactionis gravis vergere possit in odium Sacramenti Poenitentiae. Si satisfactio gravior imponenda erit, semper *interrogandus* est poenitens, num hanc et talem praestare vellet.

5°. *Opus indulgentia ditatum* sufficiens causa est leviorem satisfactionem pro gravi imponere, nam iuxta can. 932: « Qui praestat opus sibi in sacramentalem poenitentiam iniunctam et indulgentiis forte ditatum, potest simul et poenitentiae satisfacere et indulgentias lucrari ».

6°. *Confessarii substitutio* quoque causa esse potest, ob quam levior poenitentia imponi possit, si nimirum confessarius ipse vice poenitentis praestare vellet satisfactionem graviorem. Hoc non vetatur, nam damnata fuit solummodo propositio ab Alexandro VII.: « Poenitens *propria* auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius poenitentiam adimpleat » (Denz. 1115).

g) Tempus impositionis satisfactionis

est *ante absolutionem;* si tamen casu contingat, quod post absolutionem datur satisfactio, nihil refert, nam habebatur satisfactio in voto implicita in poenitente et hoc tamquam materia essentialis Sacramenti sufficit. — Si vero *novam materiam* subiicit et satisfactio iam data est, *ante* absolutionem non debet novam imponere satisfactionem. Si *post* absolutionem mortale oblitum iterum confessus sit poenitens, non debet novum actum doloris elicere, ut iam dictum est, sed satisfactio aliqua tali in casu melius imponitur poenitenti.

Corollarium de praxi pastorali satisfactionis.

Verum quidem est, confessarium debere se gerere ut indicem in tribunali misericordiae, sed aeque verum est hodiernis temporibus impositionem *satisfactionis iusto benigniorem* evasisse, quod optimi Doctores iam inculcant. Sic Vermeersch-Creusen, Merkelbach, Aertnys-Damen, Salsmans, Claeys-Bouuaert, qui uno ore dicunt quod probari nullatenus potest, nec legibus Ecclesiae obtemperaret confessarius, qui indiscrete *semper eandem parvam poenitentiam* imponeret, nam « nimia confessariorum facilitas christianismi nomen et efficaciam minuit » (Vermeersch), et ideo « *graviter peccaret* confessarius, si sine iusta causa satisfactionem in se levem iniungeret pro peccatis mortalibus, quia nec peccata puniret, nec poenitenti mederetur « (Aertnys-Damen n. 317). Malum est quod hodie late longeque diffusum est: peccatorum satisfactiones reducere ad aliquarum precularum recitationem, iuxta eosdem auctores, « quia nimia laxitas non sufficienter abducit a peccato, sed econtra in consuetudine peccandi facit perseverare, uti experientia nimiae benignitatis probavit » (Merkelbach n. 554).

Pro praxi hodierna *a Vermeersch enixe commendatur:* praesertim frequentiorein *usum Sacramentorum suadere,* dein mane *propositum bonum* ante Crucifixum, vel eundo in opera in ecclesia; vespere *examen conscientiae,* cum grati-

arum actione pro profectu. Interdiu saepius *renovare* actus fidei, spei et caritatis; *eleemosynarum* praxim piam renovare, « cuius ipsae S. Scripturae efficaciam ad redimenda peccata docent et usus tamen nimis rarus fit, destinatio linquatur poenitenti definienda, insinuetur utilitas deputando partem celebrandi missarum » (n. 501).

4. *De* acceptatione, adimpletione et commutatione satisfactionis.

a) Satisfactionis acceptatio

est actus voluntatis. Distingui debet *votum satisfactionis* ut iam dictum est, i.e. voluntas acceptationis et adimpletionis ab ipsa acceptatione et adimpletione, a satisfactione in re. Prior in omni casu necessaria est et sub gravi semper adesse debet, nam redderet Sacramentum invalidum, si deesset. *Obligatio* acceptandi et adimplendi satisfactionem per se gravis est ex hucusque dictis. Excipitur, si confessarius poenitentiam *irrationalem iniungeret.* Tunc enim poenitens secundum omnes auctores rogare potest confessarium, ut satisfactionem velit commutare, si vero confessarius id facere non esset paratus, tunc poenitens potest recedere *sine* absolutione et alium adire cui tamen confiteri debet peccata sua. *Aut* potest absolutionem accipere et propter satisfactionis commutationem *ad alium* confessarium ire (Prümmer n. 399). Quae poenitentia sit irrationalis, illustrari solet quibusdam *speciminibus*-. poenitentia publica; ingressus in religionem; opus poenale iniunctum pro tota vita, vel ad notabile tempus (ad annos); ingressus in religionem; terram deosculari omni die; ieiunium prolixum in pane et aqua et talia.

b) Impletio.

Satisfactio *etiam adimpleri* debet a poenitente, ubi quaeritur tempus et modus.

1°. *Tempus* poenitentiae adimplendae potest esse *praefixum,* sed hoc explicite assignari debet a confessario, e,gr. hodie vel cras, hebdomada sequenti etc. Tempus hoc observari debet, *per se sub levi,* nam res ipsa, i.e. opus poenale est primario praescripta. Sed tempus ad urgendam et non ad finiendam obligationem determinatur, ergo etiamsi terminus praefixus elapsus sit, poenitens tamen tenetur eam adimplere. — Si tempus *non fuerit* praefixum, satisfactio, quamprimum potest, persolvenda suadetur. *Certo per se* non debet absolvi ante s. communionem; dilatio grave tunc tantum erit, si habeatur periculum oblivionis, *vel* si praevideatur impotentia eam postea implendi; *vel* si notabiliter minuatur substantia operis praescripti (Noldin-Heinzel n. 309).

2°. *Modus quoque satisfactionis* adamussim observari debet propter dignitatem sacramentalem, cuius satisfactio particeps effecta est. Qui non observat modum poenitentiae, graviter tunc tantum peccaret, *si substantialiter minueret* poenalitatem operis, e.gr. si iuxta morem Tyrolensium quinque decades Rosarii deberet recitare expansis brachiis (« ausgespannter Rosenkranz »); si « hanc circumstantiam omissio poenitentiam notabiliter mutat atque imminuit » (Noldin-Heinzel n 310). Si modus aliquis non expresse praescribatur, tunc servandus est *modus, (pio Ecclesia* talem actum peragere solet. Ideo orationes, nisi confessarius expresse aliud diceret, recitandae sunt vocaliter. Tali quoque modo abstinentia et ieiunium intelligi debet; si quis e.gr. acceptasset satisfactionem per duas hebdomadas abstinere a carnibus, per se intelligitur quod Dominicis et

diebus festivis hoc non facit; nec si ieiunium ei iniunctum fuisset. — Modo satisfactionis non obstat, si *interea aliud opus praeceptum* implet, e.gr. Missae adstando Dominica die recitaret Rosarium in satisfactionem acceptam. Imo, si « poenitens pro satisfactione debet audire quolibet die Missam, non tenetur audire duas Missas diebus dominicis et festivis » (Prümmer n. 403).

c) Gravitas adimpletionis

a tribus elementis dependet:

1°. *Materia satisfactionis debet gravis esse,* de qua iam actum est (superius 3. c.). Si enim materia gravis non sit, non potest grave peccatum esse, si non praestatur opus impositum; supposito tamen, quod poenitens revera habuit *voluntatem* acceptando et adimplendi satisfactionem, quae voluntas iure praesumitur non adesse, si poenitens iam saepius non adimplesset satisfactionem.

2°. Satisfactio intelligitur *imposita pro gravibus* non remissis, ergo pro venialibus et peccatis iam remissis regulariter non potest imponi satisfactio gravis, excepto casu, de quo locuti sumus (supra 3. b.).

3°. Requiritur, ut confessarius *sub gravi obligare* voluerit, quod tamen praesumendum est, si de gravibus agitur. — Qui *oblitus est satisfactionem,* tenetur eundem confessarium iterum adire, si commode fieri potest, si non, tunc satisfactio evadit moraliter impossibilis, poenitens non tenetur iterum confiteri. « Expedit tamen, ut tunc ipse sibi aliquem convenientem satisfactionem imponat » (Prümmer n. 401).

4°. Fieri potest, ut *satisfactio* commutari *debeat ex iusta causa,* quae est utilitas spiritualis poenitentis, vel impedimentum non praevisum. *Quis possit* commutare satisfactionem pronum est: per se confessarius, qui eam imposuit. Hic potest immutare satisfactionem etiam ex iusta causa in minorem vel aequalem *etiam extra Sacramentum,* quamdiu satisfactionis mutatio *moraliter adhuc unitur* cum Sacramento accepto. Sic Ballerini-Palmieri, Noldin-Heinzel, dum Prümmer docet « verius cum S. Alphonso tenendum esse hanc commutationem non licere nisi immediate post absolutionem, ac proinde si poenitens post aliquos dies redeat petens commutationem, ipsum debere iterum absolvi praemissa saltem generali accusatione peccatorum » (n. 404,3). *Alius* confessarius mutare *non potest extra Sacramentum,* sed solum in foro sacramentali; at necesse non est, ut poenitens repetet confessionem, « modo *confusam* cognitionem materiae peccatorum acquirat, qualem vel ex generica accusatione vel ex qualitate poenitentiae ab alio confessario impositae haurire potest » (Noldin-Heinzel n. 312,2).

Litteratura.

Bellarminus, Controv. de Poenitentia, L. IV. De satisfactione, (ed. J. Fèvre, tom. IV. p. 601-644). — *Roggl-Nogaly,* Gyôntatâsi intelmek és elégtételek, Budapest 1873, p. 229-306. — *C. Weiss,* S. Theologiae de satisfactione et Indulgentiis doctrina, Graz 1896. — *P. Cahier,* La pénitence à imposer, *in:* Nouvelle Revue theol. 1923, 1 ss. — *Th. V. Zeil,* Tractatus de satisfactione sacramentali, Oeniponte 1926. — *P. Salsmans,* Pour votre salutaire pénitence, *in:* Nouv. Revue théol. 1930, 215. — Λ/. *Claeys-Bouuaert,* La pénitence salutaire, ibid. 1930, 860. — *P. Cahier,* De paenitentia, 2. ed. 1950, 421-443. — Λi. *Premm,* Kath. Glaubenskunde, III, 2 Wien 1955. p. 105-114. — *P. de Letter,* Theology of Satisfaction, *in:* The Thomist (Washington) 1958, 1-28. — *G. Müller,* Gcnugtuung, *in:* LfThK 2. ed. IV (1960) 683-686.

Respectu pastorali. A. *Lehmkuhl,* Casus conscientiae, II. ed. 4. 1913, 234-249 p. — *D. Prümmer,* Man. Th. Mor. ed. 5. III. 1928, n. 391-404. — A. *Venneersch-J. Creusen,* Th.

Mor. *cd. 4. III.* 1948, n. 494-501, 554-555. — *B. Merkelbach,* Summa Th. Mor. ed. 8. III. 1948, n. *534-567.* — *J. Aertmjs-Damen,* Th. Mor. ed. 16. II. 1950, n. 316-326. — *J. Fan-fam.* Min. theor. pract. Th. Mor. IV. 1951, p. 394-407. — ΛZ. *Conte a Coronata,* De sacr. tract, canonic. 2. ed. 1951, n. 370-374. — *O. Schollig,* Verwaltung der hl. Sakramente, ed. 1952, p 140-146. — *H. Noldin-A. Schmitt-G. Heinzel,* Summa Th. Mor. cd. 30. III. 1954, η. 299-312.

G) De indulgentia, ut complemento satisfactionis.

Haec quaestio per se non videtur pertinere ad tractatum de Sacramento poenitentiae, agit enim de remissione poenarum temporalium *extra* Sacramentum. At considerandum est quod solus Deus scit, num omnes poenae temporales post remissionem culpae et poenae aeternae per satisfactionem revera deletae sint, dein de fide est definita Ecclesiam concedere posse indulgentias, quae praecise locum tenent satisfactionum easque complent. Ideo in usum deductum est de indulgentiis tractare post doctrinam de satisfactione sacramentali, vel post tractatum completum de Poenitentia.

De indulgentiis sequentia dilucidanda sunt:

1. De notione indulgentiae.
2. De potestate Ecclesiae circa indulgentias.
3. De modo concedendi indulgentias.
4. De consecutione indulgentiarum.
5. De quibusdam indulgentiis maioris momenti.

1. De notione indulgentiae.

Definitur *indulgentia ab Ecclesia: « Remissio coram Deo poenae temporalis debitae pro peccatis, ad culpam, quod attinet, iam deletis, quam ecclesiastica auctoritas ex thesauro Ecclesiae concedit pro vivis per modum absolutionis, pro defunctis per modum suffragii* n (can. 911.).

a) Remissio poenae temporalis

coram Deo debitae extra Sacramentum, non vero reatus culpae; ergo peccatum remittitur per Poenitentiam, sed si quae adhuc poena temporalis remansisset, haec deletur per indulgentiam.

Γ. Indulgentia itaque habet aliquam *rationem completivam,* supponit enim remissionem peccati quoad reatum culpae, et delet peccatum quoad reatum poenae, i.e. sequelam peccati. Ut *Suarez* apposite dicit: « Per indulgentiam conceditur, ut, qui eam lucratus fuerit, omnino absolutus maneat a culpa et a poena, non quia indulgentia utramque tollat, sed quia, ut habeat effectum, debet supponere remissam culpam, et ipsa complet totius poenae remissionem › (De poen. disp. 50. sect. 1. n. 17.).

•2°. Ad notionem indulgentiae pertinet, quod est remissio *poenae* temporalis, non *culpae,* nec poenae aeternae. *Obstare videntur* aliquae enuntiationes magisterii ecclesiastici e temporibus praeteritis, iuxta quas agitur apparenter de remissione omnium *peccatorum* », vel de « indulgentia omnium peccatorum ».

Sic *Bonifacius VIII.* in bulla primi iubilaci anno 1300. dicit se « vere poenitentibus et confessis non solum plenam et largiorem, imo plenissimam omnium suorum concedere veniam peccatorum» (Extravag, com. l. V. tit. IX. c.). — *Martinus V.* vero Wiclilfitas et Mussitas 1416. iubet interrogari, « utrum crederent quod Papa omnibus christianis vere contritis et confessis, ex causa pia et iusta, possit concedere indulgentias in remissionem peccatorum » (Denz. 676).

3°. Inde a saec. XVI-o talis modus loquendi iam potuit etiam male intelligi, ac si Summus Pontifex per indulgentias *peccata* remitteret, et quia usque ad illa tempora etiam eleemosynae imponebantur, ut bona opera, hoc pro pecunia factum esse Novatores reprehendebant. At hae expressiones imputari debent terminologiae nondum sat evolutae. Nam:

a. *Sacra Scriptura quoque* nuncupat poenam peccatorum « peccatum », ut 2 Mach 12,46: « Ut a peccatis solvantur », Rom 7. cap. vero concupiscentia nominatur « peccatum », quia sequela est peccati. — Dein — b. clarum est *Summos Pontifices* utentes hoc termino *supposuisse* ad indulgentiae consecutionem *contritionem et confessionem,* quod decreto Martini V. supra allegato manifeste edicitur: « ...omnibus christianis vere contritis et confessis ». Remissio peccatorum ergo intelligitur per confessionem et indulgentiam fieri; illa delet reatum culpae, haec reatum poenae temporalis. — c. Medio aevo, praesertim occasione anni iubilaei, dabantur facultates una cum indulgentiis ad absolutionem *casuum reservatorum:* primo debuit poenitens absolvi, postea potuit tantum indulgentiam consequi. — d. Dabantur iis temporibus etiam « *litterae indulgentiarum* », seu « confessionalia n; qui tales litteras possidebat, potuit semel in vita et in articulo mortis cuilibet sacerdoti confiteri et absolvi ab omnibus reservatis et lucrari indulgentiam plenariam. — e. Factum est, fuisse, praesertim medio aevo ad finem labente, « *quaestores* » *indulgentiarum,* qui praedicabant se absolvere posse et a culpa et a poena, quod iam *Clemens V.* reprehendit, dicens: « Aliqui eorum fideles et a poena et a culpa, ut eorum verbis utamur, absolvunt, nos abusus huiusmodi omnimode aboleri volumus » (Clement. l. V. tit. 9. c. 2.).

b) Remissio poenae « coram Deo debitae ».

Tempore *Sixti IV.* Petrus de Osma affirmabat talia et ideo damnatus est: « Romanum Pontificem purgatorii poenam remittere non posse » (Bulla 0 Licet ea n 9. aug. 1479. Denz. 729). Paulo postea vero *Lutherus* affirmabat similia iuxta propositiones eius damnatas: « Indulgentiae his, qui veraciter eas consequuntur, non valent ad remissionem poenae pro peccatis actualibus debitae apud divinam iustitiam » (Bulla « Exsurge Domine » Leonis X. Denz. 759). Consequenter dixit Luther indulgentias « pias fraudes fidelium », nam hoc verum esset, si indulgentia coram Deo non valeret, at Ecclesia talem fraudem non potest committere. Inde desumpsit ideo argumentum validum iam *Alexander Halensis:* « *Si* Ecclesia relaxat et Deus non, magis esset deceptio quam relaxatio, et crudelitas quam pietas, quia tunc ad diminutionem poenae praesentis sequeretur alia incomparabiliter gravior in foro Dei » (Summa theol. IV. q. 23. m. 1. a. 1.). — Simili modo arguebat S. *Thomas,* ostendendo indulgentias revera valere coram Deo: « ...quidam dicunt, quod non valent ad absolvendum a reatu poenae, quam quis in purgatorio secundum judicium Dei meretur, sed valent *ad absolvendum ab obligatione, qua sacerdos obligavit* poenitentem ad poenam aliquam... Sed haec opinio non videtur vera. *Primo* quia est expresse

contra privilegium Petro datum, cui dictum est Math. 16., ut quod in terra *remitteret, in coelo* remitteretur. Unde remissio, quae fit quantum ad forum Ecclesiae, valet etiam quantum ad forum Dei. *Et praeterea* Ecclesia huiusmodi indulgentias faciens *magis damnificaret* quam adiuvaret, quia remitteret ad graviores poenas, scilicet purgatorii, absolvendo a poenitentiis iniunctis » (Suppi, q. 25. a. 1.).

c) Differentia inter indulgentiam et satisfactionem sacramentalem.

1°. In *Poenitentia* consequimur remissionem poenae temporalis per satisfactionem sacramentalem *et* absolutionem, sed dispositio poenitentis conditio est, ut haec consequi possimus, et etiam mensura, quanto gradu obtinemus remissionem poenae temporalis. Ad *indulgentiam* lucrandam, qua dispositio requiritur ut patet, solummodo status gratiae, nam non potest aliquis remissionem poenae temporalis consequi, si sit in statu damnandorum. Alia dispositio autem non requiritur: consecutio indulgentiae tantum ab impletione operis praescripti et a voluntate concedentis indulgentiam dependet. Ad lucrandam vero *indulgentiam plenariam* utique deesse etiam debet *veniale actuale* et etiam *voluntarius affectus ad venialia,* quod e natura rei pronum est.

2°. Doctrinam hanc exponit nobis S. *Thomas. Principii instar* enuntiat Doctor Communis: *Indulgentiae tantum valent, quantum pronuntiantur* (Suppi, q. 25. a. 2.). Principium hoc explicat propius his verbis: « Dicendum est quod *quantitas effectus* sequitur quantitatem *suae causae. Causa* autem remissionis poenae in indulgentiis non est nisi *abundantia meritorum Ecclesiae,* quae se habet sufficienter ad totam poenam expiandam; *non est autem* causa remissionis effectiva vel *devotio* vel *labor,* vel *datum recipientis* indulgentiam, aut *causa,* pro qua datur indulgentia. Unde non opertet ad aliquid horum proportionare quantitatem remissionis, sed ad merita Ecclesiae, quae semper superabundant ». Remissionem ergo secundum Thomam non efficit, nec subiectiva *dispositio* (« devotio »), nec *labor,* nec « *datum* recipientis » i.e. quod donatus dono accepit, nec *causa* ob quam donator donum elargitus est, aliis verbis « causa pro (pia datur indulgentia ». De qua causa plura habet eodem art. 2. corp, superius, ubi dicit, quod Ecclesia « interdum maiorem pro eadem causa, interdum minorem indulgentiam ponit, sicut rebus eodem modo se habentibus; quandoque datur unus annus visitantibus ecclesiam unam, quandoque quadraginta dies, prout gratiam Papa facere voluerit. Unde quantitas remissionis indulgentiae non est mensuranda ex causa, quae facit aliquem indulgentia dignum ». Remanet ergo *sola voluntas donatoris, seu Papae,* ut fons propter quem remissio poenae temporalis fit.

3 . Principium hoc explicatum *demonstratur a* S. *Thoma* tali modo: a. «Dicunt quod Ecclesia ad hoc (sc. ad indulgentiam) ita pronuntiat (i.e. praedicat indulgentiam) ut quadam *pia fraude* homines ad benefaciendum alliciat, sicut mater, quae promittens filio pomum, ipsum ad ambulandum provocat. Sed hoc videtur esse valde periculosum dicere... Si in praedicatione Ecclesiae aliqua falsitas deprehenderetur, non essent documenta Ecclesiae alicuius auctoritatis ad roborandam fidem ». — b. Secundum *argumentum* vero desumitur *ex indole potestatis* sacramentalis et iurisdictionis: « *Clavis ordinis* (nos dicimus: potestas ordinis) sacramentale quoddam est, quia Sacramentorum effectus non sunt determinati ab homine, sed a Deo, ideo non potest taxare sacerdos, quantum

per elavem ordinis in foro confessionis de poena debita dimittatur, sed tantum dimittitur, quantum Deus ordinavit. Sed *clavis iurisdictionis* non est quid sacramentale, et effectus eius arbitrio hominis subiacet, et huiusmodi clavis effectus est remissio, quae est per indulgentias, cum non pertineat ad dispensationem sacramentorum talis remissio, sed ad dispensationem bonorum communium Ecclesiae ». Ut Doctor Communis ergo differentiam dilucidat inter indulgentiam et satisfactionem sacramentalem, pervenitur ad radicem quaestionis: indulgentiae « *effectus arbitrio hominis subiacet* », quod nunc probari debet.

2. De potestate Ecclesiae circa indulgentias.

De quo problemate statuitur:

THESIS. (1) Ecclesiastica auctoritas concedere potest indulgentias, (2) e thesauro Ecclesiae.

I. pars de fide definita, II. pars fidet proxima.

Pars I. probatur: Ecclesia concedere potest indulgentias.

a) Vox Ecclesiae.

Trident sess. XXV. decr. de indulgentiis: « Cum potestas conferendi indulgentias a Christo Ecclesiae concessa sit.... Sacrosancta Synodus indulgentiarum usum.... in Ecclesia retinendum esse docet et praecipit, eosque anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant (Denz. 989).

b) Adversarii.

1°. *Wicleff* et eius assecla, *Jo. Huss* iam invehebant in indulgentias, iuxta propositionem damnatam Wicleffi: « Fatuum est credere indulgentiis Papae et episcoporum » (Denz. 622), et iuxta interrogationes Wicleffitis et Hussitis proponendas: « Utrum credat, quod Papa omnibus Christianis vere contritis et confessis ex causa pia et iusta possit concedere indulgentias in remissionem peccatorum, maxime pia loca visitantibus et ipsis manus suas porrigentibus adiutrices » (Denz. 676. cf. adhuc n. 677-678). Tali manifesto modo opera socia poenitentis ad indulgentias lucrandas elata est anno 1418.

2°. *Quaestiones de indulgentiis fuerunt occasio proxima innovationis* saec. XVI-o. Nil mirandum ergo, si iam in primis propositionibus *Lutheri* inveniuntur talia effata: « Seducuntur credentes indulgentias esse salutares, et ad fructum spiritus utiles » et: « Indulgentiae necessariae sunt solum publicis criminibus et proprie conceduntur duris solummodo et impatientibus » (Denz. 760-761). Haec quidem continentur in bulla « Exsurge Domine » *Leonis X.* anni 1520., sed etiam tempore posteriore talia audiebantur ab antesignano innovationis. In *Articulis Smalcadicis* anni 1537., ad Concilium convocandum directis, tali modo subsannatur: « Sedes ista Romana sancta miserae ecclesiae subveniebat, et indulgentias effingebat, quibus remittebatur et abolebatur expiatio seu satisfactio... Hac ratione cum accresceret pecunia, et nundinatio bullarum erat fructuosa, excogitavit annum aureum iubilaeum, vere auriferum (Jubeljahr, Giildenjahr), quem Romae celebrari voluit. Hunc appellabat remissionem omnis culpae et poenae... » (Pars III. art. 3,24-25). In articulis his additis adhuc

acrius invehit in satisfactiones et indulgentias, nam « affinxerunt satisfactiones, quibus etiam obscuraverunt beneficium Christi, ex his natae sunt indulgentiae, quae sunt mera mendacia, quaestus causa excogitata » (Tractatus de potestate et primatu Papae n. 45-46).

3°. *Calvinistae* in *Confessione Helvetica posteriore* anni 1562. edixerunt: ‹ Damnamus inprimis lucrosam papae de poenitentia doctrinam et contra simoniam eius, Simoniacasque eius indulgentias illud usurpamus Simonis Petri indicium: Pecunia tecum sit in perditionem » (E. F. K. Müller, Die Bekenntnisschriften der reform. Kicrhe p. 191). — *Caloinistae Hungarici* vero eodem anno in Confessione vallis Agrinae (Eger-volgy) *a* indulgentias Papisticas » dixerunt « omnia figmenta Satanae, cum Scriptura deceptiones, mendacia, infirma elementa... Destruunt gratiam Dei, Christi meritum Papisticae indulgentiae, ut larvae inanes » (op. cit. p. 292).

c) Scriptura Sacra.

Argumentatio fit e Scriptura per conclusionem theologicam tali modo. *Mt 16,19* Dominus Petro eiusve successoribus dixit: « Tibi dabo claves regni coelorum. Et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis ». Verbis his sollemnibus Christus *potestatem plenam* dedit (a quaecunque ») *solvendi vincula moralia fidelium,* quae eos impediunt, ut regnum Dei ingredi possint. *Atqui* praecise talia vincula sunt poenae temporales adhuc in igne purgatoria luendae. Ecclesia enim aperte docet, quod « post acceptam iustificationis gratiam cuilibet peccatori poenitenti » non remittitur taliter culpa et reatus poenae aeternae, « ut nullus remaneat reatus poenae temporalis, exsolvendae vel in hoc saeculo, vel in futuro in purgatorio, antequam ad regna coelorum aditus patere possit » (sess. VI. can. 30. Denz. 840). Ergo quia omnia vincula solvi possunt, etiam *praecise haec vincula* solvi possunt ab Ecclesia, quia sine hac solutione aditus regni coelorum patere non potest.

d) Traditionis

testimonium profertur ex historia ecclesiastica, e qua apte concinnari potest argumentum historicum: Ecclesia enim aliquo modo semper usa est hac sua potestate poenas temporales condonandi.

1°. *Aevo catacumbarum* (saec. I-IV), uti iam vidimus, graves et diuturnas poenitentias debebant explere poenitentes. Haec poenitentia breviari poterat per ▮ libellos pacis » a s confessoribus » datas, qui iam poenas et tormenta passi sunt et in carceribus plerumque coronam martyrii expectabant. Sed has epistolas intercessionis *antistites Ecclesiae* execution! mandabant, et tunc tantum plenum valorem consecuti sunt. Hanc consuetudinem testatur *Tertullianus* adhuc *Catholicus:* e Pax vostra (intelligit martyres) bellum est illi. Quam pacem quidam (sc. peccatores) in ecclesia non habentes, a martyribus in carcere exorare consueverunt » (Ad martyres c. 1. PL 1,6'21). Sed *Montanista* factus iam denegabat hanc potestatem: « Sufficit martyri propria delicta purgasse. Ingrati vel superbi est in alios quoque spargere, quod pro magno fuerit consecutus » (De pudicitia c. '22. PL 2.1081). S. *Cyprianus* vero clare enuntiat potestatem supremam antistitum: « Occurrendum puto fratribus nostris, ut, qui libellos a martyribus acceperunt et praerogativa eorum apud Deum adiuvari possunt, si

incommodo aliquo et infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectata praesentia nostra... exomologesim facere delicti sui possint » (Ep. 18,1 RJ 570). — Tali consuetudine sensu stricto indulgentia veri nominis nondum habetur, nam solum satisfactio eorum fuerit abbreviata et remissionem per Sacramentum Poenitentiae acceperunt.

2°. *Aetate saec. VII-XI.* in Occidente paulatim invaluit mos *satisfactiones commutandi* hae enim tam graves et diuturnae evaserunt per *canones* Conciliorum *poenitentiales* et per praescripta *Librorum poenitentialium,* quod opportunum visum est eas in alia opera, etiam sat gravia, ut preces longissimas, peregrinationes, visitationes ecclesiarum et eleemosynas commutare. Hae commutationes, quas « *redemptiones* » nuncupabant, iam prima vestigia indulgentiarum veri nominis habendae sunt. Sic peregrinatio Romana etiam in Anglia saec. VII-o ad finem vergente « magnae virtutis aestimabatur », ut Beda Venerabilis testatur (Hist. Britan. IV, 23). Mos hic redemptionis originem videtur duxisse a monachis Iro-celticis et saec. IX-o omnino iam in usu erat, ut videri potest ex exemplo *Nicolai I.* Papae (858-867), qui tertiam vel quartam partem satisfactionis impositae relaxare solitus est iis, qui Romam peregrinationem instituerunt. De homicida quodam Romam petente dixit: « Quaedam temperavimus, eo, quod suffragia apostolorum principis, nutritoris nostri, postulare devote festinavit » (PL 161, 700). Etiam de aliis pontificibus fertur eos tales concessisse indulgentias. *Paschalis I.* concessit, ut, qui in sacello S. Zenonis certum numerum Missarum pro defuncto celebrasset, defunctum e purgatorio liberaret; *Ioannes VIII.* petente Ludovico rege Francorum indulgentiam concessit his, qui in pugna ceciderant, *Ioannes IX.* indulgentiam concessit pro Arnulpho imperatore (Pesch, Praei, dogm. VII. n. 503). — *Exemplum* celebre « redemptionis » solet citari e Vita S. Dominici Loricati, monachi Fontis Avellani, a S. Petro Damiani (t 1072) conscripta: « Per singulos dies (agitur de Quadragesima) dum se scoparum (Rute, vesszo) tunsionibus afficit, ut minus tria psalteria meditando persolvit. Centum autem annorum poenitentia, sicut ipso auctore didicimus, sic expletur », dicit Petrus Damiani de S. Dominico. (PL 144, 1015). Hanc computationem « redemptionis » ipse poenitens S. Dominicus fecit; etiam confessarii fecerunt tales computes, dum episcopi ad arbitrium suum poenarum partem remiserunt.

3°. Inde a saec. XI-o vero et saeculis subsequentibus (saec. XI-XHI.) iam *Summi Pontifices* quibusdam in casibus *totam poenitentiam,* i.e. satisfactoria opera dimiserunt, ea substituendo aliis operibus, praesertim bello contra infideles. a. Sic *Alexander II.* anno 1063 omnes satisfactiones praestandas remiserat pugnam immissuris contra Arabes in Hispania. Maxima vero indulgentia plenaria largita fuit per *B. Urbanum II.* iis, qui Crucem susceperunt profecturi ad Terram Sanctam liberandam: « Nos autem de misericordia Dei — dixit Urbanus II. in Claromontano campo — et beatorum Petri et Pauli apostolorum auctoritate confisi, fidelibus christianis, qui contra eos (sc. infideles) arma susceperint, et onus sibi huius peregrinationis assumpserint, immensas pro suis delictis poenitentias relaxamus. Qui autem ibi (sc. in Terra Sancta) in vera poenitentia decesserint, *et* peccatorum indulgentiam *et* fructum aeternae mercedis se non dubitent habituros » (Hardouin Cone. vol. VI, 2 p. 1724). — b. Tales indulgentiae veri nominis plenariae dein saec. XII-XIII. plures concessae fuerunt iis, qui Crucem susceperunt contra Mahometanos, Waldenses et

Albigenses, Tartaros et alios infideles. — Etiam *episcopi indulgentias partiales,* non solum singulis, sed turmis elargitas, donare consueverunt hoc tempore, ita. ut a summa auctoritate ecclesiastica coerceri debebant. *Cone, etenim Lateranense IV* (1215) hunc canonem condidit: « Quia per indiscretas et superfluas indulgentias, quas quidem ecclesiarum praelati facere non verentur, et claves Ecclesiae contemnuntur et poenitentialis satisfactio enervatur, decernimus, ut, cum dedicatur basilica, non extendatur indulgentia ultra unum annum, sive ab uno, sive a pluribus episcopis dedicatur, ac deinde in anniversario dedicationis tempore quadraginta dies de iniunctis poenitentiis indulta remissio non excedat. Ad hunc quoque dierum numerum indulgentiarum litteras praecipimus moderari, quae pro quibuslibet causis aliquoties conceduntur » (can. 62). — c. Indulgentiae nunc iam perdiu non fuerunt merae commutationes, sed *iam verae indulgentiae;* opus praescriptum, ut visitatio ecclesiae, adsistentia ad dedicationem basilicae, elemosyna iam non habuerunt rationem commutationis, redemptionis, sed *conditio* erant, ad cuius positionem lucrari potuit indulgentia e voluntate auctoritatis ecclesiasticae elargita.

4°. *Decursu saec. XIII-i theoria quoque* indulgentiarum expolita fuit per Htigonem a S. Caro, ab Alberto Magno, Alexandro Halensi et S. Thoma (Suppi, q. 25-27.). Coronam quasi apposuit huic evolutioni Bonifacius VIII. primam concedendo indulgentiam plenariam iubilaei.

e) Ratione theologica

demonstratur Ecclesiae competere potestatem indulgentias concedendi.

1°. quidem ex eo, quod *qui potest maius, potest et minus facere.* Atqui Ecclesia habet potestatem remittere poenam aeternam vi suae absolutionis, *ergo* habet etiam potestatem remittendi poenas temporales. — Argumentationi tali *obstare* videtur, quod Ecclesia *non potest* solvere vinculum poenae aeternae *extra Sacramentum,* sed solum in Sacramento. At neganda est paritas inter utramque poenam, aeternam sc. et temporalem quoad hunc respectum. *Poena aeterna* ideo non potest solvi extra Sacramentum, quia *peccatum mortale* ab Ecclesia *tantum in Sacramento* potest remitti: nam peccatum mortale exstinguitur per infusionem gratiae, quod Ecclesia solummodo per Poenitentiae Sacramentum potest praestare. *Poena temporalis* vero non requirit talem gratiae infusionem, nam supponit subiectum esse in statu gratiae habitualis. Item remissio peccati venialis potest fieri etiam extra Sacramentum per Ecclesiam ope Sacramentalium. Proinde nihil obstat, quominus remissio poenae temporalis etiam extra Sacramentum possibilis sit.

2 . Optime concinnari potest *argumentum e convenientia,* qua demonstratur (piam maxime Deo convenire, quod Ecclesia habet potestatem concedendi indulgentias. « Dogmate indulgentiarum sacri sigilli instar fulgens radiatur idea divinitatis rex elata: harmonia nimirum iustitiae et misericordiae. Misericordiae quidem, inquantum Deus thesaurum concessit meritorum suae Ecclesiae, iustitiae vero, inquantum Ecclesia cx hoc gratiarum thesauro solvere par est. Indulgentiarum concessio enim non habet rationem simplicis remissionis, nec meri mdicii arbitrarii, sed compensationis, in qua infinite blanda teneritate valere coepit misericordia amoris iustitiaque vindicativa. Ilis omnibus Dei se gerendi modus immense lepidus panditur nobis: bona enim tali ratione impertitur Deus,

ut et Ipse recipiat munuscula, homo donis cumulatur c thesauro Ecclesiae, ne in conspectu Dei vacuis cogatur remanere manibus, quando remissionis poenarum factus est particeps » (Schütz, Dogmat. ed. hungar. II, 575).

Pars II. probatur: Existentia thesauri Ecclesiae.

Fons potestatis Ecclesiae concedendi indulgentias vocatur Thesaurus Ecclesiae, qui definitur per *Pium XI.:* « *Cumulatissima Jesu Christi, B. Mariae Virginis Sanctorumque merita* » (Bulla lubilaei 29. maii 1924. Denz. 2193). Haec merita sunt satisfactiones infinitae Christi, ad cuius thesauri cumulum merita seu satisfactiones « B. Virginis et omnium electorum a primo insto usque ad ultimum adminiculum praestare noscuntur », ut *Clemens VI.* enuntiavit (Denz. 552). Cumulus ille meritorum nil aliud est, quam acceptatio meritorum infinitorum Christi et finitorum B. Virginis et Sanctorum a parte Dei.

Optime monet *Ch. Pesch,* Ecclesiam potestatem concedendi indulgentias non accepisse propter merita Sanctorum, sed *unice* propter merita infinita Christi. Merita B. Virginis et Sanctorum « adminiculum praestare noscuntur ». i.e. *postquam* Ecclesia hanc potestatem habet, potest etiam satisfactiones supererogatorias Sanctorum distribuere (VII. n. 491).

a) Vox Ecclesiae.

Bulla « Unigenitus dei Filius » Clementis VI, 25. jan. 1343: « Christus in ara Crucis innocens immolatus non guttam sanguinis modicam, sed copiose, vehit qoddam profluvium noscitur effudisse... exinde... thesaurum militanti Ecclesiae acquisivit... ut sic sit infinitus thesaurus hominibus... Ad cuius quidem thesauri cumulum B. Dei Genitricis omniumque electorum a primo iusto usque ad ultimum merita adminiculum (Stiitze, support, appui, appoggio, tamasz) praestare noscuntur » (Denz. 550-552). — *Sixtus IV. Bulla in favorem ecclesiae S. Petri Xanctonensis* 3. aug. 1476: « ...auctoritate apostolica de thesauro Ecclesiae animabus in purgatorio exsistentibus succurrere volentes... quantum cum Deo possumus, de divina misericordia confisi ac de plenitudine potestatis concedimus pariter ac indulgemus... » (Denz. 723. a.). — *Leo X. damnatio prop. 17. Lutheri* 15. jun. 1520: « Thesauri Ecclesiae, unde Papa dat indulgentias, non sunt merita Christi et Sanctorum » (Denz. 757). — *Pius VI. damnatio prop. 41. Synodi Pistoriensis* 28. aug. 1794: « Item in eo, quod subditur scholasticos suis subtilitatibus inflatos invexisse thesaurum male intellectum meritorum Christi et Sanctorum, et clarae notioni absolutionis a poena canonica substituisse confusam et falsam applicationis meritorum, quasi thesauri Ecclesiae, unde Papa dat indulgentias, non sint merita Christi et Sanctorum: falsa, temeraria, Christi et Sanctorum meritis iniuriosa » (Denz. 1541). — *Pius XI. Bulla lubilaei* 29. maii 1924: « ...poenis omnibus, quas pro culpis vitiisque suis luere debuerant, ob cumulatissima Christi Jesu, B. Mariae Virginis, Sanctorumque merita plene exsolvuntur » (Denz. 2193).

b) Traditio sacra

cognoscit talem thesaurum Ecclesiae. Sufficiat allegare S. *Ambrosium:* ‹ Velut operibus quibusdam totius populi purgatur, et plebis lacrimis abluitur, qui orationibus et fletibus plebis redimitur a peccato... Donavit enim Christus Ecclesiae suas, ut *unum per omnes* redimeret, quae Domini Jesu meruit adventum, ut per unum omnes redimerentur » (De poenit. I. 15,80 RJ 1296). —

Ipsum nomen iam occurrit in homilia S. *Chrysostomi de* SS. luventino et Maximiano: « Hodie par sanctorum militum in acie exercitum Christi constituit... Eiusmodi est Ecclesiae thesaurus (ho tes Ekklêsias thesauros), novas et veteres habet margaritas » (PG 50,571).

c) Ratio theologica

1°. Desumitur e dogmate communionis Sanctorum, docente S. Thoma: « Ratio autem quare valere possint (sc. indulgentiae), est *unitas corporis mystici,* in qua multi in operibus poenitentiae supererogaverunt ad mensuram debitorum suorum, et multas etiam tribulationes iniustas sustinuerunt patienter, per quas multitudo poenarum poterat expiari, si eis deberetur, quorum meritorum tanta est copia, ut omnem poenam debitam nunc viventibus excedant. Et praecipue propter meritum Christi, quod, etsi in Sacramentis operatur, non tamen efficacia eius in Sacramentis includitur, sed *sua infinitate excedit* efficaciam Sacramentorum... Praedicta merita sunt communia totius Ecclesiae. Ea autem, quae sunt alicuius multitudinis communia, distribuuntur singulis de multitudine secundum arbitrium eius, qui multitudini praeest » (Suppi, q. 25. a. 1.).

2°. *Argumentum convenientiae* fieri potest a. ex eo, quod thesaurus meritorum Christi quidem praecipue in Missae sacrificio et in Sacramentis dispensatur, sed, praecise quia thesaurus hic infinitus est, *excedit infinitate* sua efficaciam Sacramentorum, ut S. Thomas dicit. Ergo convenit, ut hic excessus operatur tunc, ubi Sacramentum Poenitentiae totaliter non remittit poenas temporales. — b. Item: *merita B. Mariae Virginis et iustorum* sunt tantum « *adminiculum* » huius thesauri. Non ac si hoc adminiculo indigeret, sed Deus, dives in misericordia, intendit et concedit, ut merita unius membri adiuvent aliud membrum indigens. *Sed* haec merita supererogatoria quodammodo postulant, *ut eis efficacia detur:* nam in Missae sacrificio et in Sacramentis solummodo *Christi* merita operantur. Convenit ergo, *ut etiam ista merita, adminiculi instar adhibeantur ad illud,* ut membrorum Corporis Christi indigentiae succurratur, sicuti pater sinit filiolum ut eum in operibus suis modo puerili adiuvet. — c. Demum: eo, quod illius qui praeest multitudini, est distribure hos favores, *commendatur maiestas* Sedis et successoris S. Petri.

3. De modo concedendi indulgentias.

Summus Pontifex, supremus dispensator thesauri Ecclesiae, determinat modum, quo indulgentiae conceduntur. Modus hic variatur *primo* secundum personam *donati:* num *vivis* vel *defunctis* remissio poenae temporalis concedatur, illi enim consequuntur indulgentiam per modum absolutionis, hi autem per modum suffragii. — *Deinde* modus concedendi indulgentias inquiritur secundum *effectum,* qui a dispensatore indulgentiae supremo intenditur ut consecuturus: sicque distinguitur indulgentia *plenaria* et *partialis,* quando solum pars poenae temporalis remittitur. — *Demum* concedi possunt indulgentiae secundum *subiectum* cui inhaerent: inhaerere possunt enim quibusdam *locis* sacris puta ecclesiis vel coemeteriis, dein *rebus,* ut Rosario, tertio *personis,* physicis vel moralibus, quarto *temporibus* quibusdam, ut e.gr. anno sancto. Indulgentiae ergo trifarie dividuntur:

INDULGENTIAE: CONCEDUNTUR:

r a t i o n e :

a) Consecutionis:	b) Effectus:	c) Subiecti:
per modum absolutionis quoad vivos, infallibiliter	plenaria	localis
	partialis	rcalis
per modum suffragii quoad defunctos: infallibiliter:		personalis
in genere, fallibiliter:		temporalis
in specie.		

a) Indulgentiae ratione consecutionis (absolutionis et suffragii).

1°. Ratio, cur non possunt concedi indulgentiae eodem modo fidelibus vivis, ac defunctis, est, quod *defuncti* fideles *iam non sunt subditi* ullius auctoritatis terrenae, ergo nec ecclesiasticae.

a. Quia vero Summus Pontifex, supremus dispensator thesauri Ecclesiae, auctoritatem solummodo super fideles vivos habet, tantum vivos potest absolvere iuxta potestatem a Christo Domino Petro eiusve successoribus datam. Haec potestas iure vocatur *absolutio,* etsi extra Sacramentum Poenitentiae datur, nam ex una parte haec remissio poenae temporalis ordinatur aliquo modo ad absolutionem *sacramentalem,* eam nempe supponit.

b. Ex altera parte non solum remissio reatus *culpae* potest vocari absolutio scilicet a vinculis peccati, sed *etiam dimissio poenae* pro peccatis adhuc debitae temporalis: etenim etiam hic reatus poenae constituit vinculum, a quo unusquisque gravatus adhuc solvi debet. Iure ergo vocatur ab Ecclesia talis remissio « *absolutio* »: « Remissionem... ecclesiastica auctoritas ex thesauro Ecclesiae concedit pro vivis per modum absolutionis » (can. 911).

c. Absolutio haec non immediate reatum poenae attingit, tunc etenim plus valeret remissio poenae extrasacramentalis, quam remissio sacramentalis, illa per indulgentiam, haec per satisfactionem. Sed absolutio indulgentialis pro vivis data *immediate* attingit *obligationem satisfaciendi hypotheticam,* quod ex evolutione praxeos indulgentialis pronum est: opera poenalia quadraginta dierum supplentur per concessionem remissionis poenarum temporalium pro tali satisfactione debitae; opus vero praestandum, e.gr. visitatio ecclesiae iam non est in se opus satisfactorium, sed *mera conditio huius remissionis,* i.e. indulgentiae lucrandae. — Effectus hic *infallibiliter* impetratur, supposito quod conditionem adimpleverit statumque habet requisitae capacitatis.

2°. Aliter se habet res quoad indulgentias *pro defunctis concessas.*

a. Defuncti iam non sunt subditi auctoritatis ecclesiasticae, ideo simpliciter remitti nequit poena temporalis pro peccatis debita. Sed communia merita transferri possunt etiam eis, ut Doctor Communis docet: « (indulgentia) principaliter quidem prodest ei, qui indulgentiam accipit, scilicet qui facit hoc, pro quo indulgentia datur... Secundario autem et indirecte prosunt ei, pro quo aliquis facit illud, quod est indulgentiae causa... Non est aliqua ratio, quare

Ecclesia transferre possit communia merita, quibus indulgentiae innituntur, in vivos, et non in mortuos » (Suppi, q. 71. a. 10).

b. Opus quod ponitur etiam heic mera conditio est, causa enim remissionis est concessio auctoritatis ecclesiasticae *per deprecationem facta: Summus Pontifex,* qua supremus dispensator thesauri Ecclesiae, deprecatur Deum, ut ex hoc thesauro concedat Deus remissionem defuncto, per id, quod solutionem acceptat c thesauro meritorum Christi, B. Virginis et Sanctorum oblatam. Talis modus concedendi defunctis indulgentias merito vocatur ab Ecclesia « *pro defunctis per modum suffragii* » (can. 911). Etiam ipse fidelis potest deprecari Deum, ut concedat remissionem poenarum alicui defuncto, potest defunctis prodesse per multiplices actus virtutis: sed si *indulgentiam* lucretur pro defunctis. tunc *deprecator est Summus Pontifex,* quatenus ipse est dispensator thesauri: lucrans vero indulgentiam tantum *conditionem sine qua non* praestat, ut haec deprecatio satisfactoria summi Pontificis effectum sortiatur, *simulque personam designat,* cui haec praecise remissio indulgentialis obveniat.

c. Quod infallibilitatem effectus attinet, *in genere* sine dubio *infallibilis* est, quod *alicui* defuncto remissio obveniet poenae temporalis, sed non certo illi, pro quo indulgentia oblata fuit, nam secundum communem sententiam theologorum consecutio remissionis poenae temporalis *in specie est fallibilis.* Hoc enim generalis lex est distributionis suffragiorum pro defunctis, etiam Missae fructus tali modo fallibili dantur in specie defunctis ab oblatore determinatis, ut S. Thomas docet: « Quamvis haec oblatio ex sui quantitate sufficiat ad satisfaciendum pro omni poena, tamen fit satisfactoria illis pro *quibus offertur,* vel etiam *offerentibus secundum quantitatem suae devotionis,* et non pro tota poena » (III q. 79. a. 5.). Et hanc normam applicare debemus etiam ad indulgentias: ille defunctus pro quo offertur indulgentia, accipit secundum quantitatem suae devotionis remissionem poenae temporalis: « Haec mensura devotionis dependet pro animabus purgatorii a dispositionibus *(pias habuerunt in momento mortis* » (sic Carrigou-Lagrange, La vie éternelle et la profondeur de l'âme, Paris 1950, p. 277). Recte assignatur a *Lercher* qua talis defectus dispositionis, despectus quidam indulgentiarum, quam habuit defunctus vel defectus orationis pro defunctis durante defuncti vita (n. 639,4).

3°. Vicus *pro vivo* non potest indulgentiam applicare, iuxta legem prudentem Ecclesiae, ne in sua incuria adiuventur tales, qui possent sibi adhuc vivi succurrere lucrando indulgentias: Nemo potest indulgentias pro aliis vivis applicare; pro animabus vero in purgatorio omnes a Romano Pontifice concessae applicabiles sunt, nisi aliud constet (can. 930). — *Ratio* exclusive in voluntate auctoritatis ecclesiasticae invenitur, nam per se possent indulgentiae etiam vivis applicari, si concedens indulgentiam hoc vellet.

b) Indulgentiae ratione effectus (plenaria ct partialis).

Agitur nunc de modo (pio indulgentiae concedantur quoad effectum consecutionis indulgentiae: (pialis quantitas poenae temporalis remittatur per indulgentiam. Si *tota* poena temporalis remittitur, habetur indulgentia *plenaria,* si *pars* tantum, habetur indulgentia *partialis.*

1 . *Indulgentia plenaria* seu *totalis remittit omnea poenas temporales, si sufficiens dispositio necessaria adest,* (piam Ecclesiae concessio supponit, nam dicitur. « Plenaria indulgentia ita concessa intelligitur, ut si quis eam plenarie

lucrari non possit, eam tamen partialiter lucretur pro dispositione, quam habet » (can. 926).

a. « *Plenarie eam non potest lucrari* », ille qui in *solo* statu gratiae constitutus, venialia adhuc habet vel saltem affectum ad quodcunque veniale. Bene notandum est: affectus seu adhaesio utique non intelligitur affectus naturalis, qui sequela est naturae lapsae, sed *voluntaria adhaesio ad veniale.* Ratio est, quod reatus culpae venialis tali in casu adhuc exstat, atqui non potest remitti totaliter reatus poenae sine remissione reatus culpae. — Quantam indulgentiam partialem lucretur is, qui plenariam non potest consequi, definiri non potest. Certo falsum est, quod fertur ab aliquibus Doctoribus dictum fuisse, plenariam indulgentiam forsitan nunquam ab ullo impetratam esse: Ecclesia enim plenarias indulgentias concedens erraret ad impossibile alliciens fideles suos.

b. *Quoties lucrari possit* indulgentia plenaria: « Indulgentia plenaria *nisi aliud expresse cautum sit,* acquiri potest *semel tantum in die,* etsi idem opus praescriptum pluries ponatur » (can. 928. § 1.). Dein adhuc: « Indulgentia plenaria concessa ut quotidiana perpetua vel ad tempus visitantibus aliquam ecclesiam vel publicum oratorium ita intelligenda est, ut quacunque die, sed *semel tantum in anno,* ab unoquoque fideli acquiri possit, nisi aliud in decreto expresse dicatur » (can. 921 § 3.). — Existunt ergo exceptiones ab utraque lege, hae vocantur indulgentiae plenariae « *toties quoties* », i. e. pluries in die lucrari possunt, si idem opus praescriptum fiat.

c. *Indulgentiae plenariae toties-quoties* sunt sequentes iuxta Enchiridion Indulgentiarum (quod breviatur: «EZ. »)

(1) « Iis qui *coram Sanctissimo* Eucharistiae Sacramento publice exposito *vel* etiam in tabernaculo adservato, tertiam Rosarii partem pia mente recitaverint, quoties id egerint, conceditur: Indulgentia plenaria, si praeterea peccatorum veniam obtinuerint, et ad sacram synaxim accesserint » (EI n. 395). Ad hanc plenariam indulgentiam non est necessarium, ut corona utantur benedicta, si utantur « praeter supradictas indulgentias, alias acquirere possunt » (ibidem). (Cf. de Rosario: De Eccl. orante G. 3. e).

(2) « Fidelibus, qui sive singulatim, sive in comitatu saltem corde contrito, pium exercitum *Viae Crucis* legitime erectae, ad praescripta Sanctate Sedis, peregerint, conceditur: indulgentia plenaria, *quoties id egerint* » (EI n. 194). Ergo non requiritur tali in casu nec confessio, nec communio, sed *status gratiae per contritionem perfectam* acquisita sufficit.

(3) Indulgentia plenaria toties-quoties fidelibus « pro singulis visitationibus *die qua mensis clauditur* » : « Fidelibus qui mense lunio (vel alio iuxta Rcvmi Ordinarii prudens indicium) pio exercitio in honorem *Sanctissimi Cordis Jesu* publice peracto... diebus saltem decem sacris concionibus ct piis precibus adstiterint, *vel* spiritualibus exercitiis ex integro vacaverint, (piis obsequiis passim praestitis), *si* praeterea sacramentalem confessionem instituerint, caelestem panem sumpserint, et *sexies* Pater, Ave et Gloria ad mentem Summi Pontificis in unaquaque visitatione recitaverint » (EI n. 253.)

(4) Indulgentia plenaria toties-quoties defunctis solum applicabilis « die quo *Commemoratio Omnium Fidelium Defunctorum* celebratur *vel* die dominico proxime insequenti, quoties aliquam ecclesiam aut publicum vel (pro legitime utentibus) semipublicum oratorium visitaverint... » si praeterea sacra mentalem confessionem instituerint, sacram Communionem susceperint, *sexies* Pater, Ave, Gloria ad mentem Summi Pontificis in unaquaque visitatione reci-

taverint » (EI n. 590). Tum 2. nov. tum in Dom. non potest lucrari indulgentiam, ergo si quis sponte dominicam subsequentem elegerit, tunc tantum, nam particula ‹ vel » *disiunctionem* significat, potest indulgentiam toties-quoties lucrari. — Item. « Fidelibus, qui durante Commemorationis Omnium Fidelium octavario, coemeterium pie ac devote visitaverint, et vel mente tantum pro defunctis exoraverint, conceditur indulgentia plenaria *suetis conditionibus,* singulis diebus, defunctis tantum applicabilis » (EI n. 592.). Ergo: unaquaque die octavario durante *una* tantum indulgentia plenaria lucrari potest, sed iam non sex, sed unum Pater, Ave et Gloria recitandum est (cf. inferius, quid sit « suetis conditionibus » : 4. b. 3°. b.).

(5) In ecclesiis, quae habent ius ad indulgentiam « *Portiunculae* », indulgentia toties-quoties plenaria lucrari potest, qui post confessionem et communionem · ecclesiam vel oratorium, privilegio ditatam, invisat, precesque ad mentem Summi Pontificis de more fundat, id est, saltem sexies Pater, Ave et Gloria in unaquaque earum visitationum, quas ad indulgentiam iterum impetrandam rite peragat » (EI n. 698). — « Omnes ecclesiae cathédrales ac paroeciales, ac praeterea aliae ecclesiae, aliaque oratoria... a S. Poenitentiaria Apostolica, per supplicem libellum ab Ordinario commendatum, Portiunculae privilegium obtinere jossunt » (ibid.). — Dies vero determinatur: Ordinarii locorum disjunctive ve diem 2. aug. vel dominicam insequentem designare possunt ad indulgentiam lucrandam, fideles vero utraque die possunt indulgentiam hanc consequi *in alia* ecclesia, privilegio hoc ditata (sic S. Poenit. d 13. jan. 1930, AAS 1930 43).

(6) Aliis ecclesiis quorundam ordinum religiosorum variae indulgentiae toties-quoties datae sunt *pro quibusdam diebus,* similes indulgentiae Portiunculae. Hae indulgentiae adhuc valent, sed in Enchiridio Indulgentiarum non continentur, nam haec collectio authentica tantum indulgentias *generales* continet. (Inveniuntur apud Vermeersch-Creusen n. 598., Noldin-Heinzel n. 317. c., Anler, Comes pastoralis p. 221-222).

(7) *Specimina indulgentiarum plenariarum,* quae *semel, sed omnibus diebus* lucrari possunt. 1. *Fidelibus* orationem « Ego o bone ct dulcissime Jesu.. » « coram Jesu Christi imagine pie recitantibus » inde ab anno 1858. — et 2. *Clericis in maioribus* (sacris) constitutis, « qui integrum divinum officium, quamvis in partes distributum coram SSmo Sacramento, sive publicae adorationi exposito sive in tabernaculo adservato, devote recitaverint », inde ab anno 1930. conceditur: indulgentia plenaria si « praeterea sacramentalem confessionem instituerint, ad eucharisticum convivium accesserint et ad mentem Summi Pontificis oraverint » (EI n. 201. ct 736.), de quibus inferius 4. b. 3°. — b. Hae indulgentiae itaque practice omni dic lucrari possunt.

2" *Indulgentiae partiales* vocantur, quae *tantum partem poenae temporalis pro peccatis debitae remittunt.*

a. Initio praxis indulgentiarum revera concedebatur indulgentia: « *quartae vel tertiae partis* », dein impertiri solebant indulgentiam 40 etc. dierum. Haec indulgentia partialis usque hodie in usu remansit, sed nullo modo significat tot dierum etc. poenas (c. gr. 40 dies e totali tempore poenae) remitti, sed *tantum* remitti coram Deo e poena debita, *quantum remitteretur per satisfactiones poenales* (› poenitentias ») *antiquorum temporum,* quarum locum nunc indulgentiae tenent. Indulgentia 300 dierum ergo significat, remitti poenas. quarum remissio aequivaleret satisfactioni 300 dierum iuxtra antiquam

canonicam poenitentiam, item septem annorum indulgentia significat remissionem poenarum, quae delerentur per septem annos poenitentiae, « quadragena » significat ieiunium 40 dierum strictissimi ieiunii etc. Merito monet Vermeersch-Creuscn: « Cum tamen canonica poenitentiarum disciplina varia severitate fuerit pro varietate locorum et temporum, et nemo hactenus definiverit tempora et loca, ad (piae concessio se referat, fatendum est indulgentiam partialem *laborare quadam incertitudine,* quae feliciter tolli posset » (n. 570. 1 a.)

b. *Quoties indulgentiae partiales concedi possunt:* « Partialis indulgentia, nisi contrarium expresse notetur, saepius per diem, eodem opere repetito, potest lucrifieri » (can. 928. § 2.)

c. *Specimina quaedam indulgentiae partialis.*

(1) Ad *elevationem Hostiae in Missae* sacrificio fidelibus, si hanc « jaculatoriam precem fide, pietate et amore recitaverint: Dominus meus et Deus meus! » 7 annorum (EI n. 133).

(2) Fidelibus « qui *post consecrationem* in Missae sacrificio devote recitaverint: Benedictus qui venit in nomine Domini: Hosanna in excelsis! » 500 dierum (EI n. 139).

(3) Fidelibus, *«quoties ad sonum elevationis* SS. Eucharistiae Sacramenti perdurante Missae celebratione aliquam precem fuderint, ubicumque ses repererint » 300 dierum (EI n. 142).

(4) Fidelibus, « qui obsequium debitae *genuflexionis* erga SS. Eucharistiae Sacramentum in tabernaculo reconditum rite praestiterint, recitantes hanc vel similem jaculatoriam precem: Gesu mio Dio, vi adoro qui présente nel Sacramento dei vostro amore »: 300 dierum. — Si utroque genu coram Sanctissimo exposito genuflexionem peregerint: 500 dierum. — « Si vero, ecclesiam vel oratorium, ubi Ssmum Sacramentum asservatur, praetereuntes, aliquod *externum obsequium* praestiterint »: 300 dierum (EI n. 146). Nil refert, an obsequium crucissignatione, capitis inclinatione, vel — ut in quibusdam regionibus Europae centralis — levando capiti superpositum petasum (pileum) vel alio signo usitato venerationis fiat.

(5) *Christiana salutatio:* « Laudetur Jesus Christus. Resp. Arnen »., vel « In saecula ». — « Laudetur Jesus et Maria. Resp. Hodie et semper ». — « Fidelibus, quoties se invicem salutaverint, sub aliqua ex praefatis vel similibus formis »: 300 dierum (EI n. 697).

(6) *Preces « Angelus »* vel tempore paschali « *Regina coeli ».* « Fidelibus, qui cum *primo diluculo,* tum *meridiano* tempore, tum *sub vesperam* vel cum primum postea potuerint, precationem Angelus Domini cum statutis versiculis et oratione, aut tempore paschali ant. Regina coeli item cum usitata oratione, aut demum quinquies salutationem angelicam Ave Maria devote recitaverint » decem annorum « quoties id egerint » (EI n. 331); non requiritur ergo ad indulgentiam participandam ut precatio flexis genibus et praecise ad sonum Campanae fiat. (cf. Vermeersch-Creusen n. 602).

Innumerae indulgentiae partiales conferantur in Enchiridio Indulgentiarum.

c) Indulgentiae ratione subiecti cui inhaerent.

Hac ratione distinguuntur indulgentiae sive plenariae sive partiales: locales, personales et temporales.

1°. Indulgentiae locales sunt illae, *quae immediate alicui pio loco, vel rei in loco detentae,* ut altari, Cruci, imagini in aliqua ecclesia, *adnexae sunt.*

a. *Non cessant* indulgentiae locales, i. e. « adnexae alicui ecclesiae, si ecclesia. funditus evertatur rursusque intra quinquaginta annos aedificetur in eodem vel fere eodem loco et sub eodem titulo » (can. 924 § 1.).

b. *Specimina indulgentiae localis.* Tales sunt innumerae indulgentiae *locorum piorum,* i. e. sanctuariorum, ad quae peregrini longe lateque accurrunt. Maximam indulgentiam possident venerabiles basilicae Vaticana et Lateranensis: Fidelibus « qui confessi ac sacra Synaxi refecti pia mente visitaverint ibique sexies Pater, Ave et Gloria ad Summi Pontificis mentem in unaquaque visitatione devote recitaverint ». Indulgentia plenaria conceditur « quoties id egerit », visitando nempe Patriarchalem Basilicam Vaticanam ct Archibasilicam Lateranensem (EI n. 774.776). — Indulgentia localis est etiam indulgentia visitationi septem altarium Basilicae Vaticanae concessa (EI n. 775).

2°. Indulgentia realis *est indulgentia rei sacrae adnexa,* in specie: coronae, ut Rosarium Mariale, imagines Crucifixi, numismata (medaglia, érem), parvae imagines, scapularia.

a. *Cessant* « indulgentiae coronis aliisve rebus adnexae tunc tantum, cum coronae aliaeve res prorsus desinant esse, vel vendantur » (can. 924. § 2.); non ergo, si dono dantur. Coronae ergo indulgentias non amittunt, si chorda rumpitur et grana denuo nectuntur, nec si pauca tantum grana supplentur amissae. Subiectum indulgentiae est Crucifixus, non vero ipsa crux, quae potest commutari.

b. Res debent esse e *materia praescripta* solida, (piae cadendo non frangatur, possunt esse e vitro compacto, sed non conflato et vacuo (S. Poenit. d 21. dec. 1925). — *Formula* adhiberi debet ab Ecclesia praescripta in Rituali Romano. Qui habent privilegium, ut membra aliquorum Associationum sacerdotalium. unico Crucis signo possunt benedicere res, quibus indulgentiae adnexae sunt. Multae benedictiones *aliquibus ordinibus religiosis reservate sunt,* sic Rosaria Ordini Praedicatorum, Scapularia Carmelitis, alia scapularia aliis ordinibus. Superiores religiosi delegare tantum suis subditis possunt facultatem benedicendi inde a deer. S. Poenit. 20. mart. 1933. — *Eadem res* subiectum potest esse *variarum indulgentiarum,* sic Rosarium Mariale non solum indulgentias O. P. concessas, sed etiam indulgentias Crucigerorum et papales adnexas habere potest. — Rebus *uti debent sicut praescriptum est,* scapulare ergo portandum est in collo, item numisma e. gr. miraculosa B. Mariae Virginis, vel S. Benedicti. Qui labore manuum occupati sunt, vel e causa rationabili Rosarium manibus tenere non possint (v. gr. si in plateis eunt) indulgentias lucrari possunt, si « sccum quomodocunque coronam vel Rosarium deferunt » (S. Poenit. d 9. nov. 1933). Si communiter recitetur Rosarium, sufficit, ut unus praeorator in manibus portet Rosarium.

c. *Specimina indulgentiae realis.* (1) *Coronae* vocantur grana filo seu « chordae » nexae, « Rosarium » solum corona B. Mariae V. vocatur Ord. Praedicatorum. Coronae sunt: Corona Crucigerorum, Septem dolorum B. M. V. *{septem dolores:* Simconis prophetia, fuga in Aegyptum, amissio Jcsu duodeni, obviatio in Via Crucis, exaltatio in Cruce facta, depositio e Cruce, sepultura). Corona septem gaudiorum B. M. V. *{septem gaudia:* Annuntiatio, visitatio, nativitas D \ J Christi, adoratio Magorum, inventio in templo, resurrectio, assumptio et coronatio Deiparae). — (2) *Imagines Crucifixi* portare possunt indulgentias toties-quoties, quae sic intelligendac sunt, quod *quilibet fidelis,* non solum possessor, in articulo mortis positus imaginem Crucifixi in manibus portans, et

osculans, dummodo confessi et s. communione refecti fuerint, vel saltem contriti, si id facere nequiverint, et ss. nomen Jesu ore, si potuerint, sin minus corde devote invocaverint, et mortem tamquam stipendium peccati de manu Dei patientes susceperint: indulgentiam plenariam omnium poenarum temporalium lucrantur (Vermeersch-Creusen n. 594). — (3) *'Numismata* possunt scapularia supplere, semel iam imposita, dein habentur numismata peculiaria, sic B. Mariae V. Miraculosum, numisma S. Patris Benedicti contra infestationes diabolicas etc. — (4) *Scapularia* ab Ecclesia rata habita et indulgentiis ditata quindecim exsistunt, inter quae eminet scapulare B. Mariae V. Carmelitarum. Exaggeratum videtur « privilegium sabbatinum » *eo sensu,* quod moriens in hoc scapulari, sabbato mortem sequente liberabitur e Purgatorio. Hoc nec visio primigenia S. Simeonis Stock, nec « Bulla Sabbatina » Sixti IV., nec Pauli V. (20. jan. 1613) habet quae bulla dicit Mariam confratres huius Scapularis adiuvare « speciali protectione post eorum transitum, praecipue in die sabbati ». In oratione benedictionis huius scapularis vero dicitur: « ...precamur, ut in hora obitus tui conterat caput serpentis, qui tibi est adversarius, et tandem tamquam victor, palmam et coronam sempiternae haereditatis consequaris » (Rit. Rom. tit. IX. c. 11. n. 11). (Cf. uberius B. Xiberta, De visione S. Simeonis Stock Romae 1950). — (De indulgentiis realibus cf. S. De Angelis, De Indulg. 1950, n. 210-409).

3°. Personales indulgentiae sunt longe plures indulgentiae, concedi possunt vel omnibus et singulis fidelibus, i. e. singulis *personis physicis,* vel personae morali, ut ordini religioso vel confraternitati, tandem *in favorem quarumdam personarum coetibus, e. gr.* candidatis ad sacerdotium clericis in sacris constitutis, sacerdotibus primum Sacrum facientibus et fidelibus qui primae Missae adstiterint (EI n. 742. et 621.676), religiosis, pueris, docentibus et iis qui studiis vacant, iuvenibus, coniugibus, parentibus, filiis, sodalibus Actionis Catholicae etc. (De quibus cf. Ench. Indulg. n. 727-772 bis).

4°. Indulgentiae « temporales » forte hire vocari possent « indulgentiae adnexae festis vel sacris supplicationibus vel precibus novemdialibus, septenariis, triduanis » (can. 922).

a. Hae indulgentiae « *translatae* intelliguntur, in eum diem, quo festa huiusmodi legitime transferantur, si festum translatum habeat officium cum Missa sine sollemnitate et externa celebratione, ac translatio fiat in perpetuum, vel si transferatur sive ad tempus, sive in perpetuum sollemnitas et externa celebratio ». (can. 922). — Sic e. gr. in Gallia et alibi Epiphania et festum S. Petri et Pauli celebratur in perpetuum dominica insequente; sollemnitas tantum externa transfertur B. Mariae a Rosario in dominicam.

b. *Regula de supputatione temporis,* quando incipiat dies in quo indulgentia lucrari potest, quae applicari debet etiam ut patet, indulgentiis plenariis toties-quoties superius enumeratis (cf. supra b. 1° c. n. 3. 4. 5.): « Ad lucrandam indulgentiam alicui diei affixam, si visitatio ecclesiae vel oratorii requiratur, haec *fieri potest a meridie diei praecedentis usque ad mediam noctem, quae statum diem claudit* » (can. 923). Regula haec permagni momenti est, nam possibilitatem indulgentiae lucrandi tempori adnexae unius diei, extendit ad 36 horas, quod etiam indulgentiis plenariis valet. Sic indulgentia Omnium Fidelium Defunctorum iam a meridie Festi Omnium Sactorum lucrari potest, similiter omnes aliae plenariae diei affixae.

4. De consecutione indulgentiae.

Agitur de capacitate consecutionis seu lucrationis indulgentias, dein de realitate consecutionis, i. e. ut quis reapse eas lucretur.

a) De capacitate consecutionis indulgentiarum.

Can. 925: « Ut quis capax sit sibi lucrandi indulgentias, debet esse n:

1°. « *Baptizatur* », quod per se patet, nam nec Sacramentum Poenitentiae suscipere potest, quod supponit consecutionem indulgentiarum.

2°. ·*Noη excommunicabis* », talis enim non fit particeps indulgentiarum Ecclesiae (can. 2262).

3°. « *In statu gratiae saltem in fine operum* », pronum enim est poenam temporalem remitti non posse sine remissione aeternae. Sed non requiritur, ut ab initio in statu gratiae sit, « in fine operum » debet esse in tali statu, quando indulgentia lucrari potest. Clare videtur hoc ex *Instructione* S. *Poenitent. 26. dec. 1950:* « Si quis post confessionem peractam ultimo nondum completo opere, in letale rursus inciderit, iteret confessionem opertet, *si* s. Synaxim debet adhuc suscipere, *secus* satis erit, ut, actu contritionis perfectae elicito, cum Deo reconcilietur. » — Si *s. communio non* praescribatur, ut in indulgentia Viae Crucis, vel in indulgentiis particularibus, sufficit « *corde contrito* », i. e. contritione perfecta procurare sibi statum gratiae.

4°. Sit « *subditus concedentis* » indulgentiam, nam indulgentia est gratiae favor, data vi clavium jurisdictionis ergo in non subditos exerceri non potest. Subditus vero esse intelligitur quoad hunc favorem iuxta legem generalem, ergo qui per se non subditi in territorio versentur concedentis, et subditi etiam evtra territorium participes possunt esse indulgentiarum. Nam indulgentias non solum Romanus Pontifex potest concedere. *Concedere possunt Cardinales* indulgentias 300 dierum, » in locis vel institutis ac pro personis suae iurisdictonis vel protectionis », dein *Metropolitae* 200 dierum « in dioccsibus suffraganeis, sicut in propria diocesi n, item *Episcopi* residentiales, *Abbates* vel Praelati *nullius* et *Vicarii ct Praefecti Apostolici* 100 dierum indulgentias possunt concedere (can. 293 § 1. n. 24., 274. n. 2.. 349. § 2., 323. § 2., 294. § 2.. facultatum CIC auctionem v. S. Poenit. d 20. jul. 1942. cf. AAS 1942, 240). — *Episcopus consecrans* ecclesiam vel altare, « licet jurisdictione in territorio careat », in die consecrationis visitantibus ecclesiam vel altare concedit unum annum, in die anniversaria Cardinalis 200, Archicpiscopus 100. Episcopus 50 dierum indulgentias (can. 1166 §3).

b) De rcalitate consecutionis indulgentiarum.

Can. 925. §2: « Ut vero subiectum capax eas revera lucretur ». tres conditiones assignantur:

1°. «Debet habere *intentionem saltem generalem* eas acquirendi ». Haec intentio « generalis » sufficiens intelligitur « minima intentio vera ad eam lucrandam, saltem si agitur de indulgentia pro seipso lucranda... sufficit et habitualis. i .e ea, quae semel habita ct nunquam retractata fuerit » (Priimmer n 550. similiter omnes auctores.) Nec requiritur, ut lucrans sciat se cum tali opere indulgentiam lucrari, sufficit, si intentionem eliciat se omnes velle indulgentias acquirere. Commendatur tamen, ut saepe excitet intentionem actualem, ut magis aestimet indulgentias.

2°. Debet « *opera iniuncta implere* » *et non opus iam aliunde debitum,* opera ergo indulgentiarum debent supererogatoria esse. Hoc expresse praecipitur: «Opere cui praestando quis lege aut praecepto obligatur, nequit indulgentia lucrifieri, nisi in eiusdem concessione aliud expresse dicatur, qui tamen praestat opus sibi *in sacramentalem poenitentiam* iniunctum et indulgentiis forte ditatum, *potest* simul et poenitentiae satisfacere *et indulgentias lucrari* » (can. 932.) Sic e. gr. celebrans non lucratur indulgentias recitando Confiteor, Domine non sum dignus et alias preces, qui bas recitare debet iuxta leges liturgicas, etsi *extra* Missam recitatio earum indulgentiis ditata sit. Communio paschalis sufficit ad lucrandas indulgentias, excepto iubilaeo magno (annus sanctus).

3°. Opera iniuncta implere debet « *statuto tempore ac debito modo* o.

De tempore iam locuti sumus, quomodo supputandum sit, restat nunc agendum *de modo,* quo indulgentiae lucrandae sint.

a. « Opera iniuncta implere statuto tempore ac debito modo secundum concessionis tenorem » (can. 925 § 2.). Hic *non excusat bona fides,* modus et tempus observanda sunt, secus, si notabilis esset differentia, non lucratur indulgentiam, nec si ex rationabili causa omitteretur aliquid essentiale quoad modum, Singula quoad modum operum praestandorum indicantur tenore concessionis, sed quia persaepe habetur nota « suetis conditionibus n, haec explicanda est.

b. « *Suetis conditionibus* » significat iuxta declarationem Ecclesiae: « *Confessio, communio, visitatio ecclesiae* aut publici vel (pro legitime utentibus ad normam can. 929.) semipublici oratorii et *oratio ad mentem* Summi Pontificis. In casibus vero, in quibus omnes recensitae conditiones non requiruntur, eae, quae necessariae sunt, singulatim in propriis locis adnotantur » (EI Praenotanda 4. p. VIII.). — Itaque:

(1) *Confessio* (ut patet intelligitur confessio valida) sic computari potest: « Christifideles, qui solent, nisi legitime impediantur, saltem *bis in mense* ad poenitentiae Sacramentum accedere, *aut* sanctam communionem in statu gratiae et cum recta piaque mente recipere *quotidie,* quamvis semel aut iterum per hebdomadam ab eadem abstineant, possunt omnes indulgentias consequi, etiam sine actuali confessione, quae ceteroquin ad eas lucrandas necessaria foret » (can. 931 § 3). Haec lex *disjunctive intelligenda est:* Qui bis confitetur in mense, etsi bis tantum communionem sumpserit, potest omnes indulgentias lucrari sine nova confessione. Sic e. gr. qui decursu Octobris iam bis confessus est, ad lucrandam indulgentiam toties-quoties diei 2. nov. non tenetur confiteri, supposito statu gratiae. Qui vero moraliter quotidie communicat, (notetur heic haberi definitionem authenticam de communionis quotidianitate: qui quinquies in hebdomada communionem sumpserit, habendus est ut communicator quotidianus!), talis nec bis debet confiteri per mensem, ut lucrari possit indulgentias. Quae quidem praescripta prae oculis habenda sunt et declaranda fidelibus, ne confessionibus superfluis tempore indulgentiarum impediant alios fideles a confessione, quando, ut nonnunquam contingit, post confessionem peractam ante 2-3 dies iterum solum propter indulgentiam lucrandam confiteri volunt. — Pro talibus, qui non pertinent ad supra enumeratos, confessio « forte requisita peragi potest *intra* octo dies, qui immediate praecedunt diem, cui indulgentia fuit affixa... etiam intra *subsequentem* totam octavam » (can. 931 § 1.).

(2) *Communio etiam paschalis* valet pro indulgentiis acquirendis, excipitur indulgentia iubilaei, quae semper a Bullis pontificalibus excipitur. Eadem com-

munio valet etiam *pro indulgentiis pluribus* insimul lucrandis, ut patet, reliqua opera repetenda sunt toties, quoties quis indulgentiam lucrari vult. Communio praescripta peragi potest « *in pervigilio* eiusdem diei », cui indulgentia adnexa est, et « etiam intra subsequentem *totam octavam* » (can. 931 § 1.). S. Communio iuxta Venneersch-Creusen sic intelligi debet etiam pro Fer. VI. prima mensis in. 580). Nil refert, ubi s. communio sumatur, non requiritur ergo, ut in ea ecclesia, quae visitanda est ad lucrandam indulgentiam.

(3) *Visitatio ecclesiae* comprehendit etiam oratoria publica, quae in omnibus aequiparantur ecclesiis et oratoria semipublica, iuxta can. 929: « Fideles utriusque sexus, qui perfectionis studio vel institutionis aut etiam valetudinis causa in domibus ecclesia vel publico sacello carentibus, de consensu Ordinariorum constitutis, vitam communem agunt, itemque personae omnes ad illis ministrandum ibidem commorantes, quoties ad lucrandas indulgentias praescribatur visitatio alicuius *ecclesiae non determinatae,* vel indeterminati alicuius publici oratorii, visitare queunt propriae domus sacellum in quo obligationi audiendi Sacrum iure satisfacere possunt, dummodo cetera opera iniuncta rite praestiterint ».

(4) Conditio haec visitandi ecclesiam « adimpletur per accessum... saltem *cum intentione quadam generali* seu implicita honorandi Deum in se vel in Sanctis suis, *aliqua adhibita prece, praescripta, si* aliqua imposita fuit ab indulgentiae largitore, *vel alia qualibet* sive orali sive mentali pro cuiusque pietate ac devotione. Quae pro ecclesiae vel oratorii visitatione requiruntur, etiam in visitatione alicuius sacrae imaginis vel altaris servanda sunt » (EI p. XIII. nota). — Itaque in visitatione ecclesiae *non sufficit solummodo ad intentionem Summi Pontificis orare.*

(5) Conditio alia est visitationis ecclesiae vel oratorii *motus localis,* i. e. quoties visitat, debet exire et dein rursus intrare (Vermcersch-Creusen n. 581). — Si *ianua ecclesiae clausa est,* sufficit « ad fores vel gradus Deum exorare », sic declaratur authentice ab Ecclesia, e. gr. in Instruet. S. Poenitent. 31. jul. 1924. et 26. dec. 1950. occasione anni lubilaei.

(6) *Oratio ad mentem summi Pontificis.* Diu disputatum est fervore causa meliore digno *de quantitate* huius orationis, dum nihil aliud praescriptum fuerit, nisi haec: « Si ad lucrandas indulgentias oratio in genere ad mentem Summi Pontificis praescribatur, mentalis tantum oratio non sufficit, oratio autem *vocalis* poterit *arbitrio fidelium* deligi, nisi peculiaria aliqua assignetur » (can. 934 § 1). Ad disputationes dirimendas emanavit decisio S. *Poenit. 20 sept. 1933.* « Clausula precandi ad mentem Summi Pontificis plane adimpletur, adiiciendo ceteris operibus recitationem ad eam mentem *unius Pater, Ave et Gloria,* relicta tamen libertate singulis fidelibus, ad normam can. 934 § 1., *quamlibet aliam* recitandi iuxta uniuscuiusque pietatem et devotionem erga Romanum Pontificem » (EI p. XV nota 1.) — Uti vidimus, in indulgentiis toties-quoties ordinarie sex Pater, Ave, Gloria praescribuntur. — Mens *vero Summi Pontificis est* exaltatio S. Ecclesiae, extirpatio haereseum, propagatio fidei, peccatorum conversio, pax et concordia inter principes christianos (S. C. Indulg. 12. jul. 1847).

7) Modus *statutus* comprehendit primum *precationem* textus, quae fieri debet ad lucrandam indulgentiam eo *idiomate quo concessa est* indulgentia. Alia lingua tunc tantum valet, si de authentia et fidelitate interpretationis seu versioms constet e declaratione S. Poenitentiariae vel unius ex Ordinariis loci, ubi

vulgaris est lingua, in quam vertitur oratio, sed indulgentiae penitus cessant, ob quamlibet « additionem, detractionem vel interpolationem » (can. 934 § 2.), quae tamen substantiales esse debent (S. Poenit. d 26. nov. 1934. EI p. XVI. nota]. Haec precatio potest *cum socio recitari:* « Ad indulgentiarum acquisitionem satis est orationem alternis cum socio recitare, aut mente eam prosequi, dum ab alio recitatur » (Can. 934 § 3).

Supponitur *oratio vocalis* ad lucrandas indulgentias: sed « indulgentiae *invocationibus et precibus* sic dictis *iaculatoriis* adnexae acquiri possunt etiam per *mentalem* tantum earum recitationem » (EI p. XVI. nota 2. a.). — « Muti lucrari possunt indulgentias adnexas publicis precibus, si una cum ceteris fidelibus in eodem loco orantibus mentem ac pios sensus ad Deum attollant; et si agatur de privatis orationibus, satis est, ut eas mente recolant, signisve effundant vel tantummodo oculis percurrant » (can. 936).

(8) *Modus statutus* refertur quoque ad *imaginem,* coram qua oratio fieri debet, ad genuflexionem, ad portandum SS. Rosarium vel Coronam in manibus, vel Crucem indulgentia ditatam, ad motum localem in stationibus Viae Crucis etc. Notandum: « Quoties vel causa operis manualis vel propter aliam rationabilem causam oriatur impedimentum, quominus iuxta praescriptiones in manibus gestari queant vel corona vel Crucifixus, quibus accessit benedictio ad lucrandas indulgentias vel SSmi Rosari vel Viae Crucis, possunt fideles eas lucrari, dummodo recitatione, de qua agitur, durante ,secum quomodocunque coronam vel Crucifixum deferant » (EI p. XVI nota 2 b).

4°. Realitati consecutionis indulgentiae non obstat *commutatio,* quae secundum legem Ecclesiae possibilis est: « Pia opera ad lucrandas indulgentias iniuncta, *confessorii possunt in alia commutare* pro iis, qui, *legitimo detenti impedimento,* eadem praestare nequeant » (can. 935). — Confessarius intelligitur etiam extra Sacramentum poenitentiae, sed requiritur, ut in loco, ubi commutat opus pium, approbatus sit ad confessiones, i. e. iurisdictionem habeat. Sic visitatio ecclesiae commutari potest pro detentis vel aegrotis in aliud opus pium, at indulgentia commissa ob communionem frequentem hanc necessario supponit, similiter usus Crucifixi ad hoc benedicti substantialis est, ut Via Crucis suppleri possit (Vermeersch-Creusen n. 585).

5. De quibusdam indulgentiis maioris momenti.

a) Benedictiones Papales cum indulgentia plenaria.

Benedictio Summi Pontificis non est per se coniuncta cum indulgentia plenaria, ideo expresse petenda est, si facultas postulatur pro aliquo conferendi Benedictionem Papalem e. gr. occasione primae Missae. Benedictionem papalem cum indulgentia plenaria dare possunt:

1°. *Ipse Summus Pontifex,* « fidelibus, qui benedictionem a Summo Pontifice Urbi et Orbi impertitam, etsi ope radiophonica tantum, pie devoteque acceperint, conceditur indulgentia plenaria suetis conditionibus » (EI n. 695).

2°. *Episcopi residentiales: ter* in anno, in festo Paschatis et duobus aliis ab ipsis designandis.

3°. *Abbates* et Praelati *nullius, Vicarii et Praefecti* Apostolici duobus festis sollemnioribus per annum (can. 914. et auctio gratiae deer. S. Poenit. 20 iul. 1942).

4 ▮. *Omnes sacerdotes in artictdo mortis* benedictionem impertiri possunt Apostolicam, tamen sub poena nullitatis in forma a Rituali praescripta, proin etiam lingua Latina tantum. E praxi Ecclesiae impertiri solet post Sacramenta Poenitentiae, Eucharistiae et Extremae unctionis, quae iam in periculo mortis dari possunt, consequenter etiam haec benedictio Apostolica. Infirmus enim debet esse α confessus ac s. Communione refectus, vel quatenus id facere nequiverit, saltem contritus, et nomen Jesu ore, si potuerit, sin minus, corde devote invocaverit ». Haec invocatio nominis Jesu est *conditio* sine qua non (d 23. sept. 1775 ad 7.) — *Optis iniunctum* ad lucrandam indulgentiam est, ut infirmus mortem aequo ac libenti animo de manu Domini acceptet. Sic Benedictus XIV. qui anno 1747. hanc indulgentiam dare parochis aliisve sacerdotibus subdelegatis concessit, nunc autem vi can. 468 § 2. « parocho aliive sacerdoti, qui infirmis assistat » permissa est. — Benedictio haec non potest iterari nec in morbo diuturno, nisi infirmus convaluerit, ac dein in novum mortis periculum inciderit. — Cf. adhuc De extr. unctione E. 3. d.

5°. *Sacerdotes qui privilegium habent* dandi hanc benedictionem. « Regulares, qui privilegium habent impertiendi benedictionem papalem, non solum obligatione tenentur servandi formulam praescriptam, sed hoc privilegio uti nequeunt, nisi in suis ecclesiis et in ecclesiis monialium vel tertiariorum suo Ordini legitime aggregatorum, non autem eo die et loco, quo Episcopus eam impertiat » (can. 915). Formula praescripta habetur in Rit. Roman, tit. IX. c. 10, 1 (Ritus benedictionis Papalis statis diebus super populum elargiendae servandus a sacerdotibus, quibus a S. Sede huiusmodi facultas elargita est). Si in Brevi edicitur, ut benedictio cum indulgentia plenaria in fine concionum (puta exercitiorum, missionum) a sacerdote populo impertiatur cum Crucifixo, iuxta ritum formulamque supradictam, fiat unicum signum Crucis cum Crucifixo, adhibita tali in casu formula: ▯ Benedictio Dei omnipotentis... » (ibid. n. 2). Alii sine tali explicita facultate non possunt dare benedictionem papalem, sed indulgentia plenaria omnibus participantibus concessa est, si saltem tertiam partem concionum devote audierint, suetis conditionibus (EI n. 692).

b) Indulgentia plenaria altaris privilégiât!.

Privilegium altaris intelligitur indulgentia plenaria, sive pro defuncto quodam, sive pro vivo, quod consequitur per applicationem Missae in altari privilegio tali ditato (privilegium altaris *locale),* vel in altari, ad quod sacerdos celebrat, qui quoad suam personam habet privilegium hoc (privilegium altaris *personale).* — Indulgentia dari potest pro defunctis et etiam pro vivis, aliquando enim a S. Sede concessum est hoc privilegium « pro vivis atque defunctis ». Sensus est: ut tam pro vivis, si Missa pro vivis applicetur, quam pro defunctis, si pro hisce Missa applicetur, concessa sit indulgentia plenaria, pro vivis ad modum iurisdictionis, pro defunctis ad modum suffragii (S. C. Ind. 25. aug. 1897).

1 . Pro defunctis habetur nunc privilegium locale *iuxta* a. *legem generalem can. 916.* Omnes locorum Ordinarii (Episcopi, Abbates vel Praelati nullius, Vicarii et Praefecti Apostolici, et Superiores Maiores relig. cleric, exemptarum) « possunt designare et declarare *unum altare* privilegiatum cotidianum perpetuum. dummodo aliud non habeatur », *in omnibus suis ecclesiis,* a non autem in oratoriis publicis vel semipublicis. nisi sint ecclesiae paroeciali unita seu eiusdem subsidiaria ».

b. « Die Commemorationis *Omnium Fidelium defunctorum* omnes Missae gaudent privilegio, ac si essent ad altare privilegiatum celebratae » (can. 917 § 1.)

c. « Omnia altaria ecclesiae, per eos dies, quibus in ea peragitur supplicatio *Quadraginta Horarum,* sunt privilcgiata » (can. 917 § 2.). — Privilegium tunc valet, si observentur, quae S. Pius X. statuit per deer. S. Officii 22. jan. 1914 (cf. AAS 1911, 74-75). Hoc decreto permittuntur eaedem indulgentiae, ergo etiam privilegium altaris, si « exercitium XL Horarum indice loci Ordinario fieri nequeat, prout ab instructione Clementina exigitur n et XL Horae explentur per tres dies continuos, « quamvis noctu expositio interrumpatur ».

2°. Privilegium personale altaris privilegiati habent:

a. Omnes Cardinales (can. 239 § 1. n. 10).

b. *Episcopi* sive residentiales sive titulares (can. 349 § 1. n. 1).

c. *Vicarii ac Praefecti Apostolici* (can. 294. § 1.).

d. Qui privilegium personale *obtinuit a S. Sede,* talis non debet indultum hoc Ordinario loci exhibere. Concessio membris aliquarum associationum sacerdotalium altaris privilegii personalis decreto S. Poenit. 20. mart. 1933. revocata est, privilegium tantum sodales retinent, qui iam ante hunc annum privilegio fruebantur. Inde ab hoc tempore privilegium a S. Poenit. immediate petenda erit (Aertnys-Damen n. 1135).

e. Sacerdotes qui *actum heroicum caritatis* emiserint, singulis anni diebus concessum est altaris privilegium (EI n. 593 b.).

3°. Altare esse privilegiatum indicari debet *inscriptione:* « Altare privilegiatum », perpetuum vel ad tempus, quotidianum vel non ,secundum concessionis verba (can. 918 § 1).

4°. Pro Missis celebrandis nequit sub obtentu privilegii *maior exigi Missae eleemosyna* (can. 918 § 2).

5°. Altare privilegiatum debet esse *altare immobile,* sed non fixum sensu liturgico, nec consecratum. Privilegium non petrae sacrae inhaeret, sed altari, petra ergo substitui per aliam potest.

6°. Indulgentia plenaria *tantum uni* defuncto applicari potest. Formula Missae non praescribitur; potest celebrari etiam Missa de die, etsi de Requiem permissa esset. Sed debet fieri applicatio Missae et indulgentiae pro defuncto determinato (Plura cf. De Angelis 1950, n. 411-430).

Litteratura.

E. Amort, De origine, progressu, valore ac fructu indulgentiarum, Augustae Vindelicorum 1735. — *J. II. Schoofs,* Die Lehre vom kirchlichen Ablasse, Münster i. W. 1857. — *Nik. Paulis,* Gcschichte des Ablasscs im Mittelalter vom Ursprunge bis zur Mitte des 14. Jahrhunderts, I-III. 1922-23. — *B. Poschman,* Der Ablass im Lichte der Bussgeschichte. (Theophaneia 4). Bonn 1948. · *P. Galtier,* De paenitentia 2. ed. 1950, 517-546. — S. *de Angelis,* De indulgentiis, 2. ed. Romae 1950. — *E. Campell,* Indulgences, Ottawa 1953. — *K. Bahner,* Ueber den Ablass, *in:* St. d. Zcit 1955, 343-355. — *Idem,* Schriften zur Theol. II. Einsiedeln 1955, 185-210. — A. *Antweiler,* Ablass, *in:* LfThK 2. ed. I (1957) 46-54.

Respectu pastorali. D. *Prümmer,* Man. Th. Mor. 5. ed. III. n. 538-567. — *L. Anler,* Comes pastoralis confessarii praesertim religiosi, Fulda 1947, 10. ed. p. 204-249. — A. *Vermeersch-J. Creusen,* Th. Mor. 4. ed. III. 1948, n. 568-602. — *B. Merkelbach,* Summa Th. Mor. 8. ed. 1949. III. n. 671-680. — *J. Aertnys-C. A. Damen,* Th. Mor. 16. ed. 1950.

II η 110S-1I59. — *J. Fanfani,* Man. theorico-pract.Th. Mor. IV. 1951. p. 932-998. — V *Conte a Coronata,* De Sacr. tract, canonic. 2. cd. 1951, n. 466-538. — *Enchiridion Indulgentiarum. Pieces* ct pia opera in favorem omnium christifidelium vel quorumdam coetuum personarum indulgentiis ditata et opportune recognita, ed. 2. Romae 1952. — *O. Schollia,* Verwaltung der hl. Sakramente, 4. ed. 1952, p. 100. 174-75. 342-343. — *F. X Hccht,* Textus liturgici indulgentiis ditati, *in:* Eph. Lit. 1953, 350-354. — *II. Noldin - A Schmitt -G. Heinzcl,* Summa Th. Mor. 30. cd. 1954, η. 313-335.

H) De forma Sacramenti Poenitentiae.

Hucusque locuti sumus de materia remota Sacramenti Poenitentiae (C.), de materia proxima consistente in actibus poenitentis: contritione nempe, confessione et satisfactione (D. E. F.) et de indulgentiis qua complemento satisfactionis (G.). Nunc ergo de parte principali Poenitentiae nobis sermo recurrit, de forma huius venerandi Sacramenti. De qua sequentibus erit tractandum:

1. De sensu absolutionis qua forma Poenitentiae.
2. De qualitatibus absolutionis.
3. De formula liturgica absolutionis.

1. De sensu absolutionis qua fonna Poenitentiae.

Argumentum absolvitur una thesi:

THESIS. (1) Fonna Sacramenti Poenitentiae est absolutio sacerdotalis, (2) formaliter et intentionalitcr indicative, (3) quae tamen esse potest materialiter dcprccativa.

I. pars de fide definita, II. et III pars theologice certa.

Pars I. probatur: forma est absolutio sacerdotis.

a) Vox Ecclesiae.

Trident, sess. XIV. cp. 3.: « Forma Sacramenti Poenitentiae in qua praecipue ipsius vis sita est, in illis ministri verbis posita est: Ego te absolvo etc., quibus quidem de Ecclesiae Sanctae more, preces quaedam laudabiliter adiunguntur, ad ipsius tamen formae essentiam nequaquam spectat » (Denz. 896).

b) /Adversarii.

Qui admittunt existentiam Sacramenti Poenitentiae, omnes saltem absolutionem ad essentiam huius Sacramenti pertinere asserunt. *Vim vero absolutionis* aliqui, praesertim *Scholastici primaevi,* iusto plus diminuebant. Adversarii ergo habendi sunt, at non heterodoxi; Tridentinum enim noluit eos condemnare, etsi eorum opiniones longe a doctrina definita distent. Non licet oblivisci, ut Caltier sapienter monet (p. 115), horum Protoscholasticorum tempore « de vi propria absolutionis adeo non fuisse diu doctrinam communem et certam, ut de ea. saeculo adhunc XII o, diversitas opinionum esset inter doctores catholicos magna » Opiniones hae merentur recenseri, ut videri possit, quanta fuit haec diversitas, dum doctrina vera et tradita in rectam fuerit lucem posita.

1 . Absolutioni sacerdotali *meram* υιηι *declarativam* tribuerunt aliqui non exigui nominis Doctores, ut S. *Anselmus* (PL 158, 662), dein *Abaelardus* eiusque sequaces, item *Magister Rotandus* (Papa Alexander III.) et praecipue *Petrus*

Lombardus, declarans sensum esse absolutionis: « Declaro, te a Deo absolutum esse a peccatis ». Haec sententia primo intuitu videtur identica esse cum *sententia Protestantium* de valore mere declarativo absolutionis, sed tamen radicaliter differt ab ea. Doctores etenim recensiti clare tenebant cum Traditione, sacerdotalem absolutionem *esse necessariam,* sine cuius voto non potest peccator iustificari; docebant, actionem sacerdotalem esse iudicialem, producereque effectum vere internum, non imputativum, ut Novatores effutiebant. Protoscholastici ergo hi errabant quidem, at non quoad dogma fidei, sed solum in explicatione intimae rationis potestatis clavium et habitudinis eius ad potestatem principalem penes Deum existentem, ut cl. Billot fuse demonstrat (De Sacramentis Ecclesiae, 5. ed. II, 225-230).

2°. Absolutio iuxta alios *poenam aeternam tantum tollit, non* vero culpam, quae iam per contritionem perfectam antea remissa est. Ita *Hugo a S. Victore, Richardus a S. Victore, Albertus Magnus, Alexander Halensis, S. Bonaoentura.* Opinionis falsitas inde provenit, quod Doctores hi nondum docuerunt clare attritionis sufficientiam, nec justificationis effectus recte perpenderunt: homo enim per contritionem justificatus liberatus a culpa mortali nec unum momentum potest reus manere poenae aeternae; item Tridentinum definitive declaravit, « poenam aeternam Sacramento vel voto Sacramenti *una cum culpa* remitti » (sess. VI. cp. 14.) — *Gulielmus Autissiodorensis* ideo etiam remissionem poenae aeternae consequenter absolutioni abnegavit, affirmans absolutione tantum *poenas tolli temporales.*

3°. Meliorem, sed nondum plenae veritatis viam ingressus fuit *Robertas Pullus* (Pulleyn, Anglus 1146), magister Oxoniensis et Parisiensis, dicens per absolutionem remitti poenas temporales et *etiam gratiam sanctificantem augeri,* conferri ergo etiam gratiam secundam per hoc Sacramentum. Relicta doctrina nimis rigida de necessitate contritionis perfectae ad hoc Sacramentum, patebat iam aditus ad perspiciendam veram vim absolutionis, qua confertur gratia prima et deletur etiam poena aeterna, quod S. *Thomas* plene ad finem adduxit (cf. Diekamp IV, 342).

4°. *Dominicus de Soto,* magister Salmanticensis (1560) docuit totam vim huius Sacramenti consistere in contritione et confessione, absolutio vero solummodo complementi habere rationem (Tepe 406).

c) Scriptura Sacra.

per conclusionem theologicam veritatem ostendit. Forma etenim est elementum Sacramenti materiam determinans. Iuxta Jo 20. autem hoc Sacramentum ad peccatorum remissionem ordinatum est; determinatio vero per actionem remissivam Apostolorum fieri debet: « quorum remiseritis peccata remittuntur eis ». Si vero actionem exerceant retentivam peccatorum, tunc non conficitur Sacramentum. Ergo forma Sacramenti est actio remissiva per ministrum posita.

d) Traditio Sacra.

quoque potestatem absolvendi a peccatis sacerdotibus tribuit: eorum actio circa peccatores facit eos reconciliari cum Deo et Ecclesia.

1°. Sic. *Hieronymus* in Dialogo contra Luciferianos, scripto versus 382: « *Sacerdos* reditum Sancti Spiritus invocat, atque ita eum, qui traditus fuerat Satanae in interitum carnis... indicta in populum oratione, altario reconciliat » (PL 23. 159).

2 . S. *Leo Magnus* vero autoritative edixit: « Per poenitentiae medicinam spes vitae reparatur aeternae... sic divinae bonitatis praesidiis ordinatis, ut indulgentia Dei *nisi supplicationibus sacerdotum* nequeat obtineri. Mediator enim Dei et hominum homo Christus Jesu, hanc praepositis Ecclesiae tradidit potestatem. ut... ad communionem sacramentorum per ianuam reconciliationis admitterent » (Ep. 108, 2 Denz. 146).

3°. lamvero *praecise* « *supplicationes sacerdotum* » habebantur aevo antiquo *illud elementum, quo peccator reconciliatus evasit cum Deo,* ergo ut termino scholastico dicamus, *a* forma absolutionis ». Hoc constat inspectis liturgiis, e quibus seligimus *Gelasianum* primigenium (Vatie. Regin. 316, Wilson p. 63-67). Episcopus longas fudit orationes; omnes deprecativam habent indolem, et Deus rogatur per eas, ut reconciliet poenitentem, e. gr. «...miserationis tuae veniam largiri digneris, ut, nuptiali veste recepta, ad regalem mensam, unde eiectus fuerat, mercatur intrare », ergo ut recipiat gratiam sanctificantem. Item inter alia precatur pontifex, ut Deus det « indulgentiam reis, et medicinam vulneratis, ut percepta remissione omnium peccatorum, sincera deinceps devotione permaneat ». Etsi adhibita est forma deprecativa, omnes sciebant, his deprecationibus poenitentem *absolutum esse a peccatis suis.* Quod manifeste enuntiat eodem ritu appellatio diaconi, qui sic alloquitur pontificem: « ...redintegra in eo (sc. peccatore), apostolice pontifex, quicquid diabolo scindente corruptum est, et orationum tuarum patrocinantibus meritis, per divinae reconciliationis gratiam *fac hominem proximum Deo!* » Ergo actio pontificis, i. e. orationes absolutionis deprecativae, redintegrant peccatorem in statum gratiae, remittunt peccata.

4°. *Pontificale Pictaviense* (Poitiers) adhuc clarius hoc edicit, in adhortatione diaconi ante actum reconciliationis per orationes factum: « Orate, poenitentes, prostrati in terram, expectantes divinae misericordiae reconciliationem *per ministerium pontificale* » (Jungmann, Bussriten p. 85). Ministerium vero pontificale, per quod effectum sortitur Sacramentum, constat in septem orationibus statiin recitatis a pontifice, quibus absolutionem eorum petit a Deo; post has orationes vero mox diaconus clamat: « Surgite de terra, *reconciliati Deo!* » Manifestum ergo est, quod orationibus episcopi censebant vim competere absolutionis, forma ergo Sacramenti est absolutio.

c) Ratio theologica.

quoque probat, absolutionem sacerdotalem esse formam.

1°. enim « in qualibet re perfectio attribuitur formae... Hoc Sacramentum perficitur per ea, (piae sunt ex parte sacerdotis. Unde opertet quod ea, quae sunt ex parte poenitentis, sive sint verba, sive facta, sint quaedam materia huius Sacramenti, ea vero, quae sunt ex parte sacerdotis, se habeant per modum formae » (III q. 84. a. 3).

2 . Quia Sacramentum Poenitentiae *per modum* indicii exercetur, ideo pronum est. essentialem partem haberi debere sententiam judicialem. Haec vero sententia judicialis profertur per sacerdotem, est ergo pars essentialis.

Scholion. De vcrificatione formae in confessione peccatorum iam remissorum.

Praesertim hodiedum saepe contingit, quod peccata semel iam per absolutionem remissa, et etiam debite accusata secundum speciem infimam et numerum,

iterum subiiciuntur clavibus Ecclesiae, et quidem iure et valide, uti iam probavimus (vide superius C. 3. a.). Supponitur casus, quod poenitens nec ullum veniale peccatum adiungit suae confessioni; materiam ergo habet toto caelo liberam, sed exclusive talem, quae constat e peccatis iam remissis.

Quaestio exsurgit, quomodo *verificatur forma absolutionis* hoc in casu, nam impossibile est, quod Ecclesia quasi ioco vel ludens aliquid agat circa res sanctissimas,ut Sacramenta, pronuntiando verba, quae nullum sensum habent. Non possunt enim significare remissionem proprie et immediate, ergo aliquid aliud debent significare. S. Thomas invenit solutionem, verba enim hunc sensum habent in casu: «Sacramentum absolutionis tibi impendo» (III q. 84. a. 3 ad 5). Quae verba Angelici sumenda sunt iuxta dilucidam interpretationem Suarez: « Exhibeo Sacramentum ex se remissivum peccatorum... quamvis verbum absolvo videatur solum significare vinculi solutionem, tamen, quia non dissolvitur nisi per informationem gratiae, ideo, iuxta subiectam materiam, ex vi eiusdem verbi significatur gratiae infusio ordinata ad peccati remissionem » (Disp. 19. sect. 2. n. 20).

Notandum est, quod haec quaestio solum quoad Poenitentiam ponitur, nam penes cetera Sacramenta forma semper verbotenus manifestat, quod efficitur.

Pars II. probatur: Forma debet esse formaliter et intentionaliter indicativa.

a) Sensus. « *Formaliter* » aliqua propositio sumitur secundum contentum (Inhalt, contenu, tartalom) eius, iuxta id, quod verba significare volunt, nostro in casu: absolutionem a peccatis per verba factam, « *Intentionaliter* » significant, si proferens verba voluntatem habet his verbis eum effectum, i. e. absolutionem, producere. « *Indicativa* » est forma, si aliquid enuntiat, sic rem se habere, ergo in casu: absolutum iri peccatorem per haec verba. « *Materialiter* » sumitur aliqua propositio, si verba iuxta sensum grammaticalem aliquid significant. Sic absolutionis verba possunt esse etiam *iuxta sensum grammaticalem indicativa, si grammatice* enuntiant absolutionem: «Ego te absolvo...», et possunt esse secundum *sensum grajnmaticalem deprecativa,* si rogant Deum, ut peccatori condonet peccata sua. Si quis precaretur ut Deus cuidam amico condonet peccata, haec oratio materialiter ct etiam formaliter ac intentionaliter manet deprecatio; si hoc sacerdos poenitentem reconcilians fecit elapsis temporibus vel hodie in aliquibus partibus Ecclesiae Orientalis, est materialiter deprecatio, sed formaliter et intentionaliter indicatio, intentio annuntiandi enim adest absolutionem a peccatis. Parte ergo II. dicitur formam in genere debere esse formaliter et intentionaliter indicativam, aliis verbis: etsi absolutio materialiter deprecatio esset, tamen formaliter effectum sortitur remissionis peccatorum nam etiam sacerdos hoc intendit.

b) Adversarius huius doctrinae fuit *quidam ignotus,* contra quem S. *Thomas* opusculum conscripsit « De forma absolutionis sacramentalis ad Magistrum Ordinis », qui fuit Joannes Vercellensis (1264-1283). Ignotus, ut puto, fuit ex Ordine praedicatorum (quia Magister generalis expetivit arbitrium; et proctd dubio docuit, absolutionem posse esse formaliter quoque deprecativam, quod sequitur e vehementia, qua Doctor Angelicus in eum invehitur.

c) Ratio vero est, quod « absolutio sacerdotis est... ad instar actus iudicialis, quo ab ipso velut a indice sententia pronuntiatur » (Trident, sess. XIV. cp. 6.) *Sententia vero iudicialis* secundum internam suam rationem *non potest esse de-*

precatio, nam time *intercessio* haberetur, sicuti indices e. gr. post, sententiam mortis appellant ad supremam dominationem veniam petentes pro reo (amnestia . talis autem petitio iam non est sententia iudicialis. Absolutio ergo *saltem formaliter* debet esse *indicativo.* Et talis revera semper fuit, nam semper putabatur, quod per orationes absolutionis poenitens consequebatur remissionem suorum peccatorum.

Pars. III. probatur; absolutio potest esse materialiter deprecativa.

a) Adversarius huius partis partis fortasse *Gonetus* haberi potest, suppo-nens, quod forma absolutionis semper fuit ubique etiam formaliter indicativa.

b) Probatio praeprimis fit *per argumentum historicum,* nam usque ad saec. XII. tum in Ecclesia Occidentali, tum in Orientali semper formulis deprecativis utebantur. Formulas *Ecclesiae Romanae* supra iam vidimus (Gelasianum et Pontif. Pictaviense, quod usum repraesentat ecclesiae Romanae et Africanae). Quod liturgias *typi Gallicani* adtinet, sufficiat provocare ad Mozarabicum Librum Ordinis, e saec. VI-VII-o, qui plures adhibens formulas absolutionis solum deprecativas affert (MEL V, 90-100). *Saec. XIlI-o* tantum usus invaluit veritatem rei etiam verbis exprimere, et ideo orationibus deprecativis (« Misereatur... Indulgentiam, absolutionem et remissionem... n) *adiiciebant formam indicativam* « Dominus N. J. Ch.... Ego te absolvo... n). Hoc vero, ut ipse Thomas indirecte testatur, scribens memoratum opusculum de Forma absolutionis inter 1264-1274, tunc in usum coepit deduci; adversarius enim eius ignotus dixit: « Vix triginta anni sunt, quod omnes *hac sola forma* utebantur: Absolutionem et remissionem... ». Doctor vero Angelicus nec verbulo refutat hoc assertum, tantum ad illud provocat, quod forse *non omnes* utebantur tali formula: « Quomodo de omnibus potest testimonium perhibere, qui omnes non vidit? Sed hoc certum est, quod iam sunt mille et ducenti anni et amplius, quod dictum est Petro: Quodcunque solveris etc. » (Cf. Mandonnet, S. Thomae Aqu. opuscula omnia, tom. III. Paris 1927, p. 161 et 175).

c) In *Ecclesia* Orientali *Uniti Europae et Americae* (Graeci, Italograeci, Rutheni, Rumeni, Hungari) utuntur formula indicativa; similiter Maronitae Libanenses et Armeni, *ex non Unitis* Jacobitae, /Xrmeni, Copti, Russi formas habent absolutionis indicativas. Alii vero Orientales Uniti et non Uniti forma adhuc utuntur deprecativa, sicut Latini usque ad saec. XII., quae forma valida declarata est a S. Officio (decr. 6. sept. 1865) et praescripta ad absolvendos fideles quoque Latinos, qui iuxta CIC can. 905, semper possunt apud Orientales peccata confiteri (Galtier p. 454-456).

d) Ratio, cur possit forma materialiter deprecativa adhiberi, est, quod « eadem verba materialiter sumpta quae possunt proferri in sensu deprecandi, proferri possunt modo et intentione imperandi, *in quo sensu erunt aequipollentia* (eiusdem valoris) et consequenter etiam sufficientia, quia practice significant efficiendo talem effectum », ut Suarez declarat (De poenit, disp. 19. sect. 1. n. 25). Urbanitatis causa saepe contingit, quod loco formae indicativae adhibetur forma deprecativa, quae tamen ab omnibus qua praeceptum accipitur. • Rogo te. affer mihi prandium ». dictum famulo non rogationem significat, sed praeceptum, iuxta proverbium Hungaricum: «Rogatio a hero facta mandatum est ».

Corollarium practicum: de forma deprecativa in Ecclesia Latina nunc adhibita.

Supposito casu, quod aliquis in Ecclesia Latina, ubi forma indicativa praescripta est, *nunc temporis adhiberet formam materialiter deprecativam,* haec non esset certo valida, sed solum probabiliter. Sic si intentione absolvendi sacerdos proferret solum « Misereatur » et « Indulgentiam », certum non est, num absolverit necne. *Billot* affirmat, quod forma deprecativa modo expressa non est valida, nisi ratione adiunctorum et usus communis, a qua forma « nonnisi cum dispendio validitatis privatus quispiam discedere praesumeret quia privatus facere non potest, ut formula, quae ex sese non est nisi possibilis ad certam significationem, eam de facto consequatur » (II, p. 42-44). Similiter negat validitatem talis formae deprecativae nunc in Ecclesia Latina *Pesch,* quia Ecclesia potest praecipere unam forma tamquam unice validam, quod revera videtur fecisse quoad Sacramentum Ordinis; si vero per se valida esset etiam nunc forma deprecativa, invalida esset in tali casu absolutio propter deficientem iurisdictionein (VII. n. 294-296). — Plurimi theologi negant validitatem, sed non desunt qui talem absolutionem deprecativam in Ecclesia Latina *graviter illicitam, sed validam* declarent. Sic Dom. Soto, Sardegna, Lercher (n. 600), Galtier (p. 457-458); argumentantes eo, quod mutatio mere materialis est; quod non constat Ecclesiam sub poena denegatae validitatis praecipere formam indicativam, de facto Fratres praedicatores forma adhuc utuntur deprecativa etc. — *In praxi* ergo nullo modo adhiberi potest forma deprecativa, solum ab iis, quorum libri rituales hoc praescribunt.

2. De qualitatibus absolutionis.

Proprietates absolutionis tres numerari solent: a) debet esse ore prolata, — b) in praesentem directa, — c) absoluta vel conditionata iuxta necessitatem.

a) Absolutio ore prolata.

Primo intuitu videtur quod absolutio, qua forma Sacramenti, non debet esse vocaliter i. e. ore prolata. Sententia enim iudicialis, cuius rationem absolutio habet, potest etiam scripto proferri. Hoc fit etiam in indicatura *ecclesiastica,* cum censura irretiti scripto absolvuntur. Item etiam *matrimonium* potest solum nutu contrahi, non videtur ergo, cur non possit absolutio dari per solam crucissignationem sacerdotis. — Ad quae respondendum est, quod sententia quidem iudicialis est, sed *simul etiam sacramentalis* indicio subiacens Ecclesiae; ideo Ecclesia determinat, quomodo haec sententia proferri debeat. Usus vero et longa traditio Ecclesiae demonstrant absolutionem sententia vocali dandam esse. *Paritas cum matrimonio neganda est,* nam Christus quoad Poenitentiam novum ritum instituit, quoad matrimonium autem solum matrimonium naturale elevavit ad supernaturalem dignitatem et ordinem, contractus ergo, in quo essentia consistit matrimonii, potest etiam alio modo ac verbis iniri. Hoc autem non requiritur, ut absolutus *audiat* verba absolutionis, quae tamen ore prolata fuerunt.

b) Absolutio directa in praesentem.

1°. Magni quoque nominis theologi negabant absolutionem debere ad validitatem in praesentem dirigi, sic S. *Antonius, Petrus de Palude, Hadrianus* (ut

Papa VI), *Nacarrus, Silvester et Petrus Soto.* Notandum quod Doctores memorati tenebant suam sententiam valere solum in casu necessitatis.

2'. *Continuus usus Ecclesiae* iuxta quem absolutio semper ore danda est, obstat tamen eorum sententiae, nam oralis absolutio naturali necessitate dirigi debet in moraliter praesentem. *Forma liturgica* quoque secum portat praesentiam realem: verba ostendunt praesentem poenitentem: « Ego te absolvo... », etiam in ritibus antiquis, cum poenitentes in terra prostrati expectabant ministerium pontificale; item manus imponebantur et adhuc hodie symbolice imponuntur dextera versus poenitentem extenta.

3°. Ideo Ecclesia litem saec. XVI-o exortam dirimebat authentica declaratione *Clementis VIII.:* « Sanctissimus... propositionem, sc. licere *per litteras seu internuntium* confessario absenti peccata sacramcntaliter confiteri *et* ab eodem *absente* absolutionem obtinere, ad minus uti falsam, temerariam et scandalosam damnavit ac prohibuit, praecepitque, ne deinceps ista propositio publicis privatisve lectionibus, concionibus et congressibus doceatur, neve unquam tamquam aliquo casu probabilis defendatur, imprimatur aut ad praxim quovis modo deducatur » (Deer. S. Officii 20. jun. 1602. Denz. 1088.).

4°. Talis prohibitio severa et exceptionem non admittens videtur ostendere talem absolutionem esse *semper invalidam.* Contra sententiam Suarez, hoc decretum valere » non divisive, sed complexive », Paulus V. declaravit, decretum etiam in sensu diviso valere, i. e. si quis absens per litteras etc. confessus fuerit, et praesens absolutus, tunc hoc factum cadit sub damnatione Clementis VIII. (S. Offic. 14. jul. 1605 Denz. 1089).

5°. Pro praxi sequentia observari debent.

a. Praesentia intelligi debet *praesentia moralis,* i. e. ea, quae secundum communem aestimationem praesentia habetur. S. Alphonsus et auctores eum sequentes ideo *circiter viginti passuum* distantiam docent requiri ad praesentiam moralem. Si ergo poenitens tali distantia constitutus absolvitur, absolutio certo valida est. Sed ad praesentiam requiritur etiam *aliqua possibilitas communicationis,* ut e. gr. videri possit, si ergo detentis in cubiculis propinquis, sed communicationem per ianuam vel fenestram non habentibus daretur absolutio, haec dubie solummodo valida esset ideoque sub conditione conferenda.

b. Haec distantia in casibus infortunii repentini negligi potest, ut puta si quis conspiciatur e tecto rui. in mare submergi, in platea vel curru ferreo casum adversum pati. Similiter si praesentia moralis augetur *per cohaerentiam:* sic potest absolvi integer exercitus, utique turmatim, si nimis grandis esset, et integra turba in loco refugii tempore incursionis aereae, de quibus casibus cf Instructionem a S. Poenitcntiaria datam 25. mart. 1944 (cf. superius E. 2. d. IV. 2.° c.).

c. In casu sat frequenti, quod *poenitens ante absolutionem iam recedat,* revocandus est; si hoc nequit fieri, absolvi debet, si consetur moraliter adhuc praesens esse, in turba sc. adstante. Quod quia praesumi potest, sub conditione absolvi debet.

d. Num valida sit *absolutio per teleplwnium* data, certo non constat. Ratio enim allata, quod « collocutio per telephonium est modus artificialis colloquendi cum absente ». ideoque absolutionem invalidam esse, et eidem valere quoad radio » Noldin-IIeinzel n. 238 e.), satis non videtur probare. S. Poenitcntiaria

1. jul. 1884. ad quaesitum: « Utrum in casu extremae necessitatis dari possit absolutio per tclephonium n, respondit: « Nihil esse respondendum ». Ideo auctores optimae notae tenent in casu *extremae necessitatis* sub conditione tali modo absolvere licitum esse, sic Schembri (II, 135), .Merkelbach (n. 447, 6), Aertnys-Damen (n. 332), Priimmer (n. 331), quod iam ante eos Lehmkuhl docuit (Casus conscientiae I, 89). Nunc temporis iam indulgentia plenaria data ope radiophonica a Summo Pontifice certo valida est. (Cf. Enchir. Indulg. n. 695).

c) Absolutio iuxta necessitatem absoluta vel conditionata.

Per se absolute datur absolutio; *sub conditione* datur, si *sufficiens causa* habetur; *sub gravi danda* est sub conditione in casu necessitatis.

1.° *Per se absolute danda* est absolutio, sicut omnia alia Sacramenta, nec audiendi sunt, qui dicebant, absolutionem esse *intrinsece conditionalem,* ut Ant. Ballerini, hanc semper affirmans subaudiri conditionem: « Si reapse adsint requisitae dispositiones » (cf. Vermeersch-Creusen n. 494, 2). Nunquam potest adiici condicio suspensiva *de futuro* (« si abstinebis a tali occasione »), nam Sacramentum non potest tali modo confici. Adiici vero potest condicio de *praeterito* (« si restituisti ut dicis »), vel *de praesenti* (« si vivis » vel « si es dispositus »), sed num prudenter, videbimus (2°.). Sine ulla conditione est absolvendus poenitens, qui post absolutionem in eadem confessione novam affert materiam necessariam, i. e. peccatum grave nondum confessum (oblitum), circumstantiam speciem mutantem, vel numerum notabiliter maiorem; multo magis si in confessionale iterum reverteretur. Talis absolute absolvendus est, etsi novum actum doloris non debet elicere; sed cautius novam quoque accipit aliquam satisfactionem.

2.° *E causa sufficiente* dari potest, imo, *si casus necessitatis* haberetur, i. e. notabile damnum spirituale poenitentis remanentis in statu privationis gratiae, *sub gravi dari debet* absolutio *sub conditione.* Propter prudens dubium absolute dari nequit absolutio, nam Sacramentum exponeretur periculo nullitatis seu frustrationis, ideo apponitur *conditio: «Si capax es»,* vel: *«Si valet»,* nunquam vero: « Si es dispositus. » Conditionem sufficit mente adiicere (Aertnys-Damen n. 334. nota). *Dubium prudens* haberi potest *e parte confessorii* et e parte *poenitentis.*

a. *E parte* confessarii *adest dubium,* si:

(1) dubitat, num poenitentem *absolverit,* necne, tali in casu caute repetat formam essentialem, ne poenitens id advertat et fortasse scandalizetur.

(2) Si confessarius dubitat *de dispositionis sufficientia,* praesertim si poenitens recidivus sit vel consuetudinarius. Talis sub conditione absolvi potest, si « est in periculo mortis, vel si prudenter timetur, ne ad confessionem amplius rediturus non sit, et in peccatis tabescat, idque, quamvis nullum signum extraordinarium dispositionis dederit » (Aertnys-Damen n. 334).

(3) Si confessarius dubitat *de materiae sufficientia,* sic si « persona pia aliquas tantum imperfectiones confiteatur, de quibus dubitatur, an pertingant ad peccata venialia et non possit materiam certam e vita praeterita praebere », tunc sub conditione absolvi potest, sed iuxta Aertnys-Damen « hoc tamen non saepius, quam semel in mense admittendum est » (1. cit.). Cui sententiae non censemus adhaerendum esse, nam poenitens ius habet non solum ad fructus Sacramenti, sed etiam ad indulgentias lucrandas, ad quod *bis in mense* confiteri

debet ut conditioni confessionis satisfaciat; non potest ergo puniri, quia persona pia *(et forsan* imprompta) est per absolutionis denegationem, sed adest iusta causa talem etiam pluries absolvendi.

b. *E parte* poenitentis *adest dubium:*

(1) Num *praesens sit,* talis absolvi debet sub conditione, si aliqua probabilitas habetur eius praesentiae.

(2) Si *capacitas suscipiendi Sacramenta* dubiosa sit, quod contingit praesertim in semifatuis et pueris, num sufficiente rationis usu polleant, « Sub conditione absolvi possunt non solum in mortis periculo, verum etiam quando urget praeceptum Ecclesiae, et maxime quando confessi sunt aliquod peccatum dubie mortale, idque faciendum est, etiamsi recidivi sint... idipsum faciendum est, *saltem* post duorum triumve mensium intervallum, quamvis sola venialia confiterentur, ne diu priventur gratia sacramentali et fortasse etiam sanctificante ob occultum aliquod mortale peccatum » (Aertnys-Damen 1. cit.).

(3) In dubio, si *sensibus destitutus* deberet absolvi, num voluntatem habeat Sacramenti, et saltem attritionem, sub conditione absolvi *potest,* absolute vero *debet* absolvi, si antea manifestaverit voluntatem confitendi. Simili modo tractandi sunt ii, de quibus dubitatur num adhuc vivant, in casu mortis apparentis, vel aliquod tempus post mortem, si dubitatur, num vita penitus extincta sit.

3. De formula liturgica absolutionis.

Formula distinguitur in essentialem et accidentalem.

a) Essentialis forma absolutionis

in ritu Romano habetur verbis: « Ego *te absolvo a peccatis tuis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Arnen.* » Absolute essentialia sunt verba, quibus exprimitur persona ministri actiove eius: « Absolvo », dein persona poenitentis: «te », demum id a quo absolvitur: « a peccatis ». Invocatio Trinitatis per se essentialis non est, sed non potest casus fingi, propter quem omitti posset. *In casu enim necessitatis* sequentia debent dici iuxta praeceptum Ecclesiae:

« Urgente vero aliqua gravi necessitate in periculo mortis sacerdos breviter dicere poterit:

Ego *te absolvo ab omnibus censuris et peccatis, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.* » (Rit. Rom. tit. IV. c. 2,5).

b) Forma accidentalis absolutionis

constituitur in illis orationibus quae antecedunt et subsequuntur absolutionem.

1.° Ritus *confessionis.* Locus est « *sedes confessionalis* crate fixa ac tenuiter perforata inter poenitentem et confessarium n (can. 909. §2.), quae sit n generating in ecclesia vel oratorio publico aut semipublico mulieribus destinato » (ib § 1). « Feminarum confessiones extra sedem confcssionalem ne audiantur, nisi ex causa infirmitatis aliave verae necessitatis et adhibitis cautelis, quas Ordinarius loci opportunas indicaverit. Confessiones virorum etiam in aedibus pnxatis excipere licet » (can. 910.) « Sedes », quae ubique locorum sedile habet

pro confessario, indicat, confessarium iuxta universalem Ecclesiae usum intra audiendam confessionem *sedere debere,* mos ergo, quem aliqui incoeperunt genuflectendo audiendi confessiones vix excusari potest, qua importuna devotio. Poenitens vero *genuflexus* confitetur (« flexis genibus signo se crucis muniat » Rit. Rom. Tit. IV. c. 1,11). Sacerdos « *superpelliceo et stola* violacei coloris utatur, prout tempus vel locorum ferat consuetudo » (ibid. n. 10). Videtur ergo licitum esse in festis uti stola coloris diei.

2.° *Ante confessionem* pius solum usus est orationem recitare: « Dominus sit in corde tuo et in labiis tuis, ut rite confitearis omnia peccata tua (in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Arnen ».) Rituale precem hanc non continet.

3.° Poenitens, secundum formam Ritualis, *Confiteor recitet:* « Poenitens confessionem generalem latine, vel vulgari lingua dicat, scilicet Confiteor etc., vel saltem utatur his verbis: Confiteor Deo omnipotenti et tibi pater » (Rit. Rom. n. 15).

4.° *Post confessionem* « opportunas correptiones ac monitiones » adhibet confessarius, « salutarem et convenientem satisfactionem » iniungit, dein procedit ad absolutionem.

5.° *Primo dicit* (innetis manibus):

« Misereatur tui omnipotens Deus et dimissis peccatis tuis, perducat te ad vitam aeternam. Arnen. »

Deinde dextera versus poenitentem elevata, dicit:

« Indulgentiam, absolutionem et remissionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens et misericors Dominus. Arnen ».

« Dominus noster Jesus Christus te absolvat, et ego auctoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis (suspensionis) et interdicti, in quantum possum et tu indiges ».

« Deinde ego te absolvo a peccatis tuis, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Arnen ».

« Passio D. N. J .Christi, merita B. M. Virginis, et omnium Sanctorum, quidquid boni feceris, et mali sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiae et praemium vitae aeternae. Arnen ».

« *Misereatur* », et « *Indulgentiam* » et « *Passio D. N. J. Ch.* » *ex iusta causa omitti possunt* (Rit. Rom. 2,4 et can. 885). Talis causa potest esse multitudo poenitentium, vel frequentia confessionis e parte poenitentis (Priimmer n. 329). « *Passio D. N. J. Ch.* » secundum S. Thomam opera bona poenitentis elevat ad meritum satisfactionis sacramentalis (Quodlib. III. q. 13. a. 28), ideo commendari potest eius recitatio, vel saltem in fine plurium absolutionum in numero plurali. *Absolutio a censuris* (« D. N. J. Ch. te absolvat ») iuxta Rituale semper dicenda est; verbum « suspensionis » omitti debet, si poenitens sit laicus (Rit. Rom. tit. IV. c. 2, 3 et 4.). Semper dicenda est haec absolutio a censuris, nam Rit. Rom. l. cit. dicit: « Satis est dicere: Dominus noster Jesus Christus etc. ut supra, usque ad illud: Passio D. N. etc. » Frustra ergo aliqui auctores dicunt, haec verba omitti posse, si moraliter certus sit confessarius, poenitentem non esse censuratum (sic Schôllig p. 114), nam formula absolutionis conditionata est (« inquantum possum et tu indiges »). Ideo etiam pronuntianda est super impuberes, etsi a poenis latae sententiae excusantur (can. 2230), nam Rit. Rom. non admittit exceptionem. Si confessarius habet facultatem absolvendi a censura,

vel in casu urgente absolvit excommunicatum « absolvat iuxta formam communem supra praescriptam in sacramentali absolutione » (Rit. Rom. tit. IV. c. 3, 8).

Litteratura.

H. Denzlnger, Ritus Orientalium, I (1863) 101-104. 434-474. — C. A. *Eschbach,* La confession par téléphone, Tournai 1887. — *A. Vacant,* Absolut on sous forme déprécatoire, in: DThC I (1903), 244-252. — *A. Michel,* Confessions et absolutions données par écrit, *in.* Rev. d'histoire et de littérature religieuses 1922, 58. — *J. A. Jungmann,* Die lateinischen Bussriten, Innsbruck 1932, 201-237. 249-295. — *F. Diekamp,* Theol. Dogm. Man. IV (1934), 279-281. 339-346. — *F. Charrière,* Ego te absolvo. Réflexions sur le sacrement de pénitence à l'usage du clergé, Mulhouse 1939. — *P. Galtier,* De paenitentia, ed. nova Romae 1950, 443-461. — T. *J. Roorda,* De natura potestatis absolvendi a peccatis, *in:* Eph. luris Can. 1948, 353-381, 514-540. — *J. Goldbrunner,* Vertrauenskrisis im Beichtstuhl, *in:* Anima 1950, 229-238.

Respectu pastorali. A. *Lehmkuhl,* Casus conscientiae ed. 4. 1913, II, n. 303-314. — *D. Priimmer,* Man. Th. Mor. ed 5. III. 1928, n. 328-334. — A. *Vermeersch-J. Creusen,* Th. Mor. III. 4. cd. 1948, n. 407-409. — *B. Merkelbach, S.* Th. Mor. III. cd. 8. 1949, n. 441-447. — *J. Aertnys-C. A. Damcn,* Th. Mor. II. 16. ed. 1950, n. 327-334. — *J. Fanfani,* Man. theor. pract. Th. Mor. IV. 1951, p. 407-416. — *M. Conte a Coronata,* Dc Sacr. tract, canonic I 2. ed. 1951, n. 362-369. — *O. Schollig,* Verwaltung der hl. Sakramente, 4. cd. 1952, p. 113-116. — *H. Noldin-A. Schmitt-G. Heinzel,* S. Th. Mor. 30. ed. III. 1954, n. 232-239.

I) Dc efficientia Sacramenti Poenitentiae.

Status quaestionis.

1.° Hucusque tractatum est de compositione physica Poenitentiae, i. e. de materia et forma huius Sacramenti. Agendum nunc restat de compositione metaphysica Poenitentiae, in qua considerandum est hoc Sacramentum « in statu agere », seu una cum effectibus suis. In Sacramento Poenitentiae signum sacramentale *physice compositum* (« sacramentum tantum ») consistit in actibus poenitentis, contritione, confessione et satisfactione, qua materia proxima, quae perficitur et determinatur per formam, i. e. absolutionem. Hoc signo Sacramentali producitur « *res et sacramentum* » Poenitentiae, iuxta doctrinam S. Thomae (III q. 81 a. 1. ad 3) *poenitentia interior peccatoris,* quae simul est « res » seu effectus signi sacramentalis simulque etiam « sacramentum », i. e. signum ulterius significans et efficiens « *rem tantum* », i. e. effectus ceteros Poenitentiae ex hoc effectu principali resultantes, qui simul comprehensi vocantur: actuatio gratiae sanctificantis seu restitutio vitae aeternae.

2°. « Res et sacramentum » seu poenitentia interior considerata respectu *negativo est solutio a peccatis,* et potest considerari *positive* sicque est *reconciliatio cum Deo.* Iuxta duplicem hunc respectum possunt distingi singuli effectus ex eo resultantes (« res tantum »). Actuatio gratiae sanctificantis correspondons poenitentiae interiori *negative* consideratae (solutioni a peccatis) sunt: remissio peccatorum omnium plena — remissio poenae aeternae — remissio partialis poenarum temporalium. Actuatio gratiae sanctificantis correspondens poenitentiae interiori *positive* consideratae (reconciliationi cum Deo) sunt: reviviscentia meritorum — gratia « sanans » seu gratia huic Sacramento specialis — effectus accidentalis: pax et serenitas conscientiae.

3C. Notandum haec omnia fieri per « *actuationem gratiae* » seu per iterationem consecutionis gratiae sanctificantis, quae primo data est in baptismo,

ideo vocatur Poenitentia « secundum baptisma ». Sacramentum ergo Poenitentiae per se principaliter ad actuationem, seu restitutionem gratiae institutum est, seu ad collationem gratiae primae. Per accidens institutum est etiam, ut qui velint, suscipiant hoc Sacramentum in statu gratiae et tunc confertur gratia secunda, sive augetur gratia sanctificans.

Compositio inetaphysica hac Tabella conspici potest:

POENITENT E:

« *Sacramentum tantum* » :	« *Res et sacramentum* » :	« *Res tantum* » :
Actus poenitentis informati per verba absolutionis	Poenitentia interior:	Actuatio gratiae sanctificantis :
	negative considerata **solutio** a **peccatis**	1. Remissio omnium peccatorum plena 2. Remissio poenae aeternae 3. Remissio partialis poenarum temporalium
	positive considerata **reconciliatio cum Deo**	Reviviscentia meritorum Gratia sanans seu gr. sacramentalis Pax et serenitas conscientiae (accidcntaliter)

Sicque statuenda est thesis iuxta supradicta.

THESIS. Poenitens per Poenitentiae Sacramentum solutus fit a peccatis, ideoque: (1) consequitur remissionem peccatorum omnium plenam, dein (2) remissionem poenae aeternae, (3) remissionemque partialem poenarum temporalium; fit reconciliatus cum Deo, ideo: (4) reviviscunt eius merita, (5) gratiam sanantem recipit qua sacramentalcm, demum (6) accidentaliter consequi potest pacem et serenitatem animae.

Pars I. probatur: Remissio peccatorum omnium plena.

a) De remissione peccatorum, ad quam Sacramentum hoc institutum est. iam egimus in quaestione de existentia Sacramenti Poenitentiae (superius A.). Fini primario huius Sacramenti correspondenter sub peccatis intelliguntur peccata gravia; etsi etiam venialia remitti possunt.

b) *Remittuntur* omnia *peccata,* quod nunc non intelligitur de remissione omnium et singulorum peccatorum, sed significatur: *omnia* peccata *tantum simul* remitti posse, seu unum peccatum grave sine altero remitti in hac oeconomia salutis remitti non posse. Per se cogitari posset talis ordo salutis, ubi unum peccatum grave sine altero remitti posset, si tantum mera remissio habe-

retur debiti *exterioris,* e. gr. poenae, non vero restitutio vitae aeternae per gratiae infusionem, i.e. restitutio amoris amicitiae Dei (Galtier p. 482).

Assertio probatur iuxta doctrinam S. *Thomae:* Impossibile est per poenitentiam unum peccatum sine alio remitti.

1°. « Quia peccatum remittitur in quantum tollitur Dei offensa per gratiam », sc. *per gratiae habitualis infusionem.* « Omne autem peccatum mortale contrariatur gratiae, et excludit eam. Unde impossibile est, quod unum peccatum sine alio remittatur » (III, q. 86. a. 3).

2°. Argumentum fit ex eo, quod singula peccata gravia *intime cohaerent per rationem aversionis a Deo,* quod Doctor Communis succincte sic probat: primum enuntians *principium fundamentale* iam aliunde cognitum: «In *peccato mortali sunt duo:* scilicet *aversio* ab incommutabili bono et *conversio* ad commutabile bonum inordinata », seu conversio ad creaturam (III q. 86. a. 4 et I-II q. 87. a. 4.). *lamvero* « peccata, quamvis non sint connexa quantum ad conversionem ad bonum commutabile, sunt tamen connexa quantum ad aversionem a bono incommutabili, in qua conveniunt omnia peccata mortalia; et ex hac parte habent rationem offensae, quam oportet per poenitentiam tolli » (III q. 86. a. 3. ad 3).

c) *Haec remissio omnium mortalium* plena *est;* non esset remissio plenaria, si peccatum semel iam remissum per aliud peccatum grave patratum iterum revivisceret suoque reatu rursus aggravaret conscientiam poenitentis. Veritas autem revelata est, quod Deus remittit plene et irrevocabiliter peccata in tribunali misericordiae; *peccata delentur et nunquam redeunt,* nec damnati propter peccata iam remissa damnantur.

1°. Assertio probatur per conclusionem theologicam e *Concilio Tridentino.* Docetur enim per justificationem « tolli totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet » (sess. V. can. 5. Denz. 792). *Atqui* si peccata post novum lapsum in mortale redirent, non posset dici de iis, quod totum sublatum est, quod veram et propriam rationem peccati habeat.

2°. *Scriptura Sacra* saepe loquitur de plena deletione peccatorum: «Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur, et, si fuerint rubra, quasi vermiculus, vehit lana alba erunt » (Is 1,18); similiter: « Delevi ut nubem iniquitates tuas et quasi nebulam peccata tua » (44,22). Quae vera non essent, si reatus peccati rediret, sicut et Traditio sic interpretatur hos et alios locos Scripturae.

3°. *Traditionis* testimonium abunde sumi potest e Patribus. S. *Ambrosius* gr. allegans Is 43,25 (« Ego memor non ero, tu autem memor esto), adiicit de misericordia Dei effatum quasi ex ore Dei: « Non revoco illa (sc. peccata), quaecunque delicta donavi tibi, vehit quadam oblivione tecta sint, tu autem memor esto » (De poenitentia 6,40 PL 16.507). — Perpulchram comparationem affert *Theodoretus,* innixus textui scripturistico Mich 7,19: « Deponet iniquitates et proiiciet ad profundum maris peccata nostra » dicens: « Hoc certe admirabile est, quod non solum ignoscat, sed etiam memoria sua expellet peccata, et tamquam in profundum, in oblivionem tradat... Quemadmodum enim id. quod in profundum maris abiicitur, penitus non exstat, sic, inquit, peccata nostra oblivione funditus obruet » (Comment, in Mich. PG 81,1786).

4 . Hanc plenam remissionem peccatorum extollit etiam .s. *Liturgia,* affirmans remissionem omnino se extendi ad omnes sequelas peccatorum: « Deus misericors. Deus clemens, qui secundum multitudinem miserationum tuarum

peccata poenitentium deles, et *praeteritorum* criminum *culpas* venia remissionis *evacuas »,* dicit Gelasianum primigenium (Reconcil. poenitentis ad mortem, Wilson p. 66). Clarius vix potest dici plena remissio peccatorum; « culpa », i.e. reatus culpae « praeteritorum criminum »: per veniam remissionis « evacuatur»; at ubi verum vacuum est, ibi nihil remanet, ergo peccatorum « culpa », seu reatus iam in nihilum redactus est.

5°. *Ratio theologica* datur per S. *Thomam:* primum argumentando *e liheralitate Dei:* « Peccata poenitentis sunt dimissa per *donum Dei.* Ergo per peccatum sequens non redeunt dimissa peccata, quasi Deus de dono remissionis poeniteat » (III q. 88. a. 1). Doctor Angelicus hoc loco loquitur *de quibusdam doctoribus,* quibus visum est, quod peccata semel iam remissa redeunt, nomina quidem reticens. Nos vero scimus, quod revera fuerunt inter Scholasticos primaevos talia asserentes, et quidem eximius canonista *Gratianus* (t 1158), Hugo a S. Victore (J 1141), *Gulielmus Parisiensis* episcopus ibidem (1228-1249); *Petrus Lombardus* caute locutus est de quaestione (IV dist. 22. ed. Taurinensis 1895. V, 254). — S. *Thomas* vero *novum* argumentum contra eos afferens dicit: « Hoc non potest esse, quia opus Dei per opus hominis irritari non potest. Remissio autem peccatorum priorum fuit opus divinae misericordiae, unde non potest irritari » (1. cit.). — *Tertium* quoque argumentum affert S. Thomas: « Si non *absolute* fieret per gratiam et gratiae sacramenta peccatorum remissio, sed cum quadam *conditione in futurum dependente,* sequeretur, quod gratia et gratiae sacramenta non essent sufficiens causa remissionis peccatorum, quod est erroneum, utpote derogans gratiae Dei » (I. cit.) Adversarii enim ponentes peccata redire, negant absolutam remissionem, nam assumunt quod Deus non remittit peccata poenitenti postmodum peccaturo secundum praescientiam, sed solum secundum praesentem iustitiam. « Sed nec stare potest, quia, si causa absolute ponatur, et effectus ponitur absolute ».

Pars II. probatur: remissio poenae aeternae.

a) Vox Ecclesiae.

Trident sess. VI, cp. 14: « Poena aeterna. ...vel Sacramento vel Sacramenti voto una cum culpa remittitur » (Denz. 807). *Can. 30* affirmat « post acceptam justificationis gratiam cuilibet peccatori poenitenti... culpam remitti et reatum aeternae poenae deleri » (Denz 840). — Ex his sequitur partem hanc saltem fidei proximam esse, Magisterium enim eam doctrinam evidenter docet et supponit, sed non directe definit.

b) Scriptura Sacra

supponit quoque reatum poenae aeternae deleri per justificationem, sic *Roin 8,1.14* dicens, « nihil esse damnationis iis, qui sunt in Christo Jesu... quicunque vero spiritu Dei aguntur, il sunt filii Dei ». *Atqui ii sunt* in Christo Jesu et aguntur Spiritu et sunt filii Dei, *qui iustificati sunt* post peccatorum remissionem. Sed si poena aeterna — per absurdum — remaneret, non essent filii Dei, sed damnationis, sed « nihil damnationis » in eis est.

c) Traditionis

testimonium singillatim afferre esset pulsare ianuas apertas, tam manifestum est ex affirmatione existentiae huius Sacramenti, quod poenam remittit

aeternam. Sufficiat *illustrare hanc veritatem per preces liturgicas,* quae variis imaginibus laudant remissionem poenae aeternae. Episcopus super poenitentem reconciliandum tali modo precatur: « Tu parce confitenti, ut in imminentes poenas sententiamque futuri iudicii, te miserante, non incidat. Nesciat, quod terret in tenebris, quod stridet in flammis », ut habetur in Gelasiano (I, XXXVIII Wilson p. 65). — Reconciliandus miserationis veniam accepturus « nuptiali veste *recepta,* ad regalem mensam, *unde eiectus fuerat,* meretur intrare... spei rursus actemae et coelestis gloriae reformetur » (ibid. p. 66 et 14).

d) Ratio theologica

optime assignatur a S. *Thoma:* Peccator « ex parte aversionis ab incommutabili bono consequitur peccatum mortale reatus poenae aeternae, ut qui contra aeternum bonum peccavit, in aeternum puniatur... Quando igitur per gratiam remittitur culpa, tollitur aversio animae a Deo, in quantum per gratiam anima Deo coniungitur. Unde et per consequens simul tollitur reatus poenae aeternae » (III q. 86. a. 4).

Pars III. probatur: Remissio solum partialis poenae temporalis.

Aliter ac in baptismo, in Sacramento Poenitentiae tota poena temporalis non remittitur, etsi aliquando hoc contingere potest, nemo scit, quoties. Sed unum certum est, Sacramentum hoc, « baptismus laboriosus », praecise etiam in eo differt a baptismo « primo », quod ad legem pertinet ordinis huius providentiae, omnes poenas temporales non semper remitti.

a) Vox Ecclesiae.

Trident sess. VI. cp. 14: « Pro poena temporali ut sacrae litterae docent, non tota semper, ut in baptismo fit, dimittitur » (Denz. 807). — *Can. 30:* « Si quis post acceptam iustificationis gratiam cuilibet peccatori poenitenti ita culpam remitti et reatum aeternae poenae deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus *poenae temporalis* exsolvendae *vel in hoc* saeculo *vel in futuro* (in purgatorio), antequam ad regna coelorum aditus patere possit, a. s. » (Denz. 840.). Hoc canone de natura poenae temporalis instituimur: tum in hoc saeculo, tum in futuro lui debet. — Sess. *XIV. cp. 8.* repetit doctrinam sess. VI-ae, addens « omnino falsam esse et a verbo Dei alienam » doctrinam oppositam; *can. 12.* vero nolam haereseos inurit ei: « S.q.d., totam poenam simul cum culpa remitti semper a Deo satisfactionemque poenitentium non esse aliam quam fidem, qua apprehendunt Christum pro eis satisfecisse: a.s. » (Denz. 922).

b) zkdversantur

huic doctrinae sanae *omnes Novatores* uno ore asserentes, quod satisfactionis Christi infinitatem negant, qui aliquam poenam remanere dicunt. At tota antiquitas, ad quam saepe provocare solebant, semper supposuit hanc doctrinam. ideo existebat laboriosa poenitentia « secunda »; tamen falsis suis praeconceptibus fisi, etiam doctrinam Patrum reficiebant et quidem plena conscientia. Sic Cahinus non verebatur enuntiare: « Video quidem eorum (sc. Patrum, nonnullos. dicam simpliciter *omnes fere,* quorum libri extant, aut hac in parte *lapsos esse,* aut nimis aspere et dure locutos » (Inst, relig. christ. l. III, c. 4.).

c) Scriptura Sacra

manifesta affert exempla, ad quae Patres saepe provocare solent, ad demonstrandum quantum est necessarium in hoc saeculo poenas luere peccatorum, quia Deus non totam poenam remittit. Sic allegant ex aliis multis *Adamum,* qui adhuc in vita sua terrena « eductus est a delicto suo « (Sap 10,2), tamen permultas poenas qua tales pro peccato passus est; dein *Moysen et Aaron,* qui propter peccatum diffidentiae arcebantur ingredi Terram promissionis; item provocant ad exemplum *Davidis,* cui post peccatum homicidii et adulterii dictum fuit: « Dominus transtulit peccatum tuum, non morieris. Verumtamen quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc filius, qui natus est tibi, morte morietur » (2 Reg 12,13-14).

d) Traditio

ut diximus, semper sic sensit, claram Scripturae doctrinam exponens. Exempli instar satis sit afferre dictum *Augustini:* « Aliquando Deus, cui ignoscit in futuro saeculo, corripit eum de peccato in isto saeculo, nam et ipsi David cui dictum iam fuerat per prophetam: Dimissum est peccatum tuum, evenerunt quaedam, quae minatus erat Deus propter ipsum peccatum ‖ (In Ps 50,15 PL 36,595). *Usus Ecclesiae duplici modo* demonstrat convictionem post remissionem peccati remanere adhuc poenas solvendas. *Primus* usus fuit et. etsi mitiore modo, adhuc est: *satisfactio pro peccatis, i.e. poenitentia laboriosa,* « longus squalor poenitentiae » (Gelasianum I, XXXIX Wilson p. 66), cuius tenore peccator « manducavit, sicut scriptum est, panem doloris, lacrimis stratum suum rigavit, cor suum luctu, corpus afflixit ieiuniis, ut animae suae reciperet, quam perdidit sanitatem » (ibid. p. 64). — *Alius usus* Ecclesiae est *offerendi Deo satisfactiones pro animabus defunctorum,* cuius fundamentum est convictio, animas adhuc poenas debere luere pro peccatis in hac vita commissis temporales.

e) Ratio theologica

1°. S. *Thomae* (III q. 86. a. 4), iuxta quem peccatum grave duobus constat elementis: ex aversione a Deo et conversione ad bonum commutabile. Haec conversio haberi debet ut obiectum materiale, ratio formalis autem actum specificans seu propius determinans est *aversio a Deo,* quae « est ibi (=in peccato) *sicut formale, conversio* autem ad bonum creatum est ibi sicut *materiale* ». Si conversio ad bonum commutabile per eam rationem formalem specificatur, quod illud bonum permissum est, habetur actus per se *indifferens* (dormire etc.). — Si vero aliquid in hac conversione ad bonum commutabile non corresponde! rectae rationi, idest si habetur « inordinata conversio ad bonum commutabile *sine* aversione a Deo » : tunc haec conversio specificatur *in peccatum veniale.* Si vero peccatum grave habebatur, aversio tollitur per condonationem, sed *inordinata conversio remanet:* « Per gratiam tollitur aversio mentis a Deo, simul cum reatu poenae aeternae... tollitur (vero) aversio animae a Deo, in quantum per gratiam anima Deo conjungitur... remanet tamen illud, quod est materiale, scilicet inordinata conversio ad bonum creatum, pro qua debetur reatus poenae temporalis ». (ad 1. et corp.).

2 . E *Tridentino* concinne fieri potest *argumentatio convenientiae,* cur sic res sc habeat (Galtier p. 48/). Poenae temporales partialiter plerumque remanent, ut sic. a. magis appareat gravitas peccati, — b. ut refraenetur licentia pec-

candi, — c. ut per poenas has temporales medentur reliquiae peccatorum, — d. ut conformemur Christo pro nostra peccata satisfaciente per passionem, — e. ut extollatur specialis malitia peccati gravis post baptismum commissi (Trident. sess. XIV. cp. 8. Denz. 904-905).

Pars IV. probatur: Reviviscentia meritorum.

a) Cum gratiae restitutione, ut patet, recuperantur etiam virtutes infusae, quae semper simul cum gratia donantur homini. At non solum hae virtutes, sed etiam aliae divitiae supernaturales recuperantur: *merita* nempe, *seu opera hona a Deo rata habita,* quae per peccatum grave mortificata sunt seu omnem valorem coram Deo amiserunt. Iuxta unaninem doctrinam Patrum et theologorum post restitutionem gratiae *iterum valere incipiunt* in oculis Dei, aliis verbis « *reviviscunt* ». Opera vero in se « bona n, quae in statu peccati mortalis peracta fuerunt, non possunt reviviscere, quia homo in tali statu non potest mereri, quod ergo nunquam fuit, non potest recuperari. Doctrina haec vocatur a theologis probabilissima, fere communis, fidei proxima. At fortasse vocari potest e magisterio Ecclesiae *etiam de fide catholica* ut praesertim elucet e doctrina *Bullae Jubilaei « Infinita Dei misericordia » Pii XI.* 29. maii 1924: « Quicunque enim poenitendo Apostolicae Sedis salutaria iussa... perficiunt, iidem *tum eam, (piam peccando amiserant, meritorum donorumque copiam ex integro* reparant ac recipiunt... » (Denz. 2193).

b) Scripturae Sacrae

doctrina directe probari nequit, solum per conclusionem theologicam, quod iam Patres abunde fecere. Sic clarum est effatum *Ezechielis:* « Omnium iniquitatum eius, quae operatus est. non recordabor, in iustitia sua, quam operatus est, vivet... Impietas impii non nocebit ei, in quacunque die conversus fuerit ab impietate sua » (Ez 18,22; 33,12). *Atqui* si solum gratia, merita vero per peccatum grave mortificata non reviviscerent, non viveret in sua institia, impietasque eius noceret ei.

c) Traditio

1'. innixa Scripturae locis quibusdam, occasionem sumit suam doctrinam unanimem exponendi, etsi Scripturae textus hoc *in se* omnino certe non evincunt. Sic e.gr. allegari solet S. *Hieronymus,* ad textum *Joel prophetae:* « Convertimini ad me in iciunio, fictu et planctu... Reddam vobis annos, quos comedit locusta, bruchus et rubigo » (2,12.25) per accommodationem symbolicam enuntians doctrinam catholicam de reviviscentia meritorum: « Si autem post poenitentiam tantam ubertatem Deus rerum omnium pollicetur, quid respondebit Novatus negans poenitentiam et reformari posse peccatores in pristinum statum, si digna fuerint opera poenitentiae? » (Comm, in Joel 2.18 PL 25.1021). Fertilitas et ubertas materialis symbolum evadit restitutionis peccatoris spiritualis.

2 . Peremptorium quoque argumentum doctrinae inveniri potest e .s. *Liturhia,* quae hanc restitutionem saepissime extollit. Sic. e.gr. *Constitutiones Apostolicae* in adhortatione diaconi ad pocnitentes: « ...aversi ab omni opere illicito adiungant se ad omnem actionem bonam, ut hominum amator Deus obsecrationem eorum cito suscipiat placide, restituatque eos in priorem dignitatem » VIII, 9 Quasten p. 205.). — De hac restitutione loquitur etiam *Gelasianum primigenium* in oratione quadam, transsumpta a multis aliis libris liturgicis La-

tinis: « Dimitte ci, Domine, crimina, ct in semitas corn iustitiae placatus reinstaura, ut securus mereatur deinceps inter tuos bene meritis currere et ad pacis aeternae praemia pervenire » (Wilson p. 314; quoad alios libros Jungmann, Bussriten p. 161). In alia oratione similiter transsumpta ab aliis precatur: « Renova in eis, piissime Pater, quicquid terrena fragilitate corruptum est » (Wilson p. 66).

d) Ratio theologica

cur reviviscant merita mortificata, redditur a S. Thoma: « *Opera peccati* per poenitentiam *abolentur* secundum se, ita scilicet, quod ex eis ulterius nec macula, nec reatus inducatur, sed *opera in caritate jacta* non abolentur a Deo in cuius acceptatione remanent, sed *impedimentum accipiunt* ex parte hominis operantis » (III q. 89. a. 5. ad 1). Hoc impedimentum, i.e. peccatum mortale superveniens operibus bonis, hominem indignum facit aeternae vitae, *per poenitentiam aboletur:* « ...quod non sint efficacia ad ducendum in vitam aeternam, provenit ex impedimento peccati supervenientis, per quod ipse redditus est indignus vita aeterna. Hoc autem impedimentum tollitur per poenitentiam, in quantum per eam remittuntur peccata » (1. cit. in corp.).

Scholion. De commutatione poenae aeternae in temporalem.

Non possumus loqui de commutatione sensu proprio, qua poena aeterna in temporalem mutaretur, ut admisisse id videtur *Scotus* (ed. Montefortino, Summa, Theol. III. p. 86. a. 4, cf. Galtier p. 487). Si sensu proprio commutaretur poena aeterna in temporalem, tunc poena aeterna non dimitteretur gratuito; ideo tantum factum extollitur: quod loco poenae aeternae subeunda est solum poena temporalis. Aliis verbis: si de commutatione sermo est, talis commutatio *solummodo e parte poenitentis* locum habet, qui transfertur e statu damnationis in statum, ubi luere potest poenas temporales, quae ei ad emendationem prosunt. Sic et s. *Liturgia* loquitur de « transitione » poenae aeternae in temporalem, e.gr.: «Parce, Domine, parce peccatis nostris, et quamvis incessabiliter delinquentibus continua (i.e. aeterna) poena debeatur, praesta, quaesumus, ut quod ad perpetuum meremur exitium, transeat ad correptionis auxilium », seu ad poenam temporalem (Gelasianum HI, XXX, Wilson p. 249).

Pars V. probatur: gratia sanans, qua gratia sacramcntalis.

a) *Cone. Florentin. Decr. pro Armenis* (Denz. 695) dicit: « Quod si per peccatum aegritudinem incurrimus animae, per poenitentiam *spiritualiter sanamur.* » Tum antiqui Patres, tum theologi, tum s. Liturgia saepissime loquuntur de vulneribus, cicatricibus animae, de natura humana proclivi ad labendum, de infirmitate spirituali, propter quam « plerumque solet accidere amare bonum, sed implere non posse » (Gregor. Magnus, Moralia 1.25,11). Infirmitas haec remanet etiam postquam peccati reatus deletus est; manent « contagia vetustatis », natura a peccato originali vulnerata, imo habitus pravus per peccati exercitium acquisitus. Iuxta Ecclesiae terminum ergo datur *gratia sanans seu medicinalis,* et haec est gratia huic Sacramento specialis, seu sacramcntalis. Quia iam diximus, quod *gratia sacramcntalis* est principium aliquod immanens, gratiae habituali superadditum, nimirum *vigor* aliquis specialis, *modalitas* gratiae sanctificantis iuxta diversa Sacramenta differens: gratia sanans est modalitas gratiae habitualis in Sacramento Poenitentiae infusae, per quam gratia habitualis

ad id ordinatur, ut per hanc inodalitatem seu vigorem specialem *sanet el medeatur* animae vulneribus. Haec gratia potest esse, si non habentur peccata gravia, *gratia secunda,* i.e. augmentum gratiae, et etiam haec gratia secunda, ut patet, secumportat gratiam sacramentalem, seu sanantem.

b) Gratia haec sanans *variis modis describitur a s. Liturgia.*

1°. Homini in statu naturae lapsae *difficile fit peccata iteratis vicibus non committere,* gratia sanans itaque

a. adiuvat:

perversa vitare: « Deus qui iustitiam diligis et iniusta condemnas: da nobis quaesumus, et amare quae recta sunt et perversa vitare » (Leonianum Sept. XXII., Feltoe p. 138),

abstinere ab his quibus Deus offenditur: « Omnium nostrum Domine quaesumus, ad te corda converte, ut ab his quibus offenderis, abstinentes, non iracundiam tuam, sed misericordiam sentiamus » (Leonian. p. 111),

a noxiis vitiis cessare: « Populum tuum Domine, propitius respice, et quos ad escis carnalibus praecipis abstinere, a noxiis quoque vitiis cessare concede » (Gregorianum, ed. H. Lietzmann p. 32),

b. eruit nos *a contrariis Deo:* « Eripe nos, Domine, quaesumus, ab his, quae divinae sunt contraria voluntati, et quia tui operis est, quod vivimus, praesta, ut tui famuli tibi placere possimus » (Leonianum p. 135).

c. mitigat *terrenos affectus:* « Praesta, quaesumus, omnipotens Deus, ut quos ieiunia votiva castigant, ipsa quoque devotio sancta laetificet, ut terrenis affectibus mitigatis, facilius caelestia capiamus » (Gelasianum p. 43),

d. *spiritum tribuit* corrigendi: « Parce Domine, parce peccantibus, et ut ad propitiationem tuam possimus accedere, spiritum nobis tribue corrigendi » (Leonianum p. 23).

2°. *Peccatori ad Deum converso grave est* loco criminum *bonum facere* mandata Dei observando, gratia sanans itaque:

facit:

amare iustitiam: « Absolve, Domine, quaesumus, iniquitates nostras, et ut tua dona mereamur percipere, fac nos amare iustitiam » (Leonianum p. 57),

Deum toto corde servire: « Respice nos, rerum omnium Deus creator et rector: et ut tuae propitiationis sentiamus effectum, toto nos tribue tibi corde servire » (Leonianum p. 134),

nos Deo totaliter subtectos esse: « Deus qui per verbum tuum humani generis reconciliationem mirabiliter operaris, praesta quaesumus, ut sancto ieiunio et tibi toto simus corde subiecti, et in tua nos efficiamur prece concordes » (Gelasianum p. 32),

oboedire mandatis: « Fac nos, Domine quaesumus, tuis oboedire mandatis, quia tunc nobis prospera cuncta provenient, si totius vitae sequamur auctorem » (Gelasianum p. 231),

bonas esse nostras voluntates: « Rege Domine, quaesumus, tuorum corda fidelium, et ut bona tua, te largiente, percipiant, ipsorum primitus bonas esse concede voluntates » (Leonianum p. 76),

appetere Deo placita, nobis autem salutaria: « Omnipotens sempiterne D<us, cuius propitiationem in hac primum parte sentimus, cum ea, quae

tibi sunt placita et nobis salutaria, desideramus appetere, mentes nostras ad opera tibi placitura converte ».

3°. *Natura inconstans confortatione indiget ad perseverantiam in bonis operibus,* gratia sanans itaque

facit:

nos nunquam deviare a vitae semitis: « Deus, qui misericordiae ianuam fidelibus patere voluisti, respice in nos, et miserere nostri, ut qui voluntatis tuae viam te donante sequimur, a vitae nunquam semitis deviemus » (Gelasianum p. 104),

bonis operibus inhaerere: « Da quaesumus Domine, populo tuo salutem mentis et corporis: ut bonis operibus inhaerentes, tuae semper virtutis mercamur protectione defendi » (Gregorianum p. 33),

divina iugiter ambire: « Da quaesumus omnipotens Deus, ut quae divina sunt, iugiter ambientes, donis semper mereamur caelestibus propinquare » (Gelasianum p. 100).

4°. *Homo debilis debet adiuvari ad singulos virtutum actus;* gratia sanans itaque:

dat:

fiduciam ut sperare possimus pietatem Dei: « Adesto supplicationibus nostris, omnipotens Deus, et quibus fiduciam sperandae pietatis indulges, consuetae misericordiae tribue benignus effectum » (Gregorianum p. 31),

adversa patienter tolerare: « Deus, qui per Unigenitum tuum passum et humiliatum usque ad mortem, antiqui hostis contrivisti superbiam: da fidelibus tuis et quae ipse propter nos pertulit, digne recolere, et adversa omnia, eius exemplo, patienter tolerare »,

formam humilitatis in Unigenito Dei: « Deus qui non formam humilitatis ieiunando et orando Unigeniti tui Domini nostri imitatione docuisti: concede, quaesumus, ut quod ille iugi ieiuniorum continuatione complevit, nos quoque per partes dierum facias adimplere » (Gelasianum p. 36),

spiritus fervorem largitur nobis: « Deus, innocentiae restitutor et amator, dirige ad te tuorum corda servorum: ut Spiritus tui fervore concepto *et* in fide inveniamur stabiles *et* in opere efficaces » (Gregorianum p. 32),

auget in nobis fidem: « Deus, qui tenebras ignorantiae Verbi tui luce depellis, auge in cordibus nostris virtutem fidei, quam dedisti, ut ignis, quem gratia tua fecit accendi, nullis tentationibus possit extingui » (Gelasianum p. 292).

5°. Haec omnia facit gratia sacramentalis « sanans », per *gratias actuales, (piae in ea radicantur,* itaque:

facit nos:

Deo placita postulare: « Ad aures misericordiae tuae, Domine, supplicum vota perveniant, et ut possimus impetrare, quae poscimus, fac nos semper tibi placita postulare » (Leonianum p. 83),

videre, quae sint recte agenda: « Mentes nostras quaesumus Domine, lumino tuae claritatis illustra, ut videre possimus, quae agenda sunt, et quae recta sunt agere valeamus » (Gregorianum p. 29),

cognita ut recta, adimplere: « Perfice, Domine, benignus in nobis observantiae sanctae subsidium, ut quae te auctore facienda cognovimus, te operante impleamus » (Gelasianum p. 15).

Pars VT probatur: Pax et serenitas animae.

a) *Trident sess. XIV. cp. 3:* reconciliationem cum Deo, « interdum in viris *piis* et cum devotione hoc Sacramentum percipientibus conscientiae pax et serenitas cum vehementi spiritus consolatione consequi solet » (Denz. 896). — Reconciliatio dicitur *effectus* huius Sacramenti; pax etc. haberi potest *effectus mediatus,* quia reconciliationis fructus est. /\t non aliqualis reconciliationis, sed talis, quam devota mentis dispositio praeparavit; quia vero non semper et necessario consequi solet et etiam essentialis non sit, effectus est accidentalis.

b) Hic effectus mediatus et accidentalis celebratur quoque *a textibus* s. Liturgiae. Variis modis hic effectus extollitur:

Reconciliatus accipit:

consolationem: « Super populum tuum, Domine, quaesumus, benedictio copiosa descendat, indulgentia veniat, consolatio tribuatur, fides sancta succrescat, redemptio sempiterna firmetur » (Leonianum p. 171),

sentire potest indulgentiam dioinam: « Omnipotens sempiterne Deus, qui timore sentiris, dilectione coleris, confessione placaris, misericordiam tuam effunde supplicibus, ut qui de meritorum qualitate diffidimus, non indicium tuum, sed indulgentiam sentiamus ⁊ (Gelasianum p. 252),

post perceptam veniam reconciliatus securus est Dei protectione: « Vox clamantis ecclesiae ad aures, Domine, quaesumus, tuae pietatis ascendat, ut percepta venia peccatorum, te fiat operante devota, te protegente secura » (Leonianum p. 60),

reconciliatus respirat gratiae consolatione: « Concede, quaesumus, omnipotens Deus, ut qui ex merito nostrae actionis affligimur, tuae gratiae consolatione respiremus (Gregorian, p. 36), vel: « Da, quaesumus, omnipotens Deus, ut qui in tot adversis ex nostra infirmitate deficimus, intercedente Unigeniti Filii tui passione respiremus » (Gregorianum p. 43),

gaudet propter pietatem Dei repleturque delectatione mandatorum: « Da nobis, quaesumus, omnipotens Deus: ut qui infirmitatis nostrae conscii, de tua virtute confidimus, sub tua semper pietate gaudeamus » (Gregorianum p. 38). Et: « Esto, quaesumus, Domine, propitius plebi tuae: ut quae tibi non placent, respuentes, tuorum potius repleantur delectationibus mandatorum » (Lconian. 84, in hac forma: Gelasianum p. 37).

Litteratura.

J. Scheller, Das Nichtwiederaufleben der schweren Siinde, *in:* ZlkTh 1891, 241-267. — \f *Buchberger,* Die Wirkungen des Bussakramentes nach der Lehre des hl. Thomas, Freiburg i. Br. 1961. — *J. Gottler,* Der hl. Thomas und die vortridentnischen Thomistcn uber d ⟨ Wirkungcn des Bussakramentes, Freiburg i. Br. 1904. — *J. Stu/ler,* Die verschiedenen Wirkungcn der Taufe und Busse nach Tertullian, in: ZfkTh 1907, 372-6. — *P. de Vooght.* 1.i justification dans le Sacrement de pénitence d'après S. Thomas, *in:* Ephem. Théo!. Lov.m ens. 1928, 225. — *J Ude,* Das Wiederauflcben der Verdienste, in: Divus Thomas 1925, 453-463. — A. *Landgraf,* Sünde und Trennung von der Kirche in der Fruh^cholastik, in: Scholastik 1930, 210-247. — *P. Caltier.* De paenitentia, nova ed. 1950, p 481-516. — Ai. *Premrn,* Kath Glaubenskunde, III. 2. (1955) 121-131.

Respectu pastorali. D. *Prümmcr,* Man. Thcol. Mor. 5. ed. III. 1928, n. 335-338. — n \f(*rkrlh.i'h.* Summa Th. Mor. 8 ed. III. 1949. n. 452-470. — *J. Aertnys-C.* A. *Damen* lb< Mur 16 ed. 11 1950, n 266-272 — *H. Noldin-A. Schmitt-G. Heinzel,* Summa Th' Mot. 30 cd. III. 1954, n. 240-245.

K) De potestate ministri Sacramenti Poenitentiae.

De personis sacramcntalibus Poenitentiae tractantes, hac vice non debemus iam loqui de subiecto Poenitentiae, quia subiecti obligationes abunde iam pertractatae sunt occasione materiae proximae, quia actus poenitcntis in hoc venerabili Sacramento eandem materiam constituunt. Restat ergo agere de ministro Poenitentiae, hic vero diutius debet immorari propter eminentiam huius quaestionis, praeprimis pro praxi pastorali maximi momenti. Ideo disiuncte solet tractari de potestate ministri et de eius obligationibus in administrando hoc Sacramento.

Quaestionem de potestate ministri absolvimus sequentibus:

1. De potestate ordinis et iurisdictionis.
2. De jurisdictione ordinaria et delegata.
3. De jurisdictione suppleta.
4. De jurisdictione limitata quoad personas.
5. De jurisdictione limitata quoad materiam.
6. De abusu iurisdictionis.

1. De potestate ordinis et iurisdictionis.

Status quaestionis.

1°. *Potestas ordinis est potestas remittendi vel retinendi peccata in Sacramento Poenitentiae.* Potestas haec est vera potestas, nam sine ea nemo potest absolvere, etsi acciperet jurisdictionem in subditos, ut factum est olim, quando episcopi nominati sunt tales, qui solum ordines minores habebant et per annos dioecesim regebant. Sic e.gr. Pius III. diaconus Cardinalis erat, et habebat ut episcopus nominatus dioecesim, sed solum post electionem ad summum pontificatum ordinatus est presbyter et episcopus. Potestas ordinis est potestas *radicalis,* sola non sufficit ad absolutionem, sed requiritur *ut habeat subditos,* in quos exerceri possit; sicut indices quoque non post examen statim indicare possunt, sed solum postquam in aliquo districtu indices nominati sunt, subditosque habent. Requiritur ergo:

2°. *Potestas iurisdictionis, i.e. potestas remittendi vel retinendi peccata subditorum eius, quem ministrum Ecclesia illis designavit.* Haec assignatio subditorum ministro cuidam et designatio ministri quoad subditos vocatur potestas iurisdictionis. Sacerdos qui jurisdictione ad confessiones excipiendas praeditus est, vocari solet a iure canonico sacerdos « approbatus », jurisdictio vero « approbatio ».

His praemissis statuitur:

THESIS. (1) Potestas ordinis seu absolvendi peccata solis sacerdotibus competit, (2) qui tamen ad valide absolvendum necessariam habent potestatem quoque iurisdictionis.

Pars I. probatur: Potestas ordinis sacerdotibus solis competit.

a) Vox Ecclesiae.

Martinus V. *Interrogationes Wicleffitis et Hussitis proponendae, 20.:* « Item, utrum credat, quod christianus ultra contritionem cordis, habita copia

sacerdotis idonei, soli sacerdoti de necessitate salutis confiteri teneatur et non laico seu laicis quantunennque bonis et devotis n (Denz. 670.). — *Leo X. a Exsurge Domine · 15. jun. 1520. Prop. 13. damnata Mart. Luther:* « In Sacramento poenitentiae ac remissione culpae non plus facit Papa aut episcopus, quam infimus sacerdos: imo, ubi non est sacerdos, aeque tantum quilibet Christianus, etiamsi mulier aut puer esset » (Denz. 753). — *Trident, sess. XIV. cp. 6.:* « Declarat sancta Synodus, falsas esse et a veritate Evangelii penitus alienas doctrinas omnes, quae ad alios quosvis homines praeter episcopos et sacerdotes clavium ministerium perniciose extendunt ». — *Can. 10:* « S.q.d. ... non solos sacerdotes esse ministros absolutionis, sed omnibus et singulis Christi fidelibus esse dictum: quaecunque ligaveritis... a.sit « (Denzinger 902.920.).

Theseos I. pars sine dubio est *de fine definita;* « soli » sacerdotes debet intelligi eo sensu, quod minister absolutionis *saltem* sacerdos est. Exclusio quorumvis fidelium a potestate ordinis similiter est de fide definita; quoad diaconos hoc non potest dici, quia expresse non nominantur; tempore Tridentini enim iam nemo affirmabat diaconos posse in casu necessitatis absolvere. Hoc sensu thesis proxima fidei est.

b) Adversarii.

1°. Primi adversarii saec. II-III. *Montanistae* fuerunt, iuxta quorum doctrinam solummodo « Pneumatici n, i.e. qui Spiritus Sancti participes effecti sunt, possunt a peccatis absolvere. Versus 172 enim Montanus in urbe « sancta » Pepusa Phrygiae, asseclaeque eius mulieres Priscilla ed Maximilla, asserebant, Paracletum nondum advenisse in Pentecoste, sed solum eorum tempore et tantum in eos. Rationalisions extendit hanc falsam opinionem ad Ecclesiam primaevam, affirmans iis temporibus solum charismaticis competivisse ius absolvendi, quod veritati historicae contradicit.

2°. *Abaelardus* quoque false opinatus est de hac potestate, putans quod « potestas ligandi atque solvendi Apostolis tantum data sit, non successoribus » (Denz. 379).

3°. Ilaereses dualisticae: *Vaidenses et Albigenses* saec. XII-XIII.iam totum Sacramentum poenitentiae negabant, specialiter etiam absolvendi potestatem. Saec. XIV. et XV. *Wicleff* et *Jo. Httss* negabant potestatem absolutionis et damnati sunt, ut vidimus.

l . *Novatores* negabant Poenitentiam Sacramentum esse, etsi confessionem. ut iam expositum est. retinebant per aliquod tempus; absolutio semper a ministris data est, ita habetur in Catechismo Lutheri. Iuxta *Calvinum,* « mendacium et impostura fuit, quod de sacramento poenitentiae commenti sunt » Romanenses et scholastici; « aptissime igitur dixeris, si baptismum vocaveris poenitentiae sacramentum » (Instit. relig. christ. IV. c. 19.17). Explicite non invehebant in thesim nostram, sacerdotium enim profitebantur universale.

c) Scriptura Sacra

loco classico Poenitentiae Jo 20,21-23 demonstrat solum potestatem circa peccata Apostolis datam esse iudicialcm. Ex hac doctrina fit conclusio theologica Si potestas haec *habet indolem indicii,* hoc saltem certum debet esse, quod *non omnibus* dictum esse potuit: n Quorum remiseritis etc. ». Nam in omni societate potestas iudicialis non exercetur indiscriminatim ab omnibus, in omni regno constituuntur indices. Quaestio vero, post Apostolos quaenam per-

sonae recipiebant potestatem remittendi et retinendi peccata, e Scriptura Sacra sola nequit solvi. Abunde datur responsum a Traditione.

d) Traditio

imprimis solum in genere invocatur, inquantum e tractatione historica Poenitentiae pronum est Sacramenti huius administrationem semper dependentem fuisse ab Episcopis. Nunc solum hoc est demonstrandum, quod etiam sacerdotes seu presbyteri hanc potestatem accipiebant ab Episcopis, etsi multo minore in extensione, quam temporibus posterioribus.

1°. Iam S. *Clemens Romanus* versus 96 loquens de seditiosis Corinthiacis dicit: « Vos igitur, qui seditionis fundamenta iccistis, in oboedientia subditi estote presbyteris, et correctionem suscipite in poenitentiam, genua cordium vestrorum flectentes » (Ad Cor. 57, 1 RJ 27). « Paideuthête eis metanoian ⁿ = correctionem suscipere in poenitentiam significat Sacramentum, etsi «presbyteri» et « episcopi » adhuc terminologia vaga aetatis Apostolicae adhibentur, tamen clarum est, Corinthi unum tantum fuisse Episcopum, si ergo loco allato de « presbyteris » loquatur, presbyteros secundi ordinis debet intelligere, his vero competebat potestas absolvendi.

2°. *Origenes* consilium dabat poenitenti: « Circumspice diligentius, cui debeas confiteri peccatum », hoc vero non potuit Episcopum intelligere, nam ille non debebat quaesitari (cf. superius A. 4. V. b. 2°).

3°. *Dionysius Alexandrinus* ad Fabianum scribit, se « in mandatis dedisse, ut morituris, si peterent, venia indulgeretur, quo bonae spei ex hac vita migrarent » (penes Eusebium Hist. eccl. 6, 44 PG 20, 632).

4°. *Collegium presbyterorum Romanum* eodem tempore, medio saec. III. scripsit: ª Ante constitutionem episcopi nihil innovandum putavimus... eorum autem, quorum vitae suae finem urgens exitus dilationem non potest ferre... caute et sollicite subveniri » esse affirmaverunt, ut patet, per se ipsos presbyteros (Ep. ad Cyprian 30, 8).

5°. S. *Ambrosius* dicit: Ius ligandi atque solvendi « quibus donatum utrumque est, aut utrumque licere manifestum est, aut utrumque non licere certum est. Ecclesiae utrumque licet, haeresi utrumque non licet. Ius enim hoc solis permissum sacerdotibus est » (De paenit. 1, 2, 7, RJ 1293).

6°. S. *Hieronymus* explicite loquitur de episcopis et presbyteris: « In novo Testamento alligat vel solvit episcopus et presbyter... cum peccatorum audierit varietates » (In Mt. 16, 19 PL 26, 122).

7°. *Sozomenus* refert de institutione poenitentiarii: « Ex presbyteris aliquem, qui vitae integritate spectatissimus esset, et taciturnitate ac prudentia polleret, huic officio praefecerunt, ad quem accedentes ii, qui deliquerant actus suos confitebantur » (Hist. eccl. 7, 16 PG 67, 1459).

8°. *Contra Traditionem duo facta solent allegari. Primum:* Aevo antiquo Ecclesiae diaconi mittebantur ad reconciliandos moribundos ad dandam absolutionem. *Secundum:* Medio aevo moribundi in defectu sacerdotis diaconis vel laicis confitebantur.

a. *Ad primum dicendum est:* Usus hic nequaquam fuit communis. S. *Cyprianus* refert de hoc facto: « Si presbyter repertus non fuerit, et urgere exitus coeperit, apud diaconum quoque exomologesim facere delicti sui possint, ut, manu eis in poenitentiam imposita, veniant ad Dominum in pace » (Ep. 18, 1). Similiter habet *Concilium Illiberitanum,* multa mira proferens: « Apud presbyterum, si

quis gravi lapsu in ruinam mortis inciderit, placuit agere poenitentiam non debere. sed potius apud episcopum, cogente tamen infirmitate, necesse est presbyterem communionem praestare debere, et diaconem, si ei iusserit sacerdos » (can. 32). *Cyprianus* vix excusari potest ab errore, sed notandum, quod eo tempore nondum clare perspexerunt, in quo momento actus exomologeseos habetur essentia Sacramenti. Quando vero, in defectu presbyteri, diaconus finem poenitentiae imposuit moribundo, fortasse censendum est cum Galtier (p. 465), quod absolutio fiebat a presbytero per internuntium diaconum. *Similis casus* refertur e tempore *Dionysii Alexandrini:* quidam senex, Serapion nomine, lapsus sacrificavit, moribundus misit ad presbyterum, ut iuxta generalem episcopi mandatum, supra memoratum, absolvet cum (a apolysate »), sed ipse presbyter quoque aegrotus erat, et ideo puero tradidit Eucharistiam, qui eam morienti porrexit. Dionysius animadvertit, senem in vita mansisse, donec « absolveretur et peccato deleto coronari potuit » (Euseb. Hist. eccl. 7, 44 PG 20, 630).

b. Alter casus, quod *confessio fiebat* in casu necessitatis *diacono vel laico,* adhuc facilius solvi potest: hoc pertinebat ad votum Sacramenti, quo quis salvari potuit. Sic declarat rem S. *Thomas:* « ... quando necessitas imminet, debet facere poenitens quod ex parte sua est, scilicet conteri et confiteri cui potest, qui, quamvis Sacramentum perficere non possit, ut faciat id, quod ex parte sacerdotis est, absolutionem scilicet, defectum tamen sacerdotis Summus Sacerdos (videtur intelligere Christum) supplet » (Suppi, q. 8. a. 2. ad 1.).

e) Ratio theologica

indicatur a S. *Thoma:* voluntas Christi, quod solum sacerdos habeat potestatem ordinis, i. e. absolvendi a peccatis, conveniens est, quia congruit *cum potestate eius in Eucharistiam:* « Gratia quae a Sacramentis datur, a Capite in membra descendit. Et ideo solus ille minister est Sacramentorum, in quibus gratia datur, qui habet ministerium super corpus Christi verum, quod solius sacerdotis est, qui consecrare Eucharistiam potest. Et ideo, cum in Sacramento Poenitentiae gratia conferatur, solus sacerdos est minister Sacramenti, et ideo ei soli facienda est sacramcntalis confessio, quae ministro Ecclesiae fieri debet » (Suppi, q. 8. a. 1.).

Pars II. probatur: potestas jurisdictionis ad validam absolutionem.

a) Vox Ecclesiae.

Trident sess. XVI. cp. 7: « Synodus confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet jurisdictionem » (Denz. 903). — Ex hac definitione sequitur: 1. quod sacerdos potest carere iurisdictione: « in quem non habet jurisdictionem ». — 2. Hoc in casu « absolutio nullius est momenti ». — 3. Haec potestas non est identica cum potestate ordinis, nam haec potestas indivisibilis est. collata per Sacramentum ordinis, illa vero, i. e. jurisdictionis dividitur in ordinariam et delegatam. — *Pius* VI. « *Auctorem fidei* » *prop. 37. damnata Pistoriensium* « ..sic intellecta, tanquam ad validum usum huius potestatis non sit necessaria ordinaria vel subdelegata illa jurisdictio, sine qua Tridentinum declarat, nullius momenti esse absolutionem a sacerdote prolatam » (Denz. 1537). CZC *can 872;* « Praeter potestatem ordinis ad validam peccatorum absolutionem requiritur in ministro potestas iurisdictionis, sive ordinaria, sive delegata in poenitentem ».

Valor dogmaticus etiam huius partis videtur esse *de fide definita,* etsi alii dicunt eam esse fidei proximam (Lercher), doctrinam catholicam, cui contradicere sit saltem erroneum (Galtier), theologice certam (Merkelbach). Tridentinum talibus verbis definitionem dare videtur voluisse.

b) Adversarii.

Durandus opinatus est jurisdictionem esse ipsam ordinationem sacerdotalem, etsi concessit Ecclesiam posse prohibere usum jurisdictionis. Iuxta eum ergo Ecclesia tantum negative influit in absolutionem.

Febroniani et Josephinistae quoque non recte senserunt de jurisdictionis potestate, nam, ut damnatione propositionis 37. Synodi Pistoriensis videri potest, dixerunt « post institutionem dioecesium et parochiarum *conveniens* esse, ut quisque hoc indicium exerceat super personas sibi subditas ».

c) Probatio

ex *Jo 20, 21-23* fieri per conclusionem potest: Apostolis concessa est potestas remittendi etc., ergo et ipsis competit, quibus hanc concedant. — Item indoles iudicialis huius potestatis certa est, iudicium vero solum *erga subditos* potest exerceri, apostolorum vero successores, episcopi et presbyteri, ut cooperatores non habent omnes Christi fideles sibi subditos. *Traditio* vero si aliquid probet, hoc primo loco demonstrat, ad absolutionem peccatorum semper iussionem et delegationem episcoporum requisitam esse. S. *Thomas* congruentiam potestatis iurisdictionis sic ostendit: « *Alia Sacramenta* non consistunt in hoc, quod ad Sacramenta accedens aliquid agat, sed *solum ut recipiat...* sed in poenitentia *actus accedentis* (= suscipientis) ad Sacramentum est de substantia Sacramenti et non possunt nobis ab aliis dispensari (= ministrari) nisi ei, qui habet super eum iurisdictionem. Et ideo de necessitate Sacramenti huius est, non solum ut minister habeat ordinem, sicut in aliis Sacramentis, sed etiam quod habeat iurisdictionem » (Suppi, q. 8. a. 4.).

Scholion. Iurisdictio requiritur etiam ad absolutionem venialium.

Iuxta *Scotum* « possunt omnes sacerdotes a venialibus absolvere, quia ad id nulla opus habent iurisdictione... iurisdictio enim nulla est, ubi nulla invenitur cogendi vis » (IV Sent, dist 28. q. 4. a. 2. sol. 3.). Cogendi vis habetur quoad mortalia, haec coguntur confiteri per praeceptum divinum et ecclesiasticum, non habetur haec cogendi vis quoad materiam liberam confessionis (mortalia iam remissa, venialia). At iurisdictio non ideo existit, quia Ecclesia cogere potest ad confessionem mortalium, Scotus quaestionem solum *e parte poenitentis* consideravit; sed ideo requiritur potestas iurisdictionis, quia *minister* indiget ea, ut assignentur ei subditi. — *Lugo et Suarez* opinabantur iurisdictionem etiam ad venialia requiri, sed hanc ex immemorabili consuetudine Ecclesiae concessam esse omnibus sacerdotibus. *B. Innocentius XI.* 12. feb. 1679. praecepit episcopis: « Non permittant, ut venialium confessio fiat simplici sacerdoti non approbato ab Episcopo aut Ordinario » (Denz. 1150).

2. De iurisdictione ordinaria et delegata.

Potestas iurisdictionis simpliciter latius patet, quam iurisdictio ad absolutionem necessaria, seu ad « audiendas confessiones ». *Iurisdictio* enim latius

sumpta est « *potestas regiminis,* quae ex divina institutione est in Ecclesia, alia est fori externi, alia fori interni, seu conscientiae, sive sacramentalis, sive extra-sacramentalis » (can. 196). Potestas jurisdictionis ad absolutionem est species jurisdictionis latius sumptae: est iurisdictio fori interni et quidem sacramentalis. Haec iurisdictio ad absolutionem, sicut omnis generis iurisdictio duplex est: ordinaria et delegata. Iurisdictio *ordinaria* est « quae ipso iure adnexa est officio, et potest esse sive propria sive vicaria ». Iurisdictio *delegata* est, « quae commissa est personae » (can. 197). Iurisdictio delegari potest directe vel indirecte, utraque ab homine, vel a iure.

Sic itaque dividitur iurisdictio:

IURISDICTIO

FORI EXTERNI		FORI INTERNI	
		sacramentalis	extrasacramentalis
ordinaria		delegata	
propria	vicaria	directe	indirecte
SS. Pontif. Cardinal. Ord. loci Poenitentiarius Parochi Superior relig.	Vic. gener. Vic. paroch. = oeconomus = substitutus = adiutor	= confessario: ab homine a iure	= poenitenti: ab homine a iure

a) Iurisdictio ordinaria.

I. Est ca, quae *adnexa est officio,* talem habent secundum leges Ecclesiae:

Ordinariam propriam: (can. 873 § 1. 2.):

1 . *Romanus Pontifex* iure divino pro universa Ecclesia pollet iurisdictione, quae a nemine potest restringi.

2 . *Cardinales* (can. 239 § 1. n. 1) α audiendi ubique terrarum confessiones etiam religiosorum utriusque sexus et absolvendi ab omnibus peccatis et censuris etiam reservatis, exceptis tantum censuris Sedi Apostolicae specialissime reservatis et illis quae adnexa sunt revelationi secreti S. Officii ».

3°. « Pro suo quisque territorio *Ordinarius loci* n, quorum nomine veniunt: Episcopi rcsidentiales, Abbates et Praelati nullius, Vicarii et Praefecti Apostolici. Administrator Apostolicus (can. 198).

1 . *Poenitentiarius canonicus* ecclesiae tum cathedralis tum collegiatae, qui ad nonnam can. 401. § 1. potestatem habet ordinariam « absolvendi etiam a peccatis et a censuris Ordinario recervatis, in diocesi extraneos quoque et dioecesanos extra territorium quoque dioecesis n.

5 . *Parochi* « pro suo quisque territorio ». Nomine parochi venit pro Seminariis Rector Seminarii, qui iurisdictionem habet ordinariam pro alumnis et omnibus, « qui in Seminario sunt » (can. 1368).

6 *Superiores religiosi exempti* » pro suis subditis ad normam constitutio-

num u. Subditi quoad confessiones excipiendas censentur professi, novitii, postulantes, et « alii in religiosa domo diu noctuque degentes causa famulatus aut educationis aut hospitii aut infirmae valetudinis » (can. 514 § 1. cf. M. Conte a Coronata n. 350. d.). — Superiores intelliguntur non solum maiores, sed etiam locales, nam CIC non distinguit inter eos.

II. *Potestatem* ordinariam vicariam *habent:* (can. 873):

1° *Vicarii generales* Ordinariorum loci (can. 198).

2°. Vicarii « *alii qui loco parochi sunt* n, hi vero censentur: in genere vicarii paroeciales, si plena potestate paroeciali sint praediti » (can. 451 § 2. n. 2.), hi vero sunt:

a. *vicarius oeconomus* (can. 472) qui vacante paroecia constitutus fuerit,

b. *vicarius substitutus,* qui tempore vacationum « cum absentia ultra hebdomadam est duratura » ab Ordinario scripta licentia approbatur (can. 474 et 465 § 4.),

c. *vicarius adiutor,* qui parocho « ob senectutem, mentis vitium, imperitiam, caecitatem aliamve permanentem causam » impari datus est ab Ordinario loci (can. 475). — Iurisdictionem ergo ordinariam *non habent* vicarii cooperatores seu cappellani.

III. Normae pastorales pro iis, qui jurisdictionem *ordinariam* (sive propriam sive vicariam) habent:

1°. Ordinariam iurisdictionem in suos subditos possunt exercere *ubique terrarum,* confessiones ergo in aliena etiam dioecesi ubi non sunt approbati ad confessionem, possunt excipere a subditis, i. e. ab iis, qui domicilium vel quasi-domicilium habent in sua paroecia (can. 881 § 2.: « qui ordinariam habent absolvendi potestatem, possunt subditos absolvere ubique terrarum »). Minime vero, qui delegatam habet iurisdictionem, sic vicarius cooperator, in eodem loco alienae dioecesis versans cum parocho, non habet potestatem absolvendi.

2°. Haec potestas ordinaria *cessat* « *amissione officii* », quae fieri potest « renuntiatione, privatione, amotione, translatione, lapsu temporis praefiniti » (can. 183 § 1.) — Item cessat potestas « *post sententiam* condemnatoriam vel declaratoriam, excommunicatione, suspensione ab officio, interdicto » (can. 873 § 3). *Sine* sententia tali excommunicabis etc. ergo retinet iurisdictionem, cuius usus illicitus, sed non invalidus est.

b) De jurisdictione delegata.

Iurisdictio delegata dicitur, quae commissa est personae (can. 197 § 1.).

I. De modo delegationis.

1°. Iurisdictie *directe delegata* dicitur, *si confessorio* datur. Potest dari a. *ab homine,* a superiore qui potestatem habet iurisdictionem conferendi, sic e. gr. confertur iurisdictio « Sacerdoti X. dioecesis Y. in territorio dioecesis Z. » — b. Iurisdictio directe delegari potest *a iure,* si ipsa lex (CIC vel decretum S. Sedis) concedit aliquibus iurisdictionem.

2°. Iurisdictio dicitur *indirecte delegata,* si *poenitenti* datur facultas eligendi sibi confessarium. Etiam haec iurisdictio dari potest a. *ab homine,* i. e. compe-

tente Superiore, tali modo e. gr. Sancta Sedes in lubilaeo anni 1950 concessit omnibus fidelibus eligendi sibi quemlibet confessarium, qui approbatus est. — b. Indirecte delegari potest jurisdictio *a iure,* si haec facultas a iure ecclesiastico datur poenitenti, sic e. gr. Cardinalis sibi et suis potest eligere quemlibet confessarium.

II. De iurisdictione delegata ab homine.

seu do personis quae potestatem habent delegare jurisdictionem. *Principium est* « Qui jurisdictionis potestatem habet *ordinariam,* potest eam alteri ex toto vel ex parte *delegare, nisi* aliud expresse iure caveatur » (can. 199 § 1.).

Post tales cautiones solum *sequentes habent potestatem delegandi:*

Γ. *Summus Pontifex,* qui tali iure utitur e. gr. quando sequentem dedit concessionem (S. Poenit. 22. feb. 1941): « Ut facilius spirituali eorum saluti prospiciatur, qui nunc temporis in peculiaribus custodiae locis a publica auctoritate detinentur, S. Poenitentiaria sacerdotibus, qui eandem vitae rationem participant, apostolica auctoritate, concedit facultatem confessionem sacramenlalcm eorum omnium audiendi, qui vel in iisdem conditionibus versantur, vel pro suo munere in iisdem locis commorantur, dummodo praedicti sacerdotes jurisdictionem ad confessiones audiendas a proprio Ordinario iam habuerint, nec eadem privati fuerint » (AAS 1941. 73).

2°. *Ordinarii loci* iuxta can. 874 § 1.: « lurisdictionem delegatam ad recipiendas confessiones quorumlibet sive saccularium sive religiosorum confert sacerdotibus tum saecularibus tum religiosis etiam exemptis Ordinarius loci, in quo confessiones excipiuntur n. Ante CIC enim secundum doctrinam communiorem religiosi exempti jurisdictionem etiam pro confessione saecularium a Summo Pontifice acceperunt, ab Episcopo solum approbationem, sine qua ergo valide, sed illicite absolvebant (Coronata n. 351. a.). Pro sodalibus religiosae domus haec lex non valet, de iis cf. sequentem numerum (3°.) — « Sacerdotes religiosi earem ne utantur *sine licentia* saltem praesumpta sui Superioris, firmo tamen praescripto can. 519 » (can. 874. § 1). Licentia haec alia est ac jurisdictio, potest praesumi, sine licentia valide absolvit, sine iurisdictione non, peccatum leve committit sine licentia absolvens, sine iurisdictione absolvens peccatum grave.

3°. *Superior religiosus,* sive maior, sive localis, iuxta can. 875 § 1: «In religione *clericali exempta,* ad recipiendas confessiones professorum, novitiorum aliorumve de quibus in can. 514. § 1, iurisdictionem delegatam confert quoque proprius eorum Superior ad normam constitutionum, cui fas est eam concedere etiam sacerdotibus c clero saeculari aut alius religionis ». Ordinarius loci et Superior habent *potestatem » concurrentem »:* in domo religionis exemptae potest confessionem excipere religiosi etc. sacerdos saecularis ab Ordinario approbatus. Religiosus confessarius solum a Superiore habens iurisdictionem, extra religiosos ets. alios non potest absolvere. — Ibid. § 2.: « In religione *laicali exempta.* Superior proponit confessarium, qui tamen iurisdictionem obtinere debet ab Ordinario loci, in quo religiosa domus reperitur ».

III. De iurisdictione delegata a iure.

1 . *Directe* delegata est celeberrima illa facultas data omnibus sacerdotibus *maritimum vel aerium iter arripientibus: Can. 883* § 1: « Sacerdotes omnes mantimum iter arripientes, dummodo vel a proprio Ordinario, vel ab Ordinario por-

tus in quo navim conscendunt, vel etiam ab Ordinario cuiusvis portus interiecti per quem in itinere transeunt, facultatem rite acceperint confessiones audiendi, possunt, toto itinere, quorumlibet *fidelium secum navigantium* confessiones in navi excipere, quamvis navis in itinere transeat, vel etiam aliquamdiu consistat variis in locis diversorum Ordinariorum jurisdictioni snbiectis ». *In portu vero* valet §2: «Quoties vero navis in itinere consistat, possunt confessiones excipere tum fidelium, qui quavis de causa ad navim accedant, tum eorum, qui ipsis ad terram obiter appellentibus (appello,-ere = landen, aborder, approdare, kikot) confiteri petant, eosque valide et licite absolvere etiam a casibus Ordinario loci reservatis ». Tales casus, ut patet *in mari* non valent, nam mare ad nullius Ordinarii pertinet districtum. Haec licentia *de confessoriis obiter* in terram appellentibus non potest immodice extendi, ad summum valet per triduum, si Ordinarius loci *facile* adiri potest (Comm. Interp. CIC 20. maii 1923.) — Haec tota facultas extensa est « consentaneis quidem clausulis ad sacerdotes *iter aerium facientes* » (Pii XII. Motu proprio « Animarum studio)» 16. dec. 1947. AAS 1948, 17 p.).

2°. Alia iurisdictio *delegata a iure* est *indirecte facta,* i. e. poenitentibus, qui quemlibet confessarium possunt sibi eligere. Talem facultatem habent *Cardinales* « sibi suisque familiaribus eligendi sacerdotem confessionibus excipiendis, qui, si iurisdictione careat, eom ipso iure obtinet » (can. 239 n. 2). — Hoc privilegio item gaudent *Episcopi* tum residentiales, tum titulares (cf. can. 349 § 1. n. 1), *non* vero gaudent huic privilegio Abbates vel Praelati nullius.

IV. Nonnae pastorales de iurisdictione delegata.

I. Regula. *Iurisdictio delegata est ligata* vel territorio dioecesis, vel parochiae, vel etiam loci detentionis, maris, aeris, ut vidimus. Ordinaria iurisdictio subditos sequitur ubique sint, iuxta can. 881 § 2., quod non dicitur de delegata.

II. Regula. Etiam delegata iurisdictione praeditus *omnes potest fideles absolvere:* « Omnes utriusque cleri sacerdotes ad audiendas confessiones approbati in aliquo loco, sive ordinaria sive delegata iurisdictione instructi, possunt etiam *vagos ac peregrinos* ex alia dioecesi vel paroecia ad se accedentes, itemque catholicos cuiusque *ritus orientalis,* valide et licite absolvere » (can. 881 § 1.). — Haec concessio *reciproca est,* nam etiam ritus latini fidelis potest «confessario approbato etiam alius ritus, cui maluerit, peccata sua confiteri » (can. 905).

III. Regula. *Examinandus est, cui iurisdictio datur:* « Tum locorum Ordinarii iurisdictionem, tum Superiores religiosi iurisdictionem, aut licentiam audiendarum confessionum ne concedant nisi iis qui idonei per examen reperti fuerint, nisi agatur de sacerdote cuius theologicam doctrinam aliunde compertam habent » (can. 877 § 1.). — 1°. *Examen* seu periculum distinguitur a consuetis examinibus theologicis, nam comperi debet, an idoneus sit proprie ad confessiones excipiendas; see. Coronata « satis erit, si confessarius sciat, quae communiter occurrunt, utrum mortalia sint an venialia, item quae adnexa habeant *excommunicationem,* quae sint *reservata,* satis erit, si communia sciat et de difficilioribus sciat saltem dubitare, et libros vel peritiores consulere. Debet etiam scire, *qualis dispositio* a poenitente requiratur, ut absolvi possit » (n. 354). — 2°. « *Aliunde compertam* » habere potest Superior scientiam, ut si quis magister est theologiae, iuris canonici, vel laurea insignitus sit, etsi *per se* etiam laureatus examinari possit. Conscientia Superioris *graviter oneratur,* si candidato certe inepto conferret iurisdictionem, usus vero jurisdictionis validus esset. Notandum, quod Superior

religiosus ius habet ad examinandum candidatum, qui iam iurisdictione Ordinarii loci praeditus sit post examen quod subiit. — 3°. « *Si post concessam iurisdictionem* aut licentiam (Ordinarii ac Superiores) prudenter dubitent, num probatus a se antea sacerdos pergat adhuc idoneus esse, eum ad novum doctrinae periculum adigant, etsi agatur de parocho aut canonico poenitentiario « (can. 877 § 2.).

IV. Regula. *Modus concessionis iurisdictionis delegatae.* « Ad confessiones valide audiendas opus est iurisdictione *scripto vel verbis expresse* concessa. Pro concessione iurisdictionis nihil exigi potest » (can. 879 § 1. 2.). *Tacita* concessio, i. e. si Superior nihil diceret ad exercitium alicuius non approbati sacerdotis confessiones audientis, *non* sufficit, nec a fortiori *praesumptive concessa. Implicita* vero sufficere videtur, si Ordinarius loci sacerdotes extradioecesanos ad praedicandas missiones vel exercitia invitaverit aut expresse approbaverit ad praedicandum; licet in litteris invitationis nihil explicite de facultate audiendi confessiones dicat, tamen censetur expresse illa invitatione implicite etiam jurisdictionem absolvendi concedere. (Sic Cappello n. 398, Coronata n. 356, Vermeersch-Creusen n. 416).

V. Regula. *De cessatione iurisdictionis delegatae.*

Γ. *Non cessat* iurisdictio delegata *morte vel cessatione officii* delegantis; sic post mortem Episcopi jurisdictionem concedentis valida manet concessio, si *illimitate* fuerit concessa, e. gr. « usque ad revocationem n, vel: « usque in tua dioecesi (ordine) tali iurisdictione ornatus fueris », nec debet de facto iurisdictionis concessae novus Superior certificari. Si iurisdictio data fuerit cum clausula « *ad beneplacitum nostrum* » vel alia aequivalente, iurisdictionis concessio in casu dicto exspirat (iuxta can. 73).

2°. *Cessat elapso tempore,* si e.gr. concessa fuerit ad tres annos; vel exhausto numero casuum (« potest decies confessiones audire »); *mutatione territorii,* si iurisdictio collata fuerit, « dum in territorio dioecesis commoretur », mutatio intelligitur non transiens, puta tempore vacationum; dein « *revocatione delegantis delegato directe intimata* » (can. 207 § 1.). Notandum: « Actus potestatis pro foro interno concessae » — ut est concessio iurisdictionis — (actus) « per inadvertentiam positus, elapso tempore vel exhausto casuum numero, validus est » (ibid. § 2), et propter inadvertentiae excusationem etiam peccato carens.

3°. *De revocatione vel suspensione* iurisdictionis habetur *can. 8S0:* « Loci Ordinarius vel Superior religiosus jurisdictionem vel licentiam ad audiendas confessiones ne revocent, aut suspendant, nisi *gravem ob causam.* — § 2. At graves ob causas Ordinarius potest etiam *parocho aut poenitentiario* confessarii munus interdicere, salvo recursu in devolutivo ad Sedem Apostolicam. — § 3. Non tamen licet Episcopo, inconsulta Sede Apostolica, si de *domo formata* agatur — i. e. « in qua sex saltem religiosi professi degunt, quorum, si agatur de religione clericali, quatuor saltem sint sacerdotes » (can. 488 n. 5) — « *omnibus alicuius religiosae domus confessariis* una simul iurisdictionem adimere ».

3. Dc iurisdictione suppleta

a) Iurisdictio suppleta definiri potest: *Iurisdictio delegata ab Ecclesia in ipso actu confessionis, secus regulariter non collata, data propter bonum commune.*

Delegata est *«in ipso actu confessionis»,* nam supponitur casus, quod revera aliquis non habeat iurisdictionem. *Delegata enim* iurisdictio cxistit *iam ante* actum confessionis, *haec* vero in ipso actu confessionis confertur. — « *Ah Ecclesia* » confertur, i. e. a Summo Pontifice eiusque voluntate per leges enuntiata. — « *Sectis regulariter non collata* » : significat, absolventem revera non habere in casu iurisdictionem, sed Ecclesiam hanc supplere. Attendendum ergo est, num Ecclesia *velit* supplere, ideo, ut statim videbimus, a iure canonico dependet existentia voluntatis e parte Ecclesiae; dein sedulo advertendum, num Ecclesia *possit* supplere. Ecclesia enim, quia ad substantiam Sacramentorum potestatem non habet, non potest supplere defectum materiae essentialis, sicque e. gr. in Sacramento Poenitentiae defectum rectae contritionis; nec potest supplere, si sacerdos ex inadvertentia oblitus esset absolvere, vel invalide absolveret propter defectum formae.

b) Tribus in casibus *Ecclesia vult et potest supplere* iurisdictionem: in periculo mortis, in errore communi, in dubio.

1°. In periculo mortis, ut Tridentinum declaravit: « Pie admodum, ne hac occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei *custoditum semper fuit,* ut nulla sit reservatio in articulo mortis, atque ideo omnes sacerdotes quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt » (Denz. 903). Lex hodie vigens latius patet: « *In periculo mortis omnes sacerdotes,* licet ad confessiones non approbati, *valide et licite* absolvunt *quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis aut censuris,* quantumvis reservatis et notoriis, *etiamsi praesens sit sacerdos approbatus* salvo praescripto can. 884. 2252 ». — Nec hae duae exceptiones afficiunt validitatem absolutionis: absolutio complicis extra necessitatem illicita est (can. 884); dein: absoluti a censura ab homine lata, *vel* a censura specialissimo modo reservata, postquam convaluerint, debent recurrere sub poena reincidentiae (can. 2252). Cetera singillatim dilucidanda sunt (can. 882).

a. « *In periculo mortis* », quod latius patet, quam articulus mortis. *Periculum mortis* enim est, quando *mors ob adiuncta brevi occurrere potest, quia in talibus adiunctis facile et sat frequenter hoc contingat.* Sic periculum mortis habetur tempore incursionis aeriae, vel tempore pugnae, milites in statu convocationis bellicae (mobilisation, mozgôsitas), incursionis hostilis, morbi contagionis grassantis, in infirmitatibus, quarum « numerus mortalitatis » sat magnus sit. vel si habetur periculum subjectivum, e. gr. propter debilitatem organismi, aetatis, cordis etc. Iter facere aerium hodie jam non censetur periculum mortis in consuetis adiunctis. Sanctus Aphonsus sequentibus definit periculum mortis: « Probabile dubium de vitae conservatione tali casu, qua valde frequenter mors solet accidere». — *Articulus mortis* vero est iuxta eumdem: « *Tempus quo mors proxime instat et moraliter certa et inevitabilis est* » (VI, 239). CIC semper de periculo mortis loquitur relate ad Sacramenta baptismi, communionis, poenitentiae, extremae unctionis et matrimonii, solum quoad benedictionem Apostolicam memorat « articulum mortis » (can. 468 § 2.).

b. *Omnes sacerdotes,* nemine excepto, ergo etiam suspensi, irregulares, excommunicat! tolerati et vitandi, apostatae et etiam haeretici et schismatici, supposita valida ordinatione. Nulla causa requiritur, quod talis sacerdos possit absolvere: valide et etiam licite absolvere potest.

c. A *quibusvis peccatis aut censuris,* excepto uno, iam memorato. Recursus

quoque solum in unico casu debet fieri: in absolutione excommunicationis specialissimo modo reservatae.

d. *Etiamsi praesens sit sacerdos approbatus* ergo nullo modo iam supponitur vocandus esse *proprius sacerdos,* i. c. parochus, sed perfectissima datur libertas ad salutem animarum. Hanc libertatem confitendi semper prae oculis habere debemus nam *quilibet* sacerdos *valide* absolvit, *et attenta littera Codicis etiam licite dicit* Coronata (n. 359), qui tamen adiungit: « Communis *tamen* doctrina docet infirmum in periculo mortis non posse licite confessionem facere et absolutionem petere a sacerdote haeretico et schismatico excepto casu, quo alius desit sacerdos, cui poenitens sine magna difficultate et repugnantia confiteri possit », imo Vermecrsch-Creusen simpliciter affirmat, « ab haeretico vel schismatico, utente ritu suae sectae absolutio peti *non potest,* propter vetitam cooperationem ad falsum cultum » (n. 452 nota). At praecise — semper supposita valida ordinatione talis ministri! — *ritus non* potest dici *falsus,* cum tales schismatici utuntur ritibus qui essentiam Sacramenti incolumem retinent, parumque vel nil differunt a ritibus Orientalium catholicorum, etiam sacerdotes illi pauci haereticorum qui valide ordinati sunt (Jansenistae, Veterocatholici, Mariavitae). Illiceitas nec ob praesentiam alius sacerdotis est certa, «littera» enim CIC permissiva est. Periculum conversionis utique respici debet; si deest, potest uti poenitens et sacerdos libertate a CIC concessa.

2°. « In errore communi... *iurisdictionem supplet Ecclesia* » (can 209). Error communis *opponitur particulari* seu privato et nunc iam mitius iudicatur, quam ante Codicem, a maiore parte auctorum. Habetur iam *error communis,* si « habeatur factum aliquod, ex quo facile notabilis pars communitatis coniicere possit sacerdotem illum ad quem accedit, vel accedet... iurisdictione gaudere, quamvis de facto nemo adhuc accesserit et forte pauci omnino accessuri sint » (sic Coronata n. 358 bis, et alii auctores: Wemz-Vidal, Ius canonicum II, 322. 4, Vcrmecrsch-Creusen, Epitome luris canonici I, 284, Cappello, De Sacramentis II, 491, Aertnys-Damen n. 359, Noldin-IIeinzel n. 347 et Claeys-Bouaert in Ius Pontifie. 1936, 163). Ut error adesse censetur, non est necessarium *iudicium formale,* sufficit factum publicum (ut perspecta praesentia sacerdotis parati in confcssionali), quod fundamentaliter et virtualiter iudicium falsum de iurisdictione sacerdotis provocare potest. Ut error communis sit, non requiritur *numerus quidam errantium,* sacerdos paratus supradictus iam factum publicum constituit, etsi fortasse solummodo pro unico poenitenti. Ratio est, quod 209. can. bonum commune respicit, quod postulat evitationem confessionis invalide factae (Hoffmann, Trier. Theol. Zschr. 1956, 267. 270. 272.). Adiicitur casus, si sacerdos e. gr. iter vel excursionem faciens cum aliqua parte seu caterva fidelium quorum non habet ordinariam iurisdictionem (e. gr. catccheta cum suis discipulis) in aliena dioecesi ex oblivione audiret eorum confessiones: absolutio valida esset ex errore communi, licita propter oblivionem. Nam secus *sine gravi causa* non potest uti sacerdos errore communi, ideo etsi absolutio valida esset, peccaret. \liqui auctores docent « usum iurisdictionis in errore suppletae extra casum necessitatis nonnisi sub levi prohiberi, et proinde ex qualibet rationabili causa licitum fieri » (Coronata l. cit.), quod vix probari potest.

3 In dubio positivo et probabili *sive iuris sive facti* iurisdictionem supplet Ecclesia » (can. 209).

a. Dubium est *positivum,* si pro existentia iurisdictionis existant argumenta.

secus negativum esset; est *probabile,* si argumenta solida graviave sunt, etsi rem non prorsus evincentia.

b. Dubium habetur *iuris,* si legem aliquam aliter interpretantur doctores, nec adhuc authentica habeatur resolutio, ut in casu, an confessarii ordinum religiosorum exemptorum possuntne adhuc absolvere a censuris Ordinario iure communi reservatis, vel si quidam Ordinarius loci dubitet, num absolvere queat religiosum exemptum propriae dioecesis extra fines sui territorii, dubium enim iuris, est num talis religiosus, in (piem certam possidet iurisdictionem in sua dioecesi, extra suam dioecesim adhuc suus subditus sit (cf. Aertnys-Damen n. 343, 2).

c. Dubium habetur *facti* si versatur circa aliquod factum, a quo existentia iurisdictionis dependet. Sic si sacerdos sine iurisdictione stans ad lectulum aegroti, non posset decidere, num periculum mortis revera adsit: dubium versatur circa factum periculi, si adest, pollet iurisdictione, si non adest, non habet iurisdictionem. Si dubium est positivum, i. e. habet rationes pro existentia periculi mortis satis solida: potest licite et valide absolvere, quia supplet Ecclesia. — Item si sacerdos *in confessionali sedens* anceps maneret, num iurisdictio eius adhuc perduret; vel si in curru ferreo aut in montibus positus audiret confessionem, nec certo sciat, se *in ea dioecesi adhuc esse,* in qua ornatus est iurisdictione; vel si dubitet, *num peccatum* tale in illa dioecesi *reservatum* sit necne.

In talibus casibus certe valida est absolutio et etiam licita; *nec requiritur ulla causa* ad usum iurisdictionis suppletae.

4. De iurisdictione limitata quoad poenitentem.

Principium fundamentale est: qui dat iurisdictionem, potest eam restringere, quae restrictio seu limitatio potest fieri quoad *poenitentes* seu personas, quae subiectum sunt Sacramenti, et potest fieri circa *materiam remotam* Sacramenti, i. e. peccata, quae reservari possunt. Haec est doctrina clara Ecclesiae: « Magnopere ad christiani populi disciplinam pertinere sanctissimis Patribus nostris visum est, ut atrociora quaedam et graviora crimina non a quibusvis, sed a summis dumtaxat sacerdotibus absolverentur » (Trident, sess. XIV, cp. 7. et can. 11. Denz. 903 et 921). Talis reservatio praesertim aevo antiquo in usu fuit, nam peccata capitalia solum coram tribunal episcopi indicari remittique potuerunt. — *Ratio* datur a S. *Thoma:* « Ecclesia in excommunicationis sententia *divinum iudicium imitatur.* In quantum enim aliquem a *communione* fidelium *separat.* ut erubescat, imitatur divinum iudicium quo per flagella castigat; in quantum a *suffragiis* et aliis spiritualibus *separat,* imitatur divinum iudicium, quo hominem sibi relinquit, ut per humilitatem seipsum cognoscens ad Deum redeat n (Suppi, q. 21. a. 2.).

Nunc interim agendum solum est de limitatione iurisdictionis *quoad poenitentes.* Cuius iurisdictio ad certam speciem poenitentium limitata est, non potest absolvere. Iurisdictio solet limitari quoad mulieres — quoad religiosos — quoad religiosas — quoad Seminaria.

a) De limitatione iurisdictionis quoad mulieres.

Iuxta can. 878. « iurisdictio delegata... concedi potest certis quibusdam circumscripta finibus ». — Cum can. 522. loquatur « de confessario ab Ordinario

pro mulieribus approbato n, supponitur iurisdictio talis, quae solum ad viros audiendos data est, ut in compluribus regionibus revera fit, e. gr. in Italia. Talis limitatio praesertim iunioribus sacerdotibus imponi solet.

b) De limitatione iurisdictionis quoad religiosos.

P. In singulis domibus *religionis clericalis...* plures deputandi sunt confessarii (can. 518 § 1).

2°. In religionibus *laicalibus virorum* constituendus est confessarius *ordinarius et extraordinarius* et si religiosus aliquem specialem confessorium expostulet, illum Superior concedat, nullo modo petitionis rationem inquirens, neque id aegre se ferre demonstrans (can. 528).

3°. In religionibus *clericalibus exemptis* Superior deputat confessarium; in religionibus *laicalibus exemptis* Superior proponit confessorios Ordinario loci ad jurisdictionem conferendam; in religionibus *non exemptis* confessorii nominantur ab Ordinario loci (can. 875. 529). — Superior intelligitur vel maior vel etiam localis, sed verus, non ergo praepositus domus filialis, praefectus, moderator spiritualis, minister, procurator, oeconomus etc.

4°. Religiosus si « *ad suae conscientiae quietem,* confessarium adeat ab Ordinario loci approbatum, etsi inter designatos non recensitum; confessio, revocato quolibet contrario privilegio, valida et licita est, et confessarius potest religiosum absolvere, etiam a peccatis et censuris in religione reservatis n (can. 519). Prae oculis tamen habendum est vetitum can. 2247. § 2.: censuratus *ab homine* nullibi sine debita facultate absolvi potest. — « *Ad suae conscientiae quietem* n significat non solum peccatum grave commissum, sed etiam dubium ob tentationem, anxietatem, quae proprio confessario non facile aperitur, absentiam fiduciae in confessarium ordinarium, vel difficultatem adeundi eum (Merkelbach n. 588. A.).

5°. *Superior ipse potest audire* confessiones suorum subditorum, « qui ab illis sponte sua ac motu proprio id petant, at sine gravi causa id per modum habitus ne agant »; item: « Caveant Superiores, ne quem subditum aut ipsi per se, aut per alium vi. metu, importunis suasionibus aliave ratione inducant, ut peccata apud se confiteatur n (can. 518 § 2. 3.).

c) Dc limitatione iurisdictionis quoad religiosas.

Principium fundamentale: « *Sacerdotes tum saeculares tum religiosi,* cuiusvis gradus aut officii, ad confessiones *quarumcumque religiosarum ac novitiarum valide ct licite* recipiendas *peculiari iurisdictione* indigent n. (can. 876 § 1.) *De postulantibus* ergo hic canon non valet, et excipiuntur Cardinales (can 239 § 1. n. 1.). — Confessariis iurisdictionem *confert Ordinarius loci,* in cuius dioecesi domus religiosa sita est (can. 876 § 2.).

Quinque *species* distinguuntur confessoriorum, (pii religiosas quascunque audire possunt: confessarius ordinarius. — extraordinarius — designatus — specialis — et occasionarius.

1 . *Confessarius ordinarius:* « Singulis religiosarum domibus *unus dumtaxat detur* (pii sacramentales confessiones universae communitatis excipiat, nisi propter magum ipsarum numerum vel aliam iustam causam sit opus altero vel plui ibus can. 520 § 1.). Potest seligi e clero *saeculari vel regulari* de Superiorum licentia; debet esse *morum* integritate ct prudentia praestans, annos natus

quadraginta, nisi « insta causa indicio Ordinarii, aliud exigat »; et nullam potestatem in easdem religiosas *in foro externo* habens, et « integro vel externo communitatis *regimini nullo* modo sese immisceat » (can. 524). Ad *triennium* nominantur; causae cur Ordinarius eum etiam ad tertium triennium confirmare potest cf. can. 526.

2°. *Confessarius extraordinarius* easdem debet qualitates habere ac ordinarius (can. 524), munusve eius est, ut « *quater saltem in anno* ad domum religiosam accedat et cui omnes religiosae se sistere debent, saltem benedictionem recepturae » (can. 521 § 1.). — Bene notandum est, confessario extraordinario non quasi vigilantiae officium iniunctum esse; ad conscientiarum quietem positus est religiosarum, non vero ut ullo modo directioni spirituali sese immisceat, tantum in illis rebus, quae sibi proponuntur, salutaria monita et consilia suppeditet, ut recte dixit Noldin (ed 13. nota 1. nr-i 352).

3°. *Confessarius designatus* unus vel plures nominentur ab Ordinario loci, qui « aliquot sacerdotes pro singulis domibus designent, quos pro Sacramento Poenitentiae in casibus particularibus recurrere facile possint, quin necessarium sit ipsum Ordinarium toties-quoties adire » (can. 521 § 2.). Hi confessarii designati (quos Merkelbach vocat « *supplementarios* ») non tenentur ad legem tri ennii, sicut nec confessarii speciales.

4°. *Confessarius specialis* religiosarum iuxta can. 520 § 2. peti potest: « Si qua religiosa ad animi sui quietem et ad maiorem in via Dei progressum, aliquem specialem confessarium *vel* moderatorem spiritualem postulet, eum facile Ordinarius concedat, qui tamen invigilet, ne ex hac concessione abusus irrepant, quod si irrepserint, eos caute et prudenter eliminet, salva conscientiae libertate ».

5°. *Confessarius occasionarius* vocatur *tum* ille, qui a religiosa libere in casibus particularibus *adiri* potest, *tum* ille, qui a graviter aegrota libere *vocari* potest.

a. Confessarius *occasionarius qui adiri potest,* si « aliqua religiosa ad suae conscientiae tranquillitatem confessarium adeat ab Ordinario loci pro mulieribus approbatum; confessio in qualibet ecclesia vel oratorio etiam semipublico peracta valida et licita est, revocato quolibet contrario privilegio, neque Antistita id prohibere potest, aut de ea inquirere, ne indirecte quidem, et religiosae nihil Antistitae referre tenentur » (can. 522).

b. Hic canon plures authenticas interpretationes nactus est, sat magni momenti, et quidem *de loco, ubi religiosa audiri potest.* Omnes nunc auctores concedunt, religiosam confiteri posse penes quemlibet sacerdotem approbatum *etiam in propria ecclesia.* Interpretationem extensivam vero *Comm. Interp. Cod. 4 nov. 1920.* adiunxit: « In *loco* ad audiendas mulierum confessiones *legitime destinato* »; hanc destinationem facit Rector ecclesiae. — Iuxta responsum huius *Commissionis 28. dec. 1927.* vero declaratum est, confessionem extra huiusmodi locum (ecclesia, oratorium, etiam semipublicum et locus ad audiendum mulierum confessionem legitime destinatus) non solum illicitam, sed *etiam invalidam* esse. Notandum: haec valent solum de absolutione *religiosarum!* — Demum eadem Commissio *12. feb. 1935.* de loco confessionis religiosarum declaravit, quod talis locus potest esse « locus *per modum actus* designatus *vel* ad normam can. 910. § 1. electus » (AAS 1935, 92): ergo « extra sedem confessionalem ex causa infirmitatis aliave verae necessitatis et adhibitis cautelis quas Ordinarius loci opportunas indicaverit ». Itaque etiam pro unica confessione potest locus quidam destinari, vel in casu verae necessitatis etiam extra confessionale audiri et valide absolvi.

c. Confessionarius *occasionarius in gravi morbo* memoratur a can. 523: « Religiosae omnes, cum graviter aegrotent, licet mortis periculum absit, quemlibet sacerdotem ad mulierum confessiones excipiendas approbatum, etsi non destinatum religiosis, arcessere possunt, eique, perdurante gravi infirmitate, quoties voluerint, confiteri, nec Antistita potest eas sive directe sive indirecte prohibere ».

d. Optime monet Merkelbach, quod licentia confessarii occasionarii *solum pro singulis valet;* non posset ergo Antistita confessarium quemlibet rogare, ut pro sua communitate confessarium ordinarium vel extraordinarium suppleret, nec confessarius posset totam communitatem qua occasionarius audire: confessiones enim certe essent invalidae ob praescriptionem specialis jurisdictionis in can. 876. In tali casu ergo vocandus esset unus e confessariis « designatis » seu supplemcntariis, iuxta can, 521 § 2. (Merkelbach n. 590 C.).

d) Limitatio jurisdictionis quoad Seminaria.

Lex Ecclesiae habetur can. 1358: « Curandum, ut in quolibet Seminario adsint... *duo saltem confessarii ordinarii* et director spiritus ». De *extraordinario* confessario quoad Seminaria *non* habetur praescriptum, sed aliter consulatur huic necessitati: « Praeter confessarios ordinarios, *alii confessarii designentur,* ad quos libere alumni accedere possint. Si ii confessarii extra Seminarium degant et alumnus aliquem eorum acciri postulet, illum Rector arcessat nullo modo petitionis rationem inquirens, neque se aegre id ferre demonstrans » (can. 1361). — *Rector Seminarii* idem praeceptum habet ac magister novitiorum: « Magister novitiorum eiusque socius, Superior Seminarii collegiive sacramentales confessiones suorum alumnorum secum in eadem domo commorantium ne audiant, nisi alumni ex gravi et urgenti causa in casibus particularibus sponte id petant » (can. 891). Haec praescriptio pro Rectore vel alio Superiore norma districte prohibens est et quidem severior et strictior, quam lex can. 518. de Superiore religioso (sic Chelodi, Mac Cormick, Coronata n. 393, 1), et sub gravi obligat. Lex ista lata est ad praecavendum utendi notitia e confessione comperta in externo regimine Seminarii.

Pro sacerdotibus, qui legitimam habent iurisdictionem, secus nulla extat prohibitio confessiones alumnorum audiendi.

5. De jurisdictione limitata quoad materiam.

Limitatio quoad materiam, i. e. peccata, aliis verbis vocatur *reservatio casuum.* « Casus » intelligitur peccatum absolvendum, reservatio casus vero est: *avocatio casus ad indicium superioris, qua simul potestas inferiorum limitatur* (iuxta can. 893).

Reservatio duplex potest esse: *reservatio ratione censurae;* censura enim peti alo adnexa reservata est indici superiori, et si censura impedit receptionem Sacramentorum, tunc importat reservationem etiam peccati, cui adnexa est censurae reservatio (can. 2246. § 3.).

Potest dein esse reservatio *ratione sui,* quando solum peccatum reservatur, c ni censura anexe non est. Falsa denuntiatio de sollicitatione in confessione est unicum peccatum *etiam* ratione sui reservatum Sanctae Sedi (can. 894), cetera p; ccata omnia reservata sunt ab Ordinariis loci, quae variantur iuxta dioeceses.

Agendum igitur est a) de censuris reservatis, et b) de casibus Ordinario reservatis, item de eorum absolutione.

a) De censuris reservatis.

Censura est poena medicinalis ab Ecclesia inflicta et potest esse *excommunicatio, interdictum, et suspensio.* Hic agendum est tantum *de excommunicationibus,* et quidem latae *sententiae,* i. e. de iis quae ipso facto incurruntur, *non de excommunicationibus,* quae vocantur *ferendae sententiae, quae « ab homine »,* i. e. Superiore ecclesiastico infliguntur. Talis censura ubique locorum reservata est, ita ut censuratus nullibi absolvi sine debitis facultatibus possit (can. 2247. § 2.). Quae inferius dicuntur, non valent de censuris *a* ab homine ». Prius agi debet I. de conditionibus in quibus excommunicatio incurritur, dein de quatuor generibus excommunicationum reservatarum: II. Sanctae Sedi specialissimo, III. speciali modo, dein IV. simpliciter et V. a iure communi Ordinariis reservatis. VI. agitur de absolutione harum censurarum.

I. Conditiones in quibus excommunicatio incurritur.

1°. Peccatum, cui censura adnexa est, debet esse *grace formale externum.* Sic. e. gr. haeresis solum mente concepta non cadit sub excommunicatione etsi peccatum sit grave; negotiatio tunc tantum cadit (penes clericum) sub censura, si materia gravis habeatur et plures actus, unus nondum est negotiatio; levis tactus clerico afflictus nondum est iniuriosa manuum iniectio.

2°. Peccatum debet esse *consummation,* eo modo quo censura plectitur, e. gr. abortus effectu secuto; duellum iam tunc, si provocatio facta sit, nam etiam hoc sub poena cadit.

3°. Peccatum debet esse *certum,* nec *in dubio iuris,* an nimirum lex etiam ad hunc casum se extendat, nec *in dubio facti,* an peccatum reapse patratum sit, incurritur censura, nam « *reservatio strictam accipit intepretationem* ».

4°. *Ignorantia* legis aut *etiam solius poenae excusat* a poenis medicinalibus, ergo etiam ab excommunicatione, *si non fuerit crassa* seu supina (can. 2229 § 3. n. 1. nam excommunicatio, interdictum et suspensio sunt poenae medicinales: can. 2216.). Apud *fideles laicos* facile potest occurrere, quod sciant actum eorum esse peccaminosum, sed nesciant adnexam esse censuram, e. gr. abortui procurato. Talium ignorantia per se est ignorantia simplex et inculpabilis, censuram ergo *non* incurrunt. Aequiparatur: error, oblivio, inadvertentia.

5°. *Impuberes* excommunicationem *non incurrunt,* quae latae sententiae sunt (can. 2230); ergo mares ante 14 annum completum et feminae ante 12 annum completum aetatis suae (can. 88. § 2.).

6°. *Ebrietas, omissio debitae diligentiae, mentis debilitas, impetus passionis* solum tunc excusant a censura, si imputabilitas adeo diminuitur, quod actio iam non sit graviter culpabilis (can. 2229 § 3. n. 2.). — Si vero « *lex verba habeat:* praesumpserit, ausus fuerit, scienter, studiose, temerarie, consulto egerit... quaelibet imputationis imminutio sive ex parte intellectus sive ex parte voluntatis *eximit* a poenis latae sententiae », ergo etiam ab excommunicationibus (can. 2229 § 2.).

7°. *Metus gravis* tunc solum excusat a poena latae sententiae, *si delictum non vergat* in contemptum fidei aut ecclesiasticae auctoritatis vel in publicum animarum damnum (Com. Interpr. Cod. 30. dec. 1937. AAS 1938, 73). Sic excom-

municationem non incurrit femina metu gravi coacta ad abortum, incurrit vero, qm sine Sede Apostolica etiam e gravissimo metu aliquem episcopum ordinasset.

II. Excommunicationes Sedi Apostolicae specialissimo modo reservatae.

Quinque peccata reservantur ratione censurae specialissimo modo propter eorum immanitatem et periculosam indolem Sanctae Sedi. *Effectus* huius reservationis est, quod peccatores debent ad Sanctam Sedem recurrere, usque 1886 debebant Romam peregrinari, absolvi potuerunt solummodo, si iter talis impossibilis fuit. Nunc sufficit recursus, quem etiam confessarius potest loco poenitentis facere. *Absolvere* solum Sancta Sedes potest, i. e. Poenitentiarius maior (Summus Pontifex suum ius per eum exercet), neque Cardinales possunt ab his peccatis absolvere. Absolutus in periculo mortis, si convaluerit, debet recanere.

Peccata quinque reservantur specialissimo modo, vox memorialis: *CompSig ManusSpEp* (= complex, sigillum, manus, species, episcopus).

1°. *Complicem* in peccato turpi absolvens vel absolvere fingens. Valide, sed illicite in articulo mortis quoque, si alius confessarius praesto sit, excepto casu, quo moribundus recuset alii confiteri (can. 2367.); illicite absolvens etc. censuram incurrit. Cf. infra 6. a.

2°. *Sigillum* sacramentale *directe* violare praesumens (can. 2369), indirecta ergo violatio graviter peccaminosa non reservatur. Cf. inferius L. 3. d.

3°. *Manus* violentas in *Romanum Pontificem* inficiens (can. 2343, § 1.), et est ipso facto vitandus, infamis, clericus degradandus. Inde a Napoleone I. talis casus non occurrit.

4 . *Species consecratas* abiiciens, vel ad malum finem abducens vel retinens (can. 2320); est insuper suspectus de hacresi, infamis et clericus deponendus.

5°. *Episcopus* « cuiusvis ritus vel dignitatis aliquem neque ab Apostolica Sede nominatum, neque ab Eadem expresse confirmatum, consecrans in Episcopum. et qui consecrationem recipit, etsi metu gravi coacti (can. 2229 § 3. n. 3.), incurrunt in excommunicationem Apostolicae Sedi specialissimo modo reservatam » (S. Offic. decr. 9. apr. 1951).

III. Excommunicationes Sedi Apostolicae speciali modo reservatae.

Quatuordecim peccata reservantur ratione censurae speciali modo Sanctae Sedi. *Effectus* huius reservationis est, quod solum *Sancta Sedes* (Poenitentiarius Maior) absolvit, item *Cardinales,* et ii *confessorii,* quos Cardinales sibi et familiaribus eligunt, (can. 239 § 1. n. 2.) et *confessorii* ab Episcopis sibi et familiaribus clccti (can. 349 § 1. n. 1).

Quatuordecim peccata puniuntur excommunicatione latae sententiae specialiter S. Sedi reservata:

Duo contra iustitiam: *Denuntians - Falsarius.*
Tria contra fidem: *Apostata - Libri - Simulans.*
Quatuor contra auctoritatem Ecclesiae: *Machinons - Legifer - Impediens - Negotiansque.*
Quinque contra Romanum Pontificem: *Appellans - Recurrens - Trahens - Usurpans - Iniiciensque.*

Duo contra iustitiam (n. 1-2.).

1°. Falso *denuntians* per seipsurn vel per alios confessarium de sollicitationis crimine (can. 2363), et peccatum est insuper unicum peccatum *ratione sui S. Sedi reservatum.* Absolvi potest solummodo, si falsam denuntiationem formaliter retractaverit et damna pro viribus reparaverit.

2°. *Falsarius* vel fabricator litterarum, decretorum vel rescriptorum Sedis Apostolicae, et iisdem scienter utentes (can. 2360).

Tria contra fidem: (n. 3-5.).

3.° *Apostatae* a Christiana fide, haeretici, schismatici (can. 2314). Apostata est, *qui post receptum baptismum a Christiana fide totaliter recedit* (can. 1325 § 2.); non requiritur, ut alicui societati e. gr. Massonicae, adhaereat; modus vitae non « practicans » (non pratiquant) per se nondum dicit apostasiam, sed indifferentismum practicum. *Haereticus* est *qui post receptum baptismum nomen retinens Christianum aliquam ex veritatibus fide catholica et divina credenda denegat aut de ea positive dubitat* (can. 1325 § 2); ut excommunicatio incurratur, hoc debet exterius manifestari, verbo, scripto, etsi nemine praesente. Haereticus qui ad sectam pertinet, debet in foro externo, concedente Ordinario loci praesentibus duobus testibus, iuxta formam a Rituali praescriptam, a delegato Ordinarii prius absolvi, dein confiteri peccata sua et a quolibet iam confessario absolvi. *Schismaticus* est, *qui subesse renuit post baptismum receptum Romano Pontifici aut cum membris Ecclesiae ei subiectis communicare recusat* (can. 1325 § 2.), simili modo tractandus est ac haereticus. Qui sectae haereticae vel schismaticae addictus est a nativitate, vel etiam seriore tempore iis adhaesit, in foro externo, ut dictum est, prius absolvi debet.

4.° *Librorum* editores apostasiam, haeresim, schisma propugnantium, vel tales libros scienter legentes vel retinentes (can. 2318). Sunt, qui in praxi perperam intelligunt hunc canonem, opinantes, eum extendi etiam ad editionem, lectionem, retentionem librorum *prohibitorum.* Alia enim lex est prohibitio librorum, qui indici librorum prohibitorum inserti sunt, vel nominatim, vel ob eorum contentum in genere: qui talia legit — etiam folia diaria (journal, ujsag) periodica et alia edita scripta (can. 1384 § 2.) — peccat, sed non incurrit censuram excommunicationis. *Excommunicatione* speciali modo reservata solummodo ii plectuntur qui: « Opere publici iuris facto, *editores* librorum apostatarum, haereticorum et schismaticorum, qui apostasiam, haeresim, schisma propugnant, itemque eosdem libros aliosve per apostolicas litteras nominatim prohibitos *defendentes* aut *scienter* sine debita licentia *legentes* vel *retinentes* » (can. 2318 § 1.). Quia censura ut est excommunicatio strictae subiacet interpretationi, requiritur, ut censura incurratur: a. *Liber,* non diarium, periodicum etc. quae prohibita secus sunt ipso iure; liber habetur, si cc. 10 paginas in-folio continet (Vermeersch-Creusen n. 835). — b. *Ab auctore* apostata scriptus (qui in foro externo debet esse apostata), vel haeretico vel schismatico. — c. Apostasiam etc. *propugnare* debet, i. e. defendere, vindicare; libri, in quibus passim occurrunt talia, non cadunt sub censura. — d. Libri « *per apostolicas litteras nominatim prohibiti* n, non sunt per decretum S. Officii, vel Congr. quondam Indicis prohibiti et ideo non cadunt sub censura; valde raro accidit talis prohibitio per apostolicas litteras (Anler p. 112). — c. *Peccata* quae censurantur sunt: tales libros *edere, defendere,* scienter *legere; materia* gravis habetur, si

10 paginas in-folio legeris, vel e materia speciale periculum inferente 5-6 paginas ignotae naturae (Vermeersch-Creuscn n. 836, 5. b) et etiam *retinere* (« ultra mensem non videtur protrahi posse sine gravi reatu » ibid. n. 6). — f. Omnes alii libri *prohibiti* possunt esse, *nominatim* per Indicem librorum prohibitorum (Pii XII. 19-17.), vel *ipso iure* iuxta contentum librorum secundum *can. 1399.* Editio, lectio etc. peccatum grave est ex genere suo, sed non involvit excommunicationem specialiter reservatam.

5. *Simulans,* ad ordinem sacerdotalem non promotus Missae celebrationem, aut excipiens sacramentalem confessionem (can. 2322).

Quatuor contra auctoritatem Ecclesiae: (n. 6-9.).

6.° *Machinons* i. e. « qui contra legitimas auctoritates *machinantur* aut carum potestatem quomodocunque conantur *subvertere,* — qui ecclesiasticum *officium* vel *beneficium* vel *dignitatem* sine institutione vel provisione canonica, *occupant,* vel in eadem *sinunt* illegitime immitti, vel eadem *retinent* » (Deer. S. Cong. Concilii 29. jun. 1950. AAS 1950, 601).

7.° *Legifer:* i. e. « Qui leges, mandata vel decreta contra libertatem aut iura Ecclesiae edunt « (can. 2334 n. 1.). Iuxta sententiam communiorem, complectuntur etiam ii, qui individua voluntate sive communi et efficaci suffragio eadem contendant (Vermeersch-Creusen n. 847, 7).

8.° *Impediens* i. e. « Qui impediunt directe vel indirecte exercitium iurisdictionis ecclesiasticae sive interni sive externi fori, ad hoc recurrentes ad quamlibet laicam potestatem » (can. 2334. n. 2.). Ut patet, intelligi debet recursus efficax, censura tunc tantum incurritur, si hic recursus efficax fuerit (Vcrmeersch-Creusen ibid.).

9.° Auctoritati Ecclesiae quam maxime nocet *negotiatio* clericorum, ideo nova lege sancitur vetitum: « Clerici vel religiosi ritus latini, per se vel per alios mercaturam seu negotiationem cuiusvis generis, etiam argentariam, exercentes, sive in propriam, sive in aliorum utilitatem contra praescriptum can. 142. utpote huius criminis rei » excommunicatione latae sententiae specialiter reservata infliguntur (Dccr. S. Officii 22. mart. 1950.) « et si casus ferat, degradationis quoque poena plectantur n. a. Hac lege efficiuntur *clerici* a prima tonsura, *religiosi* inde a novitiatu, item *religiosae,* imo *societates* in communi viventium, demum etiam sodales *Institutorum saecularium,* quae eriguntur iuxta constitutionem « Provida Mater Ecclesia » (2. febr. 1947). Ritus orientalis non tangitur hac lege. — b. « *Crimen* » requiritur, ergo materia *gravis,* quae tamen coalescere potest. *Pluribus* actibus repetitis consistit crimen (« exercent » mercaturam) quod per unum actum nondum fit. — c. Vetita est: *negotiatio industrialis,* si non est negotiatio *stricte* industrialis, quando nempe materia per propriam industriam elaboratur, etsi ope aliorum. — d. Vetita est prorsus negotiatio *quaestuosa,* quando res comparatur, et integra et immutata lucro venditur. — c. Item vetita est negotiatio *argentaria,* quando in bursa comparantur et venduntur neffectus»; aliud est, imo praescribitur pro religiosis feminis, quarum dos in « tutis titulis collocari » debet. — f. *Licita est,* nam lex haec non vult omnino omnia immutare. negotiatio *oeconomica,* qua propriae fruges, animalia, opera artificiosa venduntur vel emuntur. (Cf. de hac re Λ. Delchard in Nouv. Rev. theol. 1950, 732-737).

Quinque contra auctoritatem Romani Pontificis: (n. 10-14.).

10.0 *Appellantes* omnes a legibus, decretis, mandatis Romani Pontificis pro tempore existentis ad universale Concilium, qui insuper sunt suspecti de haeresi can. 2332.).

11.° « *Recurrentes* ad laicam potestatem ad impediandas litteras vel acta quaelibet a Sede Apostolica vel ab eiusdem Legatis profecta, corumve promulgationem vel exsecutionem directe vel indirecte prohibentes » (can. 2333.).

12.° *Trahens:* i. e. si quis ausus fuerit ad indicem laicum trahere Cardinalem, Legatum Sedis Apostolicae, Officiales maiores Curiae Romanae ob negotia ad eorum munus pertinentia, vel proprium Ordinarium (can. 2341.).

13.° « *Usurpantes* vel detinentes per se vel per alios bona aut iura ad Ecclesiam Romanam pertinentia » (can. 2345.).

14.° *Iniiciens:* violentas manus in personam Cardinalis, Legati Apostolici, vel Episcopi etiam titularis (can. 2343 § 2. et 3.).

IV. Excommunicationes Sedi Apostolicae simpliciter reservatae.

Undecim peccata reservantur ratione excommunicationis simpliciter Sanctae Sedi. *Effectus* huius reservationis est, quod eas absolvere queunt: praeter S. *Sedem* et *Cardinales* etiam *Ordinarius* (ergo: non solum loci, sed etiam Superior maior in religione clericali exempta) in casibus occultis per se vel per alium remittere potest excommunicationes S. Sedi simpliciter reservatas (can. 2237 § 2.). Excipitur casus sacerdotis infra n. 11°.

Undecim peccata, quae excommunicatione latae sententiae puniuntur Sedi Apostolicae simpliciter reservatae, sunt:

4 = *Quaestor, sectarius, absolvens, auxiliansve,*
3 = *Qui trahit, violat, usurpat, Litteras falsat,*
3 = *Perduelli, Simones, clerici nupturientes.*

1.° *Quaestor:* i. e. « quaestum facientes ex indulgentiis « (can. 2327).

2.° *Sectarius:* « Nomen dantes sectae massonicae aliisve eiusdem generis associationibus, quae contra Ecclesiam vel legitimas civiles potestates machinantur » (can. 2335).

3.° *Absolvens:* i. e. « absolvere *praesumentes* sine debita facultate ab excommunicatione latae sententiae specialissimo vel speciali modo Sedi Apostolicae reservata » (can. 2338 § 1.), qui ergo ex inadvertentia, oblivione vel perplexitate absolvit, valide egit et non incurrit censuram.

4°. *Auxiliansve:* i. e. « impendentes quodvis auxilium vel favorem excommunicato vitando *in delicto,* propter quod excommunicatus fuit, itemque clerici *scienter et sponte* in divinis cum eodem communicantes et ipsum in divinis officiis recipientes » (can, 2338 § 2.).

5.° *Qui trahit:* sc. ad indicem laicum Episcopum etiam titularem, abbatem vel Praelatum nullius, vel Supremum Superiorem religionis iuris pontificii (can. 2341).

6.° *Violat:* sc. clausuram papalem, seu votorum sollemnium (can. 597), haec violatio fit per *ingressum* in clausuram vetitum, excommunicantur ingredientes cuiuscunque sexus in clausuram monialium, mulieres in clausuram virorum: item *introducentes* vel *admittentes* in clausuram, demum moniales e clausura illegitime *egredientes* contra praescriptum can. 601 (can. 2342).

7.‘ *Usurpat:* sc. qui « bona ecclesiastica cuiuslibet generis sive mobilia, sive immobilia, sive corporalia sive incorporalia, per se vel per alios in proprios usus convertere et usurpare praesumpserit, aut impedire ne eorundem fructus seu reditus ab iis, ad quos iure pertinet, percipiantur » (can. 2346). His *non* fertur censura *contra fures* privatos, e. gr. qui e parochia aliquid occulte .inferunt, vel bursam tinnientem (Klingelbeutel, persely), sed tum in publicas tales actiones, tum in acquisitionem bonorum Ecclesiae tali occasione a privatis personis. Condonationes ab Ecclesia semper concedi solent.

8.° *Litteras falsat:* i. e. « qui documentum quodlibet ad *Curiani episcopalem* pertinens sive per se sive per alium subtraxerint vel destruxerint vel celaverint vel substantialiter immutaverint ⁊ (i. e. falsaverint) (can. 2-105).

9.° *Perduelli:* omnes qui cooperantur ad duellum: « duellum *perpetrantes* aut simpliciter ad illud *provocantes* vel ipsum *acceptantes* vel quamlibet operam aut favorem *praebentes,* nec non de industria *spectantes* illudque *permittentes* vel quantum in ipsis est *non prohibentes* », (can. 2351 § 1.). Operam praebere censentur: adiutores (« secundantes »), medicus, confessarius, testes, personae locum duelli, anna, praesidia praestantes, pecuniam commodantes ad duellum.

10.° *Simoniaci,* i. e. « delictum perpetrantes simoniae in quibuslibet officiis, beneficiis aut dignitatibus ecclesiasticis » (can. 2392).

11.° *Clerici nupturientes:* i. e. « clerici *in sacris* constituti vel regulares aut moniales *post votum sollemne* castitatis, itemque omnes cum aliqua ex praedictis personis *matrimonium* etiam civile tantum, contrahere praesumentes » (can. 2388. § 1.). — Absolutio tunc tantum potest impertiri, si sacerdos complicem suam iam reliquerit, sed tunc nondum potest ordinem suum exercere, propter irregularitatem, a qua S. Officium solum dispensat, si poenitentia et oboedientia clerici peccatoris solidae videntur esse. In casu, quando sacerdos delinquens « a cohabitatione sub *eodem tecto* cum sua complice, etsi forte ad cor reversus, *cessare impediatur* », propter gravissimas rationes, ut ob leges civiles vel ob bonum prolis, « sed serio promittit absolutam et perfectam in posterum continentiam perpetuo servandam », tunc potest more laicorum admitti ad Sacramenta. Sed hanc absolutionem *exclusive* sibi reservavit S. *Poenitentiaria* (Dccr. «Lex sacri coelibatus» 18. apr. 1936, AAS 1936, 242-243), nullus con-(essarius ergo potest eum absolvere, solum tribunal supradictum. Imo etiam in casu periculi mortis, si talis sacerdos delinquens absolutus fuerit, *recurrere debet* ad S. Poenitentiariain, etsi hoc per CIC tantum ad peccata specialissimo modo reservata praescriptum est (sic iuxta authenticam interpretationem extensivam S Poenit. 4. maii 1937, AAS 1937. 283). Haec solum de sacerdotibus valent, non de aliis inferioribus nec de regularibus, qui non sunt sacerdotes.

V. Excommunicationes a iure communi Ordinario reservatae.

Sex sunt peccata adnexa habentes excommunicationem, quam ius commune reservat Ordinariis, et quidem *Ordinariis loci,* si agatur de laicis et sacerdotibus saecularibus, et religiosis laicalis religionis, vel religiosis non exemptis, *Superiori maiori* vero pro reliuiosis religionis clericalis exemptae.

Sex peccata ratione censurae Ordinario reservata sunt; (vox memorialis: *Matr-Abor-Fals-Man Apo-Prof)* — (n. 1-6):

1 quoad *matrimonium* quatuor excommunicationes incurri possunt:
a. « *Matrimonium ineuntes coram ministro acatholico* » (can. 2319. § 1. n. 1);

censurae obnoxii sunt ii quoque, qui sine dispensatione simpliciter tantum a ministro acatholico iunguntur, etsi matrimonium invalidum sit, dein:

b. « qui matrimonio uniuntur *cum pacto* explicite vel implicito, ut *omnis oel aliqua proles educetur* extra Ecclesiam catholicam » (ibid. n. 2.). — Censurae subiacent matrimonium *ineuntes et pactum* contrahentes etiam *tunc, si censuram ignorassent,* nam matrimonium et sequelae eius actus publici sunt. Si ergo quis ignoravit censuram, in foro interno eam non incurrit, in foro externo vero ea plectitur (Noldin-Schonegger n. 86, nota 1. ct 2.). *Si matrimonium validum esset,* — quod plerumque non contingit, sed fieri potest, e.gr. si in catholica et postea in protestantica ecclesia copulati sint; vel si solum in catholica, sed tamen pactum fecerunt — supposita validitate quoque matrimonii non possunt propter notorietatem in foro interno absolvi. *Libellus supplex* mittendus est ad Ordinarium loci, in quo expresso nomine reconciliandi, factum exponi debet cum suis circumstantiis, obtinetur facultas ad absolutionem ab excommunicatione in foro externo, quae fit iuxta formam a Rituali praescriptam, postea confessarius quilibet absolvere potest. — A fortiore, ad Ordinarium recurrendum est, si *matrimonium invalidum sit,* quia tunc matrimonium validum debet iniri, cuius possibilitatem et conditiones Ordinarius debet recognoscere. — Si *delictum in loco notorium non est,* ut contingit in maioribus urbibus, non debet causa in foro externo pertractari. Sufficit, si confessarius petat facultatem absolvendi ad reconciliationem in foro interno in actu sacramentalis confessionis, et sic ab utraque excommunicatione, vel forsitan a quatuor (si etiam duas sequentes incurrerint) absolvere potest. Haec absolutio valet etiam pro foro externo (Noldin-Schonegger n. 86. nota 2.).

c. « *Qui scienter liberos acatholicis ministris baptizandos offerre praesumunt* » (can. 2319 § 1. n. 3.), et:

d. « Parentes vel parentum locum tenentes, qui *liberos in religione acatholica educandos vel instituendos scienter tradunt* » (can. ib. n. 4). — In his duobus casibus (c. d.) attendendum est ad verba « *scienter* » et « *praesumunt* », ignorantia ergo et quaelibet imputabilitatis imminutio eximit a censura incurrenda. Si casus talis non fuit, excommunicatio eodem modo sublevanda est, ac in superioribus.

2°. « *Abortum procurantes, matre non excepta, effectu secuto* » (can. 2350 § i.).

a. *Abortus* intelligitur, si fit ante septimum gestationis mensem, post hoc tempus iam habetur acceleratio partus. Verus abortus habetur, si foetus eiicitur. mola enim iam non vivit; abortus in hoc casu non habetur, et operatio licite debet fieri, si foetus in utero mortuus fuerit. Operatio chirurgica, vocata « *craniotomie* » et aliae similes (kephalothripsia, dccapitatio, perforatio capitis, eviscceratio, rhachiotomia — contritio vertebri foetus etc.) certe sunt gravia peccata, sed non sunt abortus, ideo non cadunt sub excommunicationem (Noldin-Schonegger n. 91.1).

b. *Procuratus* est abortus, si intentio directe in eum tendat, nam operatio chirurgica vel medicina data directe ad sanandam matrem e quibus mediate vel aeque principaliter sequatur per accidens abortus, permissa esse possunt (cf. W. Umbricht et J. Miller *in:* Anima 1952, 337-363).

c. Mulieris gravidae percussio e qua abortus sequitur, si sine hac intentione fiebat, grave est, sed censura non incurritur.

d. « *Procurantes* » sunt: *mater* quoque, iuxta CIC.; dein « *mandantes* »

egr. coniux. vel amasius mulieris, medicus « indicationem n praestans abortus; « *consulentes* » tunc tantum, « si sine eorum opera delictum commissum non fuisset » (can. 2209 § 3.); demum « *physice concurrentes* » in delictum, ut adiutores in operatione abortus, non vero si tantum « facilius reddiderunt delictum, quod etiam sine eorundem concursu commissum fuisset » (ibid. § 4.), tunc hi possunt peccare (ut etiam consulens graviter peccavit, sed censuram non incurrit), sed eximuntur ab excommunicatione (can. 2231).

e. Si *effectus non sit secutus,* vel non certe ex isto medio ad hoc adhibito, censura non habetur.

3°. « Qui *falsas* reliquias *conficit,* aut scienter *vendit, distribuit,* vel *publicae* fidelium venerationi exponit » (can. 2326). — Qui reliquias, quae *authenticae* habentur, vendit, peccatum simoniae committit (can. 1289), sed non incurrit censuram; nec, qui reliquias falsas *privatae* venerationi exponit.

4°. *Manus* violentas inficiens *in personam clericorum Episcopo inferiorem,* vel utriusque sexus *religiosorum* (can. 2343 § 4.).

a. Lex haec vocatur « *privilegium canonis* » inde a Concilio Lateranensi II. (1139), et una cum legibus quoad Romanum Pontificem, Cardinales et Episcopos, iuxta communem sententiam et praxim auctorum, per exceptionem non stricte, sed *latius est interpretanda* (Noldin-Schonegger n. 88.89.).

b. Ideo *clerici* intelliguntur iam a prima tonsura, non vero Seminaristae Seminarii Minoris et etiam tunc gaudent privilegio canonis, si interdicti, excommunicati, suspensi vel depositi fuerint (can. 2303 § 1.), *non* vero si perpetuo privati sint deferendi habitum ecclesiasticum (can. 2304 § 2.), nec degradati (can. 2305), nec legitime redacti aut regressi ad statum laicalem (can. 213 § 1.).

c. « *Religiosi utriusque sexus* » intelligi debent omnes e quacunque religione, etiam novitii et novitiae, non vero postulantes (can. 488 n. 7. et can. 614 collatus cum can. 119); dein Tertiarii O.F.M. et O.P. et Oblati, sed tunc solum, si habitum religiosum gestent et cum claustralibus vivant (Noldin-Schonegger n. 89,2. b.); et sodales in communi viventes sine votis (can. 680.).

d. *Manuum iniectio violentarum* censetur: *laesio corporalis,* etiam si solum persequitur, ita ut cadendo laesionem accipiat; *laesio libertatis:* detentio et talia; *laesio dignitatis* per vim illatam, vestes conscindendo, conspuendo in eum, vel sordibus foedando. Actio haec *graviter peccaminosa* esse debet, ut censura incurratur, et, ut vetus ius exprimebat « *suadente diabolo* n, nam si fiat ex iusta causa, puta cx iusta sui defensione, vel correctionis gratia, ut si clericus minor corripiatur corporaliter, vel sacerdos propter crimen aliquod incarceretur, non fit peccatum, nec incurritur censura.

5°. *Apostata* a religione laicali, vel a religione non exempta (can. 2385).

6°. *Professi* votorum simplicium perpetuorum, matrimonium, etiam mere civile contrahere praesumentes et illi, cum quibus contrahunt (can. 2388. § 2).

Appendix: Excommunicationes nemini reservatae.

1 . Auctores vel editores, sine debita licentia, *libros* S. *Scripturarum* vel eorum aut commentarios sic imprimi curantes (can. 2318 § 2).

2 . Bona Ecclesiae *alienantes* (vendentes vel dissipantes) sine beneplacito Xpostolico supra valorem 30.000 Libellarum (videntur valore aureo intelligi debere) (can. 2347 coll, cum can. 534 et 1532).

3e *Cogentes* aliquem *ad statum clericalem vel religiosum amplectendum* vel ad professionem emittendam (can. 2352).

4°. *Fidelis,* qui *scienter omiserit* eurn, a quo sollicitatus fuerit, intra mensem *denuntiare.* Absolvendus non est, nisi postquam obligationi satisfecerit aut se satisfacturum serio promiserit (can, 2368 § 2).

5°. Audentes mandare seu cogere *tradi sepulturae ecclesiasticae* infideles, apostatas, acatholicos, censurâtes, exclusos per can, 1240.; qui canon excludit a sepultura ecclesiastica apostatas, sectae haereticae vel schismaticae aut sectae massonicae aliisve eiusdem generis societatibus notorie addictos, excommunicatos vel interdictos post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam, qui seipsos occiderunt deliberato consilio, mortuos ex duello vel vulnere inde delato, qui mandaverunt suum corpus cremationi tradi, alios peccatores publicos et manifestos (can. 2339).

VI. Absolutio a censuris reservatis.

1°. *Praenotanda generalia* ad absolutionem.

a. « Si confessarius *ignorans reservationem* — (sive habitualiter sive accidentaliter, etiam culpabiliter, in quo casu peccat) — poenitentem a censura ac peccato absolvat, absolutio censurae valet, dummodo ne sit censura ab homine aut censura specialissimo modo Sedi Apostolicae reservata » (can. 2247 § 3.). — A fortiori absolvit, si habet facultatem absolvendi, sed non cogitat de ea.

b. « Si *absolutio,* quamvis particularis petitio facta sit, *fuerit generalis, valet* quoque *pro reticitis* bona fide, *excepta* censura specialissimo modo Sedi Apostolicae reservata, non autem pro reticitis mala fide » (can. 2249). Sic e.gr. matrimonium iniens coram ministro acatholico, pueros ei baptizandos offerre praesumens et acatholicae educationi tradens triplici tenetur excommunicatione. Si unam ex iis oblitus est confiteri, ab omnibus tamen absolvitur. — Absolutio generalis fit per formulam « ...ab omni vinculo excommunicationis... ».

c. *Suspensus* potest a peccato absolvi, « si rite dispositus et a contumacia recedens » fuerit (can. 2250). Si etiam excommunicates est, vetatur a Sacramentis, et tantum post absolutionem excommunicationis potest a peccatis absolvi (ibid. § 2.). Si vero excommunicationem non incurrisset propter ignorantiam, gr. abortu procurato, peccatum a quolibet confessario potest absolvi.

d. « Si absolutio censurae detur in *foro externo, utrumque forum afficit* » (can. 2251), ergo peccatum a quolibet confessario iam absolvi potest. — « Si *in interno,* absolutus, remoto scandalo, potest uti talem se habere etiam in actibus fori externi » (ibid.), ergo potest Sacramenta suscipere. *In praxi* absolutio pro foro externo postulatur in *conversione* haeretici vel schismatici, dein quoad *matrimonia* coram acatholico ministro contracta et *clericos in sacris* constitutis, qui matrimonium attentaverunt.

e. « Absolutio censurae *in foro sacramentali* continetur *in consueta forma* absolutionis peccatorum in libris ritualibus praescripta; in foro *non sacramentali* quolibet modo dari potest, sed ad excommunicationis absolutionem regulariter formam adhiberi convenit in eisdem libris traditam » (can. 2250 § 3.). Fonna haec legitur in Rit. Rom. tit. IV. c. 3.

2°. *Absolvere possunt* a censuris reservatis:

a. *Romanus Pontifex* et *Poenitentiarius Maior* (can. 258).

b. *Cardinales* ubique terrarum ab omnibus, exceptis *specialissimo* modo reservatis et a matrimonio clericorum attentato, et adnexis revelationi secreti S. Officii (can. 239 § 1. n. 1.).

c. *Confessarii* a Cardinalibus et Episcopis sibi et familiaribus electi eadem facultate gaudent (can. 239 § 1. n. 2 et 349 § 1. n. 1.).

d. *Ordinarii loci et Superiores* in religionibus clericalibus exemptis, quoad suos subditos, absolvere possunt a censuris Sedi Apostolicae *simpliciter* et iure communi Ordinario reservatis, si agatur de casibus occultis. — Dein potest Ordinantis loci apostatam, haereticum, schismaticum absolvere in foro externo, si eius causa quovis modo ad eum deducta fuerit (can. 2314 § 2.). — Ordinarii solent habere facultates ampliores quinquennales ad absolutionem, ita ut recursus semper ad Ordinarium potest fieri.

e. *Regulares,* i.e. religiosi tales, qui vota sollemnia nuncupant in Ordine, per communicationem privilegiorum et consuetudinem, usque nunc nondum reprobatam, probabiliter absolvere possunt a reservatis *iure communi* Ordinario, non vero a casibus ab aliquo Ordinario reservatis (sic. e.gr. Merkelbach n. 598 B. 2., Aertnys-Damen n. 1067, Anler p. 27., Noldin-Schonegger n. 31). *Ratio,* est, quia per Pium IX. (Constitutio Apostolica « Apostolicae Sedis ») revocata sunt privilegia absolvendi a reservatis *Romano Pontifici,* haec vero iure quidem communi, sed *Ordinariis* reservantur. Privilegia vero vi can. 4. perdurant, donec revocentur, quod nondum factum est. — Romae omnes confessarii habent facultatem a talibus absolvendi (Aertnys-Damen n. 1067,3).

f. *Omnes confessarii in casibus urgentioribus* — non agitur nunc de periculo mortis, quando omnes *sacerdotes* etiam non approbati absolvere possunt, sed de confcssariis approbatis, qui in casu urgente absolvere possunt e delegatione Ecclesiae. Casus urgens *describitur* can. 2254 § 1: « In casibus urgentioribus, si nempe censurae latae sententiae exterius servari nequeant sine periculo gravis *scandali vel infamiae, aut si durum sit poenitenti in statu gravis peccati permanere* per tempus necessarium, ut Superior competens provideat: tunc quilibet confessarius in foro sacramcntali ab eisdem, quoquo modo reservatis, absolvere potest, *iniuncto onere recurrendi,* sub poena reincidentiae, intra mensem saltem per epistolam et per confessarium, si id fieri possit sine gravi incommodo, reticito nomine, ad S. Poenitentiariam vel ad Episcopum aliumve Superiorem praeditum facultate et standi eius mandatis n.

g. Hic *casus urgentior,* speciale signum benignitatis Matris Ecclesiae ad commiserationem pronae, uberius explicari debet (cf. Anler, Comes pastoralis p. 97-101). — *Excipitur,* ut iam dictum est *absolutio sacerdotis matrimonium civiliter attentantis,* cuius « absolutio a censura ita est S. Poenitentiariae reservata, ut nemo unquam excepto casu periculi mortis, ab ea absolvere possit » (S. Poenit. d 4 maii 1937 AAS 1937, 283).

(1) *Urgentia e* duplici causa haberi potest: (a) Si censura exterius servari nequit « sine periculo *gravis scandali vel infamiae,* puta si sacerdos celebrare obligatus non posset celebrare. — (b) Si *durum sit poenitenti in statu gravis peccati permanere* per tempus necessarium, tempus hoc 1-2 dies iam possunt esse, item « si poenitens non adeo cupiat absolvi quamprimum, potest confessarius hoc desiderium in eo excitare, sicque dispositum absolvere » (Arregui n. 611, Anler p. 98). Casus urgentior ergo practice plerumque habetur.

2) *Iniuncto onere recurrendi* » in omnibus casibus; finis talis recursus est solum, ut accipiat *mandata* S. Poenitentiariae. Recursus fit vel ad S. Poenitent-arram vel ad Ordinarium, qui plerumque habet potestatem delegatam absolvendi. vel ipse ulterius recurrit. Per se recurrit *poenitens,* sed, ut canon monet, potest *per confessarium.* si id fieri possit sine gravi incommodo ». Nomen

reticetur, ergo datur nomen fictilium e.gr. « Titius ». Poenitens non debet inscriptionem suam et nomen prodere (inscriptio = Adresse, indirizzo, cim), sed post aliquod tempus redire ad confessarium. — (3) Recursus *etiam omitti potest,* ut canon supponit: « Quod si in casu aliquo extraordinario *hic recursus sit moraliter impossibilis,* tunc ipsemet confessarius, excepto casu quo agatur de absolutione censurae de qua in can, 2367 (absolvens complicem), potest absolutionem concedere sine onere de quo supra (sc. onere recurrendi), iniunctis tamen de iure iniungendis, et imposita congrua poenitentia et satisfactione pro censura », si poenitens hanc intra tempus congruum non praestiterit, reincidet in censuram (can. 2254 § 3.). — *Moralis impossibilitas recursus* haberetur, si (a) poenitens *non posset revertere* ad confessarium, quia confessarius e.gr. iam non redit in istam ecclesiam, ubi confessiones exceperit, sic occasione missionum, exercitiorum spiritualium vel peregrinationum, vel si pro una vice tantum operam suam collocaverit. — (b) Si *communicatio* cum Sede Apostolica vel etiam Curia episcopali *impossibilis* vel in periculum adducta esset, puta, si secretum litterarum non esset in tuto collocatum (sic Anler, Comes pastoralis p. 99).

Corollarium pro praxi.

Si confessarius detexerit casum reservatum ob censuram, 1°. *interroget* poenitentem, num sciverit, se *excommunicationem incurrisse,* si negat, potest eum absolvere, monito poenitente, ut peccatum deinceps non iteret, quia tunc iam incurrit censuram. — 2°. Si poenitens *saltem in confuso cognovit* censuram, quod iam sufficit, ut incurratur, videat, *num ipse possit absolvere,* utpote habens facultatem. — 3°. Si talem facultatem non habeat, potest commendare poenitenti, ut vadat ad *confessarium tali facultate praeditum,* et commendet etiam nomen talis confessarii. — 4°. Si talem confessarium non cognoverit, vel poenitenti durum sit de novo confiteri peccatum suum, quod plerumque contingit, videat, num poenitens possit sine absolutione *discedere* et post tempus statutum reverti, quod item plerumque non contingit, quia hoc poenitenti durum sit, ideoque: — 5°. eum absolvat a censura et a peccatis iuxta formulam consuetam et ipsum admoneat, ut revertatur ad standum mandatis post mensem. Confessarius interea loco poenitentis *faciat recursum.* Ad Ordinarium sic scribat: « Excellentissime et Reverendissime Domine! Titius contraxit excommunicationem Sedi Apostolicae speciali modo reservatam ob delictum... Cum casus urgentior fuit, eum iuxta can. 2254 absolvi. Titius nunc recurrit ad recipienda mandata, per me confessarium N. N. habitans in... ». — Ad S. *Poenitentiariam* simili modo scribendum est, cum allocutione « Eminentissime Princeps! » (Inscriptio: S. Penitenzicria, Via della Conciliazione 34. Roma). — 6°. Si recursus *inoraliter impossibilis* sit, imponat confessarius congruam et diuturnam poenitentiam, moneat poenitentem de reincidentia, si non peregerit satisfactionem, absolvat eum et amplius iam nihil debet facere.

b) De casibus ab Ordinario reservatis.

1°. Ordinarius *solum locorum Ordinarius* intelligitur, qui aliqua peccata reservat « ad summum quatuor ex gravioribus et atrocioribus criminibus externis specifice determinatis » (can. 897), sed non potest reservare peccata, quae iam ratione censurae Sedi Apostolicae sunt reservata, et regulariter ne reservet peccata quibus censura, etsi nemini reservata imposita est (can. 898). *Superior Maior* religionis exemptae et in monasteriis sui iuris Abbas quidem etiam pos-

sunt peccata quaedam suorum subditorum reservare, sed quia iuxta can. 518 omnes confessarii « domibus deputati », item confessarius ab Ordinario loci approbatus, quem religiosus etiam exemptus ad suae conscientiae quietem adire potest, absolvere queant a reservatis in Ordine (can. 519), haec reservatio practice non est iam magni momenti. — *Vicarius Capitularis* non habet potestatem reservationis casuum, nec Vicarius *generalis* sine speciali mandato (can. 893 § 1).

2°. *Omnis reservatio* ab Ordinario facta ipso iure omni vi caret in sequentibus casibus:

a. « Cum confessionem peragunt *aegroti* qui domo egredi non valent » (can. 900 η. 1.); non agitur de periculo mortis, nec de censuris a S. Sede reservatis.

b. *Sponsi* confitentes matrimonii ineundi causa (ibid.).

c. » Quoties vel legitimus Superior petitam pro aliquo determinato casu absolvendi facultatem *denegaverit* » (ibid. n. 2).

d. Si » prudenti confessarii indicio, absolvendi facultas a legitimo Superiore peti nequeat *sine gravi poenitentis* incommodo, aut sine periculo violationis sigillii sacramentalis » (ibid.).

e. « *Extra territorium* reservantis, etiamsi dumtaxat ad absolutionem obtinendam poenitens ex eo discesserit » (ibid. n. 3).

3°. Absolvendi facultatem *habent* a casibus Ordinario reservatis. *Ordinariam,* i.e. officio adnexam:

a. Ipse *Ordinarius* et eius *Vicarius generalis,* qui potestam, qua Ordinarii etiam delegare possunt.

b. *Canonicus poenitentiarius* ecclesiae tum cathedralis, tum collcgiatae (can. 401 § 1.), qui potestate delegandi non pollet.

c. « *Parochi* aliique qui parochorum nomine in iure censentur, toto tempore *ad praeceptum paschale* adimplendum utili, (can. 899 § 3.). — N. B. parochi non *possunt* absolvere a censuris *a iure communi* Ordinario reservatis, e.gr. in casu abortus, vi *huius* canonis. In aliquibus dioecesibus vero Ordinarius omnibus confessariis *delegat* potestatem absolvendi a censuris a iure communi Ordinariis reservatis, sic — ut exemplum afferamus — in Archidioecesi *Strigoniensi* omnes confessarii absolvere possunt a his censuris quoque eos, qui *annuam* faciunt confessionem, sponsos, aegrotos domo egredi non valentes, mulieres ante partum, et omnes occasione missionum, exercitiorum spiritualium et triduorum (Statuta Synodalia Archidioecesis Strigoniensis 1941. § 138: « Ordinarius facultatem dat absolvendi a censuris, iure communi Ordinario reservatis... sacerdotibus omnibus jurisdictione praeditis, quoties confessiones audiunt fidelium obligationi annuae confessionis satisfacientium, sponsorum, infirmorum e domo egredi non valentium, mulieris ante partum aut etiam cujusvis fidelis occasione missionis, exercitii spiritualis vel tridui peccata sua confitcntis ».

d. « *Singuli missionarii* quo tempore missiones ad populum haberi contingat · (ibid. § 3.). — *Alii* confessarii vi huius canonis hanc potestatem *non* habent. — Iuxta auctores aequiparantur missionariis etiam ii, qui exercitia spiritualia collective tradunt (Cappello, Noldin-Schmitt-Heinzel n. 364, l. d.).

e. *Regularis confessarius,* i.e. confessarius qui iurisdictionem accepit a Superiore religioso, absolvit etiam a casibus, quos Ordinarius loci sibi reservavit, omnes regulares etiam novitios, in domibus et ecclesiis regularium. Hoc consequitur c can. 615: « Regulares, novitiis non exclusis, sive viri sive mulieres, cum eorum domibus et ecclesiis, *exceptis* iis monialibus, quae Superioribus

regularibus non subsunt, ab Ordinarii loci jurisdictione exempti sunt, praeterquam in casibus a iure expressis ». Tales casus reservati ergo in praedictis domibus regularium non valent, ideo absolvi possunt. Apud sacerdotem vero, qui iurisdictionem suam solummodo ab Ordinario loci habet, non potest absolvi, « nam huiusmodi confessarii iurisdictio est restricta, prioris confessarii religiosi iurisdictio non est restricta » (Noldin-Heinzel n. 359. nota).

4°. Iurisdictionem delegatam habere debent:

a. *Vicarii foranei* (seu archipresbyteri = « decani »), nam absolvendi facultas a casibus ab Ordinario reservatis « habitualiter impertiatur saltem vicariis foraneis, addita, praesertim in locis dioecesis a sede episcopali remotioribus, facultate subdelegandi toties-quoties confessarios sui districtus, si et quando pro urgentiore aliquo determinato casu ad eos recurrant » (can. 899 § 2.).

b. *Omnes, qui delegatam accipiunt* potestatem a casibus Ordinario reservatis absolvere, quae facultas etiam habitualiter concedi potest, ut vidimus superius (Statuta Synodalia Strigoniensia § 138).

6. De abusione potestatis jurisdictionis.

Praesertim duo casus habentur, in quibus miseri aliqui sacerdotes abuti possunt jurisdictione accepta in absolutionem poenitentium, quibus abusibus valde nutriri potest odium huius venerabilis Sacramenti, ideoque congruis legibus per sapientiam Ecclesiae cautum est, ut ab iis confessarii deterreantur. Duo hi abusus sunt: a) Absolutio complicis et b) Sollicitatio in confessione.

a) De absolutione complicis.

Definitio: *Est absolutio vera vel ficta data per confessarium suo complici in peccato turpi.*

Lex Ecclesiae. *Can. 884:* « Absolutio complicis in peccato turpi invalida est, praeterquam in mortis periculo, et etiam in periculo mortis extra casum necessitatis, est ex parte confessarii illicita, ad normam constitutionum apostolicarum et nominatim constitutionis Benedicti XIV. Sacramentum Poenitentiae, 1. jun. 1741. » — *Constitutiones Apostolicae,* de quibus can. 884. loquitur sunt ab eodem Benedicto XIV. emanatae: « Apostolici muneris » anno 1745. et « Inter praeteritos » anno 1749.

Agendum est 1°. de notione complicitatis, 2°. de peccato turpi, 3°. de absolutione, 4°. de poena lata in confessarium peccantem per absolutionem.

1°. Notio complicitatis. Sequentia tria requiruntur:

a. « *Quaecunque sit persona complex* (Benedictus XIV.), ergo non refert, num femina, vel mas, pubes vel impubes, sed sufficit quicunque homo capax peccati mortalis, nam:

b. Complicitas *involvit mutuitatem:* peccatum debet esse mutuum, ideo stuprum a parte confessarii non habetur complicitas, quia femina repugnat; nec peccatum commissum cum persona dormiente, ebria, non sui compote haberi potest mutuum. — Haec mutuitas tunc solum habetur, si:

c. *Complicitas formalis* habeatur, nam materialis in omni peccato cum altera persona commissa adest. Haec adesse debet *tempore peccati,* ut persona complex tunc iam sciat se cum sacerdote peccasse; si fuerit in vestibus laicalibus, tunc non habebatur complicitas in ordine ad Sacramentum. Si postea

cognovit eum esse sacerdotem et peccatum turpe vellet ei confiteri, iam haberetur formalis complicitas *tempore absolutionis.* Si mulier neque in confessione cognoscit confessarium fuisse suum complicem, deest complicitas formalis et sacerdos non tenetur mulieri dicere: « Ego sum ille vir quocum peccasti », nec, si dubitaret: « Numquid fecisti istud peccatum mecum? ». Ratio vero est, quia tunc non habetur ille Sacramenti abusus, quem vult lex ecclesiastica prohibere (sic Priimmer III. n. 456 et Vademecum Th. Mor. 6. ed. 1947, n. 721 dein Ilolweck, Lehmkuhl). Prudenter adiungit Noklin-Heinzel: « Si vero poenitens in actu peccati iam scivisset, complicem esse sacerdotem, sed in confessione solum ignorat fuisse *hunc* sacerdotem ab interrogando non excusari videtur sacerdos, quia famam status sacerdotalis non amplius imminueret » (n. 371, Ib).

2. *De* peccato turpi *quatuor* scienda sunt:

a. Debet esse *peccatum contra castitatem* seu contra sextum Decalogi praeceptum. Peccata ergo contra aliud praeceptum seu virtutem non involvunt rationem peccati turpis, ideo possunt absolvi a sacerdote complice, ut e.gr. confessario qui in aliqua negotiatione falsa complex fuit alicuius personae, etsi hoc non decet. Peccatum vero contra castitatem *non debet esse opere consummatum,* sufficiunt aspectus inhonesti, tactus, oscula, colloquia cum affectu pravo. Sed tunc tantum, si sint:

b. *Peccata gravia,* tum *obiective,* tum *subiective* contra castitatem. Peccata contra pudicitiam possunt esse levia, imo peccata contra castitatem, sive ob imperfectionem actus (i.e. propter defectum plenae consensionis), sive ob errorem peccatoris. Sic, si mulier putaret inhonestos tactus vel oscula a sacerdote admissa non esse peccatum grave, vel puer ex conscientia erronea putaret tactus a sacerdote inpudice patratos non esse grave peccatum, non habetur peccatum grave *mutuum,* deest ergo complicitas, et potest a sacerdote absolvi, quin excommunicationem incurreret. Patet peccatum debere esse *certo grave* (Noldin-Schonegger n. 53).

c. Peccatum debet esse *peccatum externum,* peccata ergo interna, ut delectatio morosa, desideria inhonesta, non constituunt complicitatem.

d. Debet esse peccatum *nondum directe remissum,* quia periculum abusus tunc solum habetur, si primo confiteatur peccatum complicitatis, ideo S. Officium declaravit: « ...liberum esse confessario absolvere personam complicem, quae a peccato complicitatis inhonesto absoluta iam fuit per alium confessarium; dandum tamen semper esse consilium confessario de (pio agitur, ut, nisi cogat necessitas, se abstineat ab excipiendis personae, licet iam a peccato complicitatis absolutae, sacris confessionibus n (29. maii 1867.).

3°. *De* absolutione *vera vel ficta quinque* notentur:

a. *Absolutio* dicitur *vera,* si confessarius habuerit intentionem absolvendi, vel si protulerit formam absolutionis, etsi scivit, se non habere potestatem peccatum complicitatis absolvendi. *Ficta* est absolutio, si confessarius alias quascunque preculas recitaverit, vel signum Crucis dederit; in utroque casu incurrit excommunicationem.

b. \'*on* habetur *absolutio,* si solummodo *audierit* confessionem complicis, sed nihil fecit Idem probabiliter dicendum est iuxta auctores, si expresse dixerit, se peccatum complicitatis non absolvere, sed omnia alia peccata, tunc non incurrit peccatum, sed utique graviter peccavit per sacrilegam absolutionem, nam tali modo peccata cetera non possunt remitti.

c. Si poenitens complex *sua sponte reticeat* peccatum complicitatis, et confessarius absolvit, excommunicationem non incurrit. Absolutio vero *valida* est, si poenitens bona fide reticuit peccatum, *invalida* est, si mala fide reticuit; confessarius vero in utroque casu graviter peccavit, nam in priore casu debuisset interrogare poenitentem. — Insuper « eandem excommunicationem non effugit absolvens vel fingens absolvere complicem, qui peccatum quidem complicitatis, a quo nondum est absolutus, non confitetur, sed ideo ita se gerit, quia ad id a confessario sive *directe sive indirecte inducitis est* » (can. 2367 § 2.). *Directe* inducit confessarius, si diceret « Istud peccatum nullo modo confitearis mihi! »; *indirecte,* si complici persuadere nititur, peccatum istud non fuisse grave, esse meram fragilitatem humanam, *vel* affirmaret, peccatum a confessario iam cognitum non debere necessario exprimi.

d. Absolutio complicis in peccato turpi *invalida* est, nam Benedictus XIV, declaravit, sacerdoti esse « sublatam ipso iure quamcumque auctoritatem et iurisdictionem ad qualemcunque personam ab huiusmodi culpa absolvendam ». Dantur tamen:

c. *Exceptiones,* quando absolutio peccati complicitatis *valida est.* Sicut iam dictum est, valida est absolutio complicis (1) *in periculo mortis,* licita solummodo, si alius sacerdos etiam non approbatus, praesto non sit, qui « sine gravi aliqua exoritura infamia et scandalo possit excipere morientis confessionem, excepto casu, quo moribundus recuset alii confiteri » (can. 2367 § 1.). Si confessarius complicem tamen absolveret, absolutio valida esset, sed confessario — extra casum supradictum — *graviter illicita, et incurreret excommunicationem.* — (2) Iuxta sententiam communiorem potest absolvere confessarius complicem in casu *gravissimae necessitatis,* si propter peculiaria adiuncta alius sacerdos per notabile tempus praesto non esset, ut contingere potest in locis missionum, vel detentionis. Absolutio in hoc casu valida erit, nam in dubio iuris supplet Ecclesia, sed taliter absolutus, quia solum indirecte est absolutus, debet, si possibile est, alio confessario iterum accusare peccatum complicitatis. Confessarius absolvens complicem licite agit et ideo non incurrit excommunicationem. — (3) In casu, quod *confessarius fuerit bona fide,* absolutio probabiliter erit valida, nec, ut patet, excommunicationem incurrit, et poenitens indirecte absolutus est, sed si noverit legem Ecclesiae, invalida propter defectum dispositionis requisitae.

4°. Poena *in absolutionem complicis lata,* ut iam vidimus, est excommunicatio specialissimo modo reservata, quam incurrit « absolvens vel fingens absolvere in peccato turpi » (can. 2367). — *Complex nullam incurrit poenam.* — Absolutio poenae et peccati in casu urgentiore potest a quolibet confessario fieri, qui intra mensem recurrere debet ad S. Poenitentiariam, tecto nomine sacerdotis, indicarique debet, quoties complicem absolverit, vel complices, et num occasiones iam removerit. Sacrum Tribunal diuturnas et sat graves satisfactiones solet imponere, et si iam pluries in hoc peccatum ceciderit, ordinarie in perpetuum vetatur confessiones excipere.

b) De sollicitatione in confessione.

Definitio. Sollecitatio in confessione est *crimen provocationis ad grave peccatum luxuriae facta e parte confessarii in aliqua relatione ad confessionem.*

Lex Ecclesiae. *Can. 904:* « Ad normam constitutionum apostolicarum et nominatim Constitutionis Benedicti XIV. Sacramentum Poenitentiae, 1. jun.

1711, debet poenitens sacerdotem, reum delicti sollicitationis in confessione, intra mensem denuntiare loci Ordinario, vel Sacrae Congregationi S. Officii, et confessarius debet, graviter onerata eius conscientia, de hoc onere poenitentem monere ». *Constitutiones apostolicae* sunt: Gregorii XV. « Universi gregis » ex anno 1622., dein 16 decreta S. Officii (11. febr. 1661), item duae propositiones ab Alexandro VII. damnatae (Denz. 1106-1107.), praesertim autem memorata Constitutio Benedicti XIV.; demum Instructio S. Officii ad Ordinarios de observatione huius Constitutionis 20. feb. 1867., item Instructio de examine personae sollicitatae 20. Jul. 1890 et Instructio 6. aug. 1897, quae omnia respici debent (cf. textum: Fontes Cod. luris Can. IV, n. 990. n. 1123. n. 1190).

Agendum est.: 1°. de discrimine inter absolutionem complicis et sollicitationem, 2°. de ipso facto sollicitationis, 3°. de adiunctis sollicitationis, 4°. de obligatione poenitentis sollicitati, 5°. de obligatione confessarii sollicitantis.

1°. Discrimen *inter absolutionem complicis et sollicitationem* sat magnum est:

a. Confessarius absolvens complicem feritur poena *latae sententiae,* sollicitans vero ferendae sententiae poenis plectendus est.

b. Crimen absolutionis complicis in *confessorio et in poenitente* invenitur, sollicitatio in confessario solo potest inveniri.

c. In sollicitatione *non absolvitur* peccatum.

d. In absolutione complicis confessarius et poenitens *iungitur peccato,* in sollicitatione confessarius non debet necessario poenitentem provocare ad crimen turpe cum eo committendum, sufficit, si provocet ad peccatum turpe cum *alia persona* committendum, vel cum seipso sollicitato, e.gr. sollicitans ad masturbationem.

2°. De ipso facto sollicitationis.

a. Sollicitatio est *provocatio ad grave peccatum luxuriae,* ut Constitutio Benedicti XIV. dicit... « ad inhonesta et turpia sollicitare vel provocare sive verbis sive signis sive nutibus, sive tactu, sive per scripturam aut tunc aut postea legendam, aut illicitos et inhonestos sermones vel tractatus temerario ausu » habere. Sollicitatio ergo de qua in casu, non habetur provocatio ad aliud peccatum quodvis, e.gr. ad furtum. Nil vero refert, num sollicitatio effectum habuerit necne, ergo si poenitens sollicitatus non consenserit, crimen sollicitationis tamen iam commissum est.

b. Peccatum provocationis *committi potest:*

(1) *verbis* — ut si talia dicat confessarius: « Tecum nuberem si essem saecularis », (S. Alphonsus); si confessarius poenitentem invitat, ut eum expectet foris, vel domi, vel alibi (rendez-vous), quod per se potest indifferens esse, sed ex intentione prava sollicitatio; si laudet mulierem de pulchritudine cum prava intentione, etiam coram famula eius; colloquiis inhonestis vel si pravum det consilium, e.gr. dicendo mulieri, pollutionem procurari posse in viri absentia. — Dein fieri potest:

(2) *factis:* signis, nutibus, tactibus per se leviter inhonestis; signum e.gr. potest esse donum largitum personae sollicitatae, — vel:

(J) *per scripturam* iuxta propositionem ab Alexandro VII. damnatam: «Con-(essarius, qui in sacramentali confessione tribuit poenitenti chartam postea le-nt nd.un. in qua ad venerem incitat, non censetur sollicitasse in confessione ac proinde non est denuntiandus n (Denz. 1106).

c. Sollicitans *debet agere qua confessarius,* ut crimen hoc adsit, i.e. debet esse sacerdos, clericus inferior fingens se esse confessarium, non committeret crimen, de quo sermo est, sed utique sacerdos non habens iurisdictionem.

3°. De adiunctis sollicitationis. Sollicitatio iuxta Benedictum XIV. fieri potest: « ...vel *in actu* confessionis sacramcntalis, vel *ante* vel immediate *post* confessionem, vel *occasione* aut *praetextu* confessionis vel etiam *extra* occasionem confessionis *in confessionali,* sive in alio *loco ad confessiones* audiendas destinato aut electo *cum simulatione audiendi* ibidem confessionem ». — Habetur ergo sollicitatio, si provocatio fit:

a. *In actu sacramcntalis confessionis,* quando iam poenitens ad confessionem genuflexus est, usque ad absolutionem inclusive, etiam tunc, si iam coepta est confessio etsi propter sollicitationem ipsa confessio iam facta non fuerit.

b. *Ante* confessionem et *immediate post eam,* i.e. si inter actum confessionis et sollicitationem alius actus externus non fuerit interpositus; sic si miser sollicitans poenitentem post confessionem duxerit in cameram suam cum intentione sollicitandi. Si cum alia intentione vocaverit et sollicitatio tamen facta est, non haberetur sollicitatio, de quo in casu, sed suspicio adesset, eo magis, si peccatum iam alias commissum fuerit cum ista persona.

c. *Occasione* confessionis dicitur facta esse sollicitatio, si confessarius nec incoeperit confessionem, sed loco eius, quando rogatus fuerit, statim commisit sollicitationem; — *praetextu* confessionis, si aegrotus visitatur sub hac falsa allegatione, quod confessio eius excipitur.

d. *In loco* aut *destinato* aut *electo* ad confessiones vel in ipso *confessionali.* sine confessione, sed *cum simulatione confessionis.* Locus destinatus esse potest camera ad hospites recipiendos, ubi habetur confessionale, in hoc casu, si genuflectatur, et talia, iam potest sermo esse de simulatione confessionis, multo magis, si in confessionale ecclesiae se recipiunt, vix aliud tunc cogitari possit, quam simulatio confessionis. Locus electus *solus* non sufficit ad constituendum crimen sollicitationis, sed requiritur etiam aliqua simulatio confessionis, ut si quis visitans aegrotum super eum se inclinet, cum stola et talia.

4°. Obligatio poenitentis sollicitati.

a. Ipsa obligatio est *denuntiandi* sollicitantem. Haec obligatio, etsi iam e lege naturae profluat, non solum e lege Ecclesiae, ordinarie non constat poenitenti sollicitato, sed moneri debet a confessario, cui casum suum pandit, ⁊ Confessarius debet, graviter onerata eius conscientia, de hoc onere poenitentem monere ⁊ (can. 904), etiam, si praeviderit, eum obligationem hanc non esse impleturum, vel si in bona fide esset. Solum in mortis periculo non debet poenitens de hac obligatione moneri. Poenitens etiam tunc denuntiare debet, si sollicitatio mutua fuerit, vel si consenserit in sollicitationem et peccatum commisit: periculum seipsum diffamandi non adest, nam poenitens iuxta instructionem S. Officii vetatur interrogari de consensu, sufficit factum sollicitationis e parte confessarii. — Aliae personae non debent monere poenitentem de obligatione denuntiandi, a fortiore *non ipse confessarius* sollicitans, nemo enim tenetur laqueum in proprium collum imponere.

b. *Causae excusantes a denuntiatione* dantur:

(1) *mors sollicitantis,* secus obligatio nunquam exstinguitur, quod fieri potest cum sollicitato in pubertate, qui malitiam criminis nondum apprehendit, sed seriore tempore recordatus iam devenit in cognitionem huius peccati, dein:

2 *incommodum gravissimum* quod externum est, ergo per accidens conjunctum cum denuntiatione, periculum mortis, famae vel fortunae, quae si cedat, reviviscit obligatio, — item:

(3) si *dispensatio habeatur* S. Officii vel Poenitentiariae, quae interdum concedi solet, — demum:

(4) *si non certo constet* de crimine sollicitationis.

c. *Modus faciendi denuntiationem:* potest fieri:

vel loci Ordinario, nunquam Superiori religionis exemptae, qua Ordinario; etiam regulares exempti Ordinario *loci* denuntiari debent, quia Ordinarius loci tamquam delegatus S. Officii agit in crimine hoc investigando. Ordinarius loci potest esse: vel confessarii, qui crimen commisit, qui est index primario competens — *vel* loci, ubi crimen patratum est — *vel* poenitentis sollicitati, — potest dein fieri:

ipso S. *Officio.* (Roma, Piazza del S. Uffizio).

Debet *iudicialiter* fieri, i.e. coram Ordinario vel eius delegato et interveniente notario.

d. *Omittens denuntiationem* intra mensem punitur excommunicatione nemini reservata, sed absolvi solummodo tunc potest, « postquam obligationi satisfecerit, aut se satisfacturum serio promiserit » (can. 2368 § 2). — Confessarius monens potest laudabiliter onus suscipere faciendi nomine poenitentis denuntiationem, in quo casu ipse scribat litteras Ordinario loci, sed nomen sollicitantis faciat inscribere per pocnitentem, ne in cognitionem personae sollicitantis ipse deveniat.

c. *Falsa, i.e. calumniosa denuntiatio* confessarii (pii revera non sollicitavit, gravissime punitur: « Si quis per seipsum vel per alios confessarium de sollicitationis crimine apud Superiores falso denuntiaverit, ipso facto incurrit in excommunicationem *speciali modo* Sedi Apostolicae reservatam, a qua nequit ullo in casu absolvi, nisi falsam denuntiationem formaliter retractaverit, et damna, si qua inde secuta sint, pro viribus reparaverit, imposita insuper gravi et diuturna poenitentia, firmo praescripto can. 894 » (can. 2363), iuxta can. 894 vero: « Unicum peccatum *ratione sui reservatum* Sanctae Sedi est falsa delatio, qua sacerdos innocens accusatur de crimine sollicitationis apud indices ecclesiasticos ». — Ut aliquis hanc poenam incurrat, requiritur *iudicialis* denuntiatio i.e. apud indicem ecclesiasticum delegatum, interveniente notario; privata denuntiatio falsa vel alia actio (ut si exiens e confessionali clamitet calumnias contra confessarium) esset peccatum grave sed nondum punitur poenis praedictis — Si quis *ob ignorantiam* censuram speciali modo reservatam non contraxerit propter falsam denuntiationem, tamen peccatum absolvi non potest sine recursu ad S. Sedem, quia ignorantia excusat quidem ab incursione censurae, sed non a reservatione peccati. Solum in mortis periculo peccatum et censura absolvi possunt, etiam tunc tantum, si formalis retractatio facta fuerit.

5°. Dc obligatione confessarii sollicitantis.

a. Ipse confessarius committens crimen sollicitationis *nullam incurrit censuram,* si ergo rite dispositus fuerit, a sollicitationis crimine a quocunque confessario absolvi potest.

b. *Ferendis poenis* plecti debet, quae quidem sunt gravissimae: « ...suspendatur a celebratione Missae et ab audiendis confessionibus sacramentalibus vel etiam pro delicti gravitate inhabilis ad ipsas excipiendas declaretur, privetur

omnibus beneficiis, dignitatibus, voce activa et passiva, et inhabilis ad ea omnia declaretur, et in casibus gravioribus degradationi quoque subiiciatur » (can. 2368 § 1.).

c. Confessarius sollicitans *non debet seipsum denuntiare,* sollicitantes tamen, qui sua sponte crimen suum Superioribus fatentur, iuxta Instructionem S. Officii « dimitti debent cum congrua abiuratione et poenitentiis dumtaxat salutaribus, adiecto consilio vel praecepto, ut ab excipiendis personarum sollicitatarum sacris confessionibus se abstineant, nec ceteris poenis antea dictis, accedentibus licet postmodum denuntiationibus, afficiantur » (Instr. 20. febr. 1867. n. 13.).

d. Ut plurimum, nonnisi a tertia denuntiatione procedi solet contra confessarium sollicitantem, tunc vero inquisitio institui debet iuxta tres Instructiones S. Officii iam allegatas.

Litteratura.

J. Bucceroni, Commentar, in Constitutionem Benedicti XIV. Sacramentum Poenitentiae. Romae 1888. — L. *Laurain,* L'intervention des laïques, des diacres et des abbesses dans l'administration de la pénitence, Paris 1897. — *Ae. Berardi,* De sollicitatione et absolutione complicis, Faventiae 1897. — *A.* Af. *Koniger,* Die Beicht und Casarius von Heisterbach, München 1906. — G. *Cromer,* Die Laienbeicht im Mittelalter, München 1909. — *I. Pighi,* Censurae sententiae latae, Verona 1919. — *Jombart,* L'erreur commun, *in:* Nouv. Rev. Théol. 1923, 172. — *B. E. Mac Connie.* Confessors of religious, Washington 1926. — *Raymond A. Kearney,* The principles of delegation, Washington 1929. — *H. No!din - A. Schoneggei - G. Heinzel,* Dc poenis ecclesiasticis, ed. 26. Oeniponte 1949, n. 25-109. — *P. C. Landucci,* Direttori spirituali e confessari ordinari, *in:* L'esortazione Menti nostrae e i Seminari, Roma 1952, 112-126. — *Bride,* Erreur commun et suppléance de la juridiction, in: Rev. droit can. 1953, 278-296; 1954, 1-49. — *Ph. Hofmeister,* Das Beichtrecht der mannlichen und weiblichen Ordensleute, München 1954. — *L. Hoffmann,* Die Anerkennung des Error communis (c. 209 CIC) in der heutigen Lehre und Rechtsprechung, *in:* Trierer Theol. Zeitschr. 1956, 266-281. — *L. llodl,* Die Geschichte der scholast. Literatur u. Théologie der Schliissclgewalt, Münster 1959.

Respectu pastorali. *A. Lehmkuhl,* Casus conscientiae ed. 4. II. 1913, p. 249-293. — *D. Priimmer,* Man. Theol. Mor. n. 405-430, 454-537. — A. *Vermecrsch - J. Creusen,* Th. Mor. 8. ed. III. 1949. n. 568-599. — *J. Aertnys-C. A. Damen,* Th. Mor. 16. ed· II. 1950, n. 341-430. — *J. Fanfani,* Man. theor. pract. Th. Mor. IV. 1951, p. 427-468. — .V. *Conte a Coronata,* De Sacramentis I, 2 cd. 2. n. 347-361. 392-411. 423-459. — *O. Schollig,* Verwaltung der hl. Sakramente 4. ed. 1952, p. 151-204. —· *Noldin-Schmitt-Heinzel,* Summa Th. Mor. 30. cd. III. 1954, n. 336-381.

L) Dc obligationibus ministri Poenitentiae.

Obligationes ministri Sacramenti Poenitentiae tum 'ex iure divino, e legibus Ecclesiae exortae in tres classes dispescuntur, de quibus agendum est:

1. De obligationibus ministri ante confessionem.
2. De obligationibus ministri in confessione.
3. De obligationibus ministri post confessionem.

1. Dc obligationibus ministri ante confessionem.

Obligationes ministri ante confessionem sunt illae qualitates, seu dotes (proprietates), quibus confessarius pollere debet, ut munus suum recte subire possit, et sunt: a) Scientia — b) Prudentia — c) Bonitas.

a) De scientia ministri Poenitentiae.

1°. Lex Ecclesiae habetur Rit. Rom. tit. IV. tit. c. 1. n. 3-5: « Ut recte *iudicare* queat,... quantam potest maximam ad id scientiam atque prudentiam, tum assiduis ad Deum precibus, tum ex probatis auctoribus, praesertim e Catechismo Romano, et prudenti consilio peritorum studeat sibi comparare. Sciat *casus et censuras* Sedi Apostolicae et Ordinario suo reservatas, et suae cuiusque Ecclesiae constitutiones, easque diligenter observet. Denique *huius Sacramenti doctrinam* omnem recte nosse studebit et alia ad eius rectam administrationem necessaria. Atque in hoc ministerio ita procedat, ut infra praescribitur » (cf. n. 6-26). Quoad scientiam ergo tria requiruntur ab Ecclesia secundum rerum naturam :

a. Scientia « *ut iudicare possit* » est scientia Theologiae Moralis, sine qua iudicare non potest. Ignarus confessarius ergo se exponit periculo errandi, et iuxta S. Alphonsum confessarius conscius suae inscitiae est in statu damnationis ncc eum excusat approbatio Ordinarii (Praxis confess, η. 18). Optime monet Patronus caelestis Theologiae Moralis confessarios : « Qui ad hoc munus excipiendi confessiones inhiant, non facile sibi suadeant, quod satis idoneos ad tantum munus se reddere possint sine diuturno studio scientiae moralis: pro qua certe non sufficit aliquam percurrere summulam earum quae circumferuntur, nec satis est generalia tantum principia huius facultatis scire, ut quidam autumant (qui casuistas contemnentes) litteratorum sibi nomen arrogant » (Th. Mor. VI, η. 628).

b. *Casus et censuras reservatas* scire debet, item etiam « constitutiones », seu Statuta propriae dioecesis.

c. *Doctrinam Sacramenti Poenitentiae* quoque bene retinere debet, quia scientia Thcol. Moralis sola non sufficit, ut munus ministri implere queat.

2°. « *Quantam potest maximam* scientiam... studeat sibi comparare »; monito hoc Ecclesia gradum *subiectivum* scientiae assignat: quantum potest, tantum studeat, ergo sine dubio peccaret, qui Theologiam Moralem et Sacramentalem remisse tantum colere vellet. *Objective* vero, ut patet, non requiritur maxima scientia, quia tunc pauci admodum confessarii munere fungi possent, sed requiritur saltem talis gradus scientiae, quae *mediocris* sit. Haec vero habetur, si ea scit, quae frequentius occurrunt, de aliis vero saltem prudenter dubitare sciat, ut aliorum consilio et iuxta probatos auctores casus suos resolvere possit (S. Alphonsus VI, n. 527).

3°. *Scientiam hanc fovere debet* confessarius per decursum totius vitae. Ideo nunquam debet intermittere studium Th. Moralis, legendo libros huius scientiae, item etiam de Sacramentis, dein seipsum subiiciendo salubri autocriticae post solutionem casuum difficiliorum, num recte cos solverit, legat casus morales in ephemeridibus vel operibus Casuistarum propositos, et caveat, ne despiciat talem scientiam practicam. Ecclesia vero ad fovendam hanc scientiam, iunioribus sacerdotibus *examina* praescribit quotannis subeunda expleto studiorum curriculo (can. 130 § 1. per integrum triennium pro dioecesanis, can. 590. saltem per quinquennium pro religiosis); dein praescribit « in civitate episcopali et in singulis vicariatibus foraneis saepius in anno... *collationes seu conferentuis* dc re morali et liturgica », quibus intéressé debent ⁊ tum omnes sacerdotes saeculares, tum religiosi licet exempti, curam animarum habentes, et etiam

si collatio in eorum domibus non habeatur, alii religiosi qui facultatem audiendi confessiones ab ordinario obtinuerunt » (can. 131 et *448*. 591. 2377.).

b) De prudentia ministri Poenitentiae.

Prudentia pastoralis est sapientia practica, quae applicare scit principia Theologiae Moralis ut optima media ad finem: iuvare nempe animas ad consequendum finem ultimum.

1°. *Prudens debet esse* erga poenitentem:

a. *Quoad modum agendi* cum poenitente ne sit nimium rigorosus vel scrupulosus, rudiores enim non obligantur ad talem plenitudinem, ac homines religiose exculti, ne sit ex alia parte laxista. Ne peccet nec per defectum, nec per excessum, sciat differentias psychologicas inter poenitentem et poenitentem, de quibus Hodoegetica pastoralis nos instruit.

b. *Quoad contritionem* prudentia requirit, ut praesertim hodiernis diebus — poenitentem ad veram contritionem perducat, ei motiva efficacia prae oculis ponendo, iuxta indolem eius specialem.

c. *Quoad confessionem* sit prudens eo, quod non se gerat more *inquisitoris,* sed patris spiritualis, poenitentem ne reprehendat vel interpellet, nisi finita confessione, ne poenitens disturbetur, peccatave sua, oblitus eorum, non possit confiteri. « Caveat ne curiosis aut inutilibus *interrogationibus* quemquam detineat, praesertim imprudenter interrogans iuniores utriusque sexus, vel alios, qui de eo ignorant, non scandalum patiantur, indeque peccare discant » (Rit. Rom. n. 17.). — Sciat existere etiam tales poenitentes, qui in simplicitate sua magnas habent virtutes et *fere de nullo peccato* se accusare possunt. — Sit ad commiserationem pronus condolendo cum poenitente, qui dolorem animi per se ad materiam Poenitentiae non pertinentem ei pandat. — Relinquere debet poenitentem in *libertate* perfectissima, si ad alium confessarium vel directorem spiritus vellet abire, nam minister est Novi Testamenti, non dominator tyrannidem exercens super animas.

d. *Quoad absolutionem* practice recte applicet principia de absolutione danda vel deneganda, caute cognoscens prudenterque praesumens dispositionem poenitentis. Indispositos vero apte disponere satagat, salutem eorum curans.

e. *Quoad consectaria:* sit prudens in satisfactione imponenda, bono praeprimis poenitentium consulens.

2°. *Prudens debet esse* erga seipsum: ideoque:

a. Studeat *lucrum capere etiam animae suae* e confessionibus. Confundetur verecundia maiorem cernens perfectionem aliquorum poenitentium, suamque salutem cum timore operetur, videns possibilitatem grandis ruinae, ad quam pessimam stragem etiam ipse pervenire potest, nam corruptio optimi pessima.

b. *Caute agat cum feminis,* praesertim iunioribus; vitare debet omne periculum adhaesionis, praeprimis cum personis religiosis, quibuscum maius habetur tale periculum, ideoque relationem patris spiritualis nullo modo extendat extra confessionem, vitet omnem familiaritatem, « filias spirituales » domi ne invisat, excepta necessitate adhibitisque debitis cautelis, munuscula ab iis ne recipiat, cum iunioribus praesertim rigidus sit potius quam suavis (S. Alphonsus, Praxis confess, η. 119). At monendum est, non debere eum esse austerum, austeritate enim feminae saepe deterrentur peccata sua candide confiteri.

c. *Aspectum vitet feminarum* praecipue iuniorum, ideoque oculos suos manu sua tegat, quod in quibusdam regionibus sudario (« Beichttüchlein ») fit.

d. Caveat, ne unquam *zelotypia ductus* aliis confessariis invideat, ideoque abstineat semper ab omni quoque vcrbulo, quod aliorum confessariorum auctoritati detrahere posset, defectusque eorum ne detegat.

c) De bonitate ministri Poenitentiae.

Bonitatis huius *minimus gradus* est status gratiae, ad vitandam sacrilegam ministrationem necessarius qui procurari potest etiam per contritionem perfectam. *Maior* bonitas vitae vero confessarii constat in complexione virtutum, quae ad Sacramentum hoc ministrandum necessariae sunt.

Adesse ergo debet:

1°. *Zelus animarum,* zelus bonus procedens ex amore Dei et proximi, per quem pastor animarum oblivisci potest laborum et fatigationum, uno verbo: non seipum, sed bonum quaerit poenitentium. Optima media ad poenitentem reducendum in viam vitae inveniet zelosus confessarius, nam hic zelus est:

2°. *dilectio, paterna* specialis, iuxta S. Ambrosium sacerdos est « vicarius amoris Christi », qui ad tramitem Tridentini saepe plus erga corrigendos agit benevolentia quam auctoritate, plus exhortatione quam comminatione, plus caritate quam potestate et si etiam reprehenderit poenitentem, hic convictionem debet capere hanc reprehensionem factam esse ob bonum poenitentis, non autem propter morositatem confessarii (Schollig p. 207). Mansuetudo ergo pluris aestimanda est asperitate.

3°. Caritas patiens est, quam *patientiam* confessarius summopere exercere debet. Impatientia saepe causa evadit, cur poenitentes dimidiate tantum confiteantur vel timeant peccata sua candide fateri, ideo iuxta monitum S. Alphonsi « etiamsi magnus esset poenitentium concursus, non acceleret plus quam oportet, ita ut pro audiendis plurium confessionibus deficiat vel circa integritatem confessionis, vel circa debitam dispositionem, aut omittat illis praebere monita necessaria » (Prax. confess, n. 179).

I . *Virtus fortitudinis* confessarium disponit ad munus suum optime implendum, nam non potest deficere monendo, corripiendo, remedia praescribendo, obligationes reparandas urgendo, occasiones proximas removendo a qualibet persona, cuiuscunque dignitatis sit,

5°. *Pietas* ad omnia utilis est etiam confessario, qui saepe pro suis poenitentibus Deum precari debet, tum in SS. Sacrificio, tum in suis precibus privatis, praesertim ante dies magni concursus poenitentium. Tepiditas et acedia confessarii causa esse possunt, cur eius monita effectu careant, dum verba pii sacerdotis vehiculum gratiae sint.

2. De obligationibus ministri in confessione.

Qu a confessarius munus suum subeundo personam gerit indicis, doctoris, medici et patiis spiritualis, tractare debemus eius officia: a) Officium confessarii ut indicis, — b) Officium confessarii ut doctoris, — c) Officium confessarii ut medici, — d) Officium confessarii ut patris.

a) Officium confessarii ut indicis.

Confessarius qua index obligationem habet interrogandi — causam cognoscendi — causam diiudicandi — demum indicium ferendi.

1°. Obligatio interrogandi.

a. Haec obligatio non est absoluta, sed relativa. Si ergo confiteatur persona sat instructa, quae saepe confiteri solet, vel si iure praesumi possit poenitentem solum venialia confitenda habere, interrogatio non debet institui. Interrogandi ergo non sunt sacerdotes, religiosi, poenitentes pii — *per se,* nam ex adiunctis fieri potest etiam tales interrogari debere. — Qui vero raro Sacramentum suscipiunt, semel vel bis in anno, *per se* interrogari debent et quidem e triplici capite :

b. *Materia interrogationum:* (1) *Circa integritatem* accusationis, num peccata omnia secundum speciem et numerum accusata sint. — (2) *Circa gravitatem* peccatorum, i.e. speciem eorum theologicam, praesertim si clare videri non possit, num peccatum commissum grave sit. Sic si quis confiteretur, se peccasse per tactus impudicos, interrogandus esset, num « totum peccatum » commisit cum altera persona, vel peccatum solitarium masturbationis etc. In tali casu suaviter monendus est pocnitens, num sciat, hoc peccatum fuisse grave, nam omnia debent sincere confiteri, non sufficit ergo se solum de tactu impudico accusare. — (3) *Circa dispositionem poenitentis* versari debet interrogatio, si haec clare cognosci non potest, sic si suspicio adesset aliquam personam, e.gr. puerum vel iuvenem puellam sine ulla praeparatione accessisse, vel praesertim si suspicio adest de praesentia contritionis sufficientis, vel propositi de occasionibus vitandis. In tali casu interrogatio coniungitur cum motivis salutaribus contritionis, cur peccata ista detestanda sint. Quoad pueros saepe sufficit simplex interrogatio, num revera ex toto corde doleant se per peccata sua Deum bonum offendisse.

c. *Gravitas obligationis* interrogandi est *ex genere suo gravis.* (1) Ideo confessarius non debet in longa confessionum serie semper omnes interrogationes ponere circa speciem et numerum peccatorum, « etiamsi confessarius, adhibita morali diligentia, putet se ulterioribus interrogationibus plura peccata expiscari aut declarata accuratius quoad speciem et numerum cognoscere posse, non tenetur amplius interrogare, immo neque expedit multis interrogationibus torquere poenitentem, etsi aliquis defectus in integritate committatur, ne confessio reddatur odiosa » (Noldin-Heinzel n. 387. 3. a.).

(2) *In dubio* sive de integritate confessionis (num poenitens hoc peccatum commisit necne) sive de dispositione poenitentis *norma est:* Credendum est poenitenti tum contra, tum pro se loquenti, post monitionem, se non homini, sed Deo mentiri, si celaret veritatem.

(3) *Unus casus excipitur:* si confessarius *certo sciret* poenitentem peccatum grave sacrilegio modo reticere, tunc debet eum interrogare. Si etiam tunc negat peccatum tale a se commissum esse et confessarius sciat peccatum *ex aliorum relatione,* debet eum etiam negantem regulariter absolvere, nam standum est potius ipsius poenitentis testimonio. « Verumtamen si testes adeo fide digni essent, ut eorum relatio in dubium vocari non posset, atque certo constaret confessario poenitentem non fuisse alteri confessum, nec potuisse peccati oblivisci, non posset negantem absolvere, quia tunc constaret poenitentem mentiri contra integritatem confessionis, sed casus est de raro contingentibus » (Aertnys-Damen n. 444). — Si *ex experientia propria* scit de peccato non accusato, « caque infallibili, quia e. gr. vidit occidentem, convincere debet poenitentem et si nihilominus constanter neget, sine absolutione dimittere: caret enim dispositione » Xoldin-IIeinzel n. 388). — Si *e confessione complicis* scit de peccato e. gr.

sponsi, caute agat, ne violetur sigillum. Si etiam secus interrogasset, quia in tali statu talia peccata, e. gr. carnis, occurrere solent, caute interroget, ne verbulo quidem indicans se aliquid scire de complice. Si tamen negat, absolvendus est, quia credendum est poenitenti. Absolutio potest esse conditional (« Si valet »), quia de validitate eius dubitari potest.

2°. Obligatio cognoscendi causam. De hac re breviter possumus agere, quia singula iam pertractata sunt, solum aliqua monita adiici solent:

a. *Obiedwam malitiam* peccatorum *habitualiter* sufficit cognoscere, i. e. praedito habituali scientia sufficit audire poenitentis accusationem.

b. *Subiectivam malitiam* ordinarie *praesumere* i. e. supponere potest, etiam peccatorem scire hoc esse grave, aliud esse leve peccatum, nisi ex adiunctis prudens dubium exsurgeret, poenitentem in errore versari, tunc enim interrogari debet. Ideo conditio sine qua non est rectae auditionis:

c. Ut confessarius *intelligat accusationem* peccatorum. Si propter strepitum, organi sonum, vel somnolentiam aut distractionem peccata poenitentis non perceperit, supplere debet defectum, interrogando, num inter accusata iuxta eius indicium peccata gravia fuerunt, et quae, nam non omnia bene intellexit. Si ob notam poenitentis conscientiam iure praesumit, peccata fuisse venialia, eum absolvere potest (Noldin-Heinzel 389 1. b).

d. Ad cognitionem causae *sufficit confusa cognitio* eorum, quae accusata fuerunt.

3°. Obligatio causam dijudicandi. Causa, i. e. status poenitentis, cognoscitur percipiendo confessionem peccatorum, postea diiudicari debet dispositio poenitentis, num rite absolvi potest, vel aliter debeat procedi.

a. *Principium fundamentale est:* Non requiritur indicium absolute certum de dispositione poenitentis, sed sufficit indicium prudenter probabile, cui non obstat gravis aliqua suspicio. *Ratio est:* quia materia ex qua Sacramenti Poenitentiae actus sunt poenitentis, ideo materia haec non est materia stricte dicta, sed quasi-materia, non debet ergo omnino certa esse, sicut penes alia Sacramenta, immo nec potest tam absolute certa esse, quia actuum humanorum interna ratio penitus inspici non potest.

b. Ad diiudicandum *poenitentis statum* cognosci debet, quid sit indispositio, dubia dispositio et certa dispositio poenitentis. *Indispositio* habetur, si poenitens aliquam gravem obligationem recuset: sive quod non habet dolorem, vel propositum firmum, vel emendare se non vult. Ideo indispositus est, qui caret *vera contritione;* sic etiam poenitentes pii saepe indispositi sunt. Semper eandem confessionem mechanice repetentes, tali in casu attendendum est, ne dolore vero et proposito firmo carentes inveniantur. Item indispositus est, qui *occasionem proximam* nolunt relinquere, grave odium et inimicitias deponere, condonare nolunt inimicis suis, nolunt reparare scandalum, vel damnum illatum, qui recusant relinquere professionem graviter pcccaminosam, vivunt in matrimonio civili etc.

c. *Dispositio* certa *habetur,* si nec gravis suspicio adest indispositionis, immo signa reperiuntur positivae dispositionis. Signa dispositionis quinque solent enumerari:

(1) *Confessionis spontanéités,* i. e. si quis nullo modo coactus adit Tribunal sacrum, praesertim si iam per longius tempus non sit confessus.

(2) *Modus confessionis,* humilis et contrita accusatio, dolor per lacrimas etc. manifestatus.

(3) *Assertio poenitentis,* nam huic assertioni credendum est, nisi gravis suspicio obstet.

(4) *Subiectivae circumstantiae* poenitentis, si e. gr. deprehendatur, quod iam adhibuit aliquam curam cavendi peccata, consuetudinem exstirpandi (Noldin-Heinzel n. 391. d.).

(5) *Circumstantiae obiectivae* poenitentis: si poenitentia orta est e gravi morbo, infortunio, ex audita concione tempore missionum, vel si diu patienter expectet coram confessionali etc.

d. Dubia *dispositio* habetur, si aliqua gravis suspicio moveri potest contra dispositionem poenitentis. Quinque solent enumerari tales graves suspiciones:

(1) *Celatio:* si poenitens ex industria tegat peccata, et solum post iteratam interrogationem reluctans ea confiteatur.

(2) *Excusatio* qua temere et leviter se excusare studet (e. gr. iuvenis sum, vir sum, non possum sine venere vivere; tali modo vivo, sicut saeculares solent etc.).

(3) *Coactio,* si quis coactus tantum confiteatur, quod praesertim apud iuvenes contingere potest, vel si sponsi ante matrimonium confiteantur.

(4) *Relapsus* in eadem peccata, si quis remedia opportuna ex industria nihili habuerit, ut sunt: vitare occasionem proximam liberam, media adhibere naturalia et supernaturalia contra peccata consueta. Si adhibuit remedia, et tamen relapsus sit, non habetur suspicio. Damnata est propositio a B. Innocentio XI.: « Poenitenti habenti consuetudinem peccandi... etsi emendationis spes nulla appareat, nec est deneganda nec differenda absolutio, dummodo ore proferat se dolere, et proponere emendationem » (Denz. 1210.).

(5) *Reluctatio:* si poenitens reluctetur acceptare poenitentiam vel adhibere remedia contra peccata.

4°. Obligatio indicium ferendi.

Postquam causa cognita et diiudicata est, remanet indicium ferendum, de quo sequentia statuuntur:

a. *Poenitens remanens* indispositus absolvi nequit. Indispositio debet esse certa, ut negari queat absolutio, et poenitens *remanere* supponitur indispositus, confessarius enim omnia tentare debet, ut eum ex indisposito dispositum faciat, iuxta legem Ecclesiae: « Paterna caritate... ad dolorem et contritionem efficacibus verbis adducere conabitur, atque ad vitam emendandam ac melius instituendam inducet « (Bit. Rom. tit. IV. C. 1, 18). — Haec obligatio confessarii secundum S. Alphonsum *gravis* est: « Nescio quomodo a culpa excusari possint desides illi confessarii, qui statim ac noverint poenitentem non satis dispositum, dimittunt, nulla aut valde modica praemissa diligentia ad eum curandum. Dico enim, quod confessarius tenetur ex rigorosa obligatione caritatis eum disponere, quantum valet » (Th. Mor. VI, η. 608). — *Ad negationem absolutionis* optime datur consilium: « Quotiescunque confessarius debet denegare absolutionem, ne adhibeat verba aspera, sed benigno et tranquillo modo manifestet poenitenti rationem, cur absolutio concedi non possit » (Priimmer n. 438 4. b).

b. *Poenitens* rite *dispositus absolvi debet* iuxta legem Ecclesiae: « Si confessarius dubitare nequeat de poenitentis dispositionibus et hic absolutionem petat, absolutio nec deneganda nec differenda est » (can. 886). Lex tam clara est quod supervacaneae videntur inquisitiones auctorum hac occasione fac-

tac. num in aliquibus casibus absolutio tamen negari vel per aliquot dies — unice in salutem poenitentis — differri queat Absolutio ergo nec denegari nec differri potest poenitenti rite disposito, nisi cum eius consensu, qui tamen vix iuste extorqueretur.

c. *Poenitens* dubie *dispositus,* qui nequit effici rite dispositus, *per se* absolvi non potest, e gravi causa *sub conditione* absolvi *potest,* vel iuxta prudens indicium confessarii absolvi *debet.* — Praecipue *sex habentur causae,* in quibus hoc contingit:

(1) *In mortis periculo* absolvi debet, nam haec absolutio unicum est remedium ad consulendum saluti animae talis poenitentis.

(2) In periculo *violationis sigilli,* si factum negationis absolutionis publicum fieret, e. gr. ex eo, quod confessus non iret ad s. Communionem.

(3) Si praeceptum urgeret *annuae confessionis,* praeceptum enim impleri debet, item consulendum saluti poenitentis.

(4) Si *Sacramentum vivorum* esset suscipiendum, ideo tum sponsi dubie dispositi, tum confirmandi ante confirmationem sub conditione absolvi possunt.

(5) Si *diu carere deberet* poenitens gratia Sacramenti.

(6) Si e denegatione absolutionis dubie dispositi *odium exsurgeret Poenitentiae,* quod praesertim nostris temporibus valde timendum est, ita ut ne vix quidem absolutio dubie dispositi deneganda videtur.

b) Officium confessarii ut doctoris.

Hoc officium secum portat obligationem confessarii, ut poenitentem instruat, doceat, moneat.

1 . Instruere et docere *debet* confessarius qua doctor poenitentem. Finis huius doctrinae est tum contritionem profundiorem reddere, tum remedia contra peccata dare, nam si oportet, adhibebit etiam « opportunas correptiones ac monitiones, prout opus esse viderit » (Rit. Rom. n. 18). Hoc *adloquium poenitentiae* seu exhortatio (Beichtzuspruch, gyontatasi oktatas) sit inquantum possibile est, *individuale,* ad necessitatem spiritualem talis poenitentis directum, non idem pro omnibus indiscriminatim, — sit *breve et solidum,* quia longitudo taedium generat, — non sit *abstractum,* sed clare prolatum et intellectui facile, — sit *semper modestum* non superbiam dominantem in cleris redolens, iuxta Apostolum: « Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem, iuvenes ut fratres, anus ut matres, iuvenculas, ut sorores in omni castitate » (1 Tim. 5, 1-2). *(Exempla talium adloquiorum: II. Stieglitz,* Reuemotive fiir die Kinderbeicht, Kempten 1912, W. *Pichler,* Katechesen f. d. Unterstufe d. Volksschule, Wien 1921. Ill, 224-234, *C. Pestle, Surge* ct ambula, Freiburg i. Br. 1920, *L. Menz,* Siche, ich stehe vor der Türe, Würzburg 1939).

2 . Monere *debet* confessarius-doctor poenitentem, si erroneam deprehenderit cum habere conscientiam. De hac obligatione recte monendi sequentes statuuntur regulae.

a. Confessarius *semper* monere tenetur poenitentem de errore, qui versatur *circa calorem Sacramenti* etsi bona fide esset. Ratio est, quod ministro est commissum invigilare in Sacramenta, ut ca valide suscipiantur. Ideo monendus est poenitens, etsi bona fide putaret, contritionem non esse necessariam.

b. Confessarius monere debet poenitentem, si error versetur *circa vitam christiano more agendam.* et error iste *vincibilis est.* Vincibilis est error, si

poenitens interrogat confessarium: confessarius ergo interrogatus iam non potest veritatem silentio legere, sed candide aperire debet christianam veritatem. Sic e. gr. interrogatus, num liceat media praeventiva adhibere contra conceptionem. debet respondere, boc esse contra legem divinam, similiter si de abortu procurando poneretur quaestio. Sapienter monet Aertnys Damen, quod « confessarius interrogatus non plus respondeat, quam poenitens rogat, e. gr. si poenitens exponat dubium de valore matrimonii sui, sed ob rationem non fundatam, confessarius respondeat, non esse de ea causa dubitandum, etiamsi ipse noverit, matrimonium aliunde esse invalidum; similiter, si poenitens voto castitatis obstricta rogat, an teneatur viro reddere debitum, confessarius affirmet, tacens de obligatione non petendi debitum » (n. 437. II.).

c. Confessarius *omittere debet* monitionem de errore *circa citam Christianam, si error invincibilis sit,* i. e. si nullus fructus sperari potest e monitione confessarii. Confessarius *non potest errorem docere,* sed solummodo *tacet,* nihil dicens de obligatione, quam poenitens bona fide ignorat; sic e. gr. si mulier dicat, se nunc iam non peccare, quia a prole concipienda mediis adhibitis abstinet ob praeceptum medicorum et bona fide putet, hoc nunc iam permissum esse. Ratio est iuxta S. Alphonsum, quod tali *dissimulatione* veritatis vitantur peccata formalia, atqui potius formalia mala quam materialia sunt vitanda (Th. Mor. VI, ɳ. 610 et 616.). Confessarius tenetur sic agere, quia e duobus malis minus malum permittit, etsi non intendit, ideo, ut maius malum (peccatum formale) evitetur. — Monitio etiam tunc omittenda est, si poenitens non obtemperaturus praevideatur, etsi silentium confessarii in damnum cederet tertiae personae: sic e. gr. supposito tali casu omittens monitum de restitutione, quod nemini prodesset, restitutio enim nec post monitum fieret, poenitens vero peccatum grave committeret (sic de Lugo, Noldin-IIeinzel n. 386, 3 a).

d. Monitio *facienda est,* etsi poenitens non obsecuturus praevideretur, *si omissio moniti* vergeret in damnum *publicum communitati.* Ratio est, quod bonum commune praecedit privato, ideo « monendus est peccator, si in iis versetur circumstantiis, quae, confessario dissimulante, eum in pravo opere confirmant, non sine aliorum scandalo; cum populus facile arbitretur ea sibi licere, quae ab iis, qui Ecclesiae Sacramenta frequentent, impune exerceri animadvertit » (Aertnys-Damen n. 439, 6.).

c) Officium confessarii ut medici.

Sensu latiore tota operatio confessarii rationem medendi involvit, strictiore sensu apparet haec ratio praecipue in agendi modo cum consuetudinariis, recidivis et occasionariis.

1°. Modus tractandi consuetudinarios.

Consuetudinarius (habituatus) vocatur *peccator, qui pravum habitum contraxit alicuius peccati.* Tria requiruntur, ut aliquis consuetudinarius sit:

a. *Frequentia lapsuum,* quae relativa est, *dependet* enim: a peccantis maiore vel minore fragilitate, — dein a natura peccati; sic luxuria, ebrietas facilius possunt devenire habitus, — demum a facilitate peccandi; sic peccatum solitarium contra castitatem facilius committitur, quam peccatum cum complice.

b. *Temporis duratio,* in qua attendendum est regularitas durationis. Sic

habituatus dicitur, qui per semestre semel in hebdomada inebriatur, minime vero qui per aliquot dies continuos hoc fecit, dein iterum cessavit ab hoc peccato.

c. *Ininterrupta continuatio,* quae procedit *e malitia voluntatis* eorum, qui voluntatem quidem habent non peccandi, sed ex impetu passionis semper de novo in peccata labuntur. Iuxta S. Alphonsum consuetudinarius censeri debet, qui quinquies in mense peccatum externum solet committere (Prax. confess, n. 70).

d. *Regula est:* consuetudinarius, qui serio promittit se emendaturum, et vere dispositus indicetur, potest et debet absolvi. Ratio est: consuetudo peccandi per se non est peccatum, sed sequela peccatorum iteratorum, ideo recta dispositio poenitentis per eam non excluditur. Ut patet, non solum oralis affirmatio dispositionis sufficit, sed requiruntur signa dispositionis.

Si vero consuetudinarius pluries iam idem peccatum confessus est, non potest tractari qua simplex consuetudinarius, e consuetudinario enim factus est recidivus.

2°. Modus tractandi recidivos.

Recidivus est, qui *idem peccatum commissus id iam pluries confessus est, ex quo coniici potest mala eius voluntas.* — Tria ergo requiruntur ut quis formaliter recidivus haberi possit.

a. *Idem peccatum* commisit recidivus, qui fere semper consuetudinarius est etsi per se fieri potest, quod non sit consuetudinarius; qui e. gr. peccatum fornicationis bis commissum quater in anno confitetur, non est habituatus, sed recidivus.

b. Peccatum *iam pluries,* i. e. ter quaterve confessus est.

c. *Mala voluntas* seu absentia studii emendationis requiritur ad id, quod aliquis recidivus formalis habeatur. Si enim voluntas sese emendanti adest, sed e natura proclivi ad labendum iterum peccavit, non adest mala voluntas et si secus dispositus sit, absolvi potest.

d. *Regula* est: *Recidivus formalis regulariter nequit absolvi.* Ratio vero est: Recidivi dispositio non est dubia, sed nulla, intelligitur enim recidivus formalis, cui deest voluntas emendandi, et solum e respectu humano, vel coactus, vel ex assuetudine ad Sacramenta accedit, sed voluntatem perseverandi in peccato conservat. Sic si quis concubinam habens, tamen pluries in anno ad confessionem accedens, peccata confiteatur, absolvi non potest, qua recidivus immo occasionnons.

3'. Modus tractandi occasionarios.

a. Occasio definitur: *Circumstantia externa opportunitatem praebens peccandi. quae sic ad peccatum allicit.* Tria ergo ad occasionem requiruntur: (1) *Circumstantia externa: res,* ut liber pravus, spectaculum, vinum, pecunia; *persona* ut dilectus pro dilecta, mulier meretrix vel lasciva moribus, choreae minus honestae; *locus* ut caupona publica, excursiones. — (2) *Opportunitas seu facilitas peccandi,* occasio sic sumpta *relativa* est, si opportunitatem tribuit pro uno, e. gr. caupona bibulo, alii non; *absoluta* est, si omnibus det opportunitatem peccandi, ut aspectus peccati carnalis (« Voyeurs ») cuilibet homini facilitatem peccandi praebet. — (3) *Ad peccatum allicit* seu invitat occasio, e parte subiecti,

quod etiam scandalum facit, sed scandalum non praebet opportunitatem peccandi.

b. *Occasio differt:* (1) *A periculo peccandi,* quod latius patet, occasio est species aliqua periculi huius. Omnis occasio est periculum peccandi, sed non omne periculum peccandi est occasio, periculum enim peccandi ex intrinseco ortum, ut e passione, concupiscentia, consuetudine non est occasio. — (2) *A scandalo* quod saepe potest simul occasio esse, sed per se non est occasio, quia non praebet opportunitatem peccandi. — (3) *A tentalione,* quae est ex intrinseco orta; vel a tentalione externa, quae tamen non dat facilitatem peccandi.

c. *Occasio dividi potest:* (1) *Ratione pericidi* quod secumfert: in *proximam* si periculum peccandi grave est, i. e. si data occasione plerumque peccatum patratur, et *remotam,* si periculum hoc solummodo leve est, i. e. si raro admodum ducit ad peccatum. Sic occasio proxima est cohabitatio sub eodem tecto cum persona complice, choreae inhonestae, spectacula graviter inhonesta, si adamantes soli inter se versantur per longius tempus. Occasio remota est spectaculum leviter inhonestum, choreae per se honestae, vel leviter tantum inhonestae, i. e. in qua nudationes, tactus, gestus, coarctationes etc. honestae vel parumper inhonestae occurrunt. — (2) *Ratione personae* habetur occasio *absolute proxima,* quae omnes quoslibet homines ad peccandum allicit, ut aspectus morosus rei valde turpis, vel cohabitatio stricta cum persona lasciva, dein occasio *relative proxima,* quae non omnibus periculum grave peccandi constituunt. — (3) *Ratione voluntatis* habetur *occasio libera* seu voluntaria, quae vitari possit, et *necessaria,* quae vitari non potest. Si physice vitari non potest occasio, habetur occasio *physice necessaria,* sic si aliquis detentus esset cum persona complice; si moraliter i. e. sine gravissimo incommodo non posset vitari occasio, habetur occasio *moraliter necessaria,* in tali versantur e. gr. filii familias, qui inter se peccare consueverunt, praesertim gemini; vel amasia sub eodem tecto habitans, quae eiici non potest; coniuges, qui a coitu abstinere debent eo quod conceptus revera vitandus sit et tamen cohabitare debent etc.

d. *Regulae vero pro absolutione* sunt sequentes:

I. Regula. Poenitens *nolens removere occasionem proximam liberam,* non potest absolvi, nam non est dispositus. Deest enim in eo propositum firmum non peccandi de cetero.

II. Regula. Poenitens, qui serio promittit *se derelicturum esse occasionem proximam liberam,* absolvi potest, non est necessarium, quod prius occasionem liberam remittat, et ideo absolutio differatur. — *Excipitur casus publici concubinatus,* qui propter scandalum tunc tantum absolvi potest, si concubinatus solutus est. Etiam in concubinatu *occulto* complices regulariter ne absolvantur, priusquam se reapse seiunxerint. Possunt etiam tales absolvi, si poenitens difficulter redire posset, vel periculum infamiae pateretur, ut matrimonio copulaturus vel s. communionem recepturus, vel si dilatione absolutionis alienetur a confessione et in peccatis tabescat (Aertnys-Damen n. 491-494. 476).

III. Regula. Poenitens qui versatur *in occasione proxima* necessaria absolvi potest a peccatis ex occasione ortis, si serio promiserit, *se omnia media adhibere velle,* quae necessaria sunt, ut occasio proxima remotae aequiparari possit. Media vero sequentia commendari possunt: (1) *Vim occasionis diminuere* debet seductori pauca verba forti animo dicendo, eum serio comminando — vitando omnem familiaritatem — quantum fieri potest etiam aspectum complicis — de

co non loqui, non cogitare — negotia celeriter cum eo absolvendo. — (2) *Vim passionis diminuere:* otium vitando, quod est pulvinar diaboli — sensuum libertatem coarctando — vitando pravas lectiones et intemperantiam — subeundo labores corporales, ieiunia et alias mortificationes. — (3) *Augere vires spirituales:* oratione, praesertim mane et vespere, Deum et B. Virginem deprecando — inane renovare propositum non peccandi, vespere seipsum examinando — precibus eleemosynas coniungere — remedium efficacissimum est frequens immo frequentissimus usus Sacramentorum, praesertim SS. Eucharistiae, vini germinantis virgines — eligere sibi confessarium doctum et pium in moderatorem spiritus, ad quem statim redeat post lapsum — meditatio speciatim veritatum aeternarum: mortis, divini indicii, poenae aeternae — exercitia spiritualia obire (Aertnys-Damen n. 478, 1.).

d) Officium confessarii ut patris:

est corrigere defectus forte occurrentes. Defectus *e triplici capite* occurrere possunt: circa validitatem Sacramenti, circa integritatem Sacramenti — et circa obligationes poenitentis.

1°. Defectus circa validitatem Sacramenti: si confessarius non absolverit poenitentem ex errore, vel invalide eum absolverit, vel si absolverit poenitentem non dispositum, que debuisset reddere dispositum.

I. Regula. Confessarius *corrigere debet defectum circa valorem etiam cum gravi incommodo,* si poenitens extremum damnum, i. e. dispendium vitae aeternae pateretur. Ideo moribundus invalide absolutus debet iterum adiri, ut absolutionem validam accipiat. Sed si Viaticum, vel unctionem acceperit, nil faciendum est.

II. Regula. Si confessarius *non fuit culpabilis* in errore commisso *et poenitenti grave damnum* non nascitur ex eo, tenetur quidem serio corrigere defectum, sed non cum gravi proprio incommodo. Ideo poenitens sanus rite non absolutus cum gravi incommodo adiri non debet, quia in sequenti confessione vel communione justificari potest.

2°. Defectus circa integritatem Sacramenti.

Duplici modo potest defectus esse circa integritatem: a. *negative,* si omiserit interrogationem circa numerum et speciem peccatorum, satisfactionem non imposuerit, remedia opportuna non indicaverit pocnitenti. Tali in casu, sive culpabiliter sive inculpabiliter defectus commissus sit, *in sequenti* confessione reparabit defectum; *extra* confessionem ad hoc *non* tenetur. — b. *Positive* committitur defectus, si aliquid *falso dixerit* circa integritatem, tali modo loquendo e gr.. ut poenitens putet tale peccatum esse merae fragilitatis et non esse grave (puta pollutionem). Defectus hic *etiam extra confessionem* reparandus est, quia confessarius causa fuit, quod poenitens damnum spirituale passus est in errorem perniciosum inductus. Extra confessionem prius *licentiam debet petere* a poenitente, ut de rebus in confessione actis cum ipso loqui possit. Cum gravi tamen incommodo vel scandalo non debet errorem extra confessionem reparare.

3 Defectus circa obligationes poenitentis. Defectus hic committitur, a. negative. si confessarius omiserit poenitentem admonere de aliqua obligatione,

c. gr. restitutione facienda, de damno vel scandalo reparando, laesionem famae retractando. Tali in casu defectus negative commissus reparandus est, sed *non cum gravi incommodo,* quia non eius est curare, ut tertia persona id quod suum est, accipiat, sive restitutionem, sive reparationem famae etc. — b. *Positive* committitur, si expresse diceretur a confessario, non debere restituere, reparare, vel si falso affirmaret (per errorem) tali die non esse ieiunandum, librum talem posse legi. In hoc casu confessarius *etiam cum proprio incommodo* vel damno corrigere debet errorem. Si de restitutione agatur, in casu praedicto confessarius haberi debet ut iniustus damnificator, et ideo si omiserit erroris correctionem, tenetur ad restitutionem, sive tertiae personae, quando poenitentem falso excusavit a restitutione facienda, sive ipsi poenitenti, quando eum falso obligavit ad restitutionem, ad quam non tenetur. Simili modo corrigere debet errorem, si de legibus Dei vel Ecclesiae falsum quid positive dixisset, ne causa sit transgressionis legum etsi materialis.

3. Obligationes ministri post confessionem.

Post confessionem minister servare debet sigillum sacramentale et non uti notitia e confessione acquisita, de quo sequentia tractanda veniunt: a) De existentia sigilli. — b) De subiecto sigilli. — c) De obiecto sigilli. — d) De violatione sigilli. — e) De usu notitiae e confessione acquisitae.

a) De existentia sigilli.

Definitur sigillum sacramentale « Debitum confessionem celandi » (Suppi, q. 11. a. 3), et est *stricta obligatio servandi secretum circa omnia e sacramentali confessione cognita, quorum revelatio Sacramentum odiosum redderet.* De existentia sigilli statuitur:

THESIS. Sigillum sacramentale iure naturae, lege divina implicita et lege ecclesiastica (2) est inviolabile.

I. pars doctrina communis, II. pars de fide catholica.

I. Pars probatur: fontes obligationis sigilli.

Vox Ecclesiae.

Cone. Carthaginense anni 419 can. 5.: «Placuit, ut, si quando episcopus dicit aliquem sibi proprium crimen fuisse confessum, atque ille neget et poenitere noluit, non putet episcopus ad suam iniuriam pertinere, quod illi soli non creditur, etsi scrupulo conscientiae se dicit neganti nolle communicare. Quamdiu excommunicato non communicaverit suus episcopus, eidem episcopo non communicetur ab aliis episcopis, ut magis caveat episcopus, ne dicat in quemquam, quod aliis documentis convincere non potest » (Mansi IV, 438 B.). Supponitur probabiliter confessio sacramentalis, ratio vero, cur episcopus puniatur per subtractionem communionis ecclesiasticae, est, quod violavit secretum confessionis ei soli factae. — *Leo Magnus* vocat « praesumptionem contra apostolicam regulam », si « de singulorum peccatorum genere libello scripta professio publica recitetur, cum reatus conscientiarum sufficit solis sacerdotibus indicari confessione secreta » (Ep. 6. mart. 459 Denz. 145). — *Cone. Later. IV.*

1215: · Caveat autem omnino, ne verbo aut signo aut alio modo aliquatenus prodat peccatorem... quoniam qui peccatum in poenitentiali iudicio sibi detectum praesumpserit revelare, non solum a sacerdotali officio deponendum decrruimus, verum etiam ad agendam perpetuam poenitentiam in arctum monasterium detrudendum » (cp. 21. Denz. 438). — *Benedictus XIV. in Brevi 7. jul. 1745.* de nomine complicis non exquirendo dicit inquisitionem nominis complicis tendere « ad sacrosancti sigilli sacramentalis violationem atque ab eiusdem poenitentiae sacramenti tantopere proficuo et necessario usu fideles abalienantem » (Denz. 1474). — *CIC can. 889 § 1:* « Sacramentale sigillum inviolabile est, quare caveat diligenter confessarius, ne verbo aut signo aut alio quovis rnodo et quavis de causa prodat aliquatenus peccatorem ».

1 . E quibus testimoniis clare elucet sigillum sacramentale *saltem* esse originis *turis ecclesiastici. Nomen* ipsum a saec. XII-o solum in usu est; Christiani temporis nascentis Ecclesiae nomine sigilli tum Sacramentum, tum characterem sacramentalem insigniebant. Inde a saec. XII. sigilli nomen desumptum est c sigillo literas obsignante, sicquc secretum hoc nomine insignitum est.

2°. Sed sigillum sacramentale etiam *e iure naturae* ortum ducit. Secundum virtutem iustitiae enim secretum servari debet, pactum initur inter confessarium et poenitentem, quod ille secretum naturale servabit. Secundum eandem iustitiam dein tenetur confessarius famae quoque poenitentis consulere, ideoque etiam ex hoc capite laederet ius naturae.

3°. Demum sigillum sacramentale etiam *e iure divino implicito* derivatur. Pertinet enim ad Sacramenti naturam, quod gratia in eo ministretur ope instrumental! hominum, homo, i. e. minister huius Sacramenti Dei nomine agit: « Illud quod sub confessione scitur, est quasi nescitum, cum illud non sciat aliquis ut homo, sed ut Deus » (Suppl, q. 11. a. 1. ad 1.). Peccatorum notitia a parte confessarii ergo transcendit ordinem humanum et pertinet ad ordinem divinum. Ordinis divini perturbatio ergo esset peccata revelare alii homini cum peccatoris nolificationc: Deus enim vult, ut omnes peccatores liberari possint ab omnibus peccatis, si vero peccata revelari possint, finis hic non posset obtineri. Sigillum ergo iure divino implicito obligat, et quidem secundum virtutem religionis, quia relationem Dei et hominum, de quo sermo est, virtus religionis ordinat. Ideo violatio sigilli est sacrilegium.

E Traditione

quoque probatur exislcntia sigilli, sed notandum est, primis saeculis propter poenitentiam publice agendam notionem exactam nondum plene evolutam esse, quod vero attinet inviolabilitatem totalem, quo etiam usus notitiae e confessione acquisitae vetitus est, solummodo saec. XVII. omnimoda claritas obtenta est.

1'. Primis saeculis, etsi poenitentia publica vigebat, tamen aliquo modo sigilli notitia iam claruit. *Aphraates* clare loquitur de celandis peccatis publice non notis: ‹ Quicunque vobis vulnus suum detexerit, ei remedium imponite... cumque ipsam \obis revelaverit, nolite eam publicare » (RJ 685). — S. *Ambrosius* iuxta cius biographum « causas criminum, quae illi confitebantur, nulli nisi Domino soli, apud quem intercedebat, loquebatur, bonum relinquens exemplum p : s sacerdotibus, ut intercessores apud Deum magis sint, quam accusatores

apud homines » (Paulinus, Vita Ambrosii, 39. RJ 2023). — S. *Leonis Magni* testimonium auctoritate pollens iam audivimus.

2°. Sed, quia notio huius secreti sacramentalis non adeo expolita erat, exceptiones interdum ab Ecclesia coarctari debebant. Episcopis iniunctum est, « ut hoc inquiratur, si de partibus Austriae verum est, quod dicunt, an non, quod presbyteri de confessionibus accepto pretio manifestent latrones » (Capitulare Caroli Magni anni 813, Galtier p. 476).

3°. Etsi post Lateranense Concilium lex iam sigilli lata sit severissima, diu adhuc disputationes remanebat de exceptionibus in aliquibus particularibus casibus. Sic *Ludovicus XI.* voluit legem extendere etiam ad confessarios, vi cuius unusquisque prodere debeat hominem, qui conjurationem adversus status auctoritates civit. Theologi disputabant, quia putabant confessionem talem non esse sacramentalem ob defectum dispositionis debitae. Alii vero theologi, ut celeber *Raymundus de Pennafort,* opinabantur simili ratione haereticum impoenitentem manifestari debere. Saec. XVI-o lis haec iam finita est, opinio nempe evasit communis, nunquam licere ad incommodum poenitentis revelare peccatum.

4°. Post hanc controversiam lis exarsit, num liceat uti scientia e confessione acquisita, ad commodum poenitentis ex caritate. Anno 1594. *Clemens VIII.* Superioribus religiosis praecepit: « Caveant diligentissime, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur ». B. *Innocentius vero XI.* anno 1682. proscripsit hanc sententiam: « Scientia ex confessione acquisita uti licet, modo fiat sine directa aut indirecta revelatione et gravamine poenitentis, nisi multo maius ex non-usu sequatur, in cuius comparatione prius merito contemnatur » (Denz 1220.).

Pars II. probatur: inviolabilitas sigilli.

E triplici fonte, ut demonstratum est, sigillum sacramentale obligat. Inviolabilitas sigilli vult dicere, hoc secretum e iure divino ortum nunquam, a nemine, nullo praetextu laedi posse, et, inquantum directe violaretur, hanc legem *ex toto genere suo graviter* obligare, non admittere ergo parvitatem materiae. *Ratio* est, quia praeceptum hoc divinum est praeceptum negativum, ideo semper et pro semper obligat et nunquam licet hoc violare. — *Alia ratio* inviolabilitatis sumitur ex institutionis fine: Christus Dominus Poenitentiam in remedium omnis omnino peccati instituere dignatus est. Confessionem ergo qua partem essentialem huius Sacramenti ordinavit ad finem salutis consequendae peccatoris et ad gratiam simpliciter vel melius capessendam per ministerium sacerdotis. *Atqui* si aliquid propter solum unum finem a Christo institutum est, huius rei usus vel leviter impediens hunc unicum finem, intrinsecus malus est, etiamsi e motivo honestissimo fiat. Ideo secretum huius confessionis, sigillum nempe, prorsus inviolabile haberi debet (Vermeersch-Creusen n. 462).

Resolutiones *ergo sequentes deduci debent* e facto inviolabilitatis sigilli sacramentalis:

1°. Obligatio sigilli *e sola confessione sacramentali* exoritur. Confessio ergo simulata non involvit obligationem sigilli sacramentalis. Non habetur sigillum sacramentale, sed solum secretum naturale et promissum, si aliquid narretur sacerdoti extra confessionem, uti solent dicere, « dictum sub sigillo ».

2°. Quia de iure certo alterius agatur, *non* licet uti in materia sigilli *opinione probabili,* damnum enim spirituale fidelium omnimode cavendum est.

Itaque turn in dubio facti, tum in dubio iuris standum est pro parte tutiore, i. c. pro sigilli obligatione.

3'. Ideo solummodo ipse *poenitens potest* dispensare ab hac obligatione tacendi; ne cum ipso poenitente quidem loqui licet confessario de materia confessionis extra Sacramentum. Poenitens implicite licentiam dedit loquendi, si ipse incipiat loqui de rebus in confessione a se dictis extra Sacramentum. — Sedulo tamen providendum est, ne licentia aliquo modo extorqueatur a poenitente, licentia enim omnino libere debet dari. Si poenitens licentiam in casu aliquo dare deberet, et tamen non dat, per negationem absolutionis puniatur, nam indispositus est, sed obligatio sigilli remanet.

4°. *Nulla causa eximens* ab observatione sigilli excogitari potest. Nec mors poenitentis, remanet enim obligatio consulendi famae poenitentis, et quod maius est: obligatio cavendi, ne odium Sacramenti e tali ratione agendi exoriatur. Nec malum maximum eximit ab obligatione sigilli, quod confessarius vel persona tertia quaevis incurreret, tenemur enim etiam dispendio vitae praecepto divino sigilli obtemperare.

b) De subiecto sigilli.

Non satis explicari solet fidelibus, sigillo sacramentali non solum confessarium ligari, sed *etiam alios* iuxta legem Ecclesiae: « Obligatione servandi sacramentale sigillum tenentur quoque interpres aliique omnes ad quos notitia confessionis quoquo modo pervenerit » (can. 889 § 2.). Vitare directam laesionem sigilli eodem modo eos obligat, ac confessarium: ex toto genere suo graviter. Subiectum obligationis per se est confessarius, per accidens omnes qui in cognitionem veniunt confessionis: immediate ergo interpres et audiens confessionem, mediate: audiens violatorem sigilli, Superiores ad quos casus defertur, consultor et legens confessionem. Obligatio eodem modo gravis et directa violatio semper grave peccatum est, sed excommunicationem specialissimo modo reservatam *tantum confessarius* incurrit (can. 2369).

1°. Per se *est confessarius* subiectum sigilli, sive verus, i. e. sacerdos, sive existimatus, fictus, etiam laicus: *omnes tenentur* ad sigillum, a. Confessarius nunquam potest sigillum violare, itaque si *testificari* debet coram tribunali in aliqua causa, debet recusare testimonium, si interrogaretur de re, quam solum e confessione novit, quia vero recusatio testimonii saepe aequivalet accusationi, melius semper in tali casu respondet, se nihil scire et assertum etiam iuramento confirmet. — b. Item si *proprium peccatum* sine violatione sigilli non posset confiteri, tenetur peccatum istud reticere: quia sigillum e religione et iustitia obligat, integritas e poenitentia, dein quia sigillum praecepto negativo ordinatum praevalet praecepto affirmativo integritatis, denum, quia sigillum multa maiora bona tuetur quam lex integritatis. — c. In casu practice, si unicus solum confessus sit et confessarius interrogetur a sacrista de communione, melius est, si ipsum remittat ad poenitentem, ut hunc interroget, num s. communionem vellet suscipere, nc unquam oriatur periculum violandi sigillum ob forte negatam absolutionem (Noldin-IIeinzel n. 410, 1 d).

2°. Per accidens *obligantur ad sigillum:* Immediate:

a. *Interpres* iuxta can. 889 § 2. Notandum tamen, quae superius dicta sunt, neminem teneri per interpretem confiteri.

b. *Audiens ipsam confessionem* sive casu sive ex industria. Agitur de personis, qui non ut confessarii audiunt alterius confessionem; qui hoc ex industria committit, iam violavit sigillum per ipsam auditionem. Excipiendus est casus, si poenitens tam elata voce uteretur, quod circumstantes eum audire debeant, si id advertens tamen pergat, sigillum sacramentale iam non habetur (Lehmkuhl, Casus conscientiae II. n. 563).

3°. *Per accidens* mediate *obligantur:*

a. *Audiens e violatione* sive casu sive ex industria, si confessarius, vel audiens alius confessionem tertii revelaret aliquid e confessione.

b. *Superiores* a quibus petitur facultas absolvendi a reservatis seu peccatis, seu censuris.

c. *Consultor,* praeprimis theologus, a quo consilium petitur in aliquo casu intricatiore.

d. *Legens* schedulam in qua peccata poenitentis descripta sunt, quia medium est etsi extraordinarium, ad confessionem ordinata, e qua materia confessionis cognosci potest.

N. B. *Poenitens ipse non* tenetur *ad sigillum,* sed *secreto naturali* obligatur circa confessionem, etsi permulti poenitentes praesertim mulierculae blaterare solent de iis, (piae confessarius eis dixerit, quia fere nunquam moneri solent de obligatione secreti naturalis, quae eis incumbit. Confessarius enim ad legem strictissimam sub poena sacrilegii et excommunicationis specialissime reservatae tenetur ad secretum sigilli: huic ergo obligationi respondere debet secretum naturale a parte poenitentis, quia fama confessarii nullo alio medio servari potest.

c) De obiecto sigilli.

Obiectum seu materia sigilli dispescitur in essentiale et accidentale, essentiale vero in primarium et secundarium dividi potest.

1°. *Obiectum* essentiale primarium *sigilli* seu materia directa sunt: omnia peccata *mortalia etiam in genere, venialia solum in specie,* nisi confessario aliunde nota sint. — Obiectum ergo sunt:

a. *Peccata mortalia in genere* quoque, etsi peccator publicus sit, non possunt revelari nec in genere, e. gr. « Latro iste celebris sua facinora mihi confessus est ante 20 annos ». In specie a fortiore nullo modo et nullo sub praetextu revelari possunt.

b. *Venialia solum in specie* vetantur revelari, nam pronum est. saltem venialia omnes aliquando confitentur. Sed si quis diceret: « Iste frequentius nunc iam in venialia cadit », esset iam violatio sigilli.

c. *Nisi aliunde nota sint* peccata: hoc est, potest loqui de peccatis aliunde notis, sed nunquam sic, ut appareat confessarium hoc *etiam* in confessione audivisse. Attendere debet ergo confessarius, ne pertractando cum aliis peccata publica narrationem suam compleat e notitia e confessione hausta.

2. *Obiectum* essentiale secundarium sigilli constituunt ea, quae ad peccata melius declaranda dicta sunt, nisi sint facta publica, etsi incognita. Ad hoc pertinent:

a. *Negatio absolutionis* in omni casu, si ergo accusatur confessarius, quod meretrices publicas audivit curque hoc fecit, nullo modo potest dicere, se eas

non absolvisse, nec si poenitens hoc diceret. Absolutionis *collutio* per se non cadit sub sigillo, sed ob prudentiam etiam haec taceri debet, ne talis quaesita! io, quam aliquando imprudentes parentes de filiolis instituere solent, molesta evadat. Talibus semper respondendum est, nihil manifestari posse ex iis, quae in confessione audita sunt.

b. *Nec satisfactio imposita* potest unquam aliis manifestari, quia conclusio posset saepe fieri ad peccata, quibus imposita est.

c. *Consilium et monitum* in tantum sunt obiectum sigilli, in quantum ex iis conclusio similis ad peccata fieri posset, ut contingit e. gr. circa peccata camis.

d. *Peccata aliarum personarum,* imprudenter narrata in confessione, ut si quis dixerit se male locutum esse de Clara puella gravida, etsi post absolutionem: graviditas Clarae obiectum constituit sigilli, similiter persona complicis, quae a poenitente revelata est.

3°. *Obiectum* accidentale *sigilli* constituunt ea omnia, quae e confessione nota sunt et quorum revelatio poenitenti molestiam afferret vel in odium cederet Sacramenti. — Itaque per accidens sub sigillo cadunt:

a. *Defectus naturales poenitentis* e sola confessione cognita quae poenitens plerumque non vult esse revelata. Tales sunt: (1) *Defectus corporales,* nisi sint prorsus notae, ut surditas poenitentis, eius foetor, balbuties linguae, — sed morbus e confessione cognitus famae poenitentis obnoxius, puta morbus venereus, per accidens sub sigillo cadit. — (2) *Defectus spirituales vel psychologici:* ruditas, hebetudo ingenii, praecipue autem psychastenia et scrupulositas, etsi aliquibus notae essent. Poenitens enim semper aegre fert, si confessarius de talibus loquatur, fideles vero inferre possent, confessarium revelare etiam talia, quae essentialiter ad sigillum pertinent.

h. *Peccata in ipsa confessione commissa* (blasphemiae, convicia, contumeliae in confessarium, impatientia) *per se* non cadunt sub sigillo, quia non sunt peccata accusata in confessione. Per accidens autem plerumque obiectum sigilli constituunt, nam eorum revelatio suspicionem suscitare potest circa agendi modum confessarii, e. gr. de reprehensione, negatione absolutionis et talibus. — Si quis solum ad tentandum sacerdotem in confessionale se receperit, ad eleemosynam petendam, vel ad furtum committendum, tale peccatum non cadit sub sigillo, quia non habetur confessio sacramcntalis. Immo furtum commissum a poenitente intra confessionem sacramentalem quoque non est obiectum sigilli, si factum est in damnum confessarii (Noldin-Hcinzel n. 414. b.).

c. *Virtutes et dona gratiae* eatenus sunt obiectum sigilli, inquantum poenitentes aegre ferre solent tales narrationes, Ecclesiae mens vero cognosci potest e lege iuxta quam ad testimonium ferendum incapaces sunt « sacerdotes, quod attinet ad ea omnia, quae ipsis ex confessione sacramentali innotuerunt, etsi a vinculo sigilli soluti sint n (can. 1757 § 3. n. 2.), quam legem Priimmer etiam in processu canonizationis vigere affirmat (Vadcmecum ed. 6. 1947, n. 703. b. 5.).

d) De violatione sigilli.

Sigillum sacramentale duobus modis violari potest: directe vel indirecte.

1 . Directa violatio seu laesio sigilli habetur, si *duplex* momentum adest:

a. *Ret i latio obiecti* essentialis primarii et secundarii sigilli, vel obiecti acciden-

talis, si per accidens sub sigillo cadat. — b. *Revelatio personae* peccatoris. — c. Haec duo elementa simul sumpta *directam constituunt sigilli violationem.* Nihil refert,, num personam *nomine suo* designavit, vel solum aliter, sed sufficienter designavit (e. gr. praefectus oppidi N. adulter est), etsi secus notus non esset peccator. Nec requiritur ad violationem sigilli, ut confessarius dicat, se id, quod ab eo revelatum est, *e confessione* scire: Non requiritur ergo ut dicat: « Titius latrocinia sua mihi confessus est », sed sufficit ad constituendum crimen violationis directae dicere: « Titius est latro ». — Directe ergo violat sigillum dicens: «Joannes absolutionem non recepit», vel «Gravem dedi ei satisfactionem », vel « Non debes iam Catharinam punire, mendacium suum leve iam confessa est », vel « Dedi Stephano consilia optima pro vita caste ducenda », vel e confessione hauriens notitiam: « Scio, Claram puellam esse gravidam ».

d. Directa violatio sigilli est *ex toto genere suo gravis,* non datur ergo parvitas materiae. Ideo nec epikia uti potest confessarius circa violationem sigilli, nec unquam dispensatio potest obtineri.

e. *Poena in confessarium,* qui directe violare praesumpserit sigillum sacramentale, est excommunicatio specialissimo modo reservata S. Sedi: « Confessarium, qui sigillum sacramentale directe violare praesumperit, manet excommunicatio specialissimo modo Sedi Apostolicae reservata » (can. 2369 § 1.). « Confessarius » incurrens intelligitur etiam confessarius *fictitius seu existimatus,* etsi solum laicus esset (sic Cappello, Cocchi, M. Conte Coronata, Institut, luris Can. IV. 2148, Noldin-Schonegger, De Poenis n. 55).

f. Poenae *in alios non-confessarios,* qui directe violare praesumpserint sigillum sacramentale, *ferendae sunt sententiae:* « Interpres aliique omnes ad quos notitia confessionis quoquo modo pervenerit » (can. 889 § 2.), « quicunque praescriptum can. 889. § 2. temere violaverit, pro reatus gravitate plectatur salutari poena, quae potest esse excommunicatio » (can. 2369 § 2.).

Notandum est pro utroque casu, quia lex adiecta habet verba « *praesumpserit,* temere violaverit », quamcunque imputabilitatis imminutionem ab ea eximere (can. 2229 § 2.).

2°. Indirecta violatio *sigilli* habetur, si e duobus elementis memoratis (persona peccatoris et obiectum sigilli) unum revelatur et simul adsit vel periculum cognoscendi alterum elementum, vel periculum Sacramentum reddendi odiosum.

Indirecta violatio verbis vel factis potest committi et est *ex genere suo grave,* admittit ergo parvitatem materiae, iuxta maius vel minus periculum revelationis duorum elementorum vel Sacramentum reddendi odiosum.

a. Indirecta *violatio* per verba sunt sequentia:

(1) *Proditio indirecta personae,* si e dictis apparere potest persona peccatoris, quod illustrari solet exemplo classico confessarii qui post 25 annos dicit, se in prima confessione, quam excepit, statim homicidam absolvisse, paulo post intrat vir et enarrat omnibus audientibus: Ego fui primus tuus poenitens! — Simili modo si missionarius narraret: « Post multos annos demum confessus est senex 80 annorum cum barba venerabili, confessionem generalem fecit et magnam misericordiam consecutus est », ex hac narratione certe scitur eum peccata mortalia confessum esse et periculum ortum est, eum cognoscendi Lehmkuhl, Casus conscientiae II, casus 152).

Talis proditio personae haberetur, si paucas admodum audiens confessiones, dixerit confessarius, se tale peccatum grave audivisse, nam e revelatione suspicio orta est contra illos paucos, unum ex iis fuisse peccatorem.

(2) *Diffamatio communitatis* habetur, si confessarius dicat, in aliqua regione, vel oppido, quod non habet saltem 3.000 habitantes, vel in tali ordine religioso, nisi sit valde numerosus vel tali Collegio, Seminario, domo religiosa late grassari tale peccatum, e. gr. sacrilegii, luxuriae: suspicio enim facile in singulos cadere potest ceditque in odium Sacramenti.

(3) *Vocis elatione* quoque fieri potest indirecta laesio sigilli, si e. gr. in progressu confessionis confessarius dicat: « Redi serius ad me! » vel: « Quoties peccatum hoc fecisti? », nam e tali interrogatione circumstantes certo scire possunt, agi de mortalibus huius personae confitentis. — Similiter, si confessarii voce elata audiant eius monitiones et responsa, e quibus comperiuntur gravia peccata poenitentis.

(4) *Comparatione facta* fit indirecta violatio sigilli, si confessarius plures poenitentes (discipulos, fratres) invicem comparando, de uno diceret, eum esse purissimae conscientiae, de aliis nihil revelaret, talibus verbis suspicionem ingerit, eos graviter peccasse.

(5) *Vana iactantia* committitur indirecta laesio, si confessarius diceret de aliquo, eum apud se confessum esse, quia speciales habet facultates absolvendi, — vel si diceret, eum hunc poenitentem ad tempus remisisse et postea eum velle absolvere, vel eum clam et secrete audivisse: ex his enim dignosci potest, poenitentem gravia commisisse peccata.

(6) *Admonitione* fieret indirecta laesio sigilli, si confessarius parentes vel Superiores poenitentis moneret de speciali vigilantia erga poenitentem in talibus circumstantiis, e. gr. tempore nocturno, vel tali loco.

(7) *Consultatione* committitur indirecta laesio si confessarius cum alio loquatur confessario, cui idem poenitens eadem peccata confessus sit. leo parochus non potest dare consilia missionariis, de vitiis in parochia eius grassantibus, nisi satis ampla sit (saltem 3.000 incolarum), nullo modo vero confessarius religiosorum alicuius communitatis. « Si communitas parva est, *vel* vitia paucorum sunt, laeditur sigillum, quia singuli exponuntur suspicioni, vel audientes suum defectum pudore afficiuntur » (Noldin-Heinzel n. 416. 2. d.).

b. *Indirecta violatio* per facta sunt sequentia:

(1) *Manifestatione aliqua* fit indirecta laesio, si confessarius visibili modo legat tabellam casuum reservatorum, vel gestibus visibilibus, lacrimis, gemitu etc. ostenderet suam admirationem, tristitiam de peccatis.

(2) *Discessione* fieret indirecta laesio, si confessarius audita unius confessione, quem non absolvit, statim extempore relinqueret ecclesiam, non curans de communione poenitentis. Optimum est, si nunquam confessarius sacristam admoneat de communione alicuius poenitentis confessi, sed semper aliis relinquat monitionem de praeparanda s. communione.

(3) *Denegatione schedulae confessionis* fieri potest indirecta violatio sigilli, ubi talis schedula adhuc in usu est, quae semper factum confessionis, nunquam vero absolutionem elargitam debet exhibere. Propter sigillum observandum schedula etiam negata absolutione danda est poenitenti, si talem schedulam petat, sive extra, sive intra confessionem in iis circumstantiis, in quibus dari solet aliis, ne laedatur sigillum. Si quis sine confessione solum peteret

schedulam, vel fingens confessionem accederet tali deneganda est schedula, quia non habetur obligatio sigilli quae in confessione sacramentali radicatur. Etiam in tali casu dari potest ob gravia incommoda, ut puta, si secus Sacramentum indigne acciperet, vel recusaret matrimonium ecclesiasticum.

(4) *Modo suo agendi* laederet indirecte sigillum confessarius, qui s. communionem denegaret non absoluto, vel dimitteret servum quem furem cognoverat e confessione aut demum qui suffragium negaret alicui in electione e sola notitia confessionalis.

e) De usu notitiae e confessione acquisitae.

Praecipue 1res prohibitiones Ecclesiae observari debent.

1°. *Omnibus* confessariis *stricte praeceptum est:* « Omnino prohibitus est confessario usus scientiae ex confessione acquisitae cum gravamine poenitentis, excluso etiam quovis revelationis periculo » (can. 890 § 1.). — Lex haec eadem est, quae iam supponitur ab Innocentio XI. anno 1682 (Denz 1220). Ideo, ut speciales aliqui casus videantur,

a. Confessarius *non potest recusare* poenitentem de quo solum e confessione scit eum esse valde molestum, scrupulosum, uteretur enim scientia e confessione acquisita ad gravamen poenitentis.

b. Confessario non licet interrogare parentes vel magistros iuvenis poenitentis de eius moribus, nam per interrogationem ingereret eis suspicionem.

c. Confessarius non potest consuli de admittendo suo poenitente ad promotionem sacerdotalis gradus vel ad vota nuncupanda in religione, et optimum est, si etiam a ferendo suffragio secreto se abstinet.

d. Confessarius non potest uti scientia ad propriam vitam salvandam; si compertum esset ei ex confessione, sibi insidias parari, non licet ei fugam arripere, si ex hoc facto suspicari possit de confessione poenitentis.

e. *Licet* vero, deest enim omnino gravamen poenitentis, confessario, qui audivit publicum peccatorem in extremis se convertentem, ad consolationem familiae dicere, aegrotum cum magna contritione et multis lacrimis confessum esse, quamvis haec dicta indirecte probant magna peccata accusata (Vermeersch-Creusen n. 481, 3).

2. *Omnibus* Superioribus *stricte praeceptum est:* « Tam Superiores pro tempore existentes, quam confessarii qui postea Superiores fuerint renuntiati, notitia quam de peccatis habuerint, ad exteriorem gubernationem nullo modo uti possunt » (can. 890 § 2). Haec lex lata est pro Superioribus religiosis a Clemente VIII. anno 1594., a Codice vero extensa est ad omnes sine discrimine Superiores. Confessarius ergo parochus, herus alicuius famuli, rector collegii, Ordinarius, Superior religiosus aequo modo tenetur hanc legem observare. Itaque:

a. Superior non potest *dimittere* aliquem e scientia per confessionem acquisita, nec herus famulum, nec Superior religiosus alumnum etc.

b. Non potest ei *negare Sacramenta,* solummodo si de peccatore publico et delicto publice noto agatur.

c. Non potest *mutare eius dispositionem,* etsi sola mente conceptam et nulli adhuc communicatam (Noldin-Heinzel n. 417, 1. a.).

d. Quia in exteriore gubernatione vetitus est usus scientiae e confessione

acquisitae, licet: interne recordari vel recogitare peccata, orare pro poenitente, experientiam acquirere e notis per confessionem, consulere libros vel theologos.

3/ *Omnibus* concionatoribus *stricte praeceptum est: Per instructionem S. Officii datam 9. jun. 1915.* Ordinariis, quae adhuc viget, nam ius divinum authentice interpretatur (Coronata n. 391., ibid, textum): Quia non desunt confessarii, qui « reticitis quamquam omnibus quae poenitentis personam quomodocunque prodere queant », tamen de peccatis submissis clavium potestati. ‹ sive in privatis collocutionibus, sive in publicis ad populum concionibus (ad auditorum, ut aiunt, aedificationem) temere sermonem facere non verentur». — Ideo S. Officium stricte praecipit: « Ne quid unquam occasione praesertim sacramm *missionum et exercitiorum* spiritualium ad confessionis sacramentalis materiam pertinens, *quavis sub forma,* et quovis sub praetextu, *ne obiter* quidem et *nec directe nec indirecte* (excepto casu necessariae consultationis iuxta regulas e probatis auctoribus traditas proponendae) in suis *seu publicis seu privatis sermonibus* attingere audeant ».

Litteratura.

A. *Tappehorn,* Anlcitung zur Verwaltung des Bussakramentes, Dülmen i. W. 1908. — *Aebischer,* Der erfahrene Beichtvater, Einsiedeln 1912. — B. *Merkelbach,* Quaestiones de vari s poenitentium categoriis, Lièges 1933. — C/i. *Schulte,* Was der Seelsorger von nervosen Seelenleiden wissen muss, 3. cd. Paderborn 1933. — G. *Jentgens,* Die Gewohnheitshandlung. Eine moralpsychologische u. piidagogische Studie, Essen 1940. — *Pistoni,* De agendi ratione coniessarionim circa VI. Decalogi praeceptum 1947. — *Leo Kunze,* Das Schuldbewusstsein des m.innlichcn Jugendlichen, Luzern 1949. — *J. Périnelle,* Conseils pour la vieillesse, in: Vie spirituelle 1950, 263-282. — Problemi attuali della direzione spirituale (Pontificia Univcrsita Gregoriana) Borna 1950. — *H. Bless,* Psychiatrie et Direction, Bruges 1950. — Direction spirituelle et psychologie, Desclée 1951. — *Gratian Gruber,* Priester und Arzt in ihrer Einstellung zu Sünde und Schuld, in: Anima 1952, 57-61. — A. *Niedermeyer,* Seelenleiden und Seelenheilung, Wien 1952. — *P. Charles,* Doctrine et pastorale du sacrement du pénitence, in: Nouv. Rev. théol. 1953, 449-470. — R. *Meurice,* Les célébrations du pénitence, suggestions et expériences présentées, *in:* Maison-Dieu cath. 56 (1958) 76-95. — *P. Cruchon,* Das Wort des Priesters im Bussakrament, in: Anima 1959, 346-354.

De sigillo. B. *Kurtscheid,* Das Beichtsiegel in seiner geschichtlichen Entwicklung, Freiburg i. Br 1912. — L. *Honoré,* Le secret de la confession, Bruges 1924. — *J. Hambroer,* Das Beichtsiegel in der russisch-orthodoxen Kirche, in: Arch. f. k. Kirchenrecht 1928, 408-119. — *P. Browe,* Das Beichtsiegel im Altertum u. Mittelalter, in: *Scholastik* 1934, 1-57. — C F. *Satio,* Ad Sigillum sacramentale animadversiones, Taurini 1936. — A. *Hagen,* Die laesio sigilli, *in:* Theol. Quartalschr. 1939, 37-70. — *G. van Belleghern,* L'usage illicite des connaissances acquises en confession, Québec, 1949. — *O. P. Marazzato,* Il sigillum sacramentale e la giurisprudenza penale, *in:* Archivio penale 1955, 34-87. — *D. L. Valenti,* Sigillo » u l amentale o segreto della sacramentale confessione, *ibid.* 1955, 88-94. — A· *Auer,* Bcichtgchcimnls, in: LfThk 2. ed. II (1958) 128-130.

Respectu pastorali. A. *Lehmkuhl,* Casus conscientiae, 4. cd. 1913, p. 293-368. — *D. Prümmcr,* Manuale Th. Mor. cd. 5. 1928, III, n. 431-453. — A. *Vermeersch - J. Creusen.* Theol Mor, 4. ed. 1948, III. n. 461-498. 502-513. — B. *Merkelbach.* Summa Th. Mor. ed. 8. 1949, III. n. 600-668. — *J. Aertnys-C.* A. *Damen,* Theol. Mor. ed. 16., 1950, II, n. 431-532 - AL *Conte a Coronata,* De Sacramentis tract, can. I. Taurini 1951, n. 375-395. — */ Fanfani.* Man. theor. pract. Th. Mor. IV. 1951, p. 468-513. — *O. Schollig,* Die Verwaltune di r hl Sakramente, 4. ed. 1952, p. 151-204. — *II. Noldin-A. Schmitt - G. Heinzcl,* Sumina Th. Mor. cd. 30. 1954, III. n. 382-422.

VII. Tractatus septimus.

De Extrema Unctione.

Bonitas eximia Salvatoris fundavit remedium supernaturale pro iis qui ob aegritudinem in mortis periculo versantur, inter septem Sacramenta, quod *definitur:*

« Extrema Unctio est Sacramentum a Jesu Christo institutum, quo adultis aegrotis vita periclitantibus spiritualia auxilia, in mortis periculo maxime proficua, conferuntur, et aliquando etiam solamen ab infirmitatibus corporis » (Catech. Cath. pro adultis qu. 469).

Nomina huius Sacramenti sunt sequentia: *Antiquae Ecclesiae* usus hoc Sacramentum denominavit: « *sanctum oleum, oleum infirmorum, unctio sacrati olei, sacra unctio Dei, unctio infirmorum* ». Nomen « *extrema unctio* » demonstrari nequit ante saec. XII. ineuntis theologiae scholasticae, textus *Sonnatii* (inter annos 600-631), ubi nomen hoc occurrit, dubiosus est (Statuta n. 15. PL 80, 445, cf. DAL V, 1, 1034). Nomen hoc inter scholasticos praevaluit usque ad hodiernum diem et sancitum est a Tridentino. Non quidem exclusive, nam vocatur ab eodem Sacrosancta Synodo etiam « *Sacramentum exeuntium* » (sess. XIV. c. 3. Denz. 910), quod nomen ergo repudiari non potest, quidquid recentioribus placeat, sed recte debet interpretari. Ultima enim eo sensu vocatur, quod inter eas unctiones, quae a christianis recipi solent (unctiones baptismales, confirmationis, ordinationis, unctiones Sacramentalium, ut in coronatione regum etc.), revera ultimum locum respectu temporis occupat; declaratio haec authentica datur a Catech. Romano (II, 6, 2). Negari vix potest hoc nomen adhibitum esse eo tempore, quando, praesertim a s. XII. et XIII. abusus invaluit, hoc Sacramentum solum in extremis vitae administrare. Hodierna vero praxis sanior iam multo prius suadet fidelibus uti hoc Sacramento, nomen ergo « Extremae Unctionis » retineri potest, etsi etiam aliae denominationes usurpari possint. — *Graecorum* nomen officiale est « *Euchelaion* », i. e. oleum precum; vocatur etiam terminis Latino usui antiquiori corrcspondentibus; item nominatur « *Kathierosis di elaiou* » = « Reconciliatio per oleum », dein « theion myron » = « divina unctio », « *chrisma* » vel « *chrisma di elaiou* » = unctio per oleum. Materia absolvitur sequentibus capitibus:

A) De existentia Extremae Unctionis.

B) De essentia Extremae Unctionis.

C) Dc efficientia Extremae Unctionis.
D) Dc personis sacramentalibus Extremae Unctionis.
E) De ritibus Extremae Unctionis.

A) De existentia Extremae Unctionis.

I. Vox Ecclesiae.

1.° *Innocentius III.* Professio fidei Waldensibus praescripta anno 1208: Inter septem Sacramenta recenset: « Unctionem infirmorum cum oleo consecrato veneramur » (Denz. 424). — 2.° *Decr. pro Armenis* anni 1439: « Quintum Sacramentum est extrema unctio... » (Denz. 700). — 3.° *Trident, sess. XIV. cap. 1:* « Instituta est sacra haec unctio infirmorum tamquam vere et proprie Sacramentum Novi Testamenti a Christo Domino nostro... » (Denz. 908). — 4. *Ibid. can. 1:* « S. q. d., Extremam Unctionem non esse vere et proprie Sacramentum a Christo Domino nostro institutum et a beato Jacobo Apostolo promulgatum, sed ritum tantum acceptum a Patribus aut figmentum humanum: anathema sit »! (Denz. 926).

2. Testimonium Sacrae Scripturae.

Textus classicus est Jac 5, 14-15:

Asthenei tis en hymin?	Infirmatur quis in vobis?
Proskalesasthô tous presbyterous tes ekklesias,	Adducat presbyteros ecclesiae,
kai proseuxasthôsan ep' auton	et orent super eum,
aleipsantes auton elaiô	ungentes eum oleo
en to onomati tou Kyriou.	in nomine Domini.
Kai hê euchê tês pisteôs	Et oratio fidei
sôsei ton kamnonta,	salvabit infirmum,
kai egerei auton ho Kyrios,	et alleviabit eum Dominus
kan hamartias ên pcpoickôs,	et si in peccatis sit,
aphethesetai auto.	remittentur ei.

Quoad interpretationem huius textus cf. Exegetas, speciatim Max Meinertz, Die Krankensalbung Jak 5, 14 f., in: Bibl. Zeitschrift 1932, 23-36.

Asthenei significat plerumque morbum corporis, hoc loco tantum infirmitas corporalis intelligitur, nam v. 15. contradistinguitur a morbo spirituali («et si in peccatis sit »).

En hymin: « inter vos n, agitur ergo de fidelibus, ad quos epistola directa est. Non possunt ergo oleo inungi passim et indiscriminatim omnes homines.

Proskalesasthô i. e. «vocet», « accersat » ministros huius unctionis, non potest ergo ad eos ire, vere aegrotus est etsi sui compos, nam voluntatem suam manifestare potest.

Presbyterous vocet, qui iuxta terminologiam Novi Testamenti possunt esse seniores communitatis (« ecclesiae »), vel possunt esse sacerdotes. Hoc loco sacerdotes intelligendi sunt, nam seniores aevo christianitatis incipientis non necessario pollebant charismate sanationis (« iasis »), quod confirmatur etiam

verbo « tes ekklesias », bos enim presbyteros posuit Spiritus Sanctus « poimai nein » i. c. pascere, regere fideles (Act. 20, 17. 28). ,

Kai proseuxasthôsan ep auton: en habes descriptionem *ritus* huius institutionis. « Orare » debent, plus non dicit, nam talibus scribit qui evidenter sciunt, quid debeant facere. E forma grammaticali inferri potest agi de forma Sacramenti per se deprecativa. « Ep auton », super cum, vero significat, eum qui particeps fit huius unctionis, decumbere; non « hyper autou », pro eo, oratur.

Aleipsantes auton elaiô « ungentes eum oleo », quo materia significatur Sacramenti, ut patet, per se oleum olivarum significatur iuxta usum communem Ilcllenismi vocabulo « elaion ». *Simultaneitas* inculcatur per usum aoristi (« proseuxasthôsan » et « aleipsantes »): actio ergo et oratio insimul fiunt.

En tô onomati tou Kyriou, quod iuxta usum verborum Novi Testamenti significat « in nomine Jesu Christi », in cuius « nomine » debent baptizare, miracula patrare, orare ad Patrem, quae omnia *institutionem,* ordinationem Domini adsignificant. Obiter ergo etiam institutio Christi in hac expressione includitur.

Euchê tes pisteôs: oratio est « fidei », quia e fide procedit, per fidem dicitur et fide creditur eius effectus.

Sôsei ton kamnonta: « Sôos » seu « sos » (sanus), « sôzei » significat sanum facere, quod penes Jacobum non potest significare solummodo sanitatem corporalem, Sacramentum enim unctionis omnibus Christianis infirmis commendatur, pronum vero est non omnes qui participes fiunt huius unctionis fieri corporaliter sanos. — *Kamnôn* (cf. sanscriticum « camyati » = laborem, molestiam sustinere), patiens, aegrotus: sanis ergo unctio non potest tribui.

Kai egerei auton ho Kyrios: Egeirô significat « suscitare » (« alleviabit eum » minus recte sonat). Non potest significare corporalem resurrectionem (von Soden), nam textus de vivis nondum mortuis agit, nec exclusive suscitationem e morbo, nam non omnes sanantur, sed significat indeterminate proxime spiritualem confortationem et corporalem interdum consequendam alleviationem, sicut superius verbum « sôsei ».

Kan hamartias en pepoiêkôs aphetêsetai auto: tertius effectus edicitur a Jacobo: remissio peccatorum, cuius conditiones hoc loco propius non determinantur.

3. Adversarii Extremae Unctionis.

a) Primi adversarii inveniuntur *haeretici clualistici* i.e. Waldenses et Albigenses, sectaeque huius generis aliae denominationis, qui etiam hoc Sacramentum negabant, moti praesertim ob abusum horrendas taxas exigendi. Revera medio saeculo VIII. Anonymus Pataviensis testatur, « quod nullus debeat hoc petere, nisi habens valorem duarum vaccarum », propter quod Sacramentum hoc « ultima superbia » a quibusdam vocabatur, Bertholdus vero Ratisbonensis eodem tempore refert, multos parochos tres schillingos exiguisse pro administratione huius Sacramenti (valorem ergo 50-60 Francorum aureorum, cf. Kern p. 284 s.). — *Wicleffius et Jo. Huss* similiter negabant Unctionem.

b) Inter *Novatores Mart. Luther* iam anno 1520 negabat hoc Sacramentum dicendo: « Ego dico, si uspiam deliratum est, hoc loco praecipue deliratum est... non licet apostolo sua auctoritate Sacramentum instituere, hoc enim ad

Christum solum pertinebat » (De captiv. Bab.). Iuxta *Calvinum* « unctio est fiel Turn Sacramentum et histrionica hypercrisis » (Inst. rei. chr. IV. 19,18). Protestantes *nostri aevi* praeeunto W. Puller et Harnack, affirmabant Unctionem solum *post saec. VIII.* in usum venisse.

c) Imo etiam *inulti Catholici* affirmant, Extremae Unctionis formale et indubium testimonium solum penes Innocentium I. inveniri, sic Riebartsch (Liturg. Zeitschr. 1929, 202), A. Baumeister (in LfThK VII, 715), A. Schütz (Summarium p. 482). — At si fontes historici ad tramitem « Humani generis » iuxta continuam Traditionem interpretentur, etiam ante 416 (Ep. Innocentii I. ad Decentium) luculenta testimonia Unctionis inveniri possunt.

d) Ultimi veri nominis adversarii fuerunt *Modernistae,* qui contumaciter adversantes Tridcntino affirmabant Jacobum non intendisse promulgare aliquod Sacramentum, sed commendasse solummodo pium quemdam morem (Lamentabili prop. 48. Denz. 2048).

4. Testimonium Sacrae Traditionis.

a) Verisimiliter iam in textu originali *Didache* inveniri potest vestigium Extremae Unctionis, nam G. Horner anno 1924. detexit et edidit fragmentum Papyri (saec. V. *in.),* in quo textus legitur sequens: « Quod attinet aroma, agite gratias sic dicentes: Gratias agimus tibi, Pater, pro aroma, quod notum fecisti nobis per Jesum Filium tuum. Tua est gloria in saecula. Arnen ». (A new Papyrus Fragment of the Didache in Coptic, *in:* Journal Theol. Studies 1924, 225-231). Etsi textus hic in manuscripto Didache Graeco a Patriarcha Bryennio edito deest, plures eruditi opinantur, eum e primigenio textu Didache traductum esse in linguam Copticam, originem ergo ducere e saec. I-o. Iuxta Riebartsch agitur de *oleo infirmorum:* eodem enim loco habetur benedictio huius « aromae », ac olei infirmorum penes Hippolytum, Testamentum D.N.J. Christi, et Constitutiones Apost., tempore sc. Eucharistiae. Quod oleum hoc Sacramentum habebatur, elucet ex co, quod notum factum est nobis « per Jesum Filium tuum ».

b) E saec. II-o originem ducit quoddam *ostrakon Graecum e Syria,* publici iuris factum a F. Lenormant: « Exorcizo te, o Satana, et Crux me purifica, ut nunquam relinquas locum tuum, in nomine Domini, Dei viventis. Lectum in loco eius qui unctus est » (textum Graecum cf. MEL I, nr. 2803.). Iuxta plures eruditos textus testimonium haberi potest Extremae Unctionis.

c) Indubium vero omnino haberi debet textus *Hippolyti* in sua Apostoliké Paradosi versus 220: « Si quis oleum offert, secundum panis oblationem et vini et non ad sermonem dicat, sed simili virtute gratias referat dicens: Ut oleum hoc sanctificans, das, Deus, sanitatem utentibus et percipientibus, unde unc-xisti (!) reges, sacerdotes et profetas, sic et omnibus gustantibus confortationem et sanitatem utentibus illud praebeat » (Textus Veronensis cf. Quasten p. 30 s.). Textus hic scorsim sumptus nondum dicit agi de Extrema Unctione, sed idem textus primo a Hippolyto allatus, adhibetur in permultis textibus benedictionis olei infirmorum Fer. V. in Caena Domini, et adhibetur usque ad hodiernam diem iuxta Pontificale Romanum: « ...tua sancta benedictione sit... tutamen mentis et corporis, ad evacuandos omnes dolores, omnes infirmitates, omnem· que aegritudinem mentis ct corporis, unde unxisti sacerdotes, reges, prophetas

et martyres... ». Similiter coniici potest textus S. *Afrahat* versus 340 de sancto oleo: « Fructus germinarunt olivae splendidae, in qua signum est sacramenti vitae, quo perficiuntur Christiani ct sacerdotes et reges et prophetae, tenebras illuminat, ungit infirmos, et per arcanum suum sacramentum poenitentes reducit » (Demonstrationes 23,3 RJ 698).

d) *Origenes* versus 244 in aliqua homilia sua alludere videtur ad unctionem infirmorum dicens: « Omnis anima eget oleo divinae misericordiae, nec praesentem vitam evadere potest quispiam nisi oleum ei caelestis miserationis adfuerit » (In Lev. hom. 2,2 MEL I. nr. 1153). Oleum hoc mysticum ergo ad finem vitae necessarium est et operatur misericordiam divinam.

e) *Testamentum DNJ Christi,* descriptum quidem lingua Syriaca versus 475, iuxta Cabrol et Leclercq quoad liturgiam tamen aevum adhuc persecutionum repraesentans (MEL II. p. CXXX), talia habet in textu benedictionis olei: « Emitte super oleum istud quod est typus pinguedinis tuae, complementum tuae beneficae commiserationis, ut liberet laborantes, sanet aegrotantes, et sanctificet redeuntes, cum ad fidem tuam accedunt». Hic habes ordinationem pro aegrotis et etiam effectum spiritualem sanctificationis.

f) *Serapion* de Thmuis in Aegyto versus 340 orationem affert benedictionis olei infirmorum (Euchê eis elaion nosounton ê eis arton *è* eis hydor = Oratio in oleum aegrotorum vel in panem vel in aquam, Euchologion nr. 29. RJ nr. 1241). In hac oratione clarissime habentur omnia de hoc Sacramento: « Oramus, ut emittas *vim sanandi* (dynamin iatikên) Unigeniti e caelis super hoc oleum, ut iis, qui his tuis creaturis unguntur vel eas percipiunt, fiat in depulsionem omnis *languoris* et omnis *infirmitatis,* in remedium adversus omne *daemonium*... in extirpationem omnis febris et frigoris et omnis imbecillitatis, in *gratiam* bonam et *remissionem* peccatorum, in remedium vitae et salutis, in sanitatem et *integritatem* (holoklêrian) animae et corporis et spiritus, in valetudinem perfectam ».

g) E saec. IV. adhuc afferri possunt testes Extremae Unctionis *Afrahat,* vivens in regno Persarum (supra c.), et *Isaac Antiochenus* secunda parte saec. IV-i, qui vehementer carpit mulieres in casu morbi recurrentes ad suspectos monachos, et non ad sacerdotem, ut ab eo oleo ungantur: « Cibum affer monacho, sed oleum martyrum sit tibi... sed fides tua in Crucifixum defixa sit, cius tantum oleum sit tibi, et a sacerdote signationem accipe »! (Disquisitio de potestate diaboli in tentando homine cf. Kern p. 28.). Hoc tantum carpitur a S. Isaac, quod monachi qui non erant presbyteri, ungebant aegrotas mulieres. Nam si monachus presbyter erat, potuit peragere unctionem hanc. Sic S. Hypatius monachus, adhuc invenis et adhuc saec. IV-o, saepe monuit archimandritam suum, qui presbyter erat, ut oleo benedicto ungat aegrotum. (Kern p. 39 s.).

h) Testimonia haec omnia ante epistolam Innocenti! I. ad Decentium iam existebant. Ipsa *epistola Innocenta I.* scripta anno 416. claram doctrinam supponit de Extrema unctione, et in paucis lineis omnia comprehendit ad miras interrogationes Decentii respondens. Innocentius I. etenim enuntiat: 1°. «Quod in beati Jacobi epistola conscriptum est: Si infirmus aliquis in vobis est, vocet presbyteros etc.... de fidelibus *aegrotantibus* accipi vel intelligi debere »;.

2'. « qui sacro *oleo* chrismatis perungi possunt, quod *ab episcopo* confectum » est; 3°. « idcirco *presbyteris* dictum est, quia episcopi aliis occupationibus impediti ad omnes languidos ire non possunt »: minister ergo est presbyter, sed ut patet, a fortiori episcopus, 4°. haec unctio « genus est *sacramenti* », 5°. haec ideo scripta sunt, « ut ecclesia tua Romanam consuetudinem, a qua originem ducit, servare valeat atque custodire » (Ep. ad Decentium PL 20,559).

Inde a V. saec. multiplicantur testimonia de Extrema Unctione eiusque usum indubium reddunt.

5. Existentia Extremae Unctionis ratione confirmatur.

a) Exeuntibus *non est praesto remedium aliud efficax* in ordine sacramentali, ut docet S. Thomas: « Sacramenta Ecclesiae sufficienter subveniunt defectibus hominum secundum quemlibet statum. *Sed* exeuntibus non subvenit aliud quam Extrema Unctio. Ergo ipsa est Sacramentum ». *Minor* illustratur Tridentino (sess. XIV. prooemio): « Clementissimus Redemptor noster, qui servis suis quovis tempore voluit de salutaribus remediis adversus omnia omnium hostium tela esse prospectum... Extremae Unctionis Sacramento finem vitae tamquam firmissimo quodam praesidio munivit... Nullum tempus est, quo vehementius ille omnes suae versutiae nervos intendat ad perdendos nos penitus... quam cum impendere nobis exitum vitae perspicit » (Denz. 907).

b) Paulo aliter sic idem S. Thomas: « Sacramenta nihil aliud sunt, quam quaedam *spirituales medicinae. Sed* extrema unctio est quaedam spiritualis medicina, quia valet ad remissionem peccatorum, ut habetur Jacobi 5. Ergo est Sacramentum ». (Suppi, q. 29. a. 1.).

Litteratura (etiam pro sequentibus capitibus).

M. Hclmbucher, Die heilige Oelung, Regensburg 1888. — F. W. *Puller,* The anointing of the sicks in Scripture and Tradition with some considerations on the numbering of the Sacraments, London 1904. — *J. Kern,* De Sacramento Extremae Unctionis tractatus dogmaticus. Ocniponte 1907. — *II. Leclercq,* Extrême Onction, *in:* DAL V, 1, 1029-1037 (122). — *C. Ruch,* Extrême Onction, *in:* DThCath V (1924) 1927-1985. — J. *B. Bord,* L'Extrême Onction d'après l'ép tre de St. Jacques examinée dans la Tradition, Bruges 1924. — *A. J. Kilkcr,* Extrême Unction, St. Louis 1927. — *E. Riebartsch,* Das âlteste Traditionszeugnis fur das Sakr. der hl. Oelung, in: Liturg. Zeitschrift 1929, 201-206. — C. *de Clercq,* «Ordines unctionis infirmi» des IX. et X. siècles, *in:* Ephemerid. Liturg. 1930, 99-122. — *Th. Spacil,* Doctrina theologica Orientis separati de s. infirmorum unctione, Romae 1931. — *P. Brmvc.* Die Ictzte Oelung in der abendliindischen Kirche des M ttelalters, in: ZfkTh 1931, 515-561 — *11. Weisweiler,* Die Sakrainentslehre der hl. Oelung in den systcmatischcn XVvrken der ersten Friihscholastik, in: Scholastik 1932, 321-353, 534-560. — *M. Meinertz,* Die Krankensalbung Jak 5,14 ss., in: Biblische Ze tschrift, 1932, 23-36. — D. *Jorio,* La Sacra Unzione degli Informi, Roma 1935. — *A. Gougnard,* Tract, de Extr. Unctione, Mcch'miae 1938. — C. *de Clercq,* Ordre mariage, extrême onction, Paris 1938. — *F. M. Cappello,* Tract, canon, mor. de Sacr. III. 2. ed. Taurini 1942. — G. *M. Ledent,* Le sacrement des malades, Liège 1947. — A. *Verhamme,* Prolegomena de Sacr. Extr. Unct., in Co'.l Bmg. 1949, 39-47. 114-122. — *J.* A. *Robilliard,* L'onction des malades, in: Initiation théol. IV Paris 1954, 671-695. — *E. Doronzo,* Tract, dogmaticus de extrema unct.nne, I D<· causis intrinsecis. Milwaukee 1954, IL Dr causis extrinsecis 1955. — *M. Premm,* K ith. Glaubenskund< 111, 2 (1955' 159-183. — *M. Schnwus,* Dogmatik IV, 1 (1957) 614-635. — C. *Dacis,* The sacrament of the sick, *in:* Clergy Review 1958, 726-746.

Respectu pastorali. Λ. *Lehmkuhl,* Casus conscientiae. 4. ed. Fnburg. Brisg. 1913, n 676-700. — *D Priimmer,* Summa Th. Moral. 5 ed. 1928, III. n. 568-584. __ *M. Fischer.* Kath. Kr mkensve'.sorge, 2. ed. Freib. i. Br 1934. — C. *Crober,* Helle mich Herr, 2. ed.

Freib. i. Br. 1935. — *H. Reinartz,* Dor Krankc in (1er Pfarrgemeinde, Kevelaer 1936. — /1. *Philippeau,* Le soin spirituel et la liturgie des malades, *in: Le* Christ et les malades, Paris (Cerf) 1945, 15-92. — *A. Vermeersch - J.Creusen,* Th. Moral. 4. ed. 1948, III. n. 603-617. — *Ii. Merkelbach,* Summa Th. Mor. 8. ed. 1948, III, n. 685-708. — *J. Aertnys - C. A. Damen,* Th. Mor. 16. ed. 1950, II. n. 533. — *M. Conte a Coronata,* Institut. luris canon. De Sacram. I. 2. cd. 1951, η. 539-567. — *J. Fanfani,* Man. theor.-pract. Th. Mor. IV. 1951, p. 595-613. — *O. Schollig,* Die Verwaltung der hl. Sakramente, 4. ed. 1952, p. 337-352. — *//. Noldin-A. Schniilt-G. Heinzel,* Summa Th. Mor. 30. ed. Barcelona 1954, n. 429-448.

B) De essentia Extremae Unctionis.

1. De materia remota Extremae Unctionis.

Materia remota Unctionis debet esse oleum, ut patet e textu classico scripturistico, quem Ecclesia authentice declaravit: « Intellexit enim Ecclesia ex verbis S. Jacobi et ex apostolica traditione per manus accepta, materiam esse huius Sacramenti oleum ab episcopo benedictum » (sess. XIV. c. 1. Denz. 908). Hanc materiam remotam aptissimam esse ad significandos effectus, concinne extollitur a Catech. Romano: « Aptissime haec materia illud significat, quod vi Sacramenti interius in anima efficitur; nam ut oleum ad mitigandos corporis dolores magnopere proficit, ita Sacramenti virtus animae tristitiam ac dolorem minuit. Oleum praeterea sanitatem restituit, hilaritatem affert,... ad recreandas defatigati corporis vires maxime accommodatum est. Quae omnia, quid in aegroto divina virtute per huius Sacramenti administrationem efficiatur, declarant » (De extr. unctione n. 5.).

a) Materia remota valida Extremae Unctionis.

Iuxta legem can. 945. « Oleum olivarum in Sacramento Extremae Unctionis adhibendum debet esse ad hoc benedictum ab episcopo vel presbytero, qui facultatem illud benedicendi a Sede Apostolica obtinuerit».

1°. Requiritur ergo ad validitatem Sacramenti huius, ut materia sit *oleum ex oliva* confectum, etsi hoc epistola Jacobi non dicit, tamen supponitur oleum temporibus Jacobi usurpatum, quod erat oleum olivae. Numquid Ecclesia etiam aliud oleum, ex aliis plantis, vel fortasse etiam oleum animale, permittere possit, non constat, hucusque talis concessio data non fuit (Cf. Coronata 612-6).

2°. Oleum ab episcopo vel presbytero facultatem habente debet esse *benedictum,* haec benedictio valde antiqua est, imo ipsummet Sacramentum quoque quoad existentiam in antiquissimis fontibus ex hac benedictione olei infirmorum cognosci potest. lure dicitur ergo semper ab omnibus theologis benedictio olei *ad validitatem* necessaria, quod inferri potest etiam e responsis S. Officii, iuxta quae « temeraria et errori proxima est propositio: quod nempe Sacramentum Extremae Unctionis oleo episcopali benedictione non consecrato ministrari valide possit » (13. ian. 1611 et 14. sept. 1842).

3°. Valde probabiliter ad validitatem pertinet, ut oleum « *ad hoc* benedictum » sit, ergo « *oleum infirmorum* », textus can. 945., hoc videtur insinuare, quia vero si agatur de valore Sacramentorum, pars tutior eligenda sit, Sacramentum sub conditione iterandum est, si casu cum oleo sancto, puta catechumenorum vel chrismate ministratum fuerit, non cum oleo infirmorum.

b) Materia remota licita habetur, si:

Γ. Oleum sit benedictum *Fer. V. in Coena Domini* proxime superiore, neque adhibeantur vetera, nisi necessitas urgeat (can. 734 § 1.).

2°. Oleum ab Episcopo *dioecesano* debet esse benedictum, sine necessitate ergo non licet uti oleo alienae dioecesis (S. Olfic. 14. sept. 1842. et 12. ian. 1850).

2. De materia proxima Extremae Unctionis.

Materia proxima huius Sacramenti est applicatio olei, quod per se sumi potest ut *cibus,* et adhiberi potest qua *unctio* sive ut medicinalis, sive ut « cosmetica ». Applicatio vero ea instituta est per Christum, quae unctio est medicinalis, ut apparet ex epistola S. Jacobi.

a) *Materia proxima* ad validitatem *est unctio alicuius partis corporis,* quod demonstrat historia ritus huius Sacramenti.

1°. In *Ecclesia Graeca* iuxta Euchologium saec. IX-i ungi debent frons, dein aures et manus; Simeon Thessalonicensis rationem addit: ut mens sanctificetur, sensus gratia delineantur, manusque purificentur (PG 155,515 Kem p. 134). Schismatici hodierni ungunt frontem, faciem, pectus, et manus exterius et interius. Coptae vero solum frontem ungunt.

2°. In *Ecclesia Occidentali* ante saec. XVII. unctio quinque sensuum non erat in usu universali, etsi S. Thomas hoc putabat (a Illa unctio ab omnibus observatur, quae fit ad quinque sensus quasi de necessitate Sacramenti » Suppi, q. 32. a. 6.). — Sic in ritu *Mozarabico* praescriptum erat: « Ingrediens sacerdos ad infirmum, faciat ei signum crucis in capite de oleo benedicto... » (Liber ordinum saec. VII, MEL V, 71.). In ritu Franco-Romano vario modo fiebat, e.gr. in Sacramento Gregoriano edito a Ménard cruces faciebant « in collo ct in gutture et inter scapulas, et in pectore seu in loco, ubi plus dolor imminet » (PL 78,235). Ritualia Latina usque ad saec. XVI. varias partes corporis ungebant (Kern p. 137-139).

3°. *Lex hodierna* dicit: « In casu necessitatis sufficit unica unctio in uno sensu, seu rectius in fronte,... salva tamen manet obligatio singulas unctiones supplendi cessante periculo » (Rit. Rom. ed. 1952. tit. VI. cap. I, 20, similiter can. 947 § 1.).

b) *Materia proxima* ad liccitatem iuxta leges Ecclesiae quinque regulas habet in ritu Latino:

1°. Ungi debent *quinque sensus:* « Quinque corporis partes praecipuae ungi debent... nempe oculi, aures, nares, os ct manus, attamen etiam pedes ungendi sunt, sed pedum unctio ex qualibet rationabili causa omitti potest » (Rit. Rom. tit. VI. c. 15.), e.gr. si vulneratus sit, vel propter immunditiam pedum, secus sine causa ne omittatur, « Unctio renum semper omittatur » (can. 947 2. 3. et Rit. Rom.).

2'. Unctiones fiunt « extra^casum gravis necessitatis *ipsa ministri manu,* nulloque adhibito instrumento » (can. 947 § 4), puta penicillo, virgula etc. Talis necessitas potest esse morbus infectiosus.

3 . Unctio fiat pollice (dexterae manus) iuxta Rit. Rom. (c. 2,8), « *in modum crucis* ».

4°. *In paribus* organis *una forma fit unctio,* iuxta regulam generalem inci-

piendo a membro dextro infirmi: « Dum oculos, aures et alia corporis membra, quae paria sunt, sacerdos ungit, caveat, ne alterum ipsorum inungendo, Sacramenti formam prius absolvat, quam ambo huiusmodi paria membra perunxerit » (Rit. Rom. c. 1,17).

5°. *Si sensu aliquo careat* quis, ut caecus a nativitate, vel sit « aliquo membro mutilatus, pars loco illi proxima inungatur, eadem verborum forma » (Rit. Rom. ibid. n. 18).

3. De forma Extremae Unctionis.

a) Iuxta sensum verborum S. Jacobi forma huius Sacramenti est *essentialiter deprecativa;* « oratio fidei » hoc videtur inculcare, ut dicit S. Thomas: « Forma huius Sacramenti est oratio deprecativa, ut patet per verba Jacobi et ex usu Romanae ecclesiae, quae solum verbis deprecativis utitur in collatione huius Sacramenti » (Suppi, q. 29. a. 8.), similiter S. Albertus Magnus et Bonaventura.

1°. In *Oriente* semper utebantur forma deprecativa, inde vocatur Sacramentum « *Euchelaion* » i.e. « oleum orationis ». Oratio concomitans ritum in Ecclesia Graeca (Pater hagie iatre ton psychon kai sômatôn) est revera oratio deprecativa, quae iam saec. V-o in usu fuit, nam Jacobitae, Coptae et Armeni, iam ab hoc tempore ab Ecclesia divulsi eadem oratione utuntur.

2°. Etiam in *Occidente* tales orationes deprecativas adhibuerunt, vel formulas *optativas,* quae idem dicunt, e.gr. »... sit tibi haec perunctio olei sanctificationis ad purificationem mentis et corporis in vitam aeternam » (Ordo Rhemensis saec. X. Kern p. 147); talis est etiam forma hodierna inde a medio aevo usitata Ritualis Romani (« per istam sanctam unctionem suamque piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid per visum etc. deliquisti »).

b) Quia vero praesertim in Ecclesia Occidentali permultae *formae indicativae* in usu fuerunt, e.gr. in ecclesia Narbonensi s. XI. (« Accipe sanitatem corporis et remissionem peccatorum » Kern p. 148), iure dicitur, etiam hanc formam per se indicativam esse *virtualiter deprecativam,* nam in omnibus libris liturgicis inveniuntur orationes deprecativae praecedentes vel sequentes unctiones.

c) *Forma essentialis* unctionis in ritu Romano est ea. quae sufficit in casu necessitatis, quando solummodo frons vel sensus unicus inungitur, puta si cuius tantum manus adtingi potest sub ruina domus. Forma haec est: « *Per istam sanctam unctionem indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquisti. Amena.* Verba ergo « ...et suam piissimam misericordiam » *accidentalia* sunt, sed ut patet, sine gravi peccato non possent omitti, excepto casu gravis necessitatis, quando unica unctio fit. (Rit. Rom. tit. VI. c. 1, 20).

d) Si *pluribus simul* datur Extrema Unctio, *singillatim* dicenda est *oratio* « Extinguatur in te virtus diaboli... » cum manus impositione, et singillatim faciendae *singulae unctiones cum forma respectiva,* omnes aliae orationes praecedentes ct sequentes in numero plurali communiter sunt dicendae.

C) De efficientia Sacramenti Extremae Unctionis.

Hucusque tractavimus de compositione physica Extremae Unctionis, i.e. de materia ct forma huius Sacramenti, nunc autem consideranda venit eius

compositio metaphysica, i.e. Sacramenti signum positum cum suis effectibus. Sacramentum hoc venerandum, quando signum sacramentale positum est, i.e. unctio sacramentalis simul cum forma facta est, statim producit « rem et sacramentum »: infirmus unctus est medicinali unctione. Haec ares», i.e. effectus « Sacramenti tantum », hoc est signi sacramentalis positi, ulterius significat et efficit « ren tantum » Extremae Unctionis, i.e. cius effectus, haec « res tantum » est sanatio mentis et corporis. Sanatio mentis iuxta doctrinam Ecclesiae comprehendit dimissionem peccatorum adhuc expiandorum, abstersionem reliquiarum peccati, et alleviationem et confirmationem infirmi, dein per accidens sanationem interdum etiam corporis.

Efficientia ergo Unctionis hac Tabella conspici potest:

EXTREMAE UNCTIONIS:

» *Sacramentum tantum*: »	« *Res et sacramentum:* »	« *Res tantum:* »
Unctio olei una cum oratione fidei	Unctum esse medicinali unctione: i.e. sanatio mentis:	1. Dimissio peccatorum adhuc expiandorum. 2. Abstersio reliquiarum peccati. 3. Alleviatio et confirmatio infirmi.
	sanatio corporis:	4. Sanatio corporis (per accidens).

His dictis statuitur:

THESIS. Extrema Unctio sanat animam et corpus, quia (1) delicta adhuc expianda dimittit, (2) peccati reliquias abstergit, (3) aegrotum alleviat et confortat, (4) ct interdum sanat infirmum. Dc fide definita quoad singulos effectus.

Extrema Unctio sanat animam et corpus, etenim « unctio aptissime Spiritus Sancti gratiam, qua invisibiliter anima aegrotantis inungitur, repraesentat (sess. XIV. c. 1. Denz. 908). Quod unctio haec medicinalem indolem habeat tum Tridentino supponitur, tum clare etiam edicitur ab Eugenio IV.: « Effectus vero est mentis sanatio et, in quantum expedit, ipsius etiam corporis » (Decr. pro Armenis 1439. Denz. 700). Indoles haec sanativa huius Sacramenti extollitur *textibus liturgicis* Ecclesiae. Extrema Unctio enim est « refectio mentis ct corporis », est: « unguentum caelestis medicinae », « tutamen contra aegritudinem mentis ct corporis », (Pontif. Rom. in consecratione oleorum, eadem oratio iam in Gelasiano saec. VII., Wilson p. 70); item: curatio languorum... plena redditio sanitatis interius et exterius (Rit. Rom. tit. VI. c. 2,12).

Hoc « unctum esse medicinali unctione » ergo est « *res et sacramentum* », « res tantum » vero iuxta doctrinam Ecclesiae est: « Res etenim haec gratia est Spiritus Sancti, cuius unctio delicta, si quae sint adhuc expianda ac peccati reliquias abstergit, et aegroti animam alleviat et confirmat... et sanitatem corporis interdum, ubi saluti animae expedierit, consequitur » (sess. XIV. c. 2. Denz. 909). Qui effectus singillatim considerandi sunt.

Pars I. probatur: Remissio peccatorum.

a) Vox Ecclesiae.

Trid. loco supra cit. et Sess. XIV. can. 2. de extr. unet. « S.qu.d., sacrum infirmorum unctionem non conferre gratiam, nec *remittere peccata,* nec alleviare infirmos, sed iam cessasse, quasi olim tantum fuerit gratia curationum: a. sit » (Denz. 927). De fide ergo certum est, remissionem peccatorum esse effectum huius Sacramenti.

b) S. Scriptura

clare affirmat hanc veritatem: «et, si in peccatis sit, remittentur ei », loco classico huius Sacramenti. *Hamartia,* peccatum sine ulteriore additamento peccatum plerumque grave significat, remissio vero tribuitur Extremae Unctioni: oratio enim fidei cum simultanea unctione olei facit, quod « salvabitur » infirmus, « et alleviabit eum Dominus, et si in peccatis sit, remittentur ei ». Constructio haec grammatica clare significat. Unctionem efficere hanc remissionem.

c) S. Traditio

1°. numquam haesitavit hanc veritatem enuntiare. Sic S. *Chrysostomus* de sacerdotibus dicit, quod aegram et mox interituram animam saepe servant « neque enim tantum cum nos regenerant, sed etiam post regenerationem admissa peccata condonare pessunt. Nam: Infirmatur quis in vobis? advocet presbyteros etc. » (De sacerdotio 3,6 RJ n. 1120.). — *Arnobius lunior,* Gallicus versus 460 commentatus est Ps 22. eumque de Sacramentis Ecclesiae explicat dicens: « Quid nunc habeat Ecclesia intra se, videamus. Habet virgam, unde minatur poenitenti. Habet mensam, unde det panem credenti. Habet oleum, unde impinguet caput in libertatem conscientiae » (PL 53,354). « Libertas conscientiae obtinetur solummodo remissione peccatorum. S. *Caesarius Arelatensis* postquam textum Jacobi allegaverit, dicit: « Videte, fratres, quia qui in infirmitate ad ecclesiam succurrerit, *et* corporis sanitatem, *et* peccatorum indulgentiam meretur obtinere » (Horn 13. inter opera Augustini PL 39,2238).

2°. *Liturgiae* quoque clarissime enuntiant hunc effectum salutiferum Extremae Unctionis, sic e.gr. *Gelasianum* primigenium: « Benedictio olei ad populum his verbis: Istud oleum ad ungendos infirmos... Emitte quaesumus Domine, Spiritum Sanctum Paraclitum de caelis in hac pinguedine olei, quam de viridi ligno producere dignatus es, ad refectionem mentis et corporis... ad evacuandos omnes dolores, omnem infirmitatem, omnem aegritudinem mentis et corporis » (Wilson p. 70.). *Ordo* vero Edm. Martène VIII. sic habet: « Ungues eum oleo sancto et dices: Deus omnipotens. Pater DNJ Christi in virtute Spiritus Sancti, miserere huic famulo tuo et tribue ei remissionem omnium peccatorum et recuperationem ab imminenti aegritudine per hanc s. unctionem et nostram supplicem deprecationem » (Kern p. 146). Ipsa forma Sacramenti inde a saec. XVII. in Ecclesia Romana unice usitata praecise hunc effectum extollit, dicendo *a* Indulgent... quidquid deliquisti. Arnen ».

d) Quomodo hic effectus remissionis producatur.

Γ'. Extrema Unctio *per se non datur contra peccatum mortale,* est etenim Sacramentum vivorum et praesupponit vitam spiritualem animae, ut apposite

declarat S. Thomas: « ...sicut corporalis medicatio praesupponit corporalem v.tam in medicato, ita spiritualis spiritualem. Et ideo hoc Sacramentum non datur contra defectus quibus spiritualis vita tollitur, se. contra peccatum originale vel mortale » (Suppi, qu. 30. art. 1.).

2°. Peccata mortalia *ante susceptionem Extremae Unctionis delenda sunt per Sacramentum Poenitentiae,* quia hoc regula generalis est iuxta doctrinam Ecclesiae. Sic damnata est propositio 7. Wiclefii a Cone. Constantiensi: «Si homo fuerit debite contritus, omnis confessio exterior sibi superflua est et inutilis » (Denz. 587). Item *Tridentinum:* « Universa Ecclesia semper intellexit, institutam esse a Domino integram peccatorum confessionem, et omnibus post baptismum lapsis iure divino necessariam esse d (sess. XIV. c. 5. Denz. 899). Si vero aliquis non posset confiteri, puta quia loqui non potest, *per se* requiritur *contritio perfecta,* quia attritio per se solummodo ad Sacramentum Poenitentiae sufficit, Extrema Unctio enim supponit vitam spiritualem, i.e. statum gratiae. Bene ad hanc rem Suarez: « Secluso Sacramento Poenitentiae aut baptismi obligat naturale praeceptum contritionis, quia illud est per se medium necessarium ad remissionem peccatorum » (Disp. 41,1,19). Pro praxi supposito casu defectionis loquelae *et* simul pleno usu rationis penes infirmum, etiam attritio sufficit: sacerdos enim infirmum, qui non potest loqui et attritionem habet, prius absolvit et sic procuratur status gratiae per Sacramentum Poenitentiae.

3°. A *contritione perfecta excusatus* esse potest infirmus ob impotentiam physicam (puta si non sit rationis compos, vel adeo laborat aegritudine, ut non esset habilis ad contritionem), vel ob ignorantiam (puta si nesciret necessariam esse contritionem, vel: si oblitus esset peccati alicuius gravis vel: si falso censeret se esse contritum): in his casibus sufficiens est *attritio habitualis.* Praecise in hoc consistit magnum momentum Extremae Unctionis, attritio enim habitualis non sufficit ad Sacramentum Poenitentiae, sufficit autem ad Extremam Unctionem, (piae in casu attritionis habitualis delet peccata mortalia. Attritio actualis, saltem moraliter perdurans requiritur ad Poenitentiam, quia est pars materialis huius Sacramenti, ad Extremam Unctionem vero actualis attritio ideo non requiritur, quia attritio non est pars eius, sed dispositio requisita. Attritio autem habitualis tunc adest, si *post ultimum peccatum mortale habita fuit attritio, et non fuit revocata* per novum peccatum mortale, sic si e.gr. quis graviter peccans postea atteritur timens poenas gehennae, postea autem de novo non peccavit, infortuniumque passus sensibus destituitur: habet attritionem habitualem et si ungitur Sacramento, justificatur, Extrema enim Unctio in hoc casu delet mortalia. Fontes enim revelationis indefinite attribuunt Unctioni effectum remissionis peccatorum, *atqui aliquoties* hic effectus debet verificari. Non in omni casu ut patet, Extrema enim Unctio Sacramentum est vivorum ideoque debet in statu gratiae recipi, sed *si unquam* producat effectum remissionis peccatorum, tunc hunc producit si aegrotus non potest confiteri, vel contritionem perfectam elicere. (Cf. J. Miller. Pastoral u. Strassenunfàlle, Anima 1958, 225-232).

Pars II. probatur: abstersio reliquiarum peccati.

a) Vox Ecclesiae.

Trid. sess. XIV. c. 2: « Unctio... peccati reliquias abstergit » (Denz. 909). Quid hoc sit. propius explicat Catcch. Rom.: « Animam a languore et infirmi-

tate, quam ex peccatis contraxit, et a ceteris omnibus peccati reliquiis liberat » (Pars II. 6,14).

b) Quid intelligi debet sub « peccatorum reliquiis »?

1°. *Non* sunt peccatorum reliquiae ipsae *culpae,* peccata seu reatus culpae, peccata enirn contradistinguuntur a reliquiis. Nec sunt « *vitiosi habitus* male vivendo comparati », si bibulus accepit remissionem peccatorum gravium, vel luxuriosus, tamen remanent in eis habitus per longum exercitium bibendi vel luxuriae contracti. Hos habitus pravos Tridentinum iterum contradistinguit a reliquiis peccatorum (sess. XIV. c. 8. de poenit. Denz. 904.), non possunt ergo comprehendi in « reliquiis peccatorum », etsi non desint, qui hoc faciant.

2°. Reliquiae peccatorum iuxta communem sensum theologorum omnino comprehendunt « quamdam *spiritualem debilitatem* in ipsa mente existentem » (Suppi, q. 30. a. 1. ad 2.). Rationem autem dat idem Doctor Communis: « Remissa culpa remanent dispositiones ex praecedentibus actibus causatae, quae dicuntur peccatorum reliquiae... et hoc magis per modum dispositionum, quam per modum habituum » (III q. 86. a. 5.). Extrema Unctio ergo hanc debilitatem, ineptitudinem ad actus moraliter bonos sanat; non fertur in ipsos habitus pravos acquisitos per multos actus peccatorum, sed infirmitatem spiritualem exinde provenientem medetur, ut anima vigorem et maiorem facilitatem accipiat ad actus vitae supernaturalis ponendos. Effectus ergo hic est gratia sacrarnentalis, seu huic Sacramento proprius: et habetur in ipsa gratia habituali, data per unctionem, quae specialem vigorem habet ad hoc auxilium divinum conferendum. Sed multi adhuc aliquid aliud quoque intelligunt sub reliquiis peccatorum, nempe:

3°. *Deletionem reatus poenae temporalis.* Theologi in hac re non consentiunt, sunt qui negant, reatum poenae temporalis comprehendi sub reliquiis peccatorum (sic Billot, Van Noort, Lercher, Schütz, Diekamp); alii vero affirmant ad reliquias peccatorum pertinere etiam deletionem reatus poenae temporalis (sic Mazzella, Schmaus, Tepe, Mannens, Pohle, Pesch etc.). Non multum refert, num deletio poenarum temporalium ad peccati reliquias pertineat necne, omnes enim theologi tractant quaestionem, num etiam poenae temporales per hoc Sacramentum deleantur, et si ita: num totaliter omnes poenae temporales abstergantur. Omnes consentiunt in eo, quod pars poenarum temporalium per hoc Sacramentum remittitur, sunt autem qui dicunt, quod omnes poenae temporales per hoc Sacramentum delentur. Assertionem ergo probabilem possumus statuere:

c) Extrema Unctio omnes poenas temporales delet, finis enim cius est praeparatio ad immediatum introitum gloriae, finis vero hic obtinetur solummodo, si ad hoc dispositus sit.

1'. Hanc sententiam probabilem nostris temporibus *Jos. Kern S.J.* praecipue defendit, cui strenue contradicit Doronzo (II, 161-192), affirmans poenam temporalem partialiter et mediate remitti. At sententia Kern recte debet intelligi: haec deletio omnium poenarum temporalium per Extremam Unctionem *condicionata est,* dependet enim a dispositione infirmi, qui ad illum effectum obtinendum serie cooperari debet cum gratia sacramentali, quod in baptismo non requiritur (sic ipse Kern p. 107 et p. 189-191). Haec conditio sequitur a. *ex lege generali distributionis gratiae,* si enim non adest

necessaria *dispositio* pro remissione omnium peccatorum venialium, non potest tota poena temporalis remitti; dein adesse debet *cooperatio* cum gratiis quas ex hoc Sacramento percipit; item in eo *stata* debet suscipere Sacramentum, quo cum his gratiis sibi oblatis adhuc cooperari potest, ergo debet esse compos sensibus inquantum ei adhuc necessaria est haec cooperatio. — b. Etiam *sensus catholicus* requirit, quod non omnes indeterminate recipiant remissionem omnium poenarum temporalium: nemo enim catholicus sibi persuadebit, eum quoque necessario consequi debere remissionem omnium poenarum temporalium qui post vitam longissimam in peccatis peractam in articulo mortis per S. Unctionem cum attritione iustificatus statim post receptionem Sacramenti mortuus est. — c. Post susceptionem Unctionis omnes recipiunt *Benedictionem Aposfolicam* in articulo mortis, cum qua indulgentia plenaria coniuncta est, vix possibile esset haec concessio Ecclesiae, si Unctio semper, sine conditione de qua sermo est, remitteret omnes poenas temporales. Benedictio haec Apostolica quidem non est unicum remedium omnes poenas temporales tollendi, hoc enim nullibi dicitur, insuper dari potest etiam tunc, si mors secutura praevidetur non ex morbo. — d. Demum *Missa et suffragia* semper pro omnibus offeruntur defunctis, etsi muniti sint praesidio Extremae Unctionis, quod evidenter supponit possibilitatem frustrationis huius effecti sacramentalis, remissionem nempe plenam poenarum temporalium.

2 . Hac vero conditione supposita tuto tenere possumus s. Unctionem tendere ad plenam *remissionem omnium poenarum temporalium.*

a. *Textus liturgici* hoc videntur commendare, sic in Ecclesia Orientali oratio Euchelaei (=olei orationis): « Fiat, Domine, oleum hoc oleum exaltationis... ut et in hoc uncti fiant regenerationis oleo adversariis tremendi, et in sanctorum splendoribus effulgeant non habentes maculam aut rugam, et in aeternum requiem admittantur et supernae vocationis praemium percipiant » (ed. Romana 1873 p. 189). Oleum ergo Unctionis simili modo operatur ac baptismus: sic regenerat, ut Sanctorum sortis participes esse possint. *Ordines Latini* saec. VII-XI. celebrant oleum Unctionis, per quod infirmus perfecte sanatur, ita, ut ex hac vita ad aeternam possit transmigrare, sic e.gr. « Deus... da huic famulo tuo plenam indulgentiae tuae veniam et poenitentiae loco exoratus indulge: ut qui praeterita peccata deplorat, futura mala non sentiat n, vel alius Ordo: « Ipse Dominus per omnia sanctificet te in perfectum, ut integer spiritus tuus et anima et corpus sine querela in adventu Jesu Christi servetur n, item alius: « ...non tantum ei noceat conscientiae reatus ad poenam quantum prosit indulgentia et reconciliatio pietatis tuae atque remissionis ad veniam » (Kem p. 87-88).

b. Similiter *Patres* sat clare loquuntur de hoc effectu remissionis plenae poenarum per Unctionem. S. *Augustinus* e.gr. dicit: « Oleum consolatio spei bonae propter indulgentiam datam ad remissionem peccatorum » (PL 35,1340), ubi evidenter alludit ad analogiam reconciliationis peccatorum in Poenitentia, termini technici « indulgentia » et « pax n hoc ostendunt, sed in hac reconciliatione poenitentiali omnes poenae ecclesiasticae cessabant. — *Auctor operis De promissionibus et praedictionibus Dei* », forsitan Prosper Africanus conjungit introitum in caelum cum unctione olei: « Anima... olei unctione munita secura expectans gratam pluviam, cum ei dixerit Dominus: Euge serve bone et fidelis, quoniam in modico fuisti fidelis, intra in gaudium Domini tui » PL 51 803). — *Procopius,* episcopus Gazae in Palaestina, affirmat: « Oleum

typus est laetitiae, quam ex divina haurimus spe... signum est citi et expediti alacrisque ad Deum accessus, nam facies exhilaratur per oleum » (PG 87,702). Poenitentiale *Egberti Eboracensis* nomine cognitus e saec. IX. de Extrema Unctione dicit: « Hanc unctionem quilibet fidelis acquirere sibi debet, si possit... quoniam scriptum est, quod quicunque hanc disciplinam habuerit, anima eius aeque pura sit post obitum ac infantis, qui statim post baptisma moritur » (PL 89,416).

c. *Magni Scholastici* saepius enuntiant finem Unctionis esse immediatum introitum in regnum caelorum. S. *Albertus Magnus* dicit: « Purgatio reliquiarum, secundum quod sunt impedimenta immediatae evolationis et glorificationis corporis, est effectus substantialis istius Sacramenti » (In IV Sent. dist. 1. a. 9). S. *Bonaoentura* vero: « Confirmatio et Unctio ubi significatur gratia Spiritus Sancti, secundum quam inungitur quis in pugilem, ut pro Christo audeat mori (hoc dicit de Confirmatione) et in regem (hoc dicit de Extrema Unctione), ut in regnum caelorum possit introire tamquam in suum » (In IV Sent. dist. 23. a. 1. qu. 2).

d. S. *Thomas* clare docet omnes poenas remitti per Unctionem ita ut pateat immediatus introitus ad gloriam, etsi semel etiam dicit, quod Unctio « reatum poenae temporalis *diminuit* » (Suppi, q. 30. a. 1.), quo nihil aliud vult asserere, quam conditionem supra iam explicatam (sic Diekamp IV, 378). Ceterum doctrina eius clara est. Dicit enim sequentia: (1) « Hoc Sacramentum *immediate ad gloriam* disponit, cum exeuntibus a corpore detur » (Suppi, qu. 29. a. 1. ad 2.). — (2) « Hoc Sacramentum est *ultimum remedium,* quod Ecclesia potest conferre, quasi immediate disponens ad gloriam » (ib. q. 32 a. 2.). — (3) « In extrema unctione confertur *perfecta sanitas spiritualis* quae provenit ex virtute Christi », et hoc Sacramentum enumerat inter tria, « in quibus confertur excellens gratia, quae superabundat omnem facultatem humani generis » (III q. 84 a. 1 ad 1.). — (4) Qualis sit haec spiritualis sanitas, declarat propius: « Spiritualis sanitas quae in fine adhibetur, debet esse *perfecta,* quia post eam alia non relinquitur » (Suppi, q. 29 a. 4.). — (5) Quid demum liberationis afferat Extrema Unctio, sic enuntiat: « Per hoc Sacramentum praedicta curatio (loquitur de poena temporali) completur et a *reatu poenae temporalis liberatur,* ut sic nihil in eo remaneat, quod in exitu animae a corpore eam possit a perceptione gloriae impedire... Unde manifestum est, quod hoc Sacramentum est ultimum et quodammodo consummativum totius spiritualis curationis, quo homo quasi ad participandam gloriam praeparatur » (C. Gent. IV. c. 73).

Pars III. probatur: Alleviatio et confirmatio animae.

a) Vox Ecclesiae.

Tridentinum fuse explicat hunc effectum principalem sess. XXIV. in Prooemio Extr. Unet.: « Etsi adversarius noster occasiones per omnem vitam quaerat et captet, ut devorare animas nostra quoquo modo possit: nullum tamen tempus est, que vehementius ille omnes suas versutiae nervos intendat ad perdendos nos penitus et a fiducia etiam si possit, divinae misericordiae deturbandos, quam cum impendere nobis exitum vitae perspicit » (Denz. 907). Ideo extremae unctionis effectus est iuxta c. 2. eiusdem Concilii: « Aegroti animam alleviat et confirmat, magnam in eo divinae misericordiae fiduciam excitando qua infirmus sublevatus *et* morbi incommoda ac labores levius fert, *et* tentationibus daemonis calcaneo insidiantis facilius resistit » (Denz. 909).

b) Alleviatio.

Gratia sacramcntalis Unctionis ergo animam aegroti *alleviat,* ut S. Jacobus dicit: „egcrei=erigct eum", aegrotus enim morbo periculoso decumbens saepe non solum corporaliter, sed etiam psychice valde affligitur: erigi ergo debet, ne succumbat. Ideo extollunt Patres hunc effectum, e.gr. S. *Euthymius:* « Erat autem signum hilaritatis corporis et alacritatis animae. Unctum oleum et iflictionem mitigat et luminis causa est, atque hilaritatem excitat et aegritudinis salutem ac cordis illuminationem » (In textum S. Marci PG 129,807). *Maximus* vero *Taurinensis:* « Olei fructus sunt laetitia, pax, dulcedo, mentis serenitas, quae ut oleum superfertur et supereminet », nempe ut oleum superfertur aquis, sic unctus hoc Sacramento superfertur afflictionibus et tentationibns, in S. Scripturis saepe aquis comparatis (Expos, de evang. 3. PL 57,811).

c) Confortatio.

Anima aegroti *confirmatur, seu confortatur* Unctione, praesertim contra tentationes et *infestationes daemonis,* qui « cum impendere nobis exitum vitae perspicit... omnes suae versutiae nervos intendat » (Trid. Prooemium). *Fulgentius Ruspensis* ideo sic celebrat hanc confortationem Unctionis: « Quid autem debemus intelligere, impinguatum in oleo caput, nisi mentem dono S. Spiritus *roboratam?* Olei enim huius praeclara pinguedo spiritualis est gratiae inseparabilis *fortitudo* » (Ep. 14,42 PL 65,430). *Liturgia* vero enuntiat in Ordine XI. Martène (saec. X.): « Deprecamur clementiam tuam... ut percepta divinae unctionis sospitate cunctas insidiatoris mortiferi machinationum fraudes invicta virtutis tuae potentia valeat superare „ (Kern p. 146 s.) *Sacramentarium vero Gregorianum* a Ménard editum: « Inungo te de oleo sancto... ut non lateat in te spiritus immundus, neque in membris, neque in ulla compagine membrorum, sed in te habitet virtus Christi altissimi, et Spiritus Sancti, quatenus per huius operationem mvsterii... pristinam et immelioratam recipere mereris sanitatem » (PL 78, 235).

d) Fiducia.

Unctio sacra demum „ *divinae misericordiae fiduciam excitat* » (Trid.), experientia enim docet, aegrotum vehementer tentari saepenumero contra spem, ut optime describitur a S. *Gregorio Magno.* « Saepe electis etiam nolentibus in cogitatione subrepitur, quod in se quidem sollerter inspiciunt et ante Dei oculos, (pianti sit reatus, attendunt et cum de his omnibus semper indicia districta pertimescant, tunc tamen haec vehementer metuunt, cum ad solvendum humanae conditionis debitum venientes districto Indici appropinquare se cernunt » (Moral. 24, 11 LP 76, 305). Ideo ministri Ecclesiae « morbidos olei liquore tangentes, Dei postulant misericordiam pietatis » (Liber Ordinum XXV, MEL V, 72), sicque — ut Procopius de Gaza dicit — « oleum typus fit laetitiae, quam ex divina haurimus spe » (In Levit. 29, 31 PG 87, 702).

Pars IV. probatur: sanatio interdum corporis.

a) Vox Ecclesiae.

Trident sess. XIV. c. 2.: « Aegroti animam alleviat et confirmat... et sanitatem corporis interdum, ubi saluti animae expedierit, consequitur » (Denz 909).

b) S. Scriptura

oblique tantum hunc effectum comprehendit. « Sôsei ton kamnonta » — sanabit infirmum. « Kamnôn » significat afflictum spiritu, in hoc casu agitur de infirmo decumbente, afflictio ergo spiritus procedit etiam e morbo periculoso. « Sosei » significat vi etymologiae ⁊ sanum facere, salvare », et potest tum spiritualiter, tum corporaliter intclligi. Quia vero S. Jacobus absolute promittit salvationem, effatum hoc *primario* non potest de salvatione seu sanatione corporali intelligi: tunc enim semper omnes sanarentur, qui Sacramentum hoc suscipiunt, significat ergo primario sanationem spiritualem. *Secundario* autem significare potest e contextu — ubi nempe de fatiscente agitur — etiam sanationem corporalem, quae ergo solummodo conditionata est. Conditio autem invenitur in ordine corporis et animae iuxta quem anima praeponi debet corpori: si ergo animae prosit haec sanatio corporis, tunc fieri potest, utique sine miraculo, ideoque Sacramentum suscipi debet, quando adhuc rationabilis spes affulgeat sanationis.

c) S. Traditio

saepenumero loquitur de hac sanatione corporis. Sic S. *Chrysostomus* loquens de dignitate domus Ecclesiae, eam comparat domui privatae et alludit ad lampadem olei sancti (kandêla tou euchelaiou), in qua asservabatur eius tempore oleum ad unctionem infirmorum. « Dignior haec domus est... Quid enim hic non magnum, non tremendum est? Sic quidem haec mensa longe honorabilior et suavior est quam tua et lucerna quam lucerna tua. Id vero sciunt, quotquot cum fide tempestive oleo uncti, a morbis liberati sunt » (Hom. 32. in Mt PG 57, 384, cf. Kern p. 29-32).

Liturgiae quoque multoties celebrant sanationem corporis per hoc Sacramentum. E. gr. Graeci deprecantur in oratione Euchelaei, ut Pater caelestis, medicus animarum et corporum per Jesum Christum « sanet hunc servum e morbo spirituali et corporali, eum in potestate sua detinente ». Pontificale Narbonense saec. XI. forma sua hoc enuntiat: « In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti regnantis in saecula saeculorum. Arnen. Accipe sanitatem corporis et remissionem omnium peccatorum » (Kern p. 148). Sufficiat adhuc allegare *Rituale Romanum,* quod in tertia oratione post unctiones explicite sanitatem corporis efflagitat a Deo: « ...ut famulum tuum ab aegritudine liberatum et sanitate donatum, dextera tua erigas, virtute confirmes, potestate tuearis, atque Ecclesiae tuae sanctae cum omni desiderata prosperitate restituas ».

d) Cur sit sanatio corporis conditionata,

S. Thomas sic explicat: « Extrema Unctio non facit corporalem sanationem ex proprietate naturali materiae, sed ex virtute divina, quae rationabiliter operatur. Et quia ratio operans nunquam inducit secundarium effectum, nisi secundum quod expedit ad principalem, ideo ex hoc Sacramento non semper sequitur coqioralis sanatio, sed quando expedit ad spiritualem sanationem » (Supp. q. 30 a. 2.).

e) Quomodo producatur hic effectus,

item Doctor Communis nobis declarat: « Conveniens fuit, ut contra peccatum aliqua spiritualis medicina adhiberetur, secundum quod ex peccato deri-

vatur infirmitas corporalis, per quam spiritualem medicinam sanatur infirmitas corporalis aliquando, quum sc. expedit ad salutem, et ad hoc ordinatum est Sacramentum extremae unctionis » (Contra Gent. IV 73).

Litteratura.

J. Schmitz, De effectibus Extremae Unctionis, Friburgi Brisg. 1893. — A. *Baumeister,* Der sakramentale effectus principalis und der finis Sacramenti bei der Ictzlen Oelung, in: Theol. Quartalschr. 1909, 106. — *G. v. Holtum,* Die Wirkungen der letzten Oelung, in: Tlieol.-prakt. Monatsschrift 1917, 247.459. — D. *Barry,* The effects of Extreme Untion, St. Be'.larmins view, in: Irish Ecclesiastical Record 1931, 64-78. — *F. M. Cappello,* Tract, can.-mor. de Sacramentis III. 2. cd. Taurini 1942, 93-151. — *A. Verhamme,* De effectibus sacramenti Extremae Unctionis, in: Coll. Brug. 1950, 15-23. 100-107. — *E. Walter,* Die Herrlichkcit des christ!. Sterbcns. Die heilige Oelung als letzte Vollendung der Taufherrlichkcit, 5. cd. Freib. i. Br. 1950. — E. *van Loock,* De effectibus sacramenti extremae unctionis, in: Collectanea Mechlin. 1951, 603-607. — G. *Koerperich,* Extrême-Onction et guérison corporelle, in: Rev. diocés. Namur 1952, 81-88. — *P. de Letter,* Extreme Unction and the Power of the Keys, in: Irish Theol. Quarterly 1953, 76-82. — *E. DorOnzo,* Tract, dogm. de extrema unctione II. Milwaukee 1955, 1-279. — Z. *Alszeghy,* L'effetto corporale dell'estrema unzione, in: Gregor. 1957, 385-407.

D) De personis sacramentalibus Extremae Unctionis.

Sicut solitum est, tractamus 1. De subiecto Extremae Unctionis, dein 2. De ministro Extremae Unctionis.

1. De subiecto Extremae Unctionis.

Subiectum Extremae Unctionis est: « *fidelis, qui post adeptum usum rationis ob infirmitatem vel senium in periculo mortis versetur* » (can. 940 § 1.).

Agendum ergo est a) de fideli qui subiectum esse potest, b) de usu rationis ad hoc Sacramentum necessario, c) de periculo mortis ob infirmitatem vel senium, d) de iteratione huius Sacramenti, e) de necessitate Extremae Unctionis.

a) De subiecto fideli.

1°. Pronum est, tantum baptizatum baptismo fluminis posse suscipere Extremam Unctionem, nam baptismus est ianua ceterorum Sacramentorum. *Recens baptizatus* vero subiectum capax est huius Sacramenti, etsi non omnes effectus possit consequi, ut deletionem reliquiarum peccati, quippe quae iam deletae sunt, sed particeps potest eses aliorum effectuum, ut sunt augmentum gratiae, confortatio ct alleviatio, item consecutio conditionata sanitatis corporalis. Ideo adultus baptizatus in gravi morbo periculum mortis afferente, post baptismum potest statim Extremae Unctionis particeps fieri.

2'. Inter fideles potest connumerari *schismaticus,* qui bona fide est et sensibus iam destitutus, a. Iuxta S. Officium enim schismaticis in mortis articulo *sensibus destitutis* absolutio et Extrema Unctio conferri potest sub conditione, « praesertim, si ex adiunctis conficere liceat, eos implicite saltem errores suos reficere, remoto tamen efficaciter scandalo, manifestando sc. adstantibus, Ecclesiam supponere, eos in ultimo momento ad unitatem rediisse » (Resp. 17. maii 1916. Denz 2181 a.). — b. Schismaticis adnumerant auctores etiam *alios acatholicos* Vermeersch-Crcuscn n. ISO., Noldin-IIeinzel n. 297, Aertnys-Damen n 〉S? i, Merkelbach hoc negat de talibus haereticis qui Sacr. Poenitentiae et

Unctionis non admittunt (n. 653). — c. Schismaticis etc. autem in mortis articulo constitutis et sensibus *non destitutis* qui materiales et *bona fide* petunt absolvi vel ungi, Poenitentia et Unctio conferri possunt solummodo, si « meliori quo fieri possit modo errores rejiciant et professionem fidei faciant » (Decr. cit). Quod sic potest fieri: « Sacerdos interroget eum, num velit ab eo iuvari in assequenda vita aeterna, quam Jesus Christus promisit, et num omnia servare velit, quae a Christo in hunc finem ordinata sunt. Tunc eliciat cum eo actus fidei, spei, caritatis, contritionis perfectae et moveat eum, ut se declaret peccatorem, qui a Deo petit remissionem peccatorum. His praemissis eum clam sub condicione absolvere poterit ». (Noldin- Heinzel n. 297.). Obligatio iustitiae non incumbit animarum curatoribus, sed ex caritate obligari possunt, relate ed ea media, quibus moribundi acatholici certo sublevari possint, nam « Ordinarii locorum et parochi acatholicos, in suis dioecesibus et paroeciis degentes, commendatos sibi in Domino habeant » (can. 1350 § 1.). — d. *Extra periculum vero mortis* Extrema Unctio nemini conferri potest; nec absolutio dari potest acatholicis etsi materialibus et bona fide petentibus, quia « vetitum est Sacramenta Ecclesiae ministrare haereticis aut schismaticis, etiam bona fide petentibus, nisi prius, erroribus reiectis, Ecclesiae reconciliati fuerint » (can. 731 § 2.). — e. In omnibus vero his casibus delicatis prae oculis habendum est *monitum Ecclesiae:* « Semper curandum est, ut scandalum vel suspicio interconfessionalismi evitentur », et, « quo minus autem periculum est in mora, eo magis explicita retractatio errorum et fidei catholicae professio exigi debet ». (S. Off. 15. nov. 1941. — K.Grosam, Th. p. Qu. Schr. 1916, 692, Van Acken *ib.* 1926, 40-46, J. Miller Anima 1958, 230-2).

b) De usu rationis ad hoc Sacramentum necessario.

1°. Usus rationis eo sensu solummodo necessarius est ut suscipiens Unctionem *eum iam adeptus sit.* Non potest ergo hoc Sacramentum dari pueris, qui nondum consecuti sint usum rationis. Ratio vero est, quod Scriptura supponat usum rationis, nam infirmus ipse petere debet hoc Sacramentum: « r\dvocet presbyteros Ecclesiae... » Infans enim et perpetuo amens, infantibus comparandus, non indigent, ut eis deleantur reliquiae peccatorum, nam talia non habent; nec indigent confortatione ct alleviatione, cum ob carentem usum rationis non sunt expositi incursionibus diabolicis et naturae lapsae. Effectum quidem consequi possint corporalis curationis, sed hic effectus mediatus videtur esse, resultans ex alleviatione infirmi.

2°. *Pueris* vero, *qui iam usum rationis adepti sunt,* omnino danda est Extrema Unctio, etsi nondum S. Eucharistiam recepissent (seu nondum fecerunt « primam communionem »). Sanctus Pius X. decreto « Quam singulari » (8. aug. 1910.) strictam legem tulit: « Detestabilis omnino est abusus non ministrandi Viaticum et Extremam Unctionem pueris post usum rationis eosque sepeliendi ritu parvulorum. In eos, qui ab huiusmodi more non recedant. Ordinarii locorum severe animadvertant » (η. VIII. Denz 2144., totum textum cf. A. Bugnini, Documenta Pontificia ad instaurationem liturgicam spectantia 1903-1953, 41-46). Aetas vero, quando pueri usum rationis adepti sint, est « *aetas discretionis* », in qua puer incipit ratiocinari, hoc est circa septimum annum, sive supra, sive *etiam infra* » (Quam singulari n. 1.). Pueris usum rationis assecutis assimilandi sunt *amentes,* qui lucida habent intervalla, vel qui antea usum habuerint rationis: talibus Extrema Unctio ministranda est.

3°. Infirmis qui sensibus destituti sunt, i. e. *actu non fruuntur usu rationis,* Extrema Unctio omnino ministranda est iuxta legem Ecclesiae: « Infirmis autem qui, cum suae mentis compotes essent illud saltem implicite petierunt aut verisimiliter petiissent, etiamsi deinde sensus vel usum rationis amiserint, nihilominus *absolute* praebeatur » Extrema Unctio (can. 943.). Implicite petivit vel verisimiliter petivisset omnis christianus, qui christiano more vult mori.

4°. *In dubio* autem valet praescriptum: « Quando dubitatur num infirmus usum rationis attigerit, num in periculo mortis reipsa versetur, vel num mortuus sit, hoc Sacramentum ministretur *sub conditione* n (can. 941.). Ut iam dictum est, conditio apponatur: «Si capax es n vel: «Si valet n, ut Extrema Unctio valide conferatur, etsi tunc nondum dispositus esset infirmus, nam si post susceptionem Sacramenti dispositionem procuraret, Sacramentum eum etiam cum sola attritione iustificaret.

c) Dc periculo mortis ob infirmitatem vel senium.

1°. Extremam Unctionem solummodo *infirmus* potest suscipere, *qui in periculo mortis versatur.* Nullus alius, etsi mors certo immineat, potest recipere hoc Sacramentum: nec milites ante vel durante praelio, cives incursiones hostiles vel aereas sustinentes, nec ad mortem condemnati.

2°. *Periculum mortis* proveniens ex infirmitate diiudicari debet tum objective, tum subjective. *Obiective* periculum mortis dependet a natura morbi, iuxta « mortalitatem » seu probabilitatem mortis per experientiam statistice compertam. *Subiective* vero periculum mortis perpendendum est *iuxta duo momenta. Primo* periculum mortis dependet etiam in infirmitate quae per se non esset letalis, a *statu praesenti generali* infirmi. Si infirmus in statu *inanitionis* (Entkriiftung, inanition, elerôtlenedés) versatur, e. gr. stenosi pylori (Verengerung der abfiihrenden Offnung des Magens, gyomorvégnyilAsszükület) laborat, vel post morbum diuturnum starvatione (Ausgehungertsein, état d'affamation extrême, kiéhczcttség) affectus est, periculum mortis habetur, etsi iam infirmitas per se non esset letalis. *Secundo* mortis periculum dependet *a statu circulationis sanguinis,* infirmus ergo inungendus est Sacramento, qui disturbationes patitur cardiales, ut aegrotus laesione laborans myocardii in statu decompensationis (Hcrzmuskelschadigung bei Tatigkeitsinsuffizienz, lésion myocardiale avec insuffisance de la fonction, elégtelenséggel parosult szivizombantalom), vel qui trauma (infortunium, explosionem) passus est. *Notandum* vero, ministrum Sacramentorum non debere anxium haerere in diiudicando periculo mortis ex infirmitate proveniente, Sacramenta sunt propter homines, ideo in casu dubii suh conditione debet ministrare Extremam Unctionem.

Duo speciales casus diiudicandi sunt:

3°. Periculum mortis *ante operationes chirurgicas* per se non semper adest, ideo tunc tantum *ante* operationem inungi potest infirmus, si etiam sine operatione in periculo mortis versetur. Sic Extremam Unctionem non potest recipere. qui operationi subiieitur *ex appendicite* chronica (chronische Wurmfortsatzentzündung, appendicite cronica, idült vakbélgyulladâs), nec infirmus, qui mle operationem narcosi subiieitur. nam nec simplex operatio, nec narcosis *per* ve constituunt mortis periculum. Pronum est, Unctionem debere ministrari, si *durante* operatione infirmus seu e narcosi seu ex operatione in periculum mortis inciderit, quod haud raro contingere potest. Similiter indicandum est de opera-

tionibus « *plasticis* » seu « *cosmeticis* n. Si vero status infirmi talis sit, ut sine operatione mors certa vel probabilis esset, potest inungi ante operationem, sic e. gr. etiam in appendicite acuta, (piando iam appendix seu « processus vermiformis » perforatus sit, vel iam peritonitis (Bauchfellentziindung, hashArtyagyulladas) habeatur.

4°. Periculum mortis in *casu partus difficilis* diiudicari debet etiam in partu « pathologico » iuxta statum mulieris praegnantis. Si ceteroquin sana sit, et communibus doloribus partus laboret, etsi partus primus sit, non potest recipere Extremam Unctionem *ante* partum. *Durante* partu, vel *post* partum facile accidere potest, ut in periculum mortis incidat: tunc Sacramentum recipere potest. *Etiam ante partum* inungi potest mulier praegnans, si *alius adesset* morbus, qui propter partum periculum mortis afferat, sic e. gr. si gravida laboraret morbo renum nephrosi (Nierenentartung, veseelfajulas), nephriti (Nierenentzündung, Bright's desease, vesegyulladâs) vel intoxicatione gravidarum (Vergiftung durch schadliche Stoffwechselprodukte wahrend der Schvvangerschaft, altalânos terhessegi mérgezés), phtisi seu tuberculosi, morbis gravioribus cordis etc.

5°. *Senium seu senectus* « ipsa est morbus », ut vetus adagium dicit; ideo senes per se inungi possunt. Senectus iuridice computatur ab anno sexagesimo incepto, sed patet, in re sacramentaria non sic dimetiendam esse senectutem. Intelligitur senectus decrepita, quae organa corporis labefactat; quaenam vero talis habenda sit, pendet a constitutione physica cuiusvis hominis (Coronata n. 550, 5).

d) De iteratione Extremae Unctionis.

CIC dirimit quaestionem de iterabilitate Extremae Unctionis durante eodem mortis periculo. Fuerunt enim usque ad J. Kern, indagatorem optime meritum huius Sacramenti, qui opinabantur, Extremam Unctionem spectato eius valore in eadem infirmitate, etiam manente eodem mortis periculo saepius conferri posse (p. 331-363). Omnino certum est, quod antiquitus per saecula in aliquibus partibus Ecclesiae Ocidentalis viguit praxis Extremam Unctionem septies per septem continuos dies ministrare, in Ecclesia Graeca vero viguit et adhuc viget consuetudo, ut totum Sacramentum deinceps continenter septem presbyteri administrent, ergo eodem die, sed septies. At putandum est Extremam Unctionem tali modo septies collatum fuisse moraliter unum Sacramentum, sicut unica unctio iam sufficit ad praestandum gratiam huius Sacramenti, et tamen pluribus unctionibus ministratur. Quidquid sit de hac quaestione, nunc certa habenda est decisio Ecclesiae:

« *In eadem infirmitate hoc Sacramentum iterari non potest, nisi infirmus post susceptam unctionem concaluerit, et in aliud vitae discrimen inciderit* » (Can. 940. § 2.). Similiter Trid. (Denz. 910), quin tamen peremptorium esset.

1°. *Aliud, vitae discrimen certo* habetur, si in certis quibusdam morbis, ut in phthisi (tuberculosi), in morbis cardiacis, in morbis e tumoribus malignis oriundis, ut carcinoma (bosartige Geschwülste z. B. Krebs; tumeurs malignes; malignants tumors; cancer; rosszindulatu daganatok, pl. rak stb.), in leucaemia « *relapsus* » habeatur, i. e. si superato periculo vitae, infirmus post melioration nem morbi iterum inciderit in statum periculum mortis afferentem. Pneumonia per se nunc iam non constituit periculum mortis, nisi ruri, ubi difficilius medicamenta habeantur, vel si medicus tardive vocetur. Item procul dubio novum

habetur discrimen vitae, si infirmus incidit in « complicationem », e. gr. emboliam pulmonum, apoplexiam (Gehirnschlag, agyvérzés) aut morbum infectiosum.

2°. *Dubie habetur novum vitae periculum,* si infirmus diu iam decumbens in eadem infirmitate *novum impetum* (attaque, robam) patitur. Potest enim quis decumbere per menses in eadem infirmitate, e. gr. angina pectoris (Herzkranzaderverengerung, angina de poitrine, szivkoszoru-érszükület) et novo inpetu videtur in novum discrimen vitae adductus esse, etsi idem periculum perduravit. Bene notat Coronata, quod generatim praesumi potest (in casu dubii, non in casu certo novi periculi) « agi de novo periculo, si infirmus, recepta Extrema Unctione, ultra mensem adhuc vixerit. At agitur de sola praesumptione, quae non semper est veritas. Si omnibus consideratis sacerdos dubius seu anceps remaneat, expedit Sacramentum iterare, quia hoc est conformius antiquae praxi Ecclesiae, et per hoc melius necessitati fidelium subvenitur » (n. 553).

3°. Immo, si certo *idem periculum, sed per longum* tempus perduret, puta per menses vel annum, ut in angina pectoris, vel endocarditi lenta (chronische Entziindung der Herzinnenhaut, szivbelhartyagyulladds), nec novus impetus affuerit, iuxta probabilem sententiam auctorum Unctio iterari poterit. Quamvis ergo physiologice et pathologice idem periculum perdurasse censetur, tamen moraliter, i. e. iuxta communem aestimationem post longius tempus censeri facile poterit novum adesse periculum (sic Kilker, Génicot-Salsmans, Coronata).

e) De necessitate Extremae Unctionis.

Ecclesiae lex decernit: « Quamvis hoc Sacramentum *per se non sit de necessitate medii ad salutem, nemini tamen licet illud negligere,* et omni studio ct diligentia *curandum, ut infirmi, dum sui plene compotes sunt,* illud recipiant » (can. 944).

1°. Nulla ergo existit necessitas medii: Ecclesia ideo saec. XVII. permisit, quod in Regno Sinensi (China) mulieres non debent, si reluctentur, recipere Extremam Unctionem, quia illud Sinensibus indecorum videbatur (S. Offic. 23. mart. 1656). — *Per se* dicitur, nam per accidens contingere potest, quod alicui solum Extrema Unctio remanet, ut ultimum remedium salutis, si e. gr. attritionem habet, sed sensibus destitutus esset.

2°. Necessitas praecepti *divini* stricta probari nequit, necessitas praecepti *ecclesiastici* evidenter habetur in hoc canone, quae certo sub levi obligat, nisi adiuncta aliud suadeant. Verba « nemini licet illud negligere » iuxta auctores non videntur inducere gravem obligationem, aliqua tamen obligatio certe adest.

2. Dc ministro Extremae Unctionis.

Primo agendum est a) quid requiratur ut aliquis valide minister esse possit Extremae Unctionis, — dein b) quid requiratur, ut etiam licite possit exercere suam potestatem, — demum c) qualis sit obligatio ministrandi Extremam Unctionem.

a) De ministro ad validitatem.

statuitur:

THESIS. Minister Extremae Unctionis valide est (I) omnis et solus sacerdos, (2) sive unus, sive plures.

Pars I. de fide definita, pars II. communis.

Pars. I. probatur: omnis et solus sacerdos.

1°. Vox Ecclesiae. *Trident, sess. XIV. can. 4·.* « S.q.d., presbyteros Ecclesiae, quos b. Jacobus adducendos esse ad infirmos hortatur, non esse sacerdotes ab Episcopo ordinatos, sed aetate seniores in quavis communitate, ob idque proprium Extremae Unctionis ministrum non esse solum sacerdotem: a. sit ⁊ (Denz 929). — *CIC can. 938 $ 1.:* « *Hoc* Sacramentum administrat valide omnis et solus sacerdos ⁊.

2°. Adversarii sunt: *Thomas Waldensis* vocatus, seu Th. Netter (t 1430) « malleus Wiclefitarum ⁊ errore affirmans, in extrema necessitate, ubi desit copia sacerdotis, licere omnibus christianis ministrare Extremam Unctionem, sicut licet vetulae baptizare. Thomas erravit, sed doctrina tunc temporis nondum definita erat. — Audacter ergo ideo, post Tridentinum docuit *Jo. Launoy,* doctor Parisiensis (t 1678), diaconis licere in casu necessitatis cum licentia Episcopi ministrare hoc Sacramentum. — *Jo Clericatus* (J 1717) vero affirmavit, sacerdotem licere in extrema necessitate sibi ipsi ministrare Extremam Unctionem, cuius sententia reprobata est a S. Cong. de Propaganda fide: « Inspectis ipsis divini eloquii verbis, vel facile patet, Sacramentum Extremae Unctionis etiam in casu necessitatis absente nimirum alio presbytero, non posse missionarium aegrotantem sibimetipsi ministrare » (23. mart. 1844). — *Boudinhon* anno 1905. Modemismum videtur attigisse, affirmans laicos posse in casu necessitatis ministrare Extremam Unctionem.

3°. S. Scripturae verbum ⁊ presbyteri » iuxta authenticam interpretationem Tridentini debet intelligi: « non aetate seniores aut primores in populo, sed aut episcopi, aut sacerdotes ab ipsis rite ordinati per impositionem manuum presbyterii » (c. 3. Denz 910). Tota enim:

4°. S. Traditio quoque sic intellexit textum S. Jacobi, uno ore affirmans presbyteris solum competere ius Sacramentum ab apostolo Jacobo promulgatum administrandi. Cuius testis audiatur unicus S. Chrysostomus dicens: « Non enim in puniendo solum, sed etiam in benefaciendo maiorem sacerdotibus (tois hiereusin), quam parentibus potestatem dedit Deus... Illi ne corporalem quidem interitum a liberis amoliri possunt, non ingruentem morbum depellere, hi vero aegram et mox interituram animam saepe servarunt... Neque enim tantum cum nos regenerant, sed etiam post regenerationem admissa peccata condonare possunt, nam: Infirmatur quis in vobis? Advocet... » (De sacerdotio 3, 6 RJ 1120). — Testimonia vero passim occurrentia de unctione, quam laici vel diaconi aegrotis impertiebant, vel infirmi sibimetipsis, intelligenda sunt de olei usu per modum Sacramentalis, quod saepe eveniebat, vel declarandi sunt ut errores c bona fide profecti.

Pars. II. probatur: sive unus sive plures presbyteri ministrare possunt.

1°. Vox Ecclesiae. *Alexander III.* anno 1175: « Sacerdos uno praesente clerico, et etiam solus, potest infirmum ungere » (Decr. c. 14. V. 40.). — *Benedictus XIV.* « Etsi pastoralis » 26. maii 1742: ⁊ Nec refert, utrum eadem

Extrema Unctio per unum vel per plures presbyteros fiat... dummodo credant et asserant, illud Sacramentum... ad uno presbytero valide et licite confici » (l)oronzo II, 788). Hoc decretum pro Italo-graecis editum est, postquam Benedictus XIII. approbavit Synodum Concilii Ruthenorum anno 1720 Zamosciae habitam, ubi dictum est, septem vel tres sacerdotes debere ungere aegrotos, qui si haberi commode non possunt, iuxta Synodi decretum « unus, qui totius Ecclesiae personam gerit », illud conferat (Coll. Lacensis II, 37).

2°. *Praxis* est et fuit, ut singuli singulas unctiones cum correspondente forma perfecerunt, similiter etiam in Occidente, dum adhuc vigebat mos Unctionem per plures phesbyteros conferendi. Haec praxis nunc quoque valida esset in Ecclesia Latina, sicut valida est consecratio per duos presbyteros facta, ita, ut unus panem alter vinum consecret, ut fit, si sacerdos post consecrationem panis deficeret. Sunt auctores, qui putant, hanc praxim (Unctionem per plures administrare) esse in Ecclesia Latina sub levi tantum prohibitam (sic Cappello et Coronata), sed immerito: ageretur enim de innovatione sat magni momenti contra rubricas, quod vero iuxta legem generalem certo sub gravi vetatur.

b) De ministro ad liceitatem.

Sequentes regulae e legibus Ecclesiae depromi possunt:

1°. Minister Extremae Unctionis *ordinarius pro fidelibus* in genere est « parochus loci, in quo degit infirmus » (can. 938 § 2). Non ergo parochus proprius, hoc valet etiam pro religionibus laicalibus (can. 514 § 3).

2°. Minister Unctionis *pro Episcopo:* « Nisi aliud in statutis capitularibus caveatur, dignitatibus et canonicis secundum ordinem praecedentiae ius et officium est... eidem decumbenti ministrare Sacramenta » (can. 397 § nr. 3.), ergo etiam Extremam Unctionem.

3°. Minister ordinarius *in omni religione clericali:* « Ius et officium Superioribus est per se vel per alium aegrotis professis, novitiis, aliisve in religiosa domo diu noctuque degentibus causa famulatus, aut educationis, aut hospitii aut infirmae valetudinis, Eucharisticum Viaticum et Extremam Unctionem ministrandi » (can. 514 § 1.).

4°. Minister *in monialium domo,* i. e. religiosarum votorum sollemnium: « Idem ius et officium habet ordinarius confessarius vel qui eius vices gerit » (can. 511 § 2.). Quia « monialium nomine solum veniunt religiosae votorum sollemnium aut religiosae quarum vota ex instituto sunt sollemnia, sed pro aliquibus locis ex Apostolicae Sedis praescripto sunt simplicia (can. 488 nr. 7.), aliis religiosis feminis parochus in cuius loco degunt, ministrat Unctionem.

5°. Minister *in Seminariis:* « Pro omnibus qui in Seminario sunt, parochi officium, excepta matrimoniali materia... obeat Seminarii rector eiusve delegatus » (can. 1368).

6°. *Minister necessitatis* penes omnes enumeratos: s In casu autem necessitatis, vel de licentia saltem praesumpta eiusdem parochi vel Ordinarii loci, alius quilibet sacerdos hoc Sacramentum ministrare potest » (can. 938 § 2.). — Casus necessitatis habetur, si parochus loci infirmus sit, vel nequit adiri, vel si licentiam ministrandi Extremam Unctionem irrationabiliter deneget (Kilker, Cappello, Coronata n. 548).

c) De obligatione ministrandi Unctionem.

Principium fundamentale est: « Minister ordinarius ex iustitia tenetur hoc Sacramentum per se ipse vel per alium administrare, et in casu necessitatis *quilibet sacerdos* » (can. 939).. — Obligatio pro ministro *ordinario* gravis est, quia ex iustitia tenetur, ergo etiam cum periculo propriae vitae. Minister *necessitatis* sub levi obligatur, caritas enim tali modo solet obligare, excipiendus est casus si aliud Sacramentum non posset suscipere, aliusve sacerdos praesto non sit, tunc quilibet sacerdos sub gravi tenetur ministrandi Extremam Unctionem.

Litteratura.

J. B. Umberg, Spendung der Krankenolung bei verungliickten, unbekannten Personen, *in:* Theol.-prakt. Quartalschr. 1926. 784-791. — *D. Prümmer,* The recipient of Extreme Unction according to the new Code, *in:* The Homiletic and Pastoral Review 1926, 739-742. — *A. Schon,* Spendung der Letztcn Oelung an Kinder, *tn:* Theol.-prakt. Quartalschr. 1933, 579-583. — A. *Vicoda,* Riceviamo per tempo l'Estrema Unzione, Torino 1939. — *F. M. Cappello,* Tract, can.-mor. de Sacramentis, III. 2. ed. Taurini 1942, 75-83. 158-168. 176-179. — A. *Verhamme,* De ministro Extremae Unctionis, in: Collât. Brugens. 1950, 186-199. — *Idem,* De subiecto Extremae Unctionis, *ibid.* 1950, 267-275. 339-344. — *Idem,* De necessitate Extremae Unctionis, *ibid.* 1951, 65-69. — *Idem,* De obligatione ministrandi Extremam Unctionem, *ibid.* 1951, 69-72. — *F. J. Statkus,* The minister of the last Sacraments, Washington 1951. — E. *Doronzo,* Tract, dogm. de extrema unctione, II. De causis extrinsecis, Milwaukee 1955, 446-812.

E) De ritibus Extremae Unctionis.

Agendum est nobis 1. de evolutione rituum Extremae Unctionis, dein 2. de explicatione ritus Extremae Unctionis Ritualis Romani, demum 3. de cura Ecclesiae pro infirmis.

1. De evolutione rituum Extremae Unctionis.

a) In Oriente

ritus multo prolixior evolutus est, quam in Occidente. Septem presbyteri consueverunt vocari ad ministrandum Sacramentum, oleum benedicitur ante administrationem. Post invocationem SS. Trinitatis dicuntur Ps. 50. et novem Cantica cum antipbonis suis, et B. Maria Virgo invocatur. Primus presbyter benedicit oleum, interea cantus dicuntur in honorem Jesu Christi, et SS. Jacobi, Nicolai, Pantaleonis, Cosmae et Damiani, S. Joannis. Legitur lectio S. Jacobi de hoc Sacramento, dein Evangelium de bono Samaritano (Lc. 10, 25-37) et dicitur longa oratio « euchelaei ». Inter unctiones presbyteri recitant invocationes in honorem BMV. et Sanctorum. Deinde adhuc sex lectiones leguntur ex epistolis paulinis, sex evangelia et prolixa oratio, demum infirmo imponitur Evangelium et manus.

b) In Occidente

evolutio ritus Extremae Unctionis nondum satis investigata est. Primus Ordo Extremae Unctionis hucusque notus *in liturgia occidentali non-Romana* legitur in mozarabico Libro Ordinum saec. Vll-i (η. XXV. *a* Ordo ad visitandum vel perungendum infirmum » MEL V, p. 71-73); editor huius libri, M. Férotin

putat hunc ritum ad aevum barbarorum invasionem antecedens pertinere (l c. p. XXI).

1°. «Sacerdos ingrediens ad infirmum facit ei *signum Crucis* in capite dicens: In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti regnantis in saecula saeculorum. Arnen. » *Forma* vera seu ulterior determinatio materiae fit per quatuor antiphonas notis musicis praeditas, quibus sanitas corporis, animae ereptio et solutio compeditorum a Deo exoratur.

2°. Dein dicitur *oratio* « Jesu Salvator noster et Domine... » quae Deo supplicat pro aegroto, « quem languor curvat ad exitum et virium defectio iam retrahit ad occasum... ». Orationi adiectae sunt *versiculi* ad modum precum jaculatoriarum Deum implorantium pro sanitate corporis, praecipue autem animae, ut sic fiat « haec olei sacra perunctio praesentis morbi expulsio et peccatorum exoptata remissio ». Ritum claudit peculiaris benedictio aegroti. — Super mulierem infirmam additur oratio « completoria », ut « gaudeat se ad salutem pristinam rediisse sicut mulier drachmam, quam perdiderat, laetata est invenisse ».

3°. Sed ante unctionem in ritu mozarabico habetur etiam quidam « *ordo poenitentiae* », si «aegrotans quis poenitentiam cupit accipere». Infirmus detondetur, coopertiir cilicio, et cinera in modum Crucis ei imponuntur (MEL V, η. XXX. p. 87-93). Ritus hic adhuc saec. XI-o observatus fuit, Ferdinandus Magnus, rex Castiliae (f 1065) diem supremum obiens « exuit regalem chlamydem... deposuit gemmatam coronam atque cum lacrimis ecclesiae solo prostratus... induitur cilicio pro regali indumento et aspergitur cinere pro aureo diademate » (Chron. monachi Silensis 1. cit. coi. 89 nota 1.).

c) In liturgia Romana

ritus minutatim descriptus Extremae Unctionis ante saec. XIII. hucusque nondum est inventus.

1°. Ritus tamen quidam evidenter *supponitur* etiam in liturgia *Romana antiqua.* In Sacramentario *Leoniano* quod mancum est, nil invenitur; in Sacramentario *Gregoriano-IIadriano* vero habetur « Ordo ad visitandum infirmum » duabus constans orationibus (ed. Lietzmann n. 208), quarum secunda (« Respice Domine famulum tuum illum... ») hodieque in Rituali Romano legitur. Ante has orationes ibidem legitur « oratio aquae exorcizatae in domo » (n. 207), <pia clare innuitur hanc orationem ad visitandum infirmum pertinuisse, aqua enim exorcizanda inservit « ad abiiciendos daemones morbosque pellendos. « In *Gelasiano* primigenio invenitur « Ordo super infirmum in domo », (Wilson p. 281-282) quatuor constans orationibus, quae tamen stricta relatione ad Extremam Unctionem carent.

2 . Ritus *franco-romanus* huius Sacramenti primo, quantum scimus, describitur a *Theodulpho Aurelianensi* (f 821) in suo Capitulari II. (PL 105, 220-222). a. Ordo hic « unctionis infirmorum » mox citati (1) incipit *cum praeparatione infirmi* ad susceptionem Sacramenti: «Primitus infirmo poenitentia detur. Deinde si permiserit infirmitas, abluto corpore albis vestibus induatur et in ecclesiam deportetur et iaceat in cilicio superiecto cinere ». Salutationis instar dicendum est — evidenter si in domo sua permaneat — « Pax huic domui et... ». Deinde aqua benedicta, in quam oleum sacratum infusum est, spargitur domus, dicendo duas antiphonas (« Benedic Domine domum istam... » et « Asperges

inc hyssopo »). Capiti et pectori infirmi imponuntur cineres in Crucis modum, dein recitantur septem Psalmi poenitentiales et litania. — (2) « Post litaniam dictam oratione incipiat *unctionem* canentibus ceteris Psalmos et antiphonas congruentes ». Sacerdos quindecim cruces facit cum oleo super infirmum, etsi, ut Theodulphus notat, « Apostoli ungentes oleo infirmos non plus quam tres cruces cum oleo super eos faciebant » (l. c. coi. 221). — (3) «Uncto vero infirmo... iubeatur a sacerdote *orationem Dominicam et Symbolum* dicere et spiritum suum in manus Dei commendare et signaculo Crucis se munire et viventibus valedicere ». — (4) « Tunc sacerdos det ei pacem et *communicet* eum dicens: Corpus et sanguis Domini sit tibi remissio peccatorum tuorum et custodiat te in vitam aeternam. Tunc data oratione, in fine dicat sacerdos: Benedicamus Domino, et respondeant omnes: Deo gratias et expletum est ». — b. Ab eodem saec. VIII-IX-o iam semper plures inveniuntur *Ordines Extremae Unctionis,* quae talem habet ritum: (1) Salutatio domus. — (2) Aspersio cubiculi cum aqua benedicta. — (3) Recitatio septem Psalmorum poenitentialium et Litaniae. — (4) Inter quas preces infirmus ungitur. De numero et loco unctionum et de formis cf. superius (B. 2. a. et B. 3. a. b.). — (5) Infirmus recitat « Pater noster » et profitetur fidem (Credo). — (6) Sacerdos dein dicit varias orationes, inter quas saepissime illae occurrunt orationes, quae in Rituali Romano continentur. — (7) Demum sacerdos infirmo dat pacem, postea autem porrigit ei Viaticum (de quo cf. De SS. Euch. J. 6. et 7.).

d) Ordo Sacramentorum exeuntium temporum decursu varius fuit.

1°. Ut iam vidimus, ordo primigenius fuit: Sacramentum *poenitentiae,* dein *Extrema Unctio* considerata qua complementum quoddam Poenitentiae, demum *Viaticum.* Fere per totum medium aevum hic fuit ordo consuetior.

2°. Inde a saec. X-o in quibusdam regionibus ordo mutatus fuit, primo dabatur *absolutio* sacramentalis, dein *Viaticum,* demum *Extrema Unctio,* qui ordo iam medio aevo exeunte mos evasit universalis, et etiam nunc « ex generali Ecclesiae consuetudine observandum est, ut, si tempus et infirmi conditio permittat, *ante* Extremam Unctionem, Poenitentiae et Eucharistiae Sacramenta infirmis praebeantur » (Rit. Rom. tit. VI. c. 1. n. 2).

3°. Exceptio tamen habetur, Collectio rituum ad instar appendicis Ritualis Romani pro omnibus Germaniae diocesibus a Sancta Sede 1950 approbata ordinem praescribit hunc: Sacramentum *Poenitentiae* — Sacra *unctio* — Administratio *Viatici* (Pars I. tit. III. c. 4. Ritus continuus infirmum muniendi Sacramentis). Ubi tale privilegium non habetur, videtur servandus esse ordo a Rit. Romano praescriptus.

2. Explicatio ritus Extremae Unctionis Ritualis Romani.

Tribus actibus ritus totalis Extremae Unctionis componitur. *I. actus* est praeparatio infirmi, in quem inseritur etiam confessio et s. communio, si ea suscipiantur; *secundus actus* est ipsa collatio Sacramenti Unctionis, *tertius actus* est oratio fidei.

a) I. actus. Praeparatio infirmi.

1°. *Introitus sacerdotis.* Sacerdos intrans cubiculum, dicit: « Pax huic domui », respondetur: « Et omnibus habitantibus in ea ». Dein infirmo Crucem

porrigit ad osculandum, ut in eo excitet vividum sensum fiduciae in Redemptorem. qui omnium peccatorum remissione nobis meruit.

2'. Dein fit *lustratio cubiculi.* Sacerdos in modum Crucis aqua benedicta aspergit infirmum, et circumstantes, dicens antiphonam « Asperges me Domine » etc.

3°. *Confessio.* Si aegrotus vult confiteri, omnes recedant e cubiculo, infirmus audiatur et absolvatur. Deinde piis verbis illum consoletur, et de huius Sacramenti vi atque efficacia, si tempus ferat, breviter admoneat, et quantum opus sit, eius animam confirmet et in spem erigat vitae aeternae » (Rit. Rom. tit. VI. c. 2. n. 4). Iam nunc, dum infirmus confitetur, moneri possunt adstantes, ut pro illo orent, recitantes « septem Psalmos poenitentiales cum Litaniis Sanctorum vel alias preces », ut SS. Rosarium (Rit. n. 7).

4°. Postea dicit sacerdos *orationes lustrationis,* stans ante aegrotum, capite aperto. Si — quod plerumque continget — Sanctissimum in mensa adest, caveat ne Sanctissimo Sacramento terga vertat. Dein dicto « Adiutorium nostrum » etc. recitat voce clara tres orationes (« Introeat... », « Oremus et deprecemur... » et «Exaudi nos... »). *Scopus* harum orationum edicitur earum textu: Deus obsecratur, ut « effugiat accessus daemonum » et ut « avertat omnes contrarias potestates », speciatim « eripiat eos ab omni formidine et ab omni perturbatione», locumque sanctificet, ubi « adsint angeli pacis ».

5°. S. *Viaticum.* Si nondum communicaverit infirmus, accipit S. Viaticum, facta confessione generali « Confiteor » latino vel vulgari sermone (cf. superius De SS. Euch. J. 7).

b) II. actus. Collatio Sacramenti Unctionis.

1°. Primo fit *impositio manus.* Sacerdos « extensa manu dextera *super* caput infirmi » (Rit. n. 7), dicit orationem « In nomine Patris » etc. Iuxta De Amicis extenditur manus *versus* infirmum (p. 503 n. 8), nobis tamen melius videtur extendere manum eamque appensam tenere super caput infirmi, tum ut verificetur textus orationis (« per impositionem manuum nostrarum »), tum ut adamussim servetur rubrica Ritualis. Oratio haec est exorcismus ante collationem Sacramenti.

2°. Deinde fiunt *unctiones sacramentales.* Sacerdos intincto pollice in oleo sancto in modum Crucis ungit infirmum in partibus in Rituali praescriptis, aptando proprio loco verba formae. Unguntur *oculi* in palpebris, clausis vel saltem in superciliis, *aures* in infima parte, *nares* unica unctione in summitate nasi, *os* compressis labiis item unica unctione, *manus* in media palma interiore, presbyteris non inunguntur interius, sed exterius, quia in ordinatione interius iam unctae erant, *pedes* inunguntur in superiore parte vel in plantis, iuxta usum (CRit d 2743, 1). Si minister adest in sacris constitutus, ipse teneat vas olei sacri secus ipse sacerdos librum tenere potest sinistra manu vola autem eiusdem manus tenet vasculum s. olei, pollice manus dexterae inungit infirmum, dum indice et medio digito eiusdem dexterae tenet bombacium et abstergit inuncta membra.

3 *Post unctiones* sacerdos pollicem fricat mica panis vel bombacio, manus lavat linteoque abstergit, aqua vero lotionis cum pane mittatur in sacrarium, vel si hoc desit, in ignem.

c) III. actus. Oratio fidei pro infirmo.

E inultis orationibus aetatum praeteritarum post unctiones adhibitarum solum tres remanserunt, ut sic salvetur monitum S. Jacobi de oratione fidei.

1°. Prius dicuntur versiculi post Kyrie eleison et Pater noster, dein *tres dicuntur orationes.* Prima oratio (« Domine Deus qui per apostolum tuum... ») precatur Spiritum Sanctum pro gratia ad sanandos languores infirmi, sub quibus principaliter vulnera intelliguntur spiritualia, sed cfllagitatur etiam « plena interius et exterius sanitas ». Secunda oratio (« Respice quaesumus... ») obtestatur Deum, ut animam refoveat quam creavit », quaeque iam-iam exitura est e saeculo. Tertia oratio (« Domine... qui benedictionis tuae gratiam ») exclusive restitutionem sanitatis a Deo implorat ut Ecclesiae sanctae, cum omni desiderata prosperitate restituatur.

2°. *Benedictio apostolica* nunc potest iam dari (cf. superius De poenit. G. 5. a. 4°.). Aspersio aquae et lustratio omittitur, si benedictio apostolica statim post Extremam Unctionem datur.

3°. *Monita pastoralia* Ritualis (n. 13-15). Sacerdos monita salutaria det infirmo pro personae qualitate, ut ad moriendum in Domino confirmetur et ad fugandas daemonum tentationes roboretur. Domestici autem infirmi monentur, ut si morbus ingravescat, denuo ipsum parochum accersant, ut morientem adiuvet et animam eius Deo commendet, si vero mors iam immineat, sacerdos statim id faciat.

d) Normae pastorales provisionis infirmorum.

Principium fundamentale legitur in Rit. Rom. (tit. VI. c. 4. n. 10): « Ubi periculum immineat, parochus *monebit aegrotum,* ne daemonum astutia, neque medicorum pollicitationibus, neque propinquorum aut amicorum blanditiis *se ullo modo decipi sinat,* quo minus ea, quae ad animae salutem pertinent, opportune procuret, et, qua par est devotione et celeritate, sancta Sacramenta, dum *sana mens* est integrique sensus, religiose suscipiat, citra fallacem illam ac perniciosam procrastinationem, quae plurimos ad aeterna supplicia perduxit, in diesque, fallente diabolo, perducit ».

Speciales autem *normae sunt* fere sequentes.

1°. Quoad Sacramentum Poenitentiae. Infirmis tria Sacramenta suscepturis insigniter necesse est digne et fructuose participare Sacramentum Poenitentiae. Animi levitas temeritasve, item crebri relapsus in mortalia, dein deploranda quaedam indifferentia religiosa erga propriam salutem saepenumero secumferunt quod aegrotus non habet necessariam dispositionem ad Poenitentiam. Ideo sacerdos, a. opportunis *interrogationibus* infirmum adiuvet ad integritatem procurandam, eumque inducat ad confessionem generalem. Praecipue interroget eum, num aliquid siluerit hucusque in confessione, num odium et inimicitiam foverit, num omnibus ex corde offensa admissa remiserit, num scandalum dederit, num peccati luxuriae et impudicitiae obstrictus fuerit, saepe vero sufficere debebit integritas formalis (cf. superius De Poenit. E. 2. d. IV.). — b. Gravitatem maximumque *momentum contritionis* in dispositione infirmi superest inculcare, *motioa* aeternae reprobationis, amoris Dei paterni eiusque miserationis continuatae breviter ac blande infirmo proponat. Etsi vera conversio a peccatis ad Deum dolorque de iis conceptus non tam facilia sunt, aegrotis ta-

men saepcnuinero faciliora fiunt. Peccata enim iam blandimenta amiserunt, passionibusque recedentibus tunc iam prominet cogitatus mortis et indicii sicque contritionis obvium paratur iter, reapse non sunt, tam rarae conversiones a in extremis » (Tappehorn, Garrigou-Lagrange). — c. Quoad *propositum non peccandi* maxime attendendum est ad occasiones proximas liberas, quae removenda sunt, si vero occultae sint, nec sine scandalo removeri possunt, seria promissio removendi elicienda est. — d. De *satisfactione* conferatur De Poen. F. 3. a., de *absolutione* ibid. H. 2. c. — e. *Normae aureae:* sacerdos in sermone ne sit nimis prolixus, proponenda « opportune et discrete suggerantur, ne aegroto molestia, sed levamen afferatur », (Rit. Rom. tit. VI. c. 4. n. 14). — ne sit nimis festinans — ne loquatur nimis elata voce, si aegrotus bene audit.

2°. Quoad Sacramentum Extremae Unctionis. Praeter superius dicta sufficiant: a. Quia ad fructuosam susceptionem Extremae Unctionis sufficit *intentio habitualis implicita,* totis viribus laborandum est, ut fideles hanc revera possideant, nil aliud est enim, quam voluntas habitualis christiane moriendi, i. e. Sacramentis rite munitus. Quod tunc solum continget, si in scholis, in catecheticis instructionibus, in contionibus sacris solidam accipiunt institutionem de hoc Sacramento, si dissipentur omnia praeiudicia circa « extremam » unctionem, si fideles assuescant mortem cotidie ante oculos suspectam habere, ac pro gratia finali pie orare. — b. Aegroto fere semper *continuo administrantur tria* Sacramenta. Si tamen ante aliquot dies iam suscepisset confessionem et Viaticum, suscepturum Extremam Unctionem exhortetur ad confessionem et communionem. — c. *Sensibus destituto* semper clara voce distincte dicendum est ad aures, sacerdotem adesse infirmoque Sacramenta ministrare velle, dein simili voce praeorandus est ei actus contritionis et propositi. Infirmi enim crebrius, quam multi putant, audiunt ea, quae dicuntur, thanatologia enim biologiae innixa docet, sensus hebescentes tali ordine pedetentim evanescere: primo odoratus, dein gustus, postea visus, ultimo auditus. Saepe ergo contingit, quod aegrotus solummodo apparenter sensibus *omnibus* destitutus est.

3°. *Specialis agendi ratio cum iis* qui respuunt Sacramenta. Non raro •venit, quod aegrotus, sive sacerdos vocatus fuerit, sive ultro illum visitaverit, renuit Sacramenta suscipere. Principium fundamentale habetur in Rit. Rom. (tit. VI. c. 4. n. 11): n Quod si aeger aliquis hortationibus ac monitis sacerdotum vel amicorum et domesticorum consiliis adduci non possit, ut velit peccata sua confiteri, tunc *non omnino desperanda res est,* sed, quamdiu ille vivit, *repetendae sunt frequentes* variae et efficaces sacerdotum et piorum aliorum hominum exhortationes ». Durante visitatione primo a. detegendae erint *causae huius renitentiae,* quae solent esse: timor ob admirationem cognatorum et vicinorum vel ob insolitam actionem — verecundia inopportuna detegendi statum suum peccaminosum. e. gr. si iam inde a multis annis sacrilegio modo Sacramenta susceperit — horror mortis — ignorantia periculi mortis, in quo versatur — « trauma » quoddam iuvenile impediens aegrotum in apertione conscientiae, c. gr. si quid iniustum quando passus sit a sacerdote quodam — falsa caritas cognatorum nolentium aegrotum pavore percellere (« fare impressione»). Causa maxime difficilis est *impoenitentia* aegroti in peccatis obstricti et eius vel fortasse etiam cognatorum *incredulitas.* — b. *Ratio agendi sacerdotis.* 1) Primo opus est sacerdoti prudentia, ut recta verba inveniat, debet esse mitis et patiens, ut adiuvarc possit aegrotum, si in fide titubet, vel intricatus sit amore illicito aut nimius pudor os cius claudat. (2) *Motica opportuna* ei comiter

et blande suggeret: etiam ipsius aegroti animam sedabit, si nunc suscipit Sacramenta, quando adhuc viribus pollet — sacerdos promittat sc eum libentissime adiuturum esse — negotium non erit tam difficile et odiosum, quale nunc videtur — Sacramentorum susceptio, s. unctionis potissimum etiam sanitati recuperandae prodest, insigniter tunc, si opportuno adhuc tempore fiat. — (3) Ad quae adiieiantur *motiva supernaturalia* vitae vel reprobationis aeternae et momentum singulare finis ultimi adipiscendi. Optime inculcati Rit. Rom. l. cit.: αProponenda sunt aeternae salutis damna et sempiternae mortis supplicia, ostendendaque immensa Dei misericordia, eum ad poenitentiam provocantis, ad ignoscendum paratissimi ». — c. *Media ad convertendum alia:* non raro necessarium erit, aegrotum primum solummodo urbanitatis causa visitare, cum eo de infirmitate sua colloqui, sic forte potest paulatim erudiri, quis sit finis suarum passionum, et erigi ad sublectionem sub voluntate divina. Si dein iam causa detecta sit suae renitentiae, motivum aptum potest infirmo suggeri. Saepenumero prodesse poterit cognatos, amicos infirmi, vel sororem valetudinariam auxilio accersire. Si aegrotus occasione talis visitationis iam pronum se ostenderet, optime statim audiendus et absolvendus est, posteaque tantum Viaticum et s. unctio ei afferatur. Crebro expedit vocare alienum sacerdotem, ne aversio quaedam erga proprium pastorem quamlibet animam a salute releget. Clarum est sacerdotem nunquam negligere debere remedia orationis, operumque poenitentiae et caritatis, praesertim in casibus difficilioribus, quod valde commendatur a Rit. Rom.: « habendae sunt etiam tum privatae, tum publicae ad Deum preces, ad divinam gratiam impetrandam pro salute miseri decumbentis » (l. c.).

3. De visitatione et cura infirmorum.

Tractare volumus de a) visitatione et cura infirmorum, b) de benedictionibus infirmorum, demum, c) de Sacramentalibus sanationem exposcentibus.

a) De visitatione ct cura infirmorum.

1°. *De cura* pastorali *infirmorum.* Normae generales. Quanti Sancta Mater Ecclesia curam pastoralem infirmorum habeat, elucet e Rit. Rom. (tit. VI. c. 4., quod caput in inferioribus semper allegatur, η. 1.): « Parochus in primis meminisse debet, non postremas esse muneris sui partes, aegrotantium curam habere ».

a. Infirmorum ergo cura *organizanda est* in paroecia. Parochus respondet coram Deo et Ecclesia de infirmorum salute, sed id curare potest etiam per alios sacerdotes, « aut saltem per laicos homines pios et Christiana caritate praeditos » (n. 3). Optime ergo, ut multis in regionibus fit, constituendi sunt praesertim in civitatibus, « *apostoli domorum* », imo ct viarum, qui dein parochum « admoneant, cum aliquem in paroecia sua aegrotare contigerit » (η. 1). Praecipue commendatur « *Liber infirmorum* », iuvat etenim « aegrotorum notam (Verzeichnis) seu catalogum habere, ut cuiuscunque statum ct conditionem cognoscat, eorumque memoriam facilius retinere et illis opportune subvenire possit » (n. 2.). In quo libro *notanda erunt:* Nomen, status, professio infirmi, ambiens socialis et familiaris, dein visitiationis dies, visitatoris nomen, Sacramenta suscepta, adiumenta alia ei porrecta.

b. *Frequentia visitationum.* Iuxta Rit. « Non semel tantum, sed saepius,

quatenus opus sit », erit visitandus infirmus (n. 1), ad quod Schollig bene notat frequentiam dependere a specie et duratione et gravitate infirmitatis, intervallum penos morbos diuturnos sine actuali periculo mortis longius potest esse (2-3 hebdomadarum), attendendum est ut visitationes certis temporibus regulariter fiant, ut e. gr. Fer. VI. cuiusvis mensis prima, decursu Quadragesimae et temporis paschalis. Si autem mors mox secutura timenda est, visitatio inquantum possibile diebus singulis repetenda est (Schollig p. 344).

c. *Modus se gerendi sacerdotis:* « Aegrotos visitans ea, qua sacerdotes Domini decet, honestate et gravitate habeat, ut non aegris solum, sed sibi et domesticis verbo et exemplo prosit ad salutem » (Rit. n. 4). (1) *Honestate:* visitatio ne sit longa, nec nimie brevis, mulieribus visitandis per nuntium vel per telephonium visitationem indicet, nec eas horis valde maturis vel serotinis expetat. — (2) *Graviter* se gerat: ne loquatur nimium de rebus mundanis confabulando quasi ad oblectamentum, nec loquatur nimis de rebus spiritualibus ad aedificationem, attendat ne molestus sit aegroto ob inopportunitatem temporis vel diuturnae commorationis.

d. *Finis* visitationum (1) *primarius* est iuxta Rit. Rom.: « In primis autem spiritualem aegrotantium curam suscipiat, omnemque diligentiam in eo ut *in viam salutis* eos dirigat, atque e diabolicis insidiis salutarium adiumentorum praesidio defendat ac tueatur » (n. 6). In via salutis utique tunc solum directus dici potest infirmus, si sacerdos moraliter certus est, quod in statu gratiae est, ulterius eius pensum est statum hunc gratiae usque ad mortem conservare, ut tempus suum adhuc reliquum bene redimat expiando peccata sua meritaque sua bonis operibus augendo. — (2) *Secundarius* autem finis est visitationis ut « *consoletur* infirmum, dicens, se pro eo in Missae sacrificio et aliis precibus oraturum, curaturumque ut alii itidem pro eo faciant, idque re ipsa praestabit » (n. 15). Ad rectam consolationem non pertinet, ut sacerdos aegroto *omnem spem* adimat restituendae sanitatis, nec *mortem* ut certo imminentem adnunciet, excepto, si persona vere sancta esset, vel si quis omnino impoenitens sit. Ceterum melius erit infirmum *indirecte* ad mortem, ut possibilem, praeparare. — (3) *Motiva* consolationis sint, providentia et amor Dei, sensus passionum, imitatio Redemptoris et Sanctorum, « proponet... passionis Domini nostri meditationem et Sanctorum martyria et exempla, ac caelestis gloriae beatitudinem » (Rit. n. 11). *Naturalia* quoque motiva adducat, praecipue id, quod nec aegrotus inutile membrum societatis haberi potest, si enim recto animo patitur infirmitatem suam, cooperatur in opere redemptivo Christi.

c. Ut fines praedictos assequi possit, cognoscere debet *tentationes et pravas opiniones* infirmi, ut monet Rit.: «Videbit denique sacerdos, quibus potissimum *tentationibus* aut pravis opinionibus aeger sit subiectus, eique, prout opus sit, apta remedia prudenter adhibebit « (n. 12). Tentationes variae vexare solent aegrotos. — (1) Sic tentatio contra *fidem,* potissimum apud cos, quorum fides debilis fuit vel in indifferentia vixerunt, sed saepe etiam ii tentantur in hor.i mortis qui pie vixerunt. Monendi sunt tales, ne subtilitatibus tempus terant. nec omnia doctis investigationibus explorare velint, sed humiliter se Deo subjiciant. Deumque pro firmanda fide devote precentur. — (2) lusto maior *confidentia* quoque in suis meritis quandoque occurrit, talibus dicendum est: Sen i inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus ▮ (c 17, 10). — (3) *PusiUunimitas,* imo *desperatio* quoque saepenumero aegrotos vexare solet, praecipue eos qui multoties peccatis gravibus Deum offendebant. Talis infirmus

hortandus est, « ut omnem spem suam in Deo ponat, peccatorum suorum poeniteat, divinam misericordiam imploret et infirmitatis poenas, tamquem paternam Dei visitationem, patienter ferat et ad salutem provenisse credat, ut vitam moresque suos melius instituat » (Rit. n. 7). — (4) *Propensio prava* erga bona temporalia vel etiam erga personas quandoque tentât infirmos. Tales monendi sunt, quod praeterit figura huius mundi, sicque transeundum esse inter bona temporalia, ut non amittamus aeterna. — (5) Crebro occurrunt tentationes contra *castitatem,* praesertim penes eos, qui tuberculosi laborant, qui specialiter saepius visitandi sunt, praeter monitionem, ut saepe absolvantur, paneque caelesti reficiantur. — (6) Frequentissima tentatio aegrotorum est *impatientia,* sacerdos providentiae operationem occultam, passivamque Dei actionem purificativam extollat, pretiosos effectus patientiae et sufferentiae declarando Sanctorum quoque exemplis, praecipue vero Domini passione beata utetur.

f. *Egentium* et eorum, qui Immanis auxiliis destituti sunt, praecipue curam geret, ut monet Rit. (n. 5): « Quibus si non posset ipse succurrere de suo et eleemosynas illis, prout debet, si facultas suppetat, erogare, quantum fieri potest, sive per caritatis vel alterius nominis confraternitatcm, si in ea civitate vel loco sit, sive per privatas, sive per publicas collectas et eleemosynas, illorum necessitatibus succurrendum curabit ». Confratemitas « *Caritas* » nominata in omnibus fere regnis habetur, item opus S. Elisabeth et Conferendarum S. Vincentii.

g. *Dispositio rerum temporalium* quoque urgenda est iuxta Rit.: « Si morbus gravior vel cum periculo sit, aegroto suadeat, ut, dum integra mente est, rem suam omnem recte constituat, et testamentum faciat, si quid habet alienum, restituat, et ad remedium animae suae pro facultatibus, quod in Domino ei placuerit, disponat, sed haec suggerendo, omnis avaritiae nota caveatur » (n. 16).

h. Demum hortandus est aegrotus, « ut *si convaluerit,* ante omnia ad ecclesiam veniat, ubi Deo gratias agat de restituta valetudine et s. communionem pie suscipiat, ac deinceps meliorem vitae disciplinam teneat » (Rit. n. 17).

2°. *De visitatione et cura infirmorum* liturgica. Ecclesiae non solum pastoralem curam exigit a sacerdotibus suis erga aegrotos praestandam, sed etiam s. liturgiae officiis infirmum adiuvare eiusque morbum, passiones eius et vitam mortemque quasi consecrare vult. Praeter Sacramentum Extremae Unctionis ad hanc consecrationem mortis et morbi confert etiam *visitatio infirmi liturgica,* in Rit. Rom. tit. VI. c. 4, n. 19-26. descripta.

a. Primo fit *salutatio et lustratio cubiculi et infirmi* consueta (n. 19), post versiculos tres dicuntur orationes pro infirmo, qui dein benedicitur.

b. *Officium nunc antiquum quoddam* recitatur, quod infirmum instruere vult ad patienter ferendas suas passiones Deoque confidendum esse. *Quatuor Euangelia* recitantur, hanc lectionem semper unus *Psalmus* praecedit, *oratioque apta sanitatem* deposcens concludit: (1) Ps. 6. (« Domine noli me arguere), Mt 8. 5-13 (centurio Capharnaiticus), oratio pro reddenda sanitate. — (2) Ps 15 (« Conserva me Deus, quoniam confugio ad te »), Mc 16, 14-18 (cum fine «super aegros manus imponent ct bene habebunt»), oratio ad fugandas infirmitates instaurandamque protinus sanitatem. — (3) Ps 19 (« Exaudiat te Dominus in die tribulationis »), Lc 4, 38-40 (de sanatione socrus Simonis), oratio explorans exclusionem necessitatis corporeae infirmitatis. — (4) Ps 85 (« Inclina

Domine aurem tuam, exaudi me »), Jo 5, 1-14 (sanatio hominis triginta et octo annos habentis in infirmitate), cum oratione, ut famulus Dei medicina se sentiat continuo salvatum.

c. Tertia pars visitationis infirmi est *sollemnis benedictio infirmi* per manus impositionem et lectionem initii Evangelii S. Joannis, quae semper habebatur ut sacramentale quoddam sanativum et mala avertens (apotropaeicum). — (1) Primo dicitur Ps 90 (« Qui degis in praesidio Altissimi n), hymnus sublimis providentiae benignissimae Dei, dein dicitur oratio implorans Deum, ut ad protegendum infirmum Deus dexteram suae maiestatis extendat — (2) quod dein verificatur impositione manus dexterae sacerdotis super infirmum cum formula comitante « Super aegros manus imponent et bene habebunt... » — (3) Postea dicitur initium Evangelii S. Joannis (1, 1-14) — (4) demum infirmus per Crucis signum benedicitur ct aspergitur aqua benedicta. « Quae omnia etiam poterunt, arbitrio sacerdotis, breviora fieri » (Rit. n. 26). — Optandum esset, haec omnia e benigna concessione S. Sedis aliquando *etiam sermone vulgari* recitanda licere, omnia enim vehementer tendunt ad instructionem et consolationem aegroti etiam per intellectum horum textuum.

At S. Mater Ecclesia etiam *aliorum remediorum thesaurum* paravit, ut sciat prudens pastor nova ct vetera ex hoc thesauro infirmis proferre, quae in sequentibus breviter dilucidantur.

b) De benedictionibus infirmorum.

E permultis et variis benedictionibus infirmorum, quae temporum decursu in usu erant, nunc liturgia Romana sequentes solum retinet.

1 . *Benedictiones* personales *infirmorum.*

a. *Benedictio adulti aegrotantis* (Rit. Rom. tit. IX. c. 4. n. 7. et 8. propioribus). Fit in cubiculo aegroti, post salutationem sacerdos dicto « Adiutorium... » recitat tres orationes sanitatem infirmi obsecrantes, dein extendens manum dexteram versus aegrotum, dicit formulam pulcherrimam benedictionis: • Dominus Jesus Christus apud te sit, ut te defendat, intra te sit, ut te conservet, ante te sit, ut te ducat, post te sit, ut te custodiat, super te sit, ut te benedicat ».

b. *Benedictio puerorum aegrotantium* (Rit. Rom. tit. IX. c. 4. n. 6). Agitur de pueris *usum rationis nondum consecutis,* nam pueris, qui usu rationis iam pollent, ministranda est Extrema Unctio, quantum possunt post brevem instructionem per interrogationes confitentur peccata sua et Viaticum quoque sumunt cf. De SS. Euch. D. 3. II. Regula et J. 5. c.). Pro irinioribus adhibentur *sequentes preces.* (1) Post salutationem suetam aspergitur puerulus et lectus cius. — (2) Dicitur Ps 112 (a Laudate servi Dominum »), Kyrie, Pater noster et versiculi et tres orationes longiores, puerulis adaptatae, sanationemque eorum explorantes, ut Deus manum extendat super famulum suum in tenera aetate languentis, ut parvulus infirmus a lecto aegritudinis erigatur, demum ut ministerio angelorum vita eius in terra muniatur. — (3) Dein manus imponitur super caput pueruli, diciturque Evangelium ut supra (a. 2°. c. (2) et (3).

c. *Benedictio peregrinorum aegrotantium* (Rit. Rom. tit. IX. c. 4. n. 9). Sacerdos indutus superpelliceo et stola albi coloris, ponat extremitatem stolae super caput infirmi sicque recitet Evangelium Mt 13, 41-52 (de thesauro ab-

scondito in agro et sagena missa in mare), si plures sint infirmi, stolam teneat sacerdos elevatam manu dextera. Post lectionem Evangelii benedicitur infirmus (n Benedictio Dei omnipotentis... »), stola porrigitur ad deosculandum, et aspergitur infirmus aqua benedicta cum formula: « Aspergat te Deus rore gratiae suae in vitam aeternam ».

d. *Benedictio infirmorum cum ligno SS. Crucis* seu signum S. Mauri abbatis (Bit. Rom. tit. IX. c. 11. n. 42). Benedictio haec est propria Ordinis S. Benedicti, fierique potest solum cum particula Verae Crucis, quae antea rite exponitur in altari duabus saltem candelis accensis. Excitetur dein in aegroto actus contritionis, recitentur in honorem SS. Trinitatis tres Pater, Ave, Gloria, sacerdos autem superpelliceo et stola rubri coloris indutus, manu dextera elevatam tenens reliquiam ante infirmum, recitat benedictionem, quae si opus sit, per tres vices repeti potest.

2.° *Benedictiones* reales *aegrotantium.*

a. *Benedictio lecticae pro infirmis.* Lectica intelligitur iuxta textum longissimae orationis « vehiculum ad instar lectuli artificiose exstructum, ut ad locum curationis aptissime deferri possint quicunque aut vulneribus affecti, aut quavis infirmitate detineantur». Preces vero funduntur pro aegrotis, ut mitissimus Jesus sit eis in itinere solatium, in periculis tutamen, in doloribus refrigerium (Rit. Rom. tit. IX. c. 8. n. 18).

b. *Benedictio linteaminum pro infirmis* (Rit. Rom. tit. IX. c. 8. n. 17). Nomine linteaminum textus intelligit omnia genera vestimentorum, velorum et linteaminum, quibus « induti vel operti fuerint » infirmi; oratio memorat tactum fimbriae vestimentorum Christi per mulierem fluxu sanguinis laborantem et sudaria semicinctiaque Pauli: eadem virtute infirmi iis operti vel induti recipiant sanitatem.

c. *Benedictio medicinae cuiuscunque.* Benedictio olerum et herbarum medio aevo frequens fuit pluribusque formulis in usu erat, at illae herbae saepe iam non medicinae locum tenebant, sed mere Sacramentalia erant, dum benedictio Rit. Rom. (tit. IX. c. 7. n. 4) « multiplex remedium » contra infirmitates seu *medicamenta* attingit.

d. *Benedictio nosocomiorum aliarumque dornorum aegrotis curandis* in Rit. Rom. (tit. IX. c. 8. n. 19) est benedictio sollemnis et aptissima a CRit 18. jul. 1939 approbata. (1) Sacerdos superpelliceo et stola alba indutus una cum adstantibus recitat Ps. 6 (« Domine noli me arguere ») cum ant. « Omnes male habentes Christus curavit... », dein — (2) dicto « Adiutorium nostrum » duae funduntur orationes, prima (« Deus qui mirabiliter hominem creasti... ») implorat Deum, ut omnes advenientes aegrotos paterna pietate custodiat, secunda (« D. J. Christe infirmitatis nostrae solamen et salus ») evangelica miracula sanationis allegans obsecrat Christum Dominum, ut omnes infirmi hic moraturi, ab omni aegritudine levati, potentiam eius perpetuo valeant collaudare. — (3) Deinde sacerdos circumeundo loca praecipua nosocomii aqua aspergit benedicta, — (4) postea autem subiungit versiculis recitatis quinque orationes pro aegrotis eorumque sanatione, I. dicitur ad Deum, 2. ad B. Mariam Virginem, 3. dicitur ut Deus loco isto (n huic quoque domui ») Angelum deputet custodem, 4. dirigitur ad S. Joseph, 5. recitatur per merita et intercessionem SS. Camilli de Lellis et Joannis de Deo.

c) De Sacramentalibus sanationem infirmorum exposcentibus.

Ie. Contra quoscunque morbos.

a. *Benedictio vini pro infirmis* (Rit. Rom. tit. IX. c. 7. n. 3). Vino tum .ictas antiqua, tum medium aevum vim sanativam tribuebat, ideo cito invenitur eius usus qua Sacramcntalis. Multae ideo formulae inveniuntur ad benedictionem vini, forma Ritualis est valde simplex, constat e duabus orationibus. Prima (« D. J. Ch... qui in Cana Galileae ») usum indicat vini: « ubicunque fusum fuerit vel a quolibet potatum », secunda oratio clare enuntiat finem huius Sacramcntalis, ut famulus Dei infirmus reddita sanitate, gratiarum in Ecclesia referat actiones. Formularium hoc invenitur in manuscriptis saec. XIV-XV. (Franz, Kirchl. Bened. I, 261).

b. Simili modo benedicitur ad usum infirmorum oleum: *Benedictio olei* Rit. Rom. (tit. IX. c. 7. n. 8) etsi in titulo non indicatur, tamen ad usum aegrotorum composita est. Prima pars est exorcismus olei « ut fiat omnibus, qui eo usuri sunt, salus mentis et corporis », oratio autem sequens (« Domine Deus, cui astat exercitus Angelorum ») edicit finem huius Sacramcntalis: ut qui hoc oleo usi fuerint, ab omni languore, omnique infirmitate liberentur. Olei *usus extrasacramentalis* ad ungendos infirmos vel ad bibendum iam a saec. Ill-o adfuit in Ecclesia, per totum medium aevum utebantur oleo, sed ipsum oleum infirmorum ad Sacramentum Extremae Unctionis benedictum adhibebatur, ita ut peculiaris *benedictio* e medio aevo pro oleo extrasacramentali non invenitur. Formularium Rit. Romani ad imitationem aliarum orationum composita est, ut Franz ostendit (I, 351-352).

c. *Benedictio panis* Rit. Romani (tit. IX. c. 7. n. 1) quoque pro infirmis in usu fuit, textus eius hoc ostendit: « ...ut omnes ex eo digne gustantes, inde corporis et animae desiderabilem percipiant sanitatem ». Usus panis pro infirmis iam Serapion Aegyptius testatur saec. IV-o (cf. superius A. 4.f), medio aevo habebantur formulae benedictionis « panis pro sanitate infirmi » (saec. XII., cf. Franz I, 271).

d. *Benedictio aquae* communis quoque respicit infirmos iuxta *Ordinem ad faciendam aquam benedictam* Rit. Romani (tit. IX. c. 2.), cuius textus venerandus iam in Supplemento per Alcuinum Sacramentario Gregoriano adiecto legitur (II. A. Wilson, The Gregorian Sacramentary 1915, p. 219). Primo fit (1) exorcismus *salis,* cuius usus finem habuit apotropaeicum iam penes antiquos Romanos, tum daemones, tum morbos fugat sal exorcizatum, ideo etiam in hodierno textu legitur: « ...ut efficiaris sal exorcizatum... et sis omnibus sumentibus te sanitas animae et corporis. » — (2) Oratione (« Immensam clementiam tuam ») benedicitur sal, ut « sit omnibus sumentibus salus mentis et corporis ». — (3) Dein exorcizatur aqua, — et (4) benedicitur oratione (« Deus qui ad salutem humani generis »), in qua memoratur eius finis, servit enim « ad abigendos daemones, morbosque pellendos. » — (5) Postremo fit commixtio salis et aquae cum forma et triplici crucissignatione, — (6) demum dicitur oratio conclusionis (« Deus invictae virtutis auctor »).

e. *Benedictiones aquae* cum invocatione quorumdam *Sanctorum* phires leguntur in Rit. Rom., sed omnes sunt propriae ordinum religiosorum. (1) Celeberrima est benedictio *aquae in honorem* S. *Ignatii confessoris* (tit. IX. c. 11. n 51), qua invocatur Deus gratiam aegris infundens corporibus, ac immergitur numisma vel reliquia S. Ignatii Loyolae in aquam usque ad finem sequentis

orationis. Benedictio haec inde a saec. XVI-o exeunte in usu erat. — (2) *Benedictio aquae in honorem* S. *Petri martyris* cum eius reliquiis, propria Ord. Praedic, quoque ad « morbos ac infirmitates corporis et animae » repellendos (tit. IX. c. 11. n. 44), quae benedictio iam medio aevo cognita fuit, oriunda e civitate Placentiae, ubi digitus huius martyris (f 1252) asservabatur (Franz I, 210-211). — (3) Eiusdem ordinis propria est *benedictio aquae* in honorem S. *Vincentii Ferrerii pro infirmis* (Rit. n. 46), fines est, « ut omnis infirmus, qui de ea biberit, vel ex ea aspersus fuerit, sentiat statim salutarem tuae benedictionis effectum ». Etiam hoc Sacramentale exeunte medio aevo iam in usu fuit. — (4) *Benedictio aquae* in honorem S. *Vincentii a Paulo pro infirmis* (Rit. n. 52), propria Congr. Missionum, fuit approbata a CRit 16. mart. 1882., quae benedictio simili ritu fit, ac aquae S. Ignatii. — (5) *Benedictio panis et aquae* in honorem S. *Machuti ep.* approbata est solum pro dioecesi Buscoducensi ('s-Hertogenbosch, Rit. Rom. Appendix pars III. n. 7). Finis huius benedictionis est, « ut qui fide integra illis usi fuerint, ab omni illusione diabolica et universis malis, languoribus et infirmitatibus, eius intercessione liberentur », Machutus (Maclovius, Malo) fuit episcopus hibernus (f 640), fundavitque abbatiam S. Malo. — (6) *Benedictio panis et aquae* in honorem S. *Adelhaidis virg.* approbata est pro archidioec. Coloniensi pro iis, « quicunque morborum vexationibus gravantur », S. Adelhaidis fuit abbatissa O.S.B. monasterii Villich prope Bonnam (f 1015), fontemque donavit incolis pagi febricitantes curantem (cf. Franz I, 215 nota 5).

f. Benedictio propria Clericorum regularium infirmis ministrantium est *Benedictio et impositio Scapularis BMV. sub titulo Salus infirmorum* (Rit. Rom. tit. IX. c. 11. n. 23). Finis huius Sacramcntalis non est directa curatio infirmi, sed ut « fideles... in extremis laborantes... de agone ad perpetuam claritatis gloriam pertingere valeant ».

2°. Contra morbos peculiares ordinantur sequentes benedictiones.

a. *Benedictio aquae* in honorem S. *Alberti conf.* (Rit. Rom. tit. IX. c. 11. η. 50) est propria Ord. Carmelitarum ac ordinatur iis, « quicunque *febrium* vexatione gravantur », ad eum finem, ut « per huius aquae humilem sumptionem » liberentur. S. Albertus (f 1306) fuit carmelita e Sicilia oriundus, benedictio haec iam saec. XV-o usitata fuit cum aliis orationibus (cf. Franz II, 196 s. et 479-480), benedictio hodierna a CRit 27. febr. 1883 fuit approbata.

b. *Benedictio aquae* in honorem S. *Raymundi Nonnati pro infirmis* (Rit. n. 47) propria Ord. BMV. de Mercede ordinatur ad id, ut « quicunque *febrium* vexatione gravantur, per huius lotionem, aspersionem vel potionem aquae » liberentur.

c. *Benedictio olei* in honorem S. *Serapionis mart.* (Rit. n. 49) est propria Ord. BMV. de Mercede, et ordinatur ad id, « ut *ulceribus, fracturis* atque omnigeni doloris gravamine decumbentes, hoc sancto oleo peruncti, eius qui in cruciatu tot fuit truces perpessus dolores... temporalem sentiant opem et salutem adipiscantur aeternam n.

d. *Benedictio aquae, salis et panis* in honorem S. *Huberti ep. contra morsum rabidi canis* est approbata solum pro archidioec. Coloniensi (Rit. Rom. Append, pars III. n. 6), « ad expellendam et effugandam rabiem et venenum cius », benedictio haec est longissima inter similes benedictiones Rit. Romani.

e. Antiqua est *benedictio candelarum in festo S. Blasii ep. et mr.* (Rit.

Rom. tit. IX. c. 3. η. 7) contra « quemcunque gutturis morbum ». S. Blasius iuxta eius vitam legendariam aliquando puerulum a suffocatione liberavit, ex cius gutture spinam piscis (Fischgrate, szàlka) extrahendo, pones Graecos iam saec. VI-o colebatur qua patronus contra malos gutturis, medio aevo iam saec. XII-o inveniuntur orationes ad eum contra morbos gutturis, antiquior vero est usus offerendi candelas ut a morbis curentur. *Benedictio* autem *specialis candelarum* iuxta Franz nedum medio aevo, at nec saec. XVI-o inveniuntur (I, 459). Attamen inveni textum e primis decenniis saec. XVI-i, manuscriptum in Missali quodam Bibi. Metropolitanae Strigoniensis (Incun. XVI. II. 15), est *a* Benediccio cereorum sancti blasij » prolixa (textus latinus in libro meo: Nyomtatott lit. kônyveink kézirâsos bejegyzései, Budapest 1944, p. 45-47). — Benedictio candelarum nunc fit die 3. febr. per orationem in Rit. Rom. contentam, post quam asperguntur aqua benedicta, deinde sacerdos duos cereos, in modum Crucis aptatos sub mento gutturi singulorum, qui benedicendi sunt, ipsis ante altare genuilectentibus, dicens: « Per intercessionem s. Blasii episcopi et martyris liberet te Deus a malo gutturis et a quocunque alio malo. In nomine Patris » etc. Iuxta CRit haec benedictio *nequit fieri candelis accensis,* dari potest per totum diem et etiam in dominica subsequent! (cf. Eph. Lit. 1954, 68).

f. *Benedictio panis, vini, aquae et fructuum contra gutturis aegritudinem* in festo S. Blasii ep. et mr. (Rit. n. 8). Finis huius benedictionis a CRit 25. sept. 1883 approbatae est, ut qui « ex his gustaverint, ab omni gutturis plaga et quavis alia animae et corporis infirmitate... plenam recipiant sanitatem ». Benedictio aquae in honorem S. Blasii iam medio aevo in usu fuit, textus invenitur saec. XIII-o. (Franz I, 204). Tam in hac oratione, quam in oratione praecedentis benedictionis declaratur S. Blasio inter ceteras gratias hanc praerogativam esse collatam, ut quoscunque morbos gutturis Dei virtute curaret.

d) De benedictione Apostolica in articulo mortis.

Cf. De Poenit. G. 5. a. 4°. *Saluberrimum monitum* Rit. Romani recolere iuvat: « Quod si aegrotus velit confiteri, audiat illum et absolvat. Si confessionem non petat, excitet illum ad eliciendum actum contritionis, de huius benedictionis efficacia ac virtute, si tempus ferat, breviter admoneat, tum instruat eum atque hortetur, ut sanctissimum nomen Jesu, corde saltem, invocet, morbi incommoda ac dolores in anteactae vitae expiationem libenter perferat, Deoque sese paratum offerat ad ultro acceptandum, quidquid ei placuerit, et mortem ipsam patienter obeundam in satisfactionem poenarum, quas peccando promeruit » (tit. VI. c. 6. n. 3). — *'Notandum,* quod benedictione Apostolica indulgentia plenaria accipitur in hora mortis, per se ergo sufficit, si quis eam semel in vita acceperit (Schollig p. 343). Idcirco nunquam in eadem infirmitate iteranda est, nisi in novum periculum mortis quis inciderit, ad analogiam Extremae Unctionis.

e) De commendatione animae.

Cf. superius De Ecclesia orante J. 1.

Litteratura.

II. Leclercq, Extrême-Onction, in: DAL V, 1 (1922) 1029-1037. — C. *de Clercq,* Ordines Unet onis infirmi des IX. et X. siècles, in: Epb. Lit. 1930, 99-123. P. *Browe,* Die Letzte Oelung in der abendlandischen Kirche des Mittelalters, in: ZfkTh 1931, 515-561. — L. *Eisenhofer,* Handbuch der kath. Liturgik, 2. ed. 1941, II, 344-355. *A* Cha-*

nasse, Etude sur l'onction des infirmes dans l'Église latine du III. à IX. siècle. Du III. siècle à la réforme carolingienne, Lyon 1942. — A/. *Molten,* Liturgie des sacrements, Paris 1948, 342-366. — *P. de Amici-:,* Caeremoniale parochorum, 4. ed. 1948, 500-507. — *B Botte,* L'onction des malades, *in:* La liturgie des malades, Maison-Dieu n. 15. (1948), 91-107. — (/, u. *Hospenthal,* Der S'eelsorger am Krankenbett des Mannes, *in.* Anima 1950, 149-154. — L. *Widmer,* Der Scolsorger am Krankenbett dor Fran, ibid. 1950, 34-3-347. — B. *Fischer,* Die Reihenfolge der Sakramente beim Versehgang, *in:* Tricrcr theol. Zeitschr 1951, 54-56. — *Th. Langlotz,* Der liturgische Krankcnbesuch bei alten Leuten nach dem Rituale Romanum, *in:* Anima 1951, 341-346. — *O. Schollig,* Verwaltung der hl. Sakramente, 4 ed. 1952, 302-306, 343-352. — *M. Righetti,* Storia liturgica IV (1953 228-246. — *J. Lechner,* Liturgik des romischen Ritus, 6. ed. 1953, 298-303. — *11. B. Porter,* The origin of the medieval rite for anointing the sick or dying, *in:* Journal of theol. studies 1956, 211-225. — *J. Miller* Am Krankenbett. Gewissensfragen, ApostolaLsaufgaben, Innsbruck 1958. — *Th. Schnitzler,* Krankenseelsorge u. Liturgie, Lit. Jahrbuch 1958, 108-117. — G. *Davanzo,* L'unzione sacra degli infermi, Torino 1958. — *F. J. Schierse,* Hat Krankheit eincn Sinn? St. d. Zcit 1958-59, 241-255. — S. *Zenker,* Vollendung der Busse, Gedanken zur Liturgie der Krankenolung, *in:* Anima 1959, 373-377.

VIII. Tractatus octavus.

De Sacramento Ordinis.

Societati supernatural! a Jesu Christo fundatae iuxta Capitis voluntatem semper adesse debent ministri, qui eius triplex munus regendi, docendi, sanctificandique homines usque ad finem saeculi continuarent. Quoniam de potestate supernatural! agitur in hoc munere exercendo, quae insuper sine adiutorio gratiae supernae sancte ac recte exequi non posset, Dominus sacramentum speciale ordinavit, quod christianos e grege fratrum assumptos, supra eos constituit, caelestibusque donis ad prosecutionem huius finis augusti destinat aptosque efficit: sicque Sacramentum Ordinis instituit.

Ordo definitur a Catech. Cath.: « *Sacramentum Ordinis seu sacrae ordinationis est Sacramentum a Jesu Christo institutum, ad constituendos in Ecclesia Episcopos, presbyteros et ministros, cum sua quemque potestate et gratia, quibus Udem sacra munia, iuxta proprium gradum, rite obire queant* » (qu. 479).

Nomina. Ordo sensu lato *tripliciter* sumi potest: ut ministerium (s ordinem exercere n), ut status (e.gr. « ordo presbyteratus ») et ut actio sacralis (« accepit ordinem diaconatus»). Ministerium *ordinis* vocatur « ministerium » =*diakonia, hierourgia, leitourgia;* exercentes vero ministerium ordinis vocantur « leitourgoi, hierourgoi, poimên, diakonoi », latine « ministri, famuli, sacris altaribus servientes»; ipse *exercitium* ordinis ut a *ministerium, servitium, famulatus* », saepe vero « *officium* ». — « Ordo » dein intclligitur ut status, iam inde a Tertulliano (De idol. c. 7.), graece a *taxis hiera* » (Gregor. Nazianz.). Status hic sacer vocatur etiam a *klêros* n distinctus a « laids n (klêrikos et laikos iam apud Clementem Romanum); latine nuncupatur «clerus», «ordo clericorum» (Hieronymus), et est complexus personarum ad liturgicas functiones ab Ecclesia per actum sacramentalem deputatus: « ordo *in statu esse* ». — « Ordo» autem « *in statu fieri* » est actio sacramentalis, qua homines in gradum aliquem huius ministerii constituuntur. Vocatur haec actio sacramentalis «ordo», a *ordinatio* », « *benedictio* », « *consecratio* n; Graece « *cheirotonia* », iam a s. IV-o. antea etiam « chcirothesia », quod dein Confirmationi reservatum est.

Materia absolvenda venit sequenti ordine:

A) De existentia Sacramenti Ordinis.

B) De gradibus Sacramenti Ordinis.

C) De essentia Sacramenti Ordinis.

D) De efficientia Sacramenti Ordinis.
E) De personis sacramentalibus Sacramenti Ordinis.
F) De ritibus Sacramenti Ordinis.

A) De existcntia Sacramenti Ordinis.

1. Vox Ecclesiae.

Trident, sess. XXII. can. 3: « S.q.d., ordinem, sive sacram ordinationem non esse verum et proprie Sacramentum a Christo Domino institutum, vel esse figmentum quoddam humanum... aut esse tantum ritum quendam eligendi ministros verbi Dei et Sacramentorum: a. sit ɲ (Denz. 963). — *Ibid. cp. 4:* « ...in Sacramento Ordinis, sicut in baptismo et confirmatione, character imprimitur, qui nec deleri, nec auferri potest » (D 960).

2. Testimonium S. Scripturae.

In *toto Novo Testamento* saepe occurrunt diaconi, presbyteri et episcopi, quorum etiam qualitates desideratae describuntur, nomen « presbyteros » et « episkopos » adhuc convertibiles sunt, presbyteri enim saepe « episcopi » vocantur. In *Actibus Apostolorum* videntur diaconi (Act 6,6) « proseuxamenoi epethêkan autois tas cheiras », nomen « diakonos » hic non occurrit, sed « officium » diakonia, diakonein tais trapezais=orantes imposuerunt ipsis manus, ministrare mensis, sed exegetae hodierni vix non omnes negant, hic certo agi de diaconis sensu sacramentali. Similiter fere ab omnibus in dubium vocatur, num « ordinatio » Pauli et Barnabae Antiochiae facta (Act 13,2-3: ɐ Aphorisate eis to ergon... tote nêsteusantes kai proseuxamenoi kai epitithentes tas cheiras autois apelysan » =Segregate in opus... tunc ieiunantes et orantes imponentesque eis manus dimiserunt eos ») revera ordinatio episcopalis fuit necne. — Nostra opinione vix dubium esse potest de *Act 14,23:* « Cheirotonêsantes de autois kat ekklêsian presbyterous proseuxamenoi »=constituentes illis per ecclesias presbyteros orantes ɲ quod etiam secundum exegetas ordinationem sacram significare potest: necessarium erat tales creare viros qui functiones sacras, baptizare, confirmare, coenam celebrare peragere possint.

In epistolis Paulinis quoque saepenumero occurrunt diaconi, presbyteri, episcopi, quorum texentur etiam catalogi qualitatum: « Episcopi » 1 Tim 3,1-7; ɐ presbyteri », qui et episcopus statim nuncupatur a Paulo: Tit. 1,6-9; «diaconi » 1 Tim 3,8-13. Sed ex his locis nondum elucet, agi de ministris, qui per Sacramentum ordinati sunt ad ministerium suum implendum, dantur vero duo testimonia, ɐ quibus hoc clare perspicitur.

a) Primum testimonium. 2 Tim 1,6-7:

Di hên aitian anamimnêskô se	Propter quam causam admoneo te,
anazôpyrein to charisma	ut resuscites gratiam
tou Theou,	Dei,
ho estin en soi	quae est in te
dia tés cpitheseôs	per impositionem
ton cheirôn mou.	manuum mearum.
Ou gar edôken hêmin ho Theos	\'on enim dedit nobis Deus

pneuma deilias,
alla dynameôs,
kai agapes
kai sôphronismou.

spiritum timoris,
sed virtutis
et dilectionis
et sobrietatis.

Textus hic classicus Sacramenti Ordinis scitu necessaria omnia habet, omnia continet. Nam:

1°. « *Charisma* » est gratia gratum faciens, quia permanens est, i.e. *habitualis:* remanet, quia potest «ana», hoc est de novo suscitari, sicut « zôpyrom » = pnina.

2°. « *Charisma* » est gratia *sanctificans,* quia e contextu detegi possunt cius habitus concomitantes: virtus theologica caritatis (agapê), et cardinales fortitudinis (dynamis) et temperantiae (sôphronismos). Hae virtutes supernaturales sine gratia gratum faciente non possunt existere, supponitur ergo gratia gratum faciens.

3°. « *Charisma* ⫏ *non est eadem, ac gratia baptismi,* haec enim datur per ablutionem, illa vero per ⫐ impositionem manuum » Apostoli. Quibus significatur materia specialis huius Sacramenti.

4°. « Charisma » datum est Timotheo, *non omnibus fidelibus.* Sacramentum ergo hoc speciale non est Confirmatio, quae quidem etiam per manuum impositionem confertur, sed aliud Sacramentum ab eo distinctum, hoc enim solus Timotheus accepit, non vero omnes fideles, sicut Confirmationem. Timotheo enim soli dicitur, quod propter susceptionem huius Sacramenti ‹ noli erubescere testimonium Domini nostri « (v. 8.).

5°. Non edicitur quidem directe, hoc Sacramentum speciale institutum fuisse *a Christo Domino,* sed *indirecte* erui potest. « Charisma ⫏ enim hoc confertur per manuum impositionem, non per actus subiectivos: datur ergo ex opere operato. Sed actio aliqua externa non potest infallibiliter coniungi cum consecutione gratiae, solummodo ex ordinatione divina. Sacramentum ergo hoc speciale a Deo institutum est.

b) Secundum testimonium. 1 Tim 4,14:

Me amelei tou en soi charismatos
ho edothô soi
dia prophêteias
meta epitheseôs tên chcirôn
tou presbyteriou.

Noli neglegere gratiam quae in te est
quae data est tibi
per prophetiam (vel -as)
cum impositione manuum
presbyterii.

1°. « Charisma » hoc evidenter supponitur *eadem,* ac in secunda epistola, nota optime Timotheo, non debet eam « a-melein ⫏ =non curare, neglegere: ergo aliquid *remanens,* stabile est.

2°. Hoc *loco aliquid novi* inculcatur: ordinandus debet habere *divinam vocationem,* quae temporibus Apostolorum modo saepe extraordinario manifestata est a Deo ⫐ dia prophêteias », quod potest significare » dia » cum genitivo: » per prophetiam », vel verisimilius ⫐ dia » cum accusativo plurali: «per prophetias ». Hae prophetiae clare annunciantur ab eadem epistola: « Hoc praeceptum commendo tibi, fili Timothee, secundum praecedentes in te prophetias, kata tas proagousas epi se prophêteias) » (1 Tim 1,18). Vaticinia (prophêteiai) ergo praecedebant electionem Timothei, quae a charismaticis, qui prophetiae donum possidebant, emissa fuerunt.

3°. Medium quoque assignatur: « Meta epitheseôs », « meta » (cum) significat *nexum causalem:* impositio manuum causabat gratiam Timotheo datam.

4°. Ordinans erat « presbytêrion=*collegium presbyterorum* quorum Paulus erat caput, ut videtur ex epistola 2 Tim 1,6. — At nunc nova solutio videtur haberi, *J. Jeremias* ostendit quod « presbyterion » occurrit etiam cum significatione « munus presbyteri » (Priestcramt), tunc textus significaret cum genitivo finali: « cum impositione manuum ad munus presbyteri » (Zschr. f. neutest. Wissensch. 1957, 127-132).

3. Testimonium S. Traditionis.

Inde a primis temporibus omnino manifestum conspici potest luculens testimonium Traditionis.

a) *Didache* ultimo decennio saec. I-i: « Manus imponentes ordinate (a cheirotonêsate ») vobis ipsis episcopos et diaconos, dignos Domino, viros mites et pecuniam nom amantes, et veraces et testimonium habentes » (15,1 Funk Patres apost. I, 32.). — Terminologia nondum fixa est: « episkopos » idem dicit, ac « presbyteros ».

b) S. *Clemens Romanus* eodem tempore de Apostolis dicit, quod « in oppidis et civitatibus verbum annuntiantes, primitias de quibus Spiritus testimonium dedit, pro futuris fidelibus episcopos et diaconos constituerunt » (ICor 42,4 PG 1,292). Quod supra hos « episcopos » etiam summus pontifex iraesidet, « episcopi » ergo presbyteri sunt, elucet ex alio loco eiusdem epistoae, ubi hierarchiam Novi Testamenti cum hierarchia triplici Veteris Legis comparando, indirecte testificatur de triplici gradu hierarchiae Novi quoque Foederis: « *Summo pontifici* (archierei) propria data sunt officia (leitourgiai), et *sacerdotibus* (hiereusin) proprius locus ordinatus est, et *levitis* propria servitia (diakoniai) incumbunt » (40,1 PG 1,288). — Triplex gradatio ergo iam heic adumbratur, clare vero terminologia habetur:

c) penes S. *Ignatium Antiochenum* (t 107), scribentem ad Magnesios: « Hortor, ut in concordia Dei omnia peragere studeatis, episcopo praesidente loco Dei et presbyteris loco senatus apostolici, et diaconis mihi suavissimis concreditum habentibus ministerium Jcsu Christi », similiter ad Trallianos: « Episcopo subiecti sitis ut Jesu Christo... necessarium itaque est, quemadmodum facitis, ut sine episcopo nihil agatis, sed et presbyterio subditi sitis ut apostolis Jesu Christi... Oportet autem et diaconos, qui sunt ministri mysteriorum Jesu Christi, omni modo omnibus placere » (Magn. 6.1 et Trail. 2,1 RJ n. 44. et 48.).

d) Versus 185 S. *Irenaeus* Lugdunensis iam de officiis fidelium erga clerum locutus est: « Is vero, qui in ecclesia sunt presbyteris oboedire oportet, his qui successionem habent ab Apostolis » (Adv. haer. 4,26,2 PG 7,1053).

e) Incunte saec*. HI-o *Clemens Alexandrinus* dicit de progressione (prokope·), i.e. incremento, gradatione hierarchiae: « Heic quoque, in ecclesia, progressiones sunt: episcoporum, presbyterorum, diaconorum. Ut arbitror, imitationes hae sunt angelicae gloriae (mimemata angelikês doxes: angeli enim etiam in hierarchia caelesti degunt) et illius ordinis salutis (oikonomias) participes sunt (tynchanousin), quae, ut Scripturae dicunt, illos expectat, qui secundum vestigia Apostolorum in perfectione iustitiae vivunt iuxta evangclium » (Stromateis 6,13,107,2 RJ n. 427).

f) Versus 220 S. *Hippolyti Apostoliké Paradosis* iam fuse describit ritum ordinationis, in quo testatur de materia et forma Ordinis: « Episcopus ordinetur electus ab omni populo... Consentientibus omnibus imponant super eum manus et presbyterium adstet quiescens. Omnes autem silentium habeant, in corde orantes, propter descensionem Spiritus, ex quibus unus de praesentibus episcopis ab omnibus rogatus, imponens ei manum qui ordinatur episcopus orat ita dicens: ...Quicunque factus est episcopus, omnes os offerant pacis, salutantes eum, quia dignus effectus est » (Quastcn I, 27-29).

g) S. *Gregorius Nyssenus* comparans mirabiles effectus Ordinis cum Eucharistia et Sacramentis olei, edicit: « Panis est usque adhuc (teôs = i.e. usque dum adhibetur ad Eucharistiam), sed ubi eum mysterium sacrificaverit, dicitur et fit corpus Christi. Sic mysticum oleum, sic vinum, cum sint res exigui pretii ante benedictionem (eulogia), post consecrationem (hagiasmos), quae a Spiritu procedit, utrumque eorum excellenter operatur. Eadem vero verbi vis (logon dynamis) etiam sacerdotem reverendum (semnos) et honorabilem facit, novitate benedictionis a communitate vulgi segregatum. Cum enim heri et antea unus e multitudine ac plebe esset, repente redditur praeceptor, praeses, doctor pietatis, mysteriorum latentium praesul » (In sancta lumina RJ 1062).

4. Testimonium rationis fide illustratae.

Iuxta S. Thomam commendatur institutio Ordinis e pluribus gradibus constantis propter tria:

a) « Propter *sapientiam Dei commendandam,* quae in distinctione rerum ordinata maxime relucet tam in naturalibus, quam in spiritualibus ».

b) « *Ad subveniendum humanae infirmitati,* quia per unum non poterant omnia quae ad divina mysteria pertinebant, expleri sine magno gravamine: ct ideo distinguuntur ordines diversi ad diversa officia ».

c) « Ut *via proficiendi* hominibus *amplior* detur, dum plures in diversis officiis distribuuntur, ut omnes sint Dei cooperatores, quo nihil est divinius, ut Dionysius dicit » (Suppi, q. 37. a. 1.).

Litteratura. (Cf. adhuc Litt, sub B).

P. *Gasparri,* Tractatus canonicus de s. Ordinatione, Romae 1893-4. — *E. Ruffini,* La .'erarchia della chiesa negli Atti degli Apostoli e nclle lettere di S. Paolo, Roma 1921. — A. *Wilmart,* Les ordres du Christ, in: Rev. des sciences relig. 1923, 305-327. — *J. Tixeront,* L'ordre et les ordinations, 2. ed. Paris 1925. — A. *Michel,* Ordre. Ordination, in: DThCath 1931, 1191-1405. — *J. Ternus,* Dogmatische Untersuchungen zur Théologie des hl. Thomas liber das Sakrament dcr Weihe, in: Scho'astik 1932, 161-186. — Λ. *Tymczak,* Quaestiones disputatae de ordine, Premisliae 1936. — G. *B. de Farnese,* Il Sacramento dell'Ordine sui periodo precedente la Sessione XXIII. di Trento, Roma 1946. — *II. Lennerz,* De Sacramento Ordinis, 2. cd. Roma 1953. — AV. *Michaelis,* Das Aeltestenamt der christlichen Gemeinde im Lichtc der III. Schrift, Bem 1953. — *II. K. Schelkle,* Jüngcrschaft und Apostelaint. Eine biblische Auslegung des heiligen Dienstes, Freiburg i. Br. 1957. _ *H. Bouessé,* Le sacerdote chrétien, Bruges 1957. — O. *Semmelroth,* Das Geistliche Amt, Frankfurt a. Main 1958,

Respectu pastorali. A. *Lehmkuhl,* Casus conscientiae 4. cd. 1913, 694-773. _ D. *Prummcr,* Manuale Theol. Mor. cd. 4. 1928, n. 585-624. — *B. Merkelbach,* Summa Theol. Mor 8 ed. III. n. 709-745. — A. *Vermeersch - J.Creusen,* Theol. Mor. 4. ed. 1948, III. n 618-684 — *J. Aertnys-C.* A. *Damen,* Theol. Mor. cd. 16. II. η. 552-B22. _ *J.'Fan-*

Jani, Man. theor.-pract. Th. Moral. 1951, IV. p. 614-651. — Si. *Sipos-L. Gdlos,* Enchiridion luris canon. 6. cd. 1954, p. 375-404. — *II. Noldin-A. Schmitt - G. Heinzel,* Summa Theol. Mor. ed 30. 1954, n. 449-551.

B) De gradibus Sacramenti Ordinis.

Quia Sacramentum hoc pro pluribus subiectis pluribus gradibus institutum est, insuper — ut multis theologis videtur — etiam gradus complectitur, qui non Sacramento, sed Sacramentalibus dantur, agendum est, 1. quales gradus non sunt sacramentales, dein 2. quales sunt sacramentales, demum 3. de unitate Sacramenti Ordinis.

1. De ordinibus non-sacramentalibus.

Iuxta sententiam communiorem existunt ordines, qui non pertinent ad Sacramentum Ordinis, sed quodam sacramentali ab Ecclesia ordinato conferuntur. Ideo statuitur:

THESIS. Existunt ordines a Christo non instituti.

Sententia haec solum nostris temporibus est *communior,* si pauci excipiuntur (Billot, Tanquerey, Van Noort, Hugon, Zubizarreta, Tymczak), sed medii aevi tempore, inde a *saec. XIII-o* communior erat *sententia affirmans,* omnes ordines fuisse a Christo institutos, et imprimere characterem. Scholastici optimi nominis adhaeserunt huic sententiae: S. Thomas (Suppi, q. 35. a. 2.; q. 37. a. 3.), dein Albertus Magnus, Scotus, et alii. Plerique Canonistae etiam tunc temporis affirmabant, ordines aliquos non esse institutos a Christo, quibus etiam multi Scholastici Doctores favorem praestabant. In Concilio Tridentino fere omnes Theologi defendebant ordines minores esse Sacramenta a Christo instituta, sed Patres Concilii formulas a theologis propositas reiecerunt et mutare iusserunt, hanc quaestionem consulto liberae disputationi relinquentes (cf. Baisi 1935., Cappello 1947., W. Croce 1948., H. Lennerz 2. ed. 1953, 114-125, Ch. Journet 1953., J. Meyer 1954. in Litter.).

Argumentum I. Certo constat Sacramenta tantum a Christo institui posse. *Atqui* vix cogitari potest ordines minores vel tantum in genere a Domino instituta fuisse. *Ergo* non sunt Sacramenta.

Probatur minor. Exempli instar sufficit unum e quatuor minoribus inspicere. Officium ostiarii est: « Oportet percutere cymbalum et campanam, aperire ecclesiam, et sacrarium, et librum aperire ei qui praedicat » (Pont. Rom.). Traditio clavium ecclesiae cum forma verborum, dein archidiaconus « ducit eos ad ostium ecclesiae, et facit eos claudere et aperire, tradit eis etiam funem campanarum, faciens eos campanas pulsare » (ibid.). lamvero Christi et Apostolorum aevo, imo per plura saecula nondum fuerunt cymbala in usu penes Christianos, campanae nondum inventae sunt, nec ecclesiae, qua aedificia exiterunt. Vix ergo possibile est supponere institutionem a Christo factam quoad officium seu ministerium singulorum ordinum minorum. Si vero Dominus ne *officium* quidem instituit, multo minus potest imaginari *ritum* eorum instituisse. Sed si ordines minores essent Sacramenta, praecise ritum eorum debuisset instituere.

Nec excipias: « In primitiva Ecclesia propter paucitatem ministrorum

omnia inferiora ministeria diaconis committebantur... Nihilominus *erant* omnes praedictae potestates, sed *implicite* in una diaconi potestate. Sed postea ampliatus est cultus divinus et Ecclesia quod implicite habebat in uno ordine, *explicite* tradidit in diversis » (Suppi, q. 37. a. 2. ad 2.). — Hoc argumentum S. Doctoris procedit ex eo, quod supponit Ecclesiam accepisse a Christo potestatem eligendi et decernendi singularem ritum cuique ordini minori proprium; item supponit, omnia officia ordinum minorum a diaconis exercita fuisse. Haec vero omnino gratis asseruntur, talis usus nempe inveniri non potest (cf. Lennerz p. 122-125).

Sed instas: Minores non possunt iterari, ergo imprimunt characterem. Ad quod respondetur: nec benedictio abbatis, nec consecratio virginum possunt iterari, nemo tamen affirmat, eas imprimere characterem.

Argumentum II. (historicum). Est certo impossibile, quod Sacramenta iure divino instituta per magnum temporis spatium in desuetudinem abeant vel prorsus desinant. *Atqui* ordines minores aliqui iam inde a saec. IV-o non inveniuntur in Ecclesia Orientali, alii autem in Ecclesia Occidentali. Ergo Minores non sunt Sacramenta.

Probatur maior. Sacramenta non solum quoad *essentiam* sunt determinata per Christum, in quorum substantiam Ecclesia nullam habet potestatem, sed potestati Ecclesiae etiam quoad *existentiam* subtracta sunt, i.e. Sacramentum a Christo ordinatum non potest ab Ecclesia supprimi, vel intermitti. Monere debemus, quod argumentum nostrum non ex eo procedit, quod ordines minores non statim fulciuntur Traditionis testimoniis, sed provocat ad factum, quod aliqui ordines minores desierunt.

Hoc vero probatur in minore per historiam. Cornelius Papa (anno 251) est primus, qui mentionem facit omnium quatuor ordinum minorum in Ecclesia *Occidentali,* enumerat enim Romae fuisse illo tempore 46 presbyteros, diaconos septem, subdiaconos (hypodiakonos) septem, acolythos 42, exorcistas autem et lectores (exorkistas de kai anagnôstas) cum ostiariis (pylorois) 52 (Ep. ad Fabium ep. Antiochenum Denz 45). Lectorum existentia iam saec. II-o constat ex inscriptione Catacumbae S. Agnetis (« Favor lector n, Eisenhofer II, 370) et testimonio Tertulliani (De praescriptione haeret, c. 41. RJ n. 300). Alii ordines minores erant in Occidente ordo *cantorum* (« psaltes n), et *fossorum* (vel « copiatarum = operariorum), qui sepulchra praeparaverunt, hi ordines dein paulatim omnino desierunt existcre. *In Oriente* quatuor minores omnes existebant: Cornelius tali modo scribit Fabio, quod supponat eum cognoscere tales ordines, etiam nomen horum ordinum Graecum hoc demonstrat (pyloros, exorkistes, anagnostes, akolouthos=pedissequus). Sunt qui negant, acolythatum in Oriente notum fuisse (Eisenhofer II, 368), sed immerito, Eusebius commemorat eos, iuxta quem in Concilio Nicaeno erat multitudo episcoporum, adhaerentium vero istis presbyterorum ac diaconorum acolythorumque turma (Vita Constantini III, 8). Nunc vero iam inde a permultis saeculis in Ecclesia Orientali solummodo ordo anagnostarum (lectorum) existit. Ordo subdiaconorum, quem Cornelius primus memorat, in Oriente vero S. Athanasius, usque ad nostra permansit. Subdiaconatus quidem connumeratur inter ordines maiores seu sacros, sed haec distinctio est luris Canonici, onerantur enim officio divino et lege caelibatus, ordo non pertinet ad ordines minores, sed tamen confertur Sacrainentali et non Sacramento, quod sequenti inciso probatur.

2. Dc ordinibus sacramentalibus.

THESIS. Sacramentum Ordinis triplicem gradum comprehendit: (1) episcopatum, (2) presbyteratum, (3) diaconatum.

Pars I. est sententia communior, II. de fide definita, III. certa.

Pars I. probatur: Episcopatus est Sacramentum.

Quod episcopatus Sacramentum sit, hodie est sententia communior, etsi veteres Doctores hoc plurimum negabant. Raym. Capisuchius O.P. 1670. octoginta auctores congessit negantes sacramentalitatem Episcopatus, recenter vero A-Landgraf (1951) de hac re disseruit. Doctores optimi nominis negabant Episcopatum Sacramentum esse, inter quos sunt Hugo Victorinus, Albertus Magnus, S. Thomas, Petrus Lombardus, Bonaventura, Petrus e Tarantasia, Innocentius V. etc. Theologi hi enim opinati sunt totam plenitudinem potestatis iam dari per presbyteratum, sed partem huius potestatis ligatam manere, ordinatio episcopi non est Sacramentum, sed sacramentale Ecclesiae, quae potestatem ligatam solvit.

a) Argumentum pro sacramentalitate Episcopatus. Ordinatio Timothei (1 Tim 4,14 et 2 Tim 1,6) debet haberi Sacramentum iuxta authenticam declarationem Ecclesiae, *Atqui* hac ordinatione sine dubio conferebatur Episcopatus, *ergo* Episcopatus est Sacramentum.

Probatur maior. *Trid. sess. XXIII. cp. 3:* « Cum Scripturae testimonio, apostolica traditione et Patrum unanimi consensu perspicuum sit, per sacram ordinationem, quae verbis et signis exterioribus perficitur, gratiam conferri, dubitare nemo debet, ordinem esse vere et proprie unum ex septem sanctae Ecclesiae Sacramentis. Inquit *enim* Apostolus: Admoneo te, ut resuscites... » et allegat 2 Tim, 1,6-7, textus ergo hic omnino de Sacramento Ordinis interpretari debet (Denz 959).

Minor probatur eo, quod tum veteres commentatores, tum exegetae recentiores certum habent, agi l. cit. de ordinatione Timothei episcopali. Dein Paulus loquitur de officiis episcopi, inter quos eminet, quod presbyteros debet consecrare. Ordinatio haec ergo episcopalis erat. — Quia vero Minor definita non est, ideo habetur sola conclusio theologica.

b) Refutantur argumenta contra sacramentalitatem Episcopatus. Argumenta quae afferri solent contra sacramentalitatem Episcopatus (cf. Suppi, q. 10. a. 5), solvi debent.

Diffie. I. « Unus ordo non dependet a praecedenti quantum ad necessitatem Sacramenti. Sed *episcopalis potestas dependet a sacerdotali:* quia nullus potest recipere episcopalem, nisi prius habeat sacerdotalem. Ergo episcopatus non est ordo » (a. 5. sed contra). — Resp. Episcopatus tantum propter legem Ecclesiae supponit presbyteratum. Nunquam definitum est ab Ecclesia, aliquem invalide ordinari in episcopum, si prius non fuerit ordinatus presbyter. Historia vero demonstrat, ordinationem episcopalem collatam fuisse saepenumero talibus, qui non erant presbyteri. *Augustinus* refert casum, quod lector quidam Antonius nomine, statim episcopus ordinatus est (Ep. 209 PL 33,953 s.). — S. *Leo Magnus* agnovit ordinationem Maximi, qui contra leges ecclesiasticas e laico statim episcopus ordinatus est (Ep. 12. PL 54.653). — S. *Gregorius*

Magnus in casu cuiusdam Opportuni laici decidebat, quod « tonsurandus est, ut vel monachus, vel a vobis subdiaconus fiat, et post aliquantum temporis, si Deo tunc placuerit, ipse ad pastoralem curam debeat promoveri » (Ep. 12. cf. B. Fischer, ZfkTh 1938, 37-75 et Lenncrz p. 56.). — Iuxta *Ordinem Romanum VIII.* episcopus electus ad consecrationem interrogari debet: « Quod honore fungeris? Respondet diaconi aut presbyteri, vel quod est » — postea vero statim sequitur consecratio episcopalis. — Revera sic fuit: Pontifices Romani inter annos 772-885 non fuerunt presbyteri, quando ordinationem episcopalem acceperunt, sed plerumque subdiaconi, Sergius II. autem fuit tantum acolythus (cf. lucubrationes infra cit. Lungkofler 1942. et M. Andrieu 1917.). Nec iure excipi potest, fontem historicum (Liber Pontificalis ed. Duchesne) indicare tantum gradum, quem futurus Summus Pontifex immediate ante electionem habuit, et iis, qui presbyteri non erant collatum fuisse etiam hunc ordinem ante ordinationem episcopalem. Si enim ita esset, non intelligitur, cur etiam alii ordines indicantur, ut subdiaconatus, quos antea susceperunt, presbyteratus vero non memoratur (cf. Lennerz p. 57 ct 83).

Diif. II. « Praeterea *maiores ordines non conferuntur nisi in sabbatis* Sed episcopalis ordo traditur in Dominicis. Ergo non est ordo » (a. 5). — Resp. Tempus ordinationis solummodo ad liceitatem praescriptum est, nec potest ex eo fieri argumentum contra sacramentalitatem Episcopatus.

Dili. III. « Ordo potest accipi dupliciter. Uno modo secundum quod est Sacramentum, et sic, ut prius dictum est, *ordinatur omnis ordo ad Eucharistiae Sacramentum.* Unde, cum episcopus non habeat potestatem superiorem sacerdote, quantum ad hoc, episcopatus non est ordo » (a. 5. corp. « Respondeo »). — Resp. Minor huius argumenti vera quidem est, quod episcopus non habeat potestatem superiorem sacerdote quoad Eucharistiam, sed maior gratis supponitur (cf. Suppi, q. 37. a. 2. corp, et ad 1., dein ibid. a. 4.). Potestas enim traditur in ordinatione circa Eucharistiam, sed non exclusive, traditur etiam potestas circa alia Sacramenta.

Pars II. probatur: presbyteratus est Sacramentum.

Existentia Sacramenti Ordinis iam supra probata est ex Ecclesiae clara doctrina, Tridentinum enim definivit ordinem seu ordinationem esse « vere et proprie Sacramentum a Christo Domino institutum ». Si haec definitio et doctrina exposita vera est, saltem presbyteratus debet esse Sacramentum: de Episcopatu enim multi hoc negant, eum esse solum sacramentale quoddam affirmantes, de minoribus ordinibus sententia communis tenet eos non esse Sacramenta, pauci aliqui etiam de diaconatu negabant eum esse Sacramentum. Solus presbyteratus nunquam in dubium vocatus est, presbyteratus *saltein* ergo debet rationem sacramcntalitatis participare, si existit Sacramentum Ordinis.

Pars III. probatur: Diaconatus est Sacramentum.

Hoc eruitur e doctrina Tridentina, conferendo can. 4. et 6. sessionis XXIII. Can. / « S.q.d., per sacram ordinationem non dari Spiritum Sanctum, ac proinde frustra episcopos dicere: Accipe Spiritum Sanctum, aut per eam non imprimi characterem: a. sit » (Denz 961). *Can 6:* « S.q.d., in Ecclesia catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quae constat ex episcopis, presbyteris et ministris: a: sit » (Denz 966). — Ergo: de fide est, quod saltem

diaconi sunt ordo hierarchicus, quod Sacramentum accipiunt est *theologice certum,* dicitur enim eis « Accipe Spiritum Sanctum », ergo saltem diaconi accipere debent Spiritum Sanctum et characterem et Sacramenti participes fieri. Pauci tantum theologi negabant sacramentalitatem diaconatus, ut Durandus et Card. Caietanus.

E S. Scriptura argumentum omnino convincens proferri *non potest* pro sacramentalitate diaconatus. *Act. 6,1-6* de institutione septem virorum ad ministerium mensarum seorsim sumptum non satis probat agi de diaconis stricte dictis, nec institutio divina elucet ex hoc textu solo, validissimum vero argumentum fit e S. *Traditione,* quae inter alia etiam textum citatum de sacramentalitate diaconatus intellexit, sicque testata est unanimem fidem Ecclesiae. Ex historia Liturgiae quoque probatur diaconatum semper et ubique per impositionem manuum fuisse collatam, haec vero semper materia Sacramenti Ordinis est.

Scholion de subdiaconatu.

Tridentinum dicit de ordinibus minoribus et de subdiaconatu: « ...ab ipso Ecclesiae initio sequentium ordinum nomina atque uniuscuiusque eorum propria ministeria, subdiaconi scilicet, acolythi, exorcistae, lectoris et ostiarii in usu fuisse cognoscuntur, quamvis non pari gradu. Nam subdiaconatus ad maiores ordines a Patribus et sacris Conciliis refertur, in quibus et de aliis inferioribus frequentissime legimus » (sess. XXIII. cp. 2. Denz 958).

Argumentum nostrum supra de ordinibus *minoribus* propositum his verbis Tridentini *non infirmatur,* struebatur enim eo, quod ordines minores, etiamsi semper extitissent, in desuetudinem, saltem aliqui eorum, abierunt. Similiter *subdiaconatus,* etsi « a Patribus et s. Conciliis ad maiores ordines refertur », non semper ad maiores connumeratus est, nam Tridentinum verbis allegatis noluit hoc dicere nec definire, inulto minus voluit edicere, subdiaconatum ad Sacramentum Ordinis pertinere, a quo definiendo, ut dictum est, consulto abstinuit. lidem theologi, qui Minores ad Sacramentum Ordinis pertinere affirmabant, idem tenent quoad subdiaconatum, quibus quoad ultimum accedunt Dom. Soto et Vasquez. Hodie tamen inde a S. Alphonse (l. VI. n. 737) sententia negans sacramentalitatem subdiaconatus communior evasit. Argumenta sunt:

1°. Subdiaconatus *non semper referebatur ad ordines maiores.* Aevo antiquo coelibatus pro subdiaconis non ubique postulabatur, sic Gregorius Magnus scripsit, « ante triennium » subdiaconis usum matrimonii « more Romanae ecclesiae » prohibitum esse, quod nimis durum putans, ordinavit, ut « a praesenti die » talem tantum ordinare liceat, qui coelibatum spopondit (Decret. Gratiani d. 31. c. 1.). — Saec. XII-o tantum subdiaconatus ordo maior habitus est, quod testatur Petrus Cantor Parisiensis doctor: » Prima manuum impositio debetur diaconibus ordinandis, *de nooo* enim institutum est subdiaconatum esse sacrum ordinem » (PL 205,184). Similiter loquitur Innocentius III. anno 1203. (cf. Pesch VII, n. 594).

2°. Si Sacramentum Ordinis *Sacramentum unum* est, *debet eandem habere materiam. Atqui* subdiaconatus certo non conferebatur et non confertur manuum impositione. Exceptiones tantum sunt, si manuum impositione datur, ut in Constit. Apostolicis versus 400 (VIII, 21), ceterum, ut in Ecclesia Occidentali semper, sine impositione manuum collatus est subdiaconatus, ut e.gr. referunt Statuta ecclesiae antiqua e saec. VI-o. « Subdiaconus cum ordinatur, quia

manus impositionem non accipit, patenam de manu episcopi accipiat vacuam, et vacuum calicem. De manu vero archidiaconi accipiat urceolum cum aqua et manile, ct manutergium » (Denz 153.). — Manuum impositio ceterum etiam sensu positivo debet interpretari; tunc tantum conclusio fieri posset ad sacramentalitatem huius ordinis, si semper et ubique sic collatus fuisset. Impositio enim manuum quandoque fiebat etiam in ordinatione lectoris penes aliquot Orientis ecclesias, item in ordinatione diaconissarum.

3. De unitate Sacramenti Ordinis.

a) Hodie sententia communior est, Sacramentum Ordinis consistere tribus gradibus secundum triplicem characterem impressum ct tamen unum esse Sacramentum, ex quo ordinati semper plus accipiunt iuxta gradus quos acceperunt. S. Thomas haec docet de unitate Ordinis: « Divisio Ordinis non est totius integratis ad suas partes, neque totius universalis, sed totius potestativi » *Totum intégrale* est totum aliquid quod partibus additis constat, sic partes ct membra corporis, *totum universale* est homo constans ex anima et corpore. Sacramentum Ordinis vero est *totum potestativum* seu potentiale, « cuius haec est natura — iuxta Aquinatem — quod totum secundum completam rationem est in uno, in aliis autem est aliqua participatio ipsius n. Sic e.gr. completa ratio iustitiae non habetur in virtute religionis, quae est pars potentialis iustitiae, participat enim ex iustitiae virtute rationem « debiti », sed « ad aequalitatem » virtus religionis non potest actus suos dirigere. Hoc totum potestativum invenitur in Ordine: « Et ita est hic: tota enim plenitudo Sacramenti huius est in uno ordine, scilicet sacerdotio, sed in aliis est quaedam participatio ordinis » (Suppi, q. 37. a. 1. ad 2.).

b) Potest ergo dici, Sacramentum Ordinis esse *unum quoad genus* suum, et esse *diversum* secundum tres *species:* diaconatus, presbyteratus et episcopatus (sic Tepe IV, 575 et Lercher p. 291). *Materia* eadem est manuum impositio, quae tamen tribus vicibus adhibetur in tribus ordinationibus, *forma* vero differt essentialis horum trium ordinationum; item alii sunt *effectus,* primo *quoad characterem,* qui vel novus semper est in tribus gradibus Ordinis, vel saltem physice et realiter completur et ampliatur (sic Gonetus, Billot, Hugon, Diekamp etc.); dein alii sunt effectus *quoad potestatem* traditam quae in charactere radicatur et *gratias* quae dantur secundum exigentiam diversorum officiorum quae ordinati consequuntur. Ubi vero tanta differentia invenitur, iure dicitur, agi de speciebus diversis eiusdem generis, Sacramenti nempe Ordinis, quod sic tamen unum dici potest.

c) Ecclesia hucusque hanc unitatem *noluit definire,* ut *Benedictus XIV.* edixit: « Nemo prohibeat disceptare, num episcopatus sit ordo a presbyteratu distinctus, an character in episcopali consecratione impressus differat, vel potius sit ampliato quaedam characteris in collatione presbyteralis ordinis impressi » (Ep. « In postremo » 20. oct. 1756).

Litteratura.

Praeter opera sub A) superius allata:

J N. *Seidl,* Der Diakonat in der kath. Kirche, dessen hierarchische Würde und jcsehichtliche Entwicklung, Regensburg 1884. — *II. Reuter,* Der Subdiakonat, Augsburg 1890 — *l, Sobkowski,* Episkopat und Prcsbyterat in den ersten christlichen Jahrhundertcn,

Würzburg 1893, — *F. Wieland.* Die genctische Entwicklung tier sogcnanntcn ordines minores in den ersten drei Jahrhunderten, Rom 1897. — *St. Dunin-Borkowski,* Die neueren Forschungen über die Anfange des Episkopates, Freiburg i. Br, 1900. — *P. Leder,* Die Diakone, Bischôfe und Priester und ihre urkirchlichen Vorlaufer, Stuttgart 1905. — /7. *Leclercq,* Acolytes, *in:* DAL I (1907) 348-356. — *F. Prat,* Les pretensions des diacres Romains au IV-èrne siècle, *in:* Rech, des science relig. 1912, 463-475. — *II. Leclercq,* Diacres, *in: DAL IV* (1920) 738-746. — *Idem,* Épiscopat *in:* DAL V (1922) 202-238. — *Idem,* Exorcistes, *in:* DAL V (1922) 964-978. — *M. Quera,* El concilio de Trento y los Ordenes inferiores al Diaconado, *in:* Estudios ec'esiasticos 1925, 337-358. — Λ7. *Andrieu* Les ordres mineurs dans l'ancien rit Romain, *in:* Revue des sciences relig. 1925, 232-274. — D. *Ziihringer,* Das kirchliche Priestertum nach dem HJ. Augustin, Paderborn 1931. — *B. Fischer,* Der niedere Klerus bei Gregor dem Grossen, *in:* ZfkTh 1938, 37-75. — *J. Mayer,* Monumenta de viduis, diaconissis, virginibusque tractantia (Florilegium Patrist. 42.), Bonn 1938. — *E. Walter,* Diener des Neuen Blindes. Das Priestertum in der kath. Kirche, Freiburg i. Br. 1940. — *J. M. Lungkofler,* Dic Vorstufen zu den hoheren Weihen nach dem Liber Pontificalis, *in:* ZfkTh 1942, 1-19. — *M. Andrieu,* La carrière ecc ésiastique des papes ct les documents liturgiques du moyen âge, *in:* Revue des sciences relig. 1947. 90-120. — W. *Croce,* Die niederen Weihen und ihre hierarchische Wertung, *in:* ZfkTh 1948, 257-314. — *A. Landgraf,* Die Lehre der Frühscholastik vom Episkopat aïs Ordo, *in.* Scholastik 1951, 496-519. — *Ch. Journet,* Vues récents sur le sacrement de l'ordre, *in:* Rev-thomiste 1953, 81-108. — G. *Cacciatore,* Enciclopedia del sacerdozio, Firenze 1953, cum abundantissima bibliographia. — *P. M. Gy,* L'ordre, *in:* Initiation théologique, Paris 1954, IV, 701-38. — *K. N. Carey,* The historic Episcopate in the Fulness of the Church, London 1954. — *J. Beyer,* Nature ct position du Sacerdoce, *in:* Nouv. Rev. théol. 1954, 356-373. 469-480. — *B. Botte,* Presbyterium et ordo episcoporum, in: Irénikon 1956, 5-27. — G. *Moliat,* Quelques documents relatifs à l'usurpation des fonctions sacerdotales par les diacres au XIV. siècle, *in*: Mélanges Andrieu, Strasbourg 1956, 361-363. — *K. Rahner,* Dogmatische Vorbemerkungen für eine richtige Fragestellung über die Wicderemeuerung des Diakonats, *in:* Theo', in Geschichte u. Gegenwart (M. Schmaus), München 1957, 135-144. — *R. Tremblay,* Problèmes du sacerdoce et de l'ordre, *in:* Angelicum 1958, 191-201. — *M. Dominique Epagneul,* Du rôle des diacres dans l'Église d'aujourd'hui, *in*: Nouv. Rev. théol. 1959, 153-168. — *O. Pies,* DiakonaL Stufe oder Amt? in: ThuGl 1960, 170-193.

C) De essentia Sacramenti Ordinis.

Agendum est nobis non solum 1. de materia et forma ordinum sacramentalium, sed etiam 2. de materia et forma subdiaconatus et ordinum minorum, demum tractare debemus etiam 3. de legibus cultualibus ordinationis.

1. De materia et forma Ordinum sacramentalium.

Magna disceptatio de quaestione hac per saecula agitata est inter Theologos, Ecclesia semper partem tutiorem secuta est, dum anno 1947. huic disputationi finem imposuit decernendo, quid in posterum necessario materia et forma horum trium Ordinum habenda sit. Primum ergo agere debemus de historia huius litis.

a) Conspectus historicus quaestionis.

Ut elucubratio *Card, van Rossum* anno 1914. in lucem edita peremptorie demonstravit, usque ad saec. X-um tota Ecclesia ad ordinationem solummodo manuum impositionem adhibuit, Ecclesia vero Orientalis usque ad hodiernum diem tantum manuum impositionem cum variis orationibus qua forma adhibet in ordinatione diaconi, presbyteri et episcopi.

1°. *Primum vestigium* invenitur in *Paradosi Apostolike S. Hippolyti* versus 220, quae tantum manuum impositionem habet ad ordinationem (v. supe-

rius A 3. f.), quem van Rossum non allegat. Cetera vero testimonia, ab auctore clarissimo adducta (Euchologion Serapionis, Testamentum Domini usque ad Euchologion manuscriptum saec. IX-i) clare ostendunt, praeter manuum impositionem alium ritum adhibitum non esse. Antiquissimi *fontes ritus Romani,* Leonianum, Gelasianum primigenium, Gelasianum recensionis Francicae, Gregorianum Hadrianum solummodo impositionem manuum cognoscunt. Van Rossum ostendit, traditionem instrumentorum in presbyteratu et aliis ordinibus *tantum saec-X-o in usum venisse,* primum vestigium invenit in codice aliquo Vaticano (van Rossum η. 283), ubi post impositionem manuum legitur: « Hoc facto accipiat patenam cum oblatis et calicem cum vino et det ei dicens: Accipe potestatem offerre sacrificium Deo tam pro vivis quam pro defunctis, » Recentiore tempore M. Andrieu investigans ritus pontificales, ostendit, versus 950 ortum esse Moguntiae (Mainz) « *Pontificale Romano-Germanicum.* » In hoc primo habetur unctio manuum presbyteri, dein traditio instrumentorum, textus ubique idem est, ac textus mox citatus, Codex enim citatus a van Rossum allegatus est exemplar aliquod huius Pontificalis. E Pontificali Romano-Germanico unctio manuum et traditio instrumentorum paulatim assumpta sunt etiam in Pontificale Romanum saec. Xll-i.

2°. S. *Thomas* ideo saec. XIII. praxim iam universalem sui temporis cernens, haec scribit de essentia ordinis: « Episcopus in collatione ordinum duo facit: praeparat enim ordinandos ad ordinis susceptionem et ordinis potestatem tradit... *Praeparatio* in tribus consistit, scilicet benedictione, manus impositione et unctione... Per manus impositionem datur plenitudo gratiae, per quam ad magna officia sint *idonei...* Sed *potestatis collatio* fit per hoc quod datur eis aliquid, quod ad proprium actum pertinet. Et quia principalis actus sacerdotis est consecrare corpus et sanguinem Christi, ideo in ipsa datione calicis sub forma verborum determinata et character sacerdotalis imprimitur » (Suppi, q. 37. a. 5). Magna auctoritas S. Thomae hanc doctrinam communiorem reddidit, etsi semper fuerunt scholastici doctores solam manuum impositionem habentes qua materiam essentialem. Doctrina S. Thomae in multis exemplaribus Pontificalis vestigia reliquit, in rubricis enim inscriptum invenitur ad traditionem instrumentorum « Hic imprimitur character, »

3°. Imo etiam *Eugenius IV.* transsumpsit verbotenus doctrinam S. Thomae in Decreto ad Armenos, quin adesset intentio dandi definitionem, quia etiam post hoc decretum libera disputatio de substantia Ordinis continuata est. Decretum allegatum dicit: « Presbyteratus traditur per calicis cum vino et patenae cum pane porrectionem... forma sacerdotii talis est. Accipe potestatem offerendi... » (Denz 701).

1°. Recentioribus indagationibus de essentia Ordinis viam sternit *J. Aforintis* (Commentarius historicus et dogmaticus de s. Ecclesiae ordinationibus. Parisiis 1665); post van Rossum iam nullum dubium relictum fuit praeter manuum impositionem per decem saecula aliam materiam ignotam fuisse. Theologi ergo (pii sententiae S. Thomae adhaerere voluerunt, affirmabant, Christum m genere tantum materiam et formam Sacramentorum determinasse, sicque a saec. XII l-o traditio instrumentorum (cum vel sine manuum impositione) fuit materia essentialis. Alii Theologi vero adhaeserunt sententiae, Christum materiam ct formam Sacramentorum etiam in specie determinasse; iuxta hanc sententiam traditio instrumentorum nunquam potuit esse materia essentialis.

ordinationes tamen validae fuerunt, nam impositio manuum nunquam omissa est. — Talis fuit status huius quaestionis disputatae, quando Ecclesia quaestionem, saltem pro praxi peremptorio modo decidit.

b) Doctrina recens Ecclesiae de .substantia Ordinis.

Die *30 nov. 1947.* edita est *Contistutio Apostolica « Sacramenti Ordinis »,* (textus editus in AAS 28. jan. 1948, quo lex promulgata fuit, vis obligatoria ergo eius incepit a die 28. apr. 1948. inde ab hora O.)

Haec Constitutio maximi momenti quaestionem *practice tantum dirimit,* liberamque voluit relinquere quaestionem disputatam de institutione Sacramentorum in genere vel in specie, ut egregius Commentator, *F. Hürth* affirmat (op. infra cit. p. 13. 18): *si Ecclesia* habet potestatem aliquid *mutandi* circa materiam, quia *in genere* tantum est instituta, *tunc etiam nunc* eam possidet, ergo mutare potest eam, declarando in posterum traditionem instrumentorum non esse necessariam ad validitatem. — Sequentes sunt decisiones huius Constitutionis. (Textus: Denz. 2301).

1°. De traditione instrumentorum dicitur, « quod si ex Ecclesiae voluntate ct praescripto eadem aliquando fuerit necessaria, ad valorem quoque, omnes norunt, Ecclesiam, quod statuit etiam mutare et abrogare valere » (nr. 3.), ideoque « statuimus instrumentorum traditionem *saltem in posterum non esse necessariam ad validitatem* » (nr. 4.). — Iuxta eandem Constitutionem, quia quaestionem dogmatice dirimere noluit, *ordinationes dubiae* ante hanc Constitutionem (ergo ante 28. apr. 1948) *sub condicione integre repetendae sunt:* sic si traditio consecrati calicis etiam partialiter (v. gr. defectus vini) omissa fuerit, vel e verbis essentiale quid traditionis instrumentorum omissum fuerit, vel si primam impositionem subsequens extensio manuum omissa fuerit, vel oratio hanc concomitans (cf. Merkelbach n. 721). *Post* 28. apr. aliter est: absolute et integre repetenda esset ordinatio solummodo, si prima impositio manuum omissa esset, vel verba, quae Ecclesia inde ut essentialia declaravit.

2°. In genere principii instar declaratur apud tres Ordines diaconatus, presbyteratus episcopatus: « *Materiam eamque unam* esse manuum impositionem. *formam* vero *itemque unam* esse verba applicationem huius materiae determinantis, quibus univoce significantur effectus sacramentales scilicet potestas ordinis et gratia Spiritus Sancti, quaeque ab Ecclesia qua talia accipiuntur et usurpantur ». — Duo edicuntur magni momenti: Verba formae « *determinant* » materiam, *non concomitant,* sufficit ergo *unio moralis* inter materiam et formam (Hürth p. 30), — dein: verba sunt ea, quae ab Ecclesia « *qua talia* accipiuntur et usurpantur ». Nunc ergo certo certius non sufficeret forma, quae post impositionem manuum extensa dicitur a Consecrante, etsi hucusque plurimi theologi *his verbis* constare formam essentialem opinati sunt (sic Toumely, Perrone, Franzelin, Pcsch, Tepe, Witasse, Le Droint, Liebermann, Klee, Osvald, Mennens, Van Rossum, Juenin, Diekamp, Schmaus, Schütz, sententia haec a saec. XVIII. communior fuit); iuxta S. Thomam et alios pauciores theologos recentiores forma sunt verba « Accipe » concomitantia traditionem instrumentorum (Billot, Ilugon acriter loquens p. 705., Van Noort, Card. Lépicicr). — Haec omnia mutata sunt per Constitutionem praelaudatam, quae materiam et formam trium Ordinum in specie pro futuro determinavit.

3°. *Diaconatus* materia est: « Episcopi *manus impositio,* quae in ritu istius ordinationis una occurrit. *Forma* autem sunt verba *Praefationis,* quorum haec sunt essentialia, ideoque ad valorem requisita: « Emitte in eum quaesumus, Domine, Spiritum Sanctum quo in opus ministerii tui fideliter exsequendi septiformis gratiae tuae munere roboretur ».

4°. *Presbyteratus* « materia est Episcopi *prima manuum impositio,* quae silentio fit, non autem eiusdem impositionis per manus dexterae extensionem continuatio, nec ultima cui coniunguntur verba: Accipe Spiritum Sanctum ». *Forma* vero constituitur in verbis sequentibus *Praefationis:* « Da quaesumus, omnipotens Pater, in hunc famulum tuum Presbyterii dignitatem ,innova in visceribus eius spiritum sanctitatis, ut acceptum a te, Deus, secundi meriti munus obtineat, censuramque inorum exemplo suae conversationis insinuet. » Haec verba eodem modo sunt « essentialia ideoque ad valorem requisita », sicut apud diaconatum.

5°. In Ordinatione seu consecratione *episcopi* « materia est manuum impositio quae ab episcopo *consecratore* fit. Forma autem constat verbis Praefationis, quorum haec sunt essentialia, ideoque ad valorem requisita: « Comple in sacerdote tuo ministerii tui summam, et ornamentis totius glorificationis instructum coelestis unguenti rore sanctifica ».

In vigore tamen manet Constitutio Apostolica « *Episcopalis consecrationis* » *30. nov. 1944* iuxta quam materia et forma ab unoquoque episcopo conconsecrante tota et totaliter debet adhiberi cum intentione eadem consecrandi, ac episcopus consecrator (cf. Hürth p. 33).

6°. Constitutione nostra dirimitur quoque quaestio saepius agitata, num *tactus physicus* ad valorem requiratur, vel sufficiat tactus moralis, si manus suspensas solum super caput ordinandi habet: « Ne vero dubitandi praebeatur occasio, parecipimus ut impositio manuum in quolibet ordine conferendo caput ordinandi *physice* tangendo fiat, *quamvis etiam tactus moralis* ad Sacramentum valide conficiendum sufficiat. » — Usque ad hoc decretum S. Officium semper ordinavit rcordinationem « sub condicione ex integro cum tactu physico. »

2. De materia et forma Subdiaconatus et Ordinum Minorum.

Etiam ordinum maiorum essentia, ut vidimus, satis sero ab Ecclesia determinata est, subdiaconatus et ordinum minorum essentia multo minus authentice declarata est. Theologi communiter tenent, *materiam proximam* esse traditionem instrumentorum, *formam* vero verba concomitantia traditionis actum, quod tamen, spectata analogia trium ordinum maiorum, nunc iam *non tam certo teneri potest.* Forma enim, ut declaratum est ab Ecclesia, penes ordines maiores in praefationibus consecrationem peragentibus contenta est, forsan sic se habet res etiam cum subdiaconatu et minoribus ut Aertnys-Damen recte monet (n. 560). Contactus physicus vix ac ne vix quidem ad validitatem requiritur, nam si non requiritur ad validitatem ordinum trium sacramentalium cur requiratur ad subdiaconatum et ordines minores, ratio reddi non potest.

Speciatim :

1°. Subdiaconatus materia videtur esse *traditio calicis vacui cum patena vacua* superposita, utrum traditio libri Epistolarum vel Missalis ad materiam

essentialem pertinet, non liquet. In praxi ergo omnino servanda est. ut ceterum omnes ritus, etiam traditio urceolorum vestitio vestium subdiaconalium, etsi hae certo non peilinent ad ritum essentialem. *Forma* vero videntur esse *verba* « *Videte etc.* » sequentia traditionem calicis et patenae; ad analogiam Const. « Sacramenti Ordinis » nunc iam dici potest, etiam orationem « Domine sancte Pater omnipotens » probabilius ad formam essentialem pertinere.

2°. Ad ostiariatum *materia* essentialis certo est traditio *clavium ecclesiae* vel cappellae, cetera (sonare campanas etc.) certo non sunt essentialia. *Forma* videtur esse dictum Ordinantis: « *Sic agite etc.* » Sufficit si duo vel etiam quatuor ordinandi simul accipiunt claves, dummodo omnes simul manu tangant claves ab Ordinante porrectas (C. Rit. d 4035,5).

3°. Lectoratus *materia* videtur esse traditio *libri Epistolarum, forma* vero concomitantia *verba Ordinantis:* « Accipite etc. » Loco Epistolarii tradi potest Missale, Bibliorum liber, vel Breviarium (C. Rit. 3315. 27. sept. 1873.)

4°. In ordinatione Exorcistae *materia* videtur esse traditio *Libri Exorcismorum, forma* vero *verba Ordinantis:* « Accipite etc. » Liber Exorcismorum nunc separatus non habetur, sumi debet Rituale, in quo exorcismi continentur, vel Pontificale iuxta quosdam etiam Missale (Aertnys-Damen n. 560.). — Ceteroquin exorcista nunquam potest exorcismum peragere, ad quod solum presbyter procedere potest, cum licentia Ordinarii loci.

5°. Materia acolythatus iuxta theologos *duplex* esse videtur: primo traditio *candelabri* cum cereo exstincto, dein traditio *urceoli vacui, forma* vero sunt *verba concomitantia.*

3. De legibus cultualibus Ordinationis.

Leges cultuales Ordinationis sunt illae leges, quae circumstantias huius actus propius determinant: a) Scrutinium, b) exercitia ,c) tempus et d) locus legitimus ordinationis.

a) De scrutiniis ante ordinationes habendis.

Lex fundamentalis est: « Episcopus sacros ordines nemini conferat nisi *ex positivis argumentis moraliter certus sit* de eius canonica idoneitate: secus non solum gravissime peccat, sed etiam periculo se committit alienis communicandi peccatis » (can. 973 § 3.) - Haec positiva argumenta *per scrutinium* procurat sibi, quod iuxta Instructionem S. *Congr. de Sacramentis 27. dec. 1930.* datam (AAS 1931, 120-129) faciendum est, quae Instructio complenda est per similem Instructionem S. *C. de Religios. 1. dec. 1931* (AAS 1932, 74-80).

Scrutinium tria complectitur: I. Inquisitionem — II. Documenta — III Examen ordinationis.

I. Inquisitio ante ordinationem.

1°. *Fieri debet* a. per *Seminarii moderatorem,* qui « notitiam de promovendis ab alumnorum praefectis et etiam ab iis qui in Seminario doctorum gerunt munus ⁊ exquirere debet (Instr. § 2. 4. 5.). — b. Dein fieri debet etiam alia inquisitio per « alumnorum eorumque familiae *parochum* », cui inquisitioni additur in Instructione Modus II. (cf. AAS 1931, 128-129). Si parochus consanguineus vel allinis sit promovendo, « alius parochus vel sacerdos in loco commorans » notitias sumere debet, ab Episcopo delegatus (Instr. § 2, 6. 7.). —

c. Demum « *aliae etiam personae sive* ecclesiasticae, sive saeculares probitate insignes, quae peculiares notitias de promovendis praebere possint » interrogandae sunt, si Ordinarius id opportunum duxerit (Instr. § 2, 8) ad quam inquisitionem servire potest Modus III. Instructionis (p. 129).

2°. Materia *inquisitionis* in genere sunt: a. *Irregularitates et impedimenta* ordinationis (can. 983-987), de quibus infra. — b. Dein: «*singularia vocationis signa* », i. e. pietas, modestia, castitas, propensio ad sacras functiones, studiorum profectus, mores boni. — item c. « *anteactae ipsorum vitae ratio,* » parochus maxime referre debet, « quomodo se gesserint feriarum tempore, an videlicet quamdam animi levitatem ostenderint, vel profanis rebus indulserint », — demum d. aquae sit *publica ipsorum fama,* » « num candidatorum parentes bona gaudeant existimatione, » et etiam — e. « num aliquod abnorme ex parentibus in candidatum manavisse coniici aut suspicari fas sit, ac praecipue num corporis habitus ad libidinem sit proclivis, quod *atavismum sapiat* » (Instr. § 2. n. 5-7.).

3°. Quando tales inquisitiones *peragi debent:* a. Imprimis *ante suscipiendam primam tonsuram* et Ordines minores, etquidem duos saltem ante menses (Instr. § 2, 1). Ratio est: « Maxime interest, ut a limine eiiciantur, seu ne ad tonsuram et minores Ordines admittantur ii, qui sacerdotio fungendo non sint apti, seu a Deo non sint vocati » (n. 3.). — b. Dein: ante *subdiaconatum* facienda est talis perscrutatio, « candidati mores iterum perscrutetur oportet, servata methodo iam explicata », sed haud necesse est « inquirere de iis, quae ad alumni originem, eiusque parentum indolem et ingenium atque anteactas alumni mores spectant, nisi iusta orta sit suspicio » (Instr. § 3, 1). — c. *Ante diaconatum et presbyteratum,* « ut plurimum sufficit prae oculis habere iam peractas inquisitiones, nisi interim novae perpendendae sint circumstantiae » (n. 2.). Nam, « quoties Episcopus, antequam quis ad diaconatum aut ad sacerdotium initietur, pro certo habeat ex promovendi confessionibus aut ex aliis certis indiciis ct probationibus susceptis, ipsum sacra revera vocatione esse destitutum », tunc Ordinarius « conscientia graviter onerata » S. Sedem debet adire « candide et plane referens rerum statum seu argumenta quibus vehemens fovetur dubium de subdiaconi aut diaconi idoneitate ad onera maiora digne et fideliter perferenda » (n. 3.).

4°. Ad inquisitionem pertinet *obligatio* publicationis; « Nomina promovendorum ad singulos sacros ordines, exceptis religiosis a votis perpetuis sive sollemnibus sive simplicibus, publice denuntientur in paroeciali cuiusque candidati ecclesia; sed Ordinarius pro sua prudentia potest tum ab hac publicatione dispensare ex iusta causa, tum praecipere, ut *in aliis quoque ecclesiis* peragatur, tum publicationi substituere publicam ad valvas ecclesiae affixionem per aliquot dies, in quibus unus saltem dies festus comprehendatur » (can. 998), (piae publicatio *semel* tantum fieri debet die festo de praecepto, ultra sex menses publicatio repeti debet (§ 2. 3.).

II. Documenta.

Octo sunt documenta, quae a Iure ad ordinationes requiruntur.

Ie. Ante susceptionem primae tonsurae et Ordinum minorum candidati • duos saltem ante menses moderatori Seminarii *petitionem* sua manu exaratam

et subscriptam » exhibere debent, « qua candide significent, se libera omnino voluntate atque spontanea » postulare hanc promotionem (Instr. §. 2, 1.)

2°. Peractis inquisitionibus ante suscipiendos ordines sacros promovendus ad singulos ordines sacros « scribere debebit sua manu *declarationem,* iuramento ab ipso firmandam, qua scii, ipse fatetur se omnimoda libertate ad s. Ordinem accedere, riteque perspecta habere omnia onera eidem adnexa », quae declaratio ante singulos ordines iterum facienda est (Instr. § 3, 1. Specimen talis declarationis cf. ibid. Mod. I., ASS 1931, 127).

3°. « *Testimonium ultimae ordinationis* aut si de prima tonsura agatur, recepti *baptismatis et confirmationis* » (can. 993, 1.)

4°. « *Testimonium de peractis studiis* » pro singulis ordinibus iuxta can. 976. (can. 993, 2.)

5°. *Testimonium de bonis moribus* candidati, a rectore Seminarii post inquisitiones peractas (ib. n. 3.)

6°. *Testimonium de peractis spiritualibus exercitiis* (can. 1001 § 4.).

7°. « *Testimoniales litterae Ordinarii loci,* in quo promovendus tantum temporis moratus est, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit » (can. 993, 4). — Hae litterae differunt a litteris dimissoriis, non dant licentiam ordinandi, sed solummodo testificantur de requisitis qualitatibus promovendi de eo tempore, quod in alieno territorio peregerit. Tempus hoc est « regulariter pro militibus trimestre, pro aliis semestre post pubertatem », i. e. a decimoquarto completo anno (can. 995. § 1. coll, cum can. 88. § 2.).

8°. *Litterae dimissoriales* necessariae sunt, si Ordinarius proprius aliquem Episcopum ad ordinationem peragendam roget quae dimissoriales « ne concedantur, nisi habitis antea omnibus testimoniis, quae iure exiguntur » (can. 960. § 1). Tales litteras dimissorias dare debet etiam Superior religiosus, Episcopus ordinans acceptis iis litteris dimissoriis aliis testimonialibus litteris non indiget (can. 995 § 2.).

III. Examen.

Can. 996. jf I.: « Quilibet promovendus, sive saecularis, sive religiosus debet praevium ac diligens examen subire circa ipsum ordinem suscipiendum ». Promovendi ad sacros ordines etiam de theologia periculum faciant (§ 2.). — Qua methodo, coram quibus examinatoribus, e qua materia fiat examen, episcopo relinquitur. — Episcopus est ille, qui iure proprio ordinat, vel dat litteras dimissorias; examen subire debent etiam religiosi (can. 997. § 1.). Episcopus alienum ordinans cum dimissoriis litteris, potest iis acquiescere, sed non tenetur (ib. § 2.)

b) De spiritualibus exercitiis ante ordinationes.

1°. « Qui *ad primam tonsuram* et ordines minores promovendi sunt », per *tres dies* saltem integros »,

2°. « qui vero *ad ordines sacros,* saltem per *sex* integros dies vacent » (can. 1001. § 1).

3°. Si *interstitia* praescripta *brevientur* (de quibus cf. inferius), duo casus possibiles sunt. a. Si qui « *intra semestre* ad plures ordines maiores promovendi sint, Ordinarius potest exercitiorum tempus pro ordinatione ad diaconatum reducere, non tamen infra tres integros dies » (can. 1001. § 1.). Ergo

qui intra semestre tres maiores Ordines recipiunt, ante subdiaconatum sex, ante diaconatum tres, ante presbyteratum sex dies debent exercitiis vacare. — b. Alter casus est, si per dispensationem vel privilegium Ordines maiores *subsequentibus oel proximis* diebus alicui conferantur, tunc ante primum Ordinem sacrum conferendum sex integri dies, ante ceteros Ordines saltem una dies spiritualis recessus praemittendus est si fieri potest (S. Congr. de Sacrament. 27 apr. 1928 .AAS 1928, 359).

4°. Si *ordinatio* qualibet de causa *differatur* ultra semestre, exercitia iterentur (can. 1001. § 2.).

5°. *Locus exercitiorum* spiritualium est: pro saecularibus Seminarium, pro religiosis propria domus, pro utrisque alia ab Episcopo vel Superiore religioso designata (ib. § 3.).

c) De tempore legitimo sacrae ordinationis.

1°. Pro conferendo *episcopatu:* « conferri debet intra Missarum sollemnia, die dominico vel natalitiis apostolorum » (can. 1006. § 1.).

2°. *Ordinationes in sacris,* ergo subdiaconatus, diaconatus et presbyteratus celebrentur sex Sabbatis: sabbatis Quatuor Temporum, sabbato ante Dominicam Passionis (Sabb. « Sitientes ») et Sabbato Sancto (ib. § 2.) — « Gravi tamen causa interveniente, Episcopus potest eas habere etiam quolibet die dominico aut festo de praecepto » (ib. § 3.).

3°. *Prima tonsura* « quolibet die et hora conferri potest », ergo etiam vespere (i. § 4.).

4°. *Ordines minores* « singulis diebus dominicis et festis duplicibus, mane tamen n. Non ergo vespere, non debent conferri cum Missa, « duplicia » videntur intelligi debere ab a. 1961 festa I. et II. cl., fortasse etiam III. cl. etsi his adnumerata sunt festa olim « semiduplicia » (simplicia NCR Var. 3).

5°. *Consuetudines contra tempora* ordinationum — quae ante CIC multae aderant — reprobantur (ib. § 5.), ergo supprimi debent iuxta legem generalem can. 5.

d) De loco legitimo sacrae ordinationis.

1°. *Ordinationes generales* — ubi maior pars ordinandorum promovetur — « in cathcdrali ecclesia, vocatis praesentibusque ecclesiae canonicis, publice celebrentur », possunt in alio diocesis loco quoque celebrari — puta si in eo loco sit Seminarium constitutum — tunc « praesente clero loci, dignior, quantum fieri poterit, ecclesia adeatur » (can. 1009 § 1.)

2°. Ordinationes *particulares* — ubi pars vel unus tantum promovendorum ordinatur — « Episcopus iusta suadente causa » — quae esset e. gr. aedificatio fidelium in loco unde promovendus oriundus est — habere potest etiam in aliis ecclesiis, itemque in oratorio domus episcopalis aut Seminarii aut religiosae domus » (ib. § 2.).

3°. « Prima *tonsura* et ordines *minores* conferri possunt etiam in privatis oratoriis » (ib. § 3.)

Litteratura.

Praeter opera sub A) et B) iam relata:

S *M Card, van Rossum,* De essentia Sacramenti Ordinis, Romae 1914. 2. cd. 1931. — F. *Gillmann,* Spender und iiusseres Zeichen der Bischoisweihe nach Huguccio, Würzburg 1922. — P. *Cahier,* Impositions des mains, in: DThCath VII (1922) 1302-1425. — *J. Coppena,* 1,'imposition des mains et les rites connexes dans le Nouveau Testament et dans

l'Église antique, Paris 1925. — *l·'. Cabral,* Imposition des mains, *in:* DAL VII, 1 (1926/ 406-113. — *F. Hürth,* Constitutio Apostolica De sacris ordinibus. Textus et Commentarius cum appendice, Romae 1948. — C. Voge/, Le Pontifical Romano-Germanique, *in:* Rev. scienc. relig. 1958, 113-167.

D) De efficientia Sacramenti Ordinis.

Pertractata quaestione de essentia Sacramenti Ordinis, iam inquirendum est in compositionem quasi metaphysicam Ordinis, i. e. quale sit hoc Sacramentum simul consideratum cum suis effectibus. In Ordine « *Sacramentum tantum* » est Sacramentum Ordinis *physice* consideratum hoc est compositum ex materia et forma, quae est, ut demonstratum est impositio manuum verbis informata. « Sacramenti tantum » effectus immediatus seu « *res et sacramentum* » est: character indelebilis, quo suscipiens ordinatus fit, i. e. particeps potestatis sacerdotalis Christi. Ex qua « re et sacramento » fluit tum *potestas Ordinis,* radicans in charactere, tum *gratiae sacramentales.* Gratia sacramentalis vero est modalitas seu vigor specialis ipsius gratiae datae in Sacramento, gratia nempe cum suis habitibus infusis, haec vero duplex deprehendi potest: gratia *ad maiorem idoneitatem,* quae consistit in quadam bonitate excellente, ad quam capessendam ordinatus ius ad tales gratias et gratias ipsas accipit, dein gratia *ad digne administranda mysteria* Christi, seu digne obire munera Ordinis sui.

Efficientia ergo Ordinis hac Tabella conspici potest:

ORDINIS :

Sacramentum tantum:	*Res ct sacramentum:*	*Res tantum:*
Impositio manuum verbis informata	*Character:* i.e. ordinatum esse *seu* participem potestatis sacerdotalis Christi	1. Potestas Ordinis. 2. Gratia ad maiorem idoneitatem seu bonitas excellens. 3. Gratia ad digne mi nistranda mysteria Christi.

Agendum ergo est nobis 1. de potestate Ordinis, dein 2. de gratia ad maiorem idoneitatem, demum 3. de gratia ad digne ministranda mysteria Christi.

1. De potestate Sacramenti Ordinis.

a) Potestas ordinum sacramcntalium.

1°. Diaconatus potestas describitur a Pontificali Romano: « Diaconum oportet *ministrare* ad altare, *baptizare* et *praedicare* », ad quod accedit potestas eius s. Communionem distribuendi. Baptizare et s. Communionem distribuere potest tantum ut minister *extraordinarius,* de quibus cf. De Euch. E. 2. b. — b. Ad *verbum Dei praedicandum* indiget facultate, sicut et presbyter: « Nemini ministerium praedicationis licet exercere, nisi a legitimo Superiore missionem receperit, *facultate* peculiariter data, vel officio collato, cui ex sacris canonibus praedicandi munus inhaereat » (can. 1328), ut parochis et concionatoribus. Clericis e clero saeculari et religiosis non exemptis, item etiam exemptorum, dat Ordinarius Iodi in quo concio fiet (can. 1338), religiosis exemptis dat Superior regularis (can. 529). Ad concessionem huius facultatis

requiritur, ut « prius constet de eius bonis moribus et de sufficienti doctrina per *examen* ad nonnam can. 877 § 1. » (can. 1340 § 1), quod examen est examen ad iurisdictionem dandam requisitum.

2°. Presbyteratus potestas describitur a Pontificali Romano: « Sacerdotem oportet offerre, benedicere, praeesse, praedicare et baptizare ». a. « Offerre » est illa « potestas consecrandi et offerendi verum corpus et sanguinem Domini » (sess. XXIII. can. 1. Denz 961), — b. « *benedicere* » est potestas conficiendi sacramentalia; — c. « *praeesse* » significat potestatem iurisdictionis, qua in sublectione hierarchica presbyter regit fideles sibi commissos; — d. « *praedicare* » debet verbum Dei, cum cautelis supra descriptis, — e. et « *baptizare* » debet; item qua particeps sacerdotii visibilis, — habet potestatem f. « peccata *remittendi et retinendi* » (canon supra allegatus), item — g. qua « sacerdos ab episcopo ordinatus adducendus est ad infirmum inungendum » (sess. XIV. can. *4* de Extr. unet. Denz 929). — h. Potestas *confirmandi* remote et ligato modo adest in presbytero, qua tamen valide uti potest solummodo per facultatem a Summo Pontifice datam (cf. De confirm. D. 1. b).

3°. Episcopatus potestas describitur a Pontificali: « Episcopum oportet iudicare, interpretari, consecrare, ordinare, offerre, baptizare, et confirmare ». a. « *ludicare* » est pars praecipua potestatis regendi i. e. iurisdictionis, qua episcopus pollet in sua diocesi, — b. « *interpretari* » est potestas praedicandi ordinaria, nam « fidelium suis curis commissorum, sub auctoritate Romani Pontificis, veri doctores seu magistri sunt », ideoque « tenentur officio praedicandi per se ipsi Evangelium » (can. 1326 et 1327 § 2). — c. « *Consecrare* » significat peragere consecrationes Episcopis reservatas, quas tamen etiam alii Ordinarii, episcopali charactere non pollentes e concessione iuris vel privilegii peragere possunt; — d. « *ordinare* » significat conferre ordines praesertim sacramentales, et ordinem maiorem subdiaconatus et minores, etsi has ultimas etiam alii e concessione luris impertire possunt — e. « Offerre » est eadem potestas ac presbyterorum consecrandi et offerendi; — f. « *baptizare* » simili modo ac penes presbyteratum includit administrationem ceterorum Sacramentorum, — g. et « *confirmare* » additur, ad significandum quod episcopi potestatem ordinariam habent ad conferendam Confirmationem. — h. Potestas haec facit *episcopos presbyteris superiores,* nam « Sacramentum confirmationis conferre, ministros Ecclesiae ordinare, atque alia pleraque peragere possunt, quarum functionum potestatem reliqui inferioris ordinis nullam habent» (sess. XXIII. cap. 4 (Denz 860), sc. ordinariam, quod certum est de Confirmatione et Ordinibus minoribus, probabile de subdiaconatu, et plene non exclusum etiam de diaconatu, iino presbyteratu, ut quaestione sequenti de ministro tractabitur.

b) Potestas Subdiaconatus et Ordinum minorum.

1°. Subdiaconatus potestas describitur a Pontificali: « Subdiaconum oportet aquam ad ministerium altaris praeparare, diacono ministrare, pallas altaris et corporalia abluere, calicem et patenam in usum sacrificii offerre » a. Subdiaconus ergo debet in Missa sollemni « *ministrare* », ipse infundit aquam in calicem, portat ad altare calicem, tenet patenam manibus velatis et ministrat diacono subiectus in Missarum sollemniis et aliis functionibus sollemnibus. — b. Hanc functionem serviendi in Missa sollemni *etiam clericus* praestare potest, si adsit rationabilis causa, *sed·,* absque manipulo, cetera indumenta subdiaco-

nalia sumere potest; *dein:* aquam non ipse infundit in calicem, sed diaconus; *demum:* infra actionem non licet ei tangere calicem, apportat eum ad altare, sed infra canonem iam non licet tangere calicem, nec pallam removere, nec abstergere calicem post ablutionem, quod celebranti relinquere debet, post abstersionem vero componit calicem et defert ad credcntiam (C. Rit. d 4181. I. 2. 10 mart. 1906). Diaconi partes clericus non potest agere. — c. Subdiaconi demum est « pallas altaris et corporalia *abluere,* n intelligitur prima lotio *purificatoriorum, pallarum et corporalium,* quae ad lavandum tradi aliis ne laicis etiam religiosis quidem possunt, « nisi prius abluta fuerint a clerico in maioribus ordinibus constituto, aqua autem primae lotionis mittatur in sacrarium vel, si hoc desit, in ignem » (can. 1306 § 2.) Lotio haec non debet fieri cum sapone, sufficit si haec linteamina in aquam mittuntur et extorquentur.

2°. Acolythum « opertet ceroferarium ferre, luminaria Ecclesiae accendere, vinum et aquam ad ecclesiam ministrare » (Pontif. Rom.). a. Acolythorum functiones sacrae non solum *ad Missam* sollemnem restrictae sunt, sed iuxta praescriptiones librorum liturgicorum *ad permultas functiones alias* quoque se extendunt. Omnes hae functiones iam persolvi possunt ab aliis, clericis, et etiam laicis, si non habentur acolythi ordinati. Tales praesertim pueri alicubi, ut in Neerlandia, vocantur « acolythi » quin sint, formationi eorum tum spirituali tum liturgico nostris temporibus vehementer incumbunt.

b. Regulae pro acolythis et *aliis clericis inferioribus vel laicis* qui partem ipsorum agunt, sunt: (1) *Manus* tenendae iunctae ante pectus, nisi occupentur, si una manus occupatur, altera ponitur infra pectus nunquam vero super altare. — (2) *Ad altare* ascendit via recta, non circumeundo gradus altaris. — (3) *Genuflexiones* facere debet semper in medio plani, numquam in gradu altaris, vel suppedaneo. — (4) Genuflexio facienda est *ante omne altare* a ministro, etiamsi Sanctissimum non in eo asservetur, etquidem (a) in accessu et recessu, — dein (b) quoties ab uno cornu altaris ad alterum transit, sic cum librum transfert, — (c) *non* est facienda genuflexio, si tantum in medium altaris accedit vel inde recedit. — (5) Acolythus seu minister sese celebranti conformet, si stet, genuflectit (in plano!), et alias actiones simul facit cum celebrante: se Cruce signando, pectus tundens (ad Agnus Dei et Domine non sum dignus), inclinationes capitis similiter facit ac celebrans (Rubricae Missalis, cf. Gatterer, Praxis celebrandi 390).

3°. Exorcistam « oportet abiicere daemones et dicere populo, ut, qui non communicat, det locum, et aquam in ministerio fundere » (Pontif. Rom.). Accepit quidem « potestatem super energumenos imponendi manum n, a sive baptizatum sive catechumenum » (ibid.), sed hanc potestatem nunc e iure *solum presbyter* et *cum licentia episcopi* exercere potest (can. 1151). Cetera ad ministerium altaris pertinent, de quo iam locuti sumus.

4°. Lectorem « oportet legere ea, quae praedicat, et lectiones cantare, et benedicere panem et omnes fructus novos » (Pontif. Rom.). a. *Legere* potest in Missa sollemni epistolam, deficiente subdiacono, imo etiam in Missa cantata (ubi non habentur ministri sacri); dein « prophetias », item lectiones in officio divino. — b. « *Quae praedicat* » non significat praedicationem sacram, sed potest docere rudes elementa fidei christianae (Noldin-Schmitt n. 453), etiam in ecclesia, ubi fit catechesis. — c. « *Benedicere* » iuxta can. 1147 § 4.: « Diaconi

et lectores illas tantum valide et licite benedictiones dare possunt, quae ipsis expresse a iure permittuntur. » Talis expressa permissio habetur quoad benedictionem panis (Rit. Rom. tit. IX c. 3, 11, 3. 4.) et benedictionem novorum frugum (ib. n. 5.), quam permissionem censemus dari per textum Pontificalis, secus can. citatus CIC nullam haberet rationem, aliae enim benedictiones non permittuntur.

5°. Ostiarium « oportet percutere cymbalum et campanam, aperire ecclesiam et sacrarium, et librum aperire ei, qui praedicat » (Pontif. Rom.) a. « *Percutere cymbalum* », quod est sonare campanulam compositam e pluribus tintinnabulis (Klinsel, carillon, ossz.etett csengô, cf. J. Braun, Das christliche Altargerat, München 1932, p. 577 s., Tafel 115.). — b. « *Campanam* » pulsare est officium nunc aeditui seu pulsatoris (Glockner, harangozô), sicut etiam — c. *aperire et claudere* ecclesiam. « Sacrarium » seu sacristiam aperire et — d. *praeparare librum* et cetera necessaria ad cultum divinum est nunc officium Sacristae (Küster, sekrestyés).

6°. Minores ordines nunc sunt gradus *quibus ad sacerdotium tendatur* (sess. XXIII. can. 2. Denz 962), nam iuxta legem Ecclesiae « prima tonsura et ordines illis tantum conferendae sunt, qui propositum habeant ascendendi ad presbyteratum » (can. 973). Sicque merum desideratum mansit Tridentini propositum, « ut sanctorum ordinum a diaconatu ad ostiariatum functiones... in posterum... nonnisi per constitutos in dictis ordinibus exerceantur... in ecclesiis cathedralibus, collegiatis et parochialibus, » cui desiderio obstat etiam lex de Seminariis, ubi clerici degere debent. Ideo S. Synodus eodem loco (sess. XXIII. cp. 17.) concedit: « Quod si ministeriis quatuor minorum ordinum exercendis clerici caelibes praesto non erunt, suffici possunt etiam coniugati vitae probatae, dummodo non bigami, ad ea munia obeunda idonei, et qui tonsuram et habitum clericalem in ecclesia gestent », sed iam iuxta mentem ipsius Concilii Ordines minores non receperunt, nam « nemo iis initietur, quem non scientiae spes maioribus ordinibus dignum ostendat » (sess. XXIII. cp. 11.) Ad Ecclesiam pertinet, num et quando vult instaurare ordines minores ab iis recipi posse, qui solummodo hos exercere vellent neque haberent intentionem ascendendi ad presbyteratum.

7°. Prima tonsura est sacramentale, sed non pertinet ad Ordines, etsi tonsuratus « ordinari » dicatur iuxta can. 950., est etenim praeparatio ad ordines suscipiendos, sicut novitiatus ad professionem, a. *Essentia* huius ritus est tonsio capillorum per Ordinantem facta *cum verbis* quae proferuntur a ministro et tonsurando simul: « Dominus pars haereditatis meae etc. — b. *Effectus* primae tonsurae sunt: (1) divinis ministeriis mancipatur, ideoque adscribitnr seu ut dicitur *incardinatur* alicui diocesi (can. 108 § 1. et can. **111** § 2.). — (2) *Particeps fit* privilegiorum *et iurium* clericorum, de quibus in can. 119-123., inter cetera privilegii fori, immunitatis a servitio militari, privilegii canonis, quo fit, ut omnes sacrilegii delicto se commaculent, qui ei realem iniuriam intulerint (excommunicationem Ordinario a iure reservatam incurrunt can. 119 et 2343 § I). — (3) *Obligatus ft* clericorum obligationibus quae in can. 124-144., ut vita sanctiore prae laicis, (can. 124) deportandi habitum ecclesiasticum (can. 136), abstinentiae ab indecoris et dedecentibus (can. 138: « Decorum clericale »), exercitii negotiationis (can. 142.) etc.

2. De gratia sacramentali Ordinis ad maiorem idoneitatem.

Status quaestionis.

Iuxta *Tridentini* doctrinam « per sacram ordinationem quae verbis et signis exterioribus perficitur, gratia confertur », « Spiritus Sanctus datur » (sess. XXIII. cp. 3. et can. 4. Denz 959. et 964). Iuxta *Pium XI.* « non tantummodo... excelsas potestates per ordinis Sacramentum adipiscitur sacerdos, sed nova etiam peculiarique gratia, peculiarique ope augetur » («Ad cath. sacerdotii » 20. dee. 1935 Denz 2275). Haec gratia sacramentalis Ordinis est *specialis vigor* gratiae sanctificantis per Ordinem collatae habituumque infusorum et donorum Spiritus Sancti earn gratiam concomitantium. Hac gratia fit idoneus ad munera, praefulgens suis fidelibus *bonitate quadam excellente,* ut Doctor Communis perlucide docet: « Ad idoneam exeeutionem ordinum non sufficit bonitas qualiscunque, sed excellens; ut sicut illi, qui ordinem suscipiunt, super plebem constituuntur gradu ordinis, ita et superiores sint *merito sanctitatis.* Et ideo *praeexigitur* gratia, quae sufficiat ad hoc, quod digne connumerentur in plebe Christi (hic loquitur S. Thomas de gratia sanctificante communi); sed confetur in ipsa susceptione ordinis *amplius gratiae munus,* per quod ad maiora reddantur idonei » (Suppi, q. 35. a. 1. ad 3). « *Amplius hoc gratiae munus* » est gratia sanctificans aucta per suam specialem modificationem Ordinis fini congruentem seu « vigorem » specialem, quae animam ordinati semper exornat bonitate excellente, quae bonitas excellens est sacerdotalis bonitas, i. e. cumulus omnium virtutum sacerdotalium. *Ratio* vero *cur* sacerdos tali gratia sacramentali indigeat, est, quod « ...in divino omni non est audendum aliis duces fieri, nisi *secundum omnem habitum suum* factus sit *deiformissimus* et Deo simillimus » (ib. q. 36. a. 1., allegando Ps. Dionysium). — Gratia haec sacramentalis, seu vigor specialis gratiae sanctificantis auctae per Sacramentum et habituum infusorum donorumque, est ergo *aliquid habituale,* simulque constituit *ius ad* semper de novo dandas gratias *actuales,* quibus dein voluntas libere *cooperari* debet, labore assiduo, de quo Pius XII. dicit: « Hic arduus adsiduusque labor non inani voluntate ducitur, sed studiosa esse debet indefessaque actio, quae ad frugiferam animi renovationem contendat » (Litterae Apostol. de sacerdotalis vitae sanctitate promovenda 23. sept. 1950. inscript. » *Menti Nostrae* », allegatur: MN).

Infunduntur ergo et per gratias actuales semper ad exercitium ducuntur cum socia cooperatione ordinati praesertim sequentes virtutes infusae earumque partes:

a) Virtus theologica fidei,

quae est fides sacerdotalis, ut verificetur: « In lege tua diu noctuque méditantes, quod legerint, credant, quod crediderint, doceant, quod docuerint, imittentur » (iam in Gelasiano primigenio, Wilson p. 24.). *Fides sacerdotalis* ergo est talis, quod eam docere possit et imitari doctrinam. Fides debet esse talis, ut semper *fidelis* sit sacerdos, nam « excelsa haec dignitas a sacerdotbius Dostulat, ut gravissimo officio suo fidelitate summa respondeant » (MN). Fideitas in fide postulat agnitionem auctoritatis Ecclesiae docentis.

b) Virtus theologica caritatis

specialem accipit vigorem in ordinato, ita, ut fiat *caritas sacerdotalis,* a ad id peculiari officio adstringitur sacerdos,... ipse enim sociam operam Jesu Christo navare debet, qui cum terrenam vitam ageret, nihil potius habuit, quam incensissimum amorem ŋ (MN). Sacerdotalis hic amor « omnia aequo animo *tolerat,* rebus *non debilitatur* adversis, et *omnes* amplectitur homines » (MN), etiam « errantes fratres adamare eosque impensa caritate revocare ad salutem » studet (MN). Caritate hac « ad omne opus bonum instructus » est (2 Tim 3, 17), sacerdotes « caritatis apostoli » sunt, huius igitur caritatis opera urgeant » (MN). M

c) Virtus cardinalis prudentiae

modificatur per Sacramentum Ordinis in *prudentiam pastoralem,* quae necessaria est omnibus tribus gradibus, ut Origenes dicit: « Omnes episcopi atque omnes presbyteri vel diaconi erudiunt nos et erudientes adhibent correptiones ŋ (In Ps 32. Hom. 1, 1). Prudentia haec pastoralis valde necessaria est sacerdotibus « in rerum adiunctis hominumque classibus, ubi fere fallaciis ac vitiis circumveniebantur » (MN). Sacerdotes pastores debent esse, qui ŋ commendatas sibi oves foveant et divino magisterio ad viam deprecandae salutis instruant » (Cyprian. Ep. 11, 2).

d) Virtus cardinalis iustitiae

per Ordinem ditatur vigore *iustitiae sacerdotalis.*

1°. *Pars annexa* iustitiae est *virtus* veritatis, i. e. « quidam specialis ordo, secundum quod exteriora nostra, verba vel facta debite ordinantur ad aliquid, sicut signum ad signatum ŋ (II-II q. 109. a. 2.). Iam diaconi non sint « bilingues ŋ (1 Tim 3, 8), sed positive: « *veraces* » (alêtheis, Didache 15, 1). Sacerdotes et episcopi « diligant veritatem, nec eam unquam deserant aut lassitudine aut timore superati » (Gelasian. Wilson p. 152.).

2°. *Alia virtus annexa* iustitiae est liberalitas, cuius oppositum, avaritia quam maxime abest spiritui sacerdotali. Debet enim esse « *aphilargyros* », pecuniam non amans (1 Tim 3, 3 etc. Didache 15, 1), « sacrorum enim administri, qui paupertatis officio ob peculiare nuncupatum votum non obligantur, huius paupertatis amore ducantur oportet ŋ (MN). Sacerdotibus decet » *simplicis ac moderatae vitae ratio,* habitatio non sumptuosa, ac denique generosa erga egenos largitas » (MN).

3°. *Pars potentials* iustitiae est religio, quae virtus iuxta Pium XII. est • perfecta sanctitatis forma ŋ et « id requirit, ut cum Deo continenter communicemus » (MN). *Actus* huius virtutis commendatur enixe clericis ab eodem Sancto Patre: a. Eucharisticum *Sacrificium, horariae preces,* « ut eiusmodi communicatio ne intermittatur n, dein frugiferae veritates e S. *Scripturae meditatione depromptae;* item studium peculiari modo recolendi *annuum* liturgiae *cursum.* Post hos actus religionis commendatur; — b. « *alia pietatis exercitia* », imprimis sacra *meditatio,* quippe quae a aptissime nos praeparat ad Eucharisticum celebrandum sacrificium... ad suavem nos inducit liturgiae pulchritudinem percipiendam gustandamque, itemque ad aeternas veritates et ad miranda Evangelii exempla ac praecepta contemplanda nos permovet » (MN).

Commendatur dein *Mariale Rosarium,* item *adoratio* Eucharistiae, *conscientiae* pcrlustratio, frequens *confessio* et spiritualia *exercitia.*

e) Virtus cardinalis fortitudinis

vigorem accipit gratiae sacramentalis, iitque *fortitudo sacerdotalis.*

1°. *Pars integratis* eius est magnanimitas, valde necessaria in vita ducis dominicae gregis. Magnanimitas est « circa honores et inhonorationes, functio vero eius est, quod « modum rationis ponit circa magnos honores » (II-II q. 129. a. 1. et a. 3.). — a. *Honor essentialis* clerici est, quod « Christi servus » est (2 Cor 11, 23), « minister Novi testamenti » (2 Cor 3, 6), recte ergo debet cogitare circa verum honorem sibi impertitum, nec honores expectare, qui terreni sint. — b. Conclusio altera est: « Incitatum sentiat... tam excelsae dignitati vitam aequandam suam... cum semet ipsum debeat una cum Christo quodainmodo *immolare.* Quamobrem Eucharisticum sacrificium non modo celebret, sed etiam intima quadam ratione vivat oportet » (MN). Apposite ostendit viam ad hanc sacerdotalem immolationem S. *Chrysologus,* dicens: « Esto Dei sacrificium et sacerdos... Altare cor tuum pone et sic corpus tuum admove Dei securus ad victimam. Offer fidem, ut perfidia sit punita, immola ieiunium, ut voracitas cesset, sacrifica castitatem, ut moriatur libido, impone pietatem, ut deponatur impietas, invita misericordiam, ut avaritia deleatur, et ut consummatur stultitia, semper sanctitatem convenit immolare. Sic fiet corpus tuum hostia si nullo peccati iaculo fuerit sauciata » (Sermo 108. PL 52, 500 s.).

2°. *Alia pars integratis* fortitudinis est *virtus* patientiae, pertinens ad actum sustinendi fortitudinis, dum magnanimitas ad actum aggrediendi pertinet (II-II q. 128.). S. Paulus valde inculcat hanc patientiam sacerdotalem: « Argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina » (2 Tim 4, 2). Haec patientia maxime necessaria est, si non habeatur felix successus in laboribus pastoralibus, tunc enim succurrit virtus patientiae: « ...si impense laborando, optatos tamen non poteritis consequi fructus, ne concidatis animo, etenim alius est, qui seminat, alius est, qui metit » (MN).

f) Virtus cardinalis temperantiae

quoque modaliter evolvitur in temperantiam sacerdotalem.

1°. Pars subiectiva temperantiae est castitas, quae praesertim in Ecclesia Occidentali obligat sacros ordines, ut *coelibatus lex.* — a. Virginitas et coelibatus omnino *excellit ac matrimonio praestat,* quae veritas iam a Divino nostro Redemptore et a gentium Apostolo patefacta fuit, dein in *sacrosancta Tridentina* synodo sollemniter fuit definita ut divinae fidei dogma (sess. XXIV. can. 10. Denz 980). De hac excellente virtute edita est Encyclica « *Sacra virginitas* » per Sum. Pont. Pium XII. 25. mart. 1954. (AAS 1954, 161-191). Summa doctrinae capita huius decreti sunt: (1) « Jesu Christi *gratia* idcirco nobis *per Sacramenta potissimum* impertitur, ut spiritu viventes, corpus in servitutem redigamus. » — (2) In coelibatu viventes « a caelestium ipso munerum Datore spirituale *aliquid accipiunt,* quod quidem illud in immensum *ex superat* mutuum adiutorium, a coniugibus sibi invicem impertitum. » — (3) « Omnino falsum est asseverare, qui se perfectae castitati devoverint, eos ab hominum *communitate quasi extraneos* abesse... neque ab hominum consortione alieni dici queunt cum potius ad spiritualem eorum profectum... adlabo-

rent. » — (1) Omnino reprobantur, qui « adulescentes *ab ingrediendo Seminario... avertere* contendant, iisdem suadendo, sc posse, si matrimonio iungantur... maius assequi spirituale bonum, ⁊ — attamen impediri debent, ne ⁊ arctissimum eiusmodi iter ingrediantur » tales, qui eum « ad finem usque obituros sperari non possint ». — (5) « Ad tuendam castimoniam *fuga magis valet,* quam apertum certamen... quae fuga ita intclligenda est, ut non modo peccati occasiones diligenter arceamus, sed praesertim ut in huius generis certaminibus mentem animumque ad divina erigamus. » Ideo *recte non sentiunt,* qui autumant, ⁊ praesertim sacrorum administros, non ut superioribus aetatibus esse a mundo segregandos, sed *mundo praesentes* esse oportere, » — item asseverantes: « *Omnia videant* iuvenes clerici, ita, ut omnia cernere aequo animo assuescant atque adeo quibusvis perturbationibus se immunes reddant. » — (6) Incitantur omnes sacerdotes et religiosi, « ut in peculiarem tutelam se recipiant *almae Dei matris,* quae virginum Virgo est, » atque a qua virginitatem ortam esse iam Athanasius et Augustinus docuerunt. — b. *Ratio ultima* coelibatus castitatisque sacerdotalis est: « Cum a saeculi sollicitudinibus liber esse debeat, seseque totum divino servitio mancipare, coelibatus legem Ecclesia constituit ⁊ (MN). Sacrorum administri debent esse « nitidi, puri, mundi, cash', sicut decet ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei » (Pontif. Rom.).

2°. Ad virtutem temperantiae pertinet ut *alia pars subiectiva* sobrietas, quae item ⁊ modum rectae rationis » urget. Clericus ne sit « paroinos », vino et potibus alcoholicis « deditus », (1 Tim 3, 3, Tit 1, 7, de diaconis 1 Tim 3, 8).

3°. E partibus *potentialibus* temperantiae memoranda venit *virtus* humilitatis, quam virtutem iam S. Paulus vehementer commendat: Sacerdos ne sit ‹ *authadês* » (Tit 1, 7), i. e. sibi ipsi tantum placens, nec « *typhôtheis* » (1 Tim 3, 6), i. e. obnubilatus superbia, intellectum enim sicut « nebula » (thyphos) obcaecat superbia. *Origenes* conqueritur de diaconis et presbyteris, qui « ... obliti sunt humilitatis, quasi idcirco fuerint ordinati, ut humiles esse desisterent ⁊ (In Ezech. Horn. 9, 2). Gratia ergo Ordinis adiuvat sacerdotem, ut « non suis viribus confidat, non suis dotibus immodice delectetur, non hominum aestimationem laudationesque captet, non amplioribus muneribus cupide inhiet » (MN).

4°. *E partibus oboedientialibus* temperantiae demum memoranda venit mansuetudo. Sacerdos ne sit — ut S. Paulus dicit — « *orgilos* », iracundus, (Tit 1, 7). sed econtra ⁊ *amachos* » — non litigiosus, (1 Tim 3, 3), nec sit « *plêktès* » = verberator, rixator, sed sit, ut Didaché dicit. « *prays* » = mitis, lenis vir (Did. 15, 1). Ut Pius XII. hortatur, « apostolicum studium vestnim summa benignitate niteat, quandoquidem si necessarium omnino est errores refellere ac vitiis repugnare, semper tamen sacerdotis animus miseratione movetur necesse est » (MN).

Harum virtutum et aliarum cumulus ornat animam sacerdotis efficitque indolem sacerdotalem. Necesse est sacerdotes persuasos esse, se suis viribus indolem hanc nunquam posse elformare, hic cumulus, vocatus « *bonitas excelles* », confertur ct semper crescit gratia sacramentali, quae est « quoddâm divinum auxilium ad consequendum Sacramenti finem » (III q. 62. a. 2.).

3. De gratia sacramentali ad digne ministranda mysteria Christi.

Sicut habitualis vigor quidam, i. e. gratia sacramentalis requiritur ad efformanduin animum sacerdotalem, ad bonitatem excellentem, sic requiritur ta-

lis habitualis vigor ad exercenda sacra munia, i. e. ad digne ministranda mysteria Christi.

a) *Primum officium clericorum est, ut sint* « sacrorum administri », *a* dispensatores (oikonomoi) mysteriorum Dei » (1 Cor *4,* 1). Fiebant enim participes sacerdotii Christi « ad humani generis redemptionis opera ad saeculorum usque occasum perpetuanda » (MN). Sacerdotes « magnum habent thesaurum in manibus ac pretiosissimam margaritam, hoc est inexhaustas Jesu Christi sanguinis divitias, » (MN), sed portant hunc thesaurum in vasis fictilibus, attendere ergo debent, indigentque speciali hoc vigore gratiae sacramentalis Ordinis.

1°. Clerici ordinati « ministerium, » (diakonia) receperunt concreditum, quod ministerium *in hierarchica subiectione* exequendum est. Dictum est enim eis: « Providi cooperatores ordinis nostri, » (Pontif. Rom.), presbyteri sunt Pontificum « societatis et operis adiumentum » (Gelasianum, Wilson p. 23). Fidelitate ergo et oboedientia ministerium suum explere debent, officium enim hoc primum est servitoris. — 2°. Servus debet esse *minister etiam fidelium* sibi sublectorum, « servus Dei et vester », sicut S. Paulus dixit de seipso, ideoque « omnibus omnia factus », non tamen ductus respectu humano, sed in omnibus respiciens Domini mandatum. Sacerdos enim « continenter oculos suos ad Christum convertat, eius praescripta, actiones, exempla studiosissime sequatur » (MN). « Sacri muneris servitus trinis gradibus ministrorum constans, » hac lege Domino Christo, vero Regi militabit (Gelasianum, Wilson p. 27.).

b) *Munus clericorum secundum* est, ut sint Doctores *seu Magistri populi*

1°. Ad hoc, ut recte Magister esse possit, non sufficit absolutio curriculi studiorum ab Ecclesia praescripti, sed requiritur ut sit « *didaktikos,* » (1 Tim 3, 2), i. e. ad docendum idoneus. Non solum didacticam, i. e. artem bene docendi callere debet, sed praesertim amplectari debet « qui secundum doctrinam est fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos, qui contradicunt, arguere » (Tit. 1, 9).

2° Requiritur, ut Magister populi Dei « *factis amplius quam verbis* » doceat suos (S. Benedicti Regula). Sic iam Paulus monebat discipulum suum: « In omnibus teipsum praebe exemplar bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate » (Tit 2, 7). « In moribus eorum praecepta Dei fulgeant », vitamque Christianam « in se ostendant, exemplo probent », sicque « admonitionem confirment », ut Gelasianum dicit (Wilson p. 27. de diaconis, p. 24. de presbyteris). — Etenim „ haud possibile est — ut Pius XII. dicit — sacerdotale munus plenos nancisci effectus, qui aetatis huius nostrae necessitatibus omnino respondeant, nisi sacerdotes circumstanti populo *insignis* sanctitatis fulgore praeluceant » (MN).

E) De personis sacramentalibus Ordinis.

Agendum est nobis 1. De ministro Sacramenti Ordinis, dein tractandae sunt 2. Leges cultuales de ministro Ordinis, dein 3. De subiecto Ordinis ad validitatem, demum 4. De subiecto Ordinis ad liceitatem.

1) Dc ministro Sacramenti Ordinis

Primum agendum est:

a) De ministro ordinario ordinationis.

THESIS. Minister ordinationis ordinarius est solus episcopus.

1°. Trident, sess. XXIII. can. 7.: « S. q. d., episcopos non esse presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi, vel eam, quam habent, illis esse cum presbyteris communem... a. sit » (Denz 967). — De fide ergo est, quod episcopi presbyteris superiores sunt, item, quod habent potestatem confirmandi et ordinandi et ea potestas non est communis cum presbyteris. Ex his sequitur clare, quod soli episcopi ordinario modo ordinare possunt, sicut et confirmare, soli ergo habent hanc potestatem ordinariam, quia vero thesis sic definita fuit, theologice certa est.

2.° E. S. Scriptura unum certum haberi debet: episcopi ordinant, vel rectius tales, qui evidenter summa potestate praediti sunt (Cfr. Act. 14, 23, 2 Tim 1, 6 et Tit. 1, 5). Tota Traditio confirmat thesim, e. gr. adducatur S. *Hieronymus:* « Quid enim facit, excepta ordinatione, episcopus, quod presbyter non facit? » (Ep. 146. RJ n. 1357). Similiter S. *Epiphanius:* « Totum plenum stupiditatis est (effatum): dicere episcopum et presbyterum esse aequales. Et quomodo hoc fieri poterit? Ille enim est ordo ad gignendos patres (paterôn gennêtikê taxis), patres enim gignit ecclesiae, hic vero, cum patres non possit gignere, per regenerationis lavacrum filios gignit Ecclesiae, non autem patres vel magistros » (Panarion haer. 75, 4 RJ 1108). — Iam S. *Athanasius* omnibus notum supposuit episcopum posse solummodo presbyterum ordinare, ideoque irritam habuit ordinationem cuiusdem Ischyrae, a pseudo-episcopo Colutha ordinati: « Coluthum presbyterum obiisse, ambasque manus eius sine auctoritate fuisse,... nulli dubium est » (Contra Arianos n. 12 PG 25, 270, alius textus RJ 753).

b) Dc ministro extraordinario Ordinis.

THESIS. E delegatione Ecclesiae presbyter potest conferre aliquos ordines.

Thesis est *theologice certa,* quales vero ordines presbyter conferre queat, non constat, subdiaconatum plerique admittunt, sed — ut e lege patet — collatio eius a ministro non habente characterem episcopalem, non solum vetita, sed etiam invalida est, sicut etiam collatio Minorum, si non ab iis fiat, qui ius accipiunt ordinandi. Quaestio nunc tantum versatur circa id, in quanam latitudine presbyteris possit conferri ius ordinandi, aliis verbis: ad quales ordines habent potestatem remotam ordinandi, quae proxima fit per delegationem Ecclesiae. Ut iam dictum est, quoad subdiaconatum fere omnes hoc concedunt, sat multi etiam ad diaconatum extendunt thesim, aliqui vero dubitant, num etiam ad collationem presbyteratus valeat. Quoad ordines minores nunquam dubium erat, eos etiam a presbyteris conferri posse intra limites iuris canonici.

1°. Quoad *ordines minores* et primam tonsuram potestas haec remota certa est, quod constat tum e perpetua praxi, qua abbates per saecula ante Tridentinum conferebant Minores, tum ex ipso Tridentino: «Abbatibus ac aliis qui-

buscunque... non licet in posterum... cuiquam qui regularis subditus sibi non sit, tonsuram vel ordines minores conferre » (sess. XXIII. cp. 10. de reformatione), ergo suis subditis licet et — ut evidens est — etiam valet. Similiter can. 957. vicariis ac praefectis apostolicis et abbatibus nullius, et abbatibus regularibus dc regimine concedit ius Minores conferendi.

2°. Quoad *subdiaconatum ex* infra dicendis constat, aliquoties eum collatum esse a presbyteris.

3°. Quoad *diaconatum* multi probare volunt potestatem remotam ordinandi adesse in presbyteris ex eo, quod aliquoties concessa fuit haec potestas. Adducitur bulla *Innocenta VIII.* data 9. apr. 1489 abbatibus Cistercii et quatuor principalium monasteriorum, quo iis et eorum successoribus « perpetuis futuris temporibus... religiosis, quos ad id idoneos repereritis, subdiaconatus et diaconatus ordines huiusmodi alias rite conferre » possint (textum in extenso cf. Lennerz p. 148-150). Etsi de genuinitate bullae huius non plene constet, factum negari non potest, abbates cistercienses usos esse hac potestate, sic abbas generalis anno 1662. Romae, 1663. Gandavii subditos suos diaconos ordinavit, Alexandro VII. id sciente et non contradicente. Abbates cistercienses sic fecerunt usque ad revolutionem Gallicam. Ius hoc iis sublatum fuit solum a. 1902., sed adhuc in Rituali S. O. Cist. anni 1949 legitur « Ordinatio diaconi et subdiaconi » (Nouv. Rev. theol. 1954, 367 s.).

4°. Quoad *presbyteratum·,* aliqui dubitant, num etiam presbyter potestatem remotam habeat ordinandi alium in presbyterum, quia extant duae concessiones pontificiae. Prima data est 1. feb. 1400. a *Bonifacio IX.* abbati S. Osithae in Essexia, ut « professis eiusdem monasterii, omnes minores necnon subdiaconatus, diaconatus et presbyteratus ordines... conferre valide et licite valeant », sed concessio anno 1403. iam revocata fuit ab eodem Bonifacio IX. At iuxta documentum anno 1943. detectum *Martinus V.* 16. nov. 1427. abbati monasterii Cellae S. Mariae in dioecesi Misnensi (Meissen) concessit facultatem « singulis monachis eiusdem monasterii ac personis tibi abbati subiectis, omnes, etiam sacros ordines conferendi » (textum in extenso cf. Lennerz p. 145 s., 146 s., 147 s.) — Ideo recenter praesertim Lennerz dubium expressit de possibilitate ordinationis sacerdotalis per presbyterum facta: « Ex una parte non habentur argumenta, quae ostendant Summum pontificem non posse dare simplici presbytero facultatem conferendi ordines diaconatus et presbyteratus,... ex altera constat de facto a tribus Pontificibus simplici sacerdoti facultatem collatam esse... Videtur proinde dicendum: ergo presbyter ex concessione Summi Pontificis potest esse minister huius Sacramenti. Non enim dici potest, tres illos Summos Pontifices errasse in re adeo gravi, qualis est ordinatio sacramentalis » (p. 143). — Permulti tamen alii adhuc contradicunt, et, ut videtur, non sine iure. Nam argui potest etiam eo. quod res tam magni momenti pluribus testimoniis, iisque maiorem securitatem genuinitatis praebentibus demonstranda esset, ideoque litem adhuc opinamur sub indice debere remanere.

2. Leges cultuales de ministro Ordinis.

a) Leges ministri Ordinis ad validitatem.

1°. Episcopus omnes omnino ordines valide conferre potest, etsi forte graviter illicite, de quibus legibus liceitatis statim subiicimus tractationem.

2°. *Presbyter* iure nunc vigente valide solummodo tonsuram et ordines

minores potest conferre, iuxta legem: a. « *Vicarius* ac *Praefectus Apostolicus, Abbas vel Praelatus nullius...* si episcopali charactere careant, possunt nihilominus in proprio territorio et durante tantum munere conferre primam tonsuram et ordines minores, tum propriis subditis, tum aliis, qui litteras dimissorias iure exhibitas exhibeant, ordinatio extra hos fines ab eisdem peracta irrita est » (can, 957). Abbas vel Praelatus *nullius* non debet esse religiosus, sed extra territorium expleto munere, et alienis sine litteris dimissoriis invalide ageret. — b. Dein possunt conferre minores et primam tonsuram *cardinales* « a sua promotione in Consistorio... dummodo promovendus habeat dimissorias proprii Ordinarii litteras » (can. 239 § 1. n. 22.), facultas haec intelligitur de Cardinale, qui presbyter est et exerceri potest ubique terrarum, sine litteris dimissoriis invalide. — c. Demum tonsuram et minores conferre potest « *Abbas regularis de regimine...* dummodo promovendus sit ipsi subditus vi professionis saltem simplicis, ipse vero sit presbyter et benedictionem abbatialem legitime acceperit. Extra hos fines ordinatio ab eodem collata, revocato quolibet contrario privilegio est irrita, nisi ordinans charactere episcopali polleat » (can. 964 η. 1). Abbas ergo intelligitur *religiosus; saecularis,* etsi per privilegium pontificium sit abbas «mitratus», non potest conferre; nec *religiosus,* si sit Abbas « *titularis* », etsi benedictus, quia non est *de regimine.* Alienis nequit ordines minores conferre, nec tunc si litteras dimissorias acceperit, sed subditos, ut videtur etiam extra monasterium, quia limitatio haec a iure non additur.

b) Leges ministri Ordinis ad liceitatem.

Praetermissis legibus de ministro extraordinario, de quibus iam tractatum est, nunc solum de legibus ministri ordinarii agendum restat.

Principium fundamentale est: « Unusquisque a proprio episcopo ordinetur *aut* cum legitimis eiusdem litteris dimissoriis » (can. 955 § 1.). — *Exceptiones* sunt: « Consecratio *episcopalis* reservatur Romano Pontifici, ita ut nulli episcopo liceat quemquam consecrare in episcopum, nisi prius constet de pontificio mandato » (can. 953). Altera exceptio: « Subditum *orientalis* ritus, sine apostolico induito, licite ordinare non potest » (can. 955 § 2).

Quis sit episcopus proprius. 1°. Pro omnibus *saecularibus* est ad ordinationem episcopus dioecesis, in qua habeat *domicilium.* Si domicilium habeat una cum origine, nil aliud requiritur; si in alia dioecesi natus fuerit, promovendus ante susceptionem tonsurae debet animum in dioecesi perpetuo manendi iureiurando firmare (can. 956).

2°. Idem ius competit *vicariis et praefectis apostolicis, abbatibus et praelatis nullius.* Si praedicti charactere episcopali polleant, quoad ordinationem omnino aequiparantur episcopis dioecesanibus, si characterem non habeant, ad quemlibet episcopum litteras dimissorias dare possunt (can. 957. et 958 § 1. n. 4.).

3°. Pro omnibus *religiosis exemptis* (non exempti reguntur omnino iure saecularium!) est *episcopus dioecesis,* in qua domus religiosa sita est, ad cuius familiam pertinet ordinandus (can. 965). Non est ergo episcopus domicilii ordinandi, nec domus ubi forte educatur ordinandus. Religiosi exempti licite tamen ab episcopo proprio possunt ordinari solummodo tunc, si *litteras dimissorias* habeant a proprio superiore maiore (can. 964 n. 2.), hae vero litterae licite tunc tantum dantur, si ordinandus *non* sit iam *novitius,* (can. 567 § 2), et si

vota simplicia *temporaria* emiserit ante susceptionem tonsurae et ordinum minorum (can. 961 n. 3. collatum cum can. 574), *vota* vero *perpetua* (sive sollemnia, sive simplicia) ante susceptionem ordinum maiorum (can. ibid.),

3. Dc subiecto Ordinis ad validitatem.

Primum debemus fundamentum dogmaticum struere:

THESIS. Subiectum Sacramenti Ordinis est solus mas.

Theologice certum.

a) Status quaestionis.

Dicimus « *mas* » et *non* « *vir* », nam ad validitatem ordinationis non requiritur ut aliquis aetatem habeat, etiam infantes valide, etsi semper graviter illicite ordinari possunt. Cuius *ratio est:* Etiam infantes capaces sunt illorum Sacramentorum suscipiendorum, quae nullum actum a subiecto peragendum seu ponendum exigunt, ut requiritur in Poenitentia et Matrimonio, atqui in Sacramento Ordinis talis actus non est ponendus, recipit enim aliquam spiritualem potestatem, quae manet in eo, etsi actum humanum nondum potest ponere. Ideo infans potest recipere baptismum, confirmationem. Eucharistiam, et Ordinem; Extremam Unctionem ideo non potest suscipere, quia non habet peccata, quae vel quorum reliquiae deleri possint (cf. Suppi, q. 39. a. 2). Eiusmodi pueris ordinatis onera Ordinis post adeptum usum rationis non sunt portanda, etsi character remaneat, potestatem vero exercere tales non possunt. Non est dictum in thesi: «mas baptizatus », nam nullum Sacramentum sine baptismo suscipi potest.

b) Adversarii

pauci fuerunt, ideo thesis solum theologice certa est, quia non fuit necesse cam definire.

Sacerdotissas adhibebant: 1° primum *Montanistae* (seu Pepuziani, a civitate eorum originis Pepuza denominati), cuius testis *Tertullianus* habetur, qui adhuc catholicus de Montanistis refert: « Ipsae mulieres haereticae quam procaces, quae audeant docere, contendere, exorcismos agere, curationes repromittere, forsitan et tingere » (= baptizare) (De praescript. haeretic. c. 41. RJ 300). — 2°. *Collyridiani* praesertim e mulieribus constantes, etiam habebant sacerdotissas (Dolger, Antike und Christentum 1929, 107-142). — 3°. Aevo hodierno sectae permultae *Protestantes* iam adhibent feminas qua ministros verbi, principium ergo christianum, quod mulier taceat in ecclesia, relique-nmt. — 4°. *Problema,* cur non possit femina in ministerio stricte dicto ecclesiastico, i. e. qua ministra Sacramento Ordinis munita, participare, etiam multos *Catholicos* torquet, quod facile intelligitur, si respiciatur hodierna praxis feminas iam fere in omnibus vitae publicae necessitudinibus occupationibusque adhibendi.

c) E S. Scriptura

Thesis indirecte optime probari potest. *Duo textus Paulini simul coniuncti* ostendunt, feminis ministerium sacrum prohibitum esse. Loci vero sunt: *1 Cor*

14, 34: « In omnibus ecclesiis sanctorum mulieres in ecclesiis taceant (sigatôsan), non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse (hypotassesthôsan), sicut et lex dicit». Hic locus conferendus est cum *1, Tini 2, 11-12:* «Mulier in silentio discat cum omni subiectione (hypotagê). Docere autem mulieri non permitto neque dominari (authentein) in virum, sed esse in silentio ». Ex hû textibus tuto erui potest prohibitio feminae in sacro ministerio.

1°. Iuxta textum priorem femina silere debet *in ecclesia i.e. in coetu liturgico,* in quo « scripturae legebantur, petitiones delegabantur, psalmi dicebantur » (Tertull.), demum panis fractus est. Quod S. Paulus loco citato talem coetum liturgicum prae oculis habuit, docet contextus. In eadem enim epistola (1 Cor 11,17) incipit suam elucubrationem de « ekklêsia » ut quodam coetu evidenter liturgico, ibi renovatur « coena dominica », dein inde a 12,1 de spiritualibus rebus, i.e. charismis loquitur quorum manifestatio plerumque in coetibus liturgicis fiebat, hymnus caritatis (c. 13.) digressio est per charismata occasionata, demum iterum de « ekklêsia » loquitur (14,23) toto c. 14.-0. etquidem de charismate glossolaliae, quae maxime potuit perturbare hunc coetum. Textus de silentio mulieris in hoc capite de glossolalia legitur. Nullum dubium ergo remanere potest, Paulum intelligere feminam tacere debere in hoc conventu *liturgico,* etsi in eodem versu loquatur etiam de « ekklêsia », ut coetu fidelium *sociali,* seu « Ecclesia ».

2°. In conventu hoc sacrali mulier « *tacere* » *debet* (sigatôsan). Quid significet hoc vetitum prioris textus, conspicitur ex altero textu, nam prior textus seorsim sumptus posset etiam significare, mulierem non licere vocem suam iungere vocibus virorum orantium. Alter vero textus scripturisticus clare ostendit, agi *de verbis doctrinae:* mulier non potest docere (didaskein), sed debet discere in « omni subiectione », verbum « subiectionis » (hypotagê) coniungit alterum textum cum priore, ubi sermo est de eo quod mulieres « subditae sint» (hypotassesthôsan). Mulieribus ergo in coetu sacrali non licet docere, in schola, in familia, vita privata possunt docere, solummodo actum sacralem docendi in conventu sacro non licet eis exercere. Hic vero actus est actus magisterii ordinarii Ecclesiae.

3°. Certum ergo c duobus textibus Scripturae haberi debet: *Mulier* in *coetu sacrali docere non potest,* hoc directe *iure divino* vetitum est. Ex hac prohibitione directa docendi in coetu sacrali sic potest fieri *argumentum:* Femina actum magisterii ordinarii Ecclesiae exercere non potest. *Atqui* in oeconomia Novi Testamenti potestas magisterii, regendi et sanctificandi in uno eodemque sublecto unitur, dum in Veteri Lege magisterium a sacerdotio separatum fuit, ideo etiam feminae participes potuerunt esse muneris prophetici. Ergo si femina ab una functione prohibetur iure divino *directo,* etiam ab aliis duabus functionibus prohibetur, ut patet, iure divino *indirecto.*

4°. Ecclesia revera semper sic intellexit hos textus, definitiones Tridentini tacite supponunt, omnes clericos esse mares, nam de subiecto Ordinis loquens, semper adhibetur genus masculinum.

d) Traditio Sacra

luculenter hoc probat: Feminae nunquam susceperunt ordines sacramentales. *Atqui* si hoc iure divino vetitum non esset, sane iniustitia affectum fuis-

set totum genus muliebre, nam sine causa sufficiente privatum fuisset hac gratia, ut Scotus bene notat.

Maiori huius syllogismi videntur obstare « *presbyterae* » *et* « *diaconissae* » aevi antiqui christiani.

Sed immerito, 1° nam *presbyterae,* occurrentes primo in « Testamento Domini », erant Praefectae seu Antistitae diaconissarum, i. e. viduae, dein sic vocabantur ubique terrarum uxores presbyterorum, quas nupserunt ante ordinationem et in Oriente usque hodie sic vocantur.

2°. *Diaconissarum* institutum iam in Novo Testamento occurrit (Rom 16, 1 Phoebe « diakonos tes ekklêsias »); mulier vero ad varia ministeria assumpta, cuius qualitates describuntur a Paulo (1 Tim 5, 9-16) iam non « diakonos », sed « *chêra* », i. e. *vidua* vocatur.

3°. Diaconissarum *munus* erat: cum baptizabantur mulieres, eas diaconissae inungebant, custodiebant portas mulierum, feminas in domibus invisebant, imperitas feminas elementa fidei docebant (Const. Apost. III, 15 et Statuta eccl. antiqua c. 12). Inde a saec. VI.-o benedictionem seu consecrationem acceperunt, nunquam tamen eo modo ac diaconi habebantur. Institutum diaconissarum in Occidente saec. VIII. iam disparuit, memoria tantum remanebat, virgines sanctimoniales consecratae per consecrationem virginum habebantur tamquam successores diaconissarum medii aevi tempore. Sic sanctimoniales Carthusianae usque hodie stolam diaconalem portant post consecrationem virginum epistolamque in Missa conventuali cantant (E. Baumann, Les Chartreux, Paris 1928, 141).

4°. Quid de diaconissis antiquitas tenebat, sufficit luculens testimonium *Epiphanii* allegare: « Et quod diaconissarum ordo (tagma) existit in usum Ecclesiae, tamen non est institutus ad fungendum saccrdotaliter (hierateuein), nec ut aliquid incipiat (= manus mittat: epicheirein) vel prohibeat. Propter muliebris sexus causa institutus est, sive ad baptismi horam, sive ut inspiciat tormenta et molestias (pathos, ponos), sive, cum nudandum est mulieris corpus, ne videatur a viris sacra operantibus, sed a diaconissa » (Panarion haer. 79, 3 RJ n. 1112). Ceterum etiam *Constit. Apostol.,* quae ordinationem diaconissarum describunt cum manuum impositione, munus earum sic limitant: « Diaconissa non benedicit, nec quidquid aliud quod presbyteri vel diaconi faciunt, non operatur » (VIII, 28, 6). — Cf. infra F. 5. a).

e) Ratione theologica

iuvat aliquantulum uberius probare thesim, ut apte respondere possimus veritati innixi.

1°. Nihil per se obstat, ut feminae *Sacramcntalia* accipiant, qualia sunt ordines minores; aevo antiquo sine dubio tale sacramentale fuit ordinatio diaconissae, hodie adhuc consecratio virginum, sed hoc omnino a beneplacito Sedis Apostolicae dependet.

2°. Inhabilitas feminarum ad ordines sacros iure divino non potest eo fundari, quod fenima in se sumpta *minoris valoris esset,* quam vir, quasi mulier aliquid minus perfectum esset. Error hic fundatur in falso supposito antiquorum 'Aristotelem sequentium de conceptione hominis: « Femina est (ideo) ali-

quid deficiens et occasionatum (= aliqua particulari occasione ortum), quia virtus activa, quae est in semine maris, intendit producere sibi simile perfectum secundum masculinum sexum, sed quod femina generetur, hoc est propter virtutis activae debilitatem, vel propter aliquam materiae indispositionem, vel etiam propter aliquam transmutationem ab extrinseco, puta a ventis australibus » (I q. 92. a. 1. ad 1.), feminae « secundum diversam dispositionem aëris et diversum situm stellarum » generantur (I q. 96. a. 3). Biogenetica hodierna optime novit, partes feminae non solum aequales esse cum viro, sed imo partes viri superant, uterque sexus cellulam dat ad ortum novae prolis, femina insuper materiam praebet e qua corpus foetus aedificetur. (Uberiora cf. A. Mitterer 1933. et 1949. infra in Litt.).

3°. Inhabilitas mulieris ad ordines sacros *nullo modo secumfert* aliquem *imminutionem aeternae gloriae:* gradus enim gloriae non dependet ab eo, quale munus aliquis in terra habuerit, quale charisma, sed dependet solummodo ab eo, quomodo munus suum expleverit, quaestionemque a Deo propositam persolverit, sicque femina maiorem gradum gloriae consequi potest in patria caelesti quam Papa, sicuti maxima gloria femininum genus ornatum est in Maria Virgine.

4°. Quia in sacramentis non solum res (= gratiae effectus) attendenda est, sed etiam significatio a Christo instituta, dici potest, quod *significatio in femineo sexu non cerificaretur,* si susciperet Sacramentum Ordinis. Ordo enim natura sua secumfert subordinationem et superordinationem, hierarchia vero inter sua membra habet quidem subordinationem (diaconus est minister presbyteri), sed relate ad fideles laicos eis superponitur. *Atqui* « in sexu femineo non potest significari aliqua eminentia, gradus, quia mulier statum sublectionis habet, ideo non potest ordinis Sacramentum suscipere » (Suppi, q. 39. a.l.).

5°. Conveniens est quod sacerdotii Christi particeps vir fiat, qui etiam *in sexu conformatur Summo et Aeterno Sacerdoti,* etsi verum est, quod sexus virilis Salvatoris non fundatur in essentia divina, quae super omnem differentiam sexus est. Sexus virilis vero Dei-Hominis magis convenit operi redemptionis: redemptio enim hominibus vitam dat, generatio vero opus virile est. ideo sexus virilis Redemptori magis convenit (Schmaus ed. 5. 1957, IV, I. 661).

4. De subiecto Ordinis ad liceitatcm.

Fundamentalis lex est: « Sacram ordinationem valide recipit solus vir baptizatus. licite autem, qui ad norrnan sacrorum canonum debitis qualitatibus, iudicio proprii Ordinarii, praeditus sit, neque ulla detineatur irregularitate aliove impedimento » (can. 968. § 1.) — requiritur ergo ad liceitatem sacrae ordinationis I) aliquid *positivum:* ordinandus debet pollere positivis qualitatibus, dein aliquid *negativum* II) ordinandus debet liber esse ab omni irregularitate et impedimento ordinationis.

I. REQUISITA POSITIVA IN SUBIECTO ORDINATIONIS

Requiritur ad ordinationem iure divino: a) Vocatio Dei, iure vero canonico septem alia requiruntur: b) confirmatio, c) mores congruentes, d) aetas

canonica, e) debita scientia, f) ordinum inferiorum susceptio, g) interstitiorum observatio, h) demum titulus canonicus.

a) Vocatio divina

1°. semper praesupponitur, nam Scriptura eam clare postulat: « Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, tamquam Aaron » (Heb 5,4); ideo praescribitur episcopo, quod studeat frequenter Seminarium per se ipse visitare... et de alumnorum indole, pietate, *vocatione* ac profectu pleniorem sibi comparare notitiam, maxime occasione sacrarum ordinationum » (can. 1357 § 2.).

2°. *In quo consistat* haec vocatio, initio saeculi huius disputatum fuit, *L. Brancheran* affirmavit requiri ad vocationem sacerdotalem *specialem* et intensiorem animi internam *attractionem* (attrait), cui contradixit *J. Lahitton* (La vocation sacerdotale, Paris 1906, 2. ed. 1928). Commissio ad hanc quaestionem delegata, approbante Sancto Pio X. principia Lahitton laudans, hanc decisionem tulit: a. Nemo habet ius ullum ad ordinationem antecedenter ad liberam electionem episcopi, b. Vocatio sacerdotalis non consistit « saltem necessario et de lege ordinaria in interna quadam adspiratione subiecti, seu invitamentis Spiritus Sancti ad sacerdotium ineundum. » c. Ad vocationem nihil plus exigitur, nisi «recta intentio simul cum idoneitate in iis gratiae et naturae dotibus reposita, et per eam vitae probitatem ac doctrinae sufficientiam comprobata », quae ad munera rite obeunda obligationesque sacerdotales servanda necessaria sunt (Litt. 2. jul. 1912, AAS 1912, 485).

b) Confirmatio

requiritur ante susceptionem ordinum, ergo iam ante tonsuram (can. 874 § 1. η. 1. et can. 993. η. 1). *Ratio* huius praecepti veteris datur a S. Thoma: « Ad susceptionem ordinis praeexigitur aliquid de necessitate Sacramenti et aliquid quasi de congruitate. De *necessitate* enim Sacramenti exigitur, quod ille, qui accedit ad ordines, sit ordinis susceptivus, quod competit ei per baptismum, ct ideo character baptismatis praesupponitur de necessitate Sacramenti, ita quod sine eo Sacramentum ordinis conferri non potest. Sed *de congruitote* requiritur omnis perfectio, per quam aliquis reddatur idoneus ad executionem ordinis, et unum de istis est ut sit confirmatus. Et ideo de congruitate character ordinis characterem confirmationis praesupponit, et non de necessitate » (Suppi, q. 35. a. 4.).

c) Mores ordini recipiendo congruentes

(can. 974 § 1. n. 2.), quomodo hi mores inquirendi et probandi sint, iam tractavimus.

1°. Nunc sufficiat adiicere quaestionem de ordinando, qui *pravo habitu* peccandi, ut luxuriae vel ebrietatis foedatus est. Praesertim habitus luxuriae considerandus est, de quo Tridentinum praescripsit: « Subdiaconi et diaconi ordinentur, habentes bonum testimonium et in minoribus ordinibus iam probati... *qui sperent* Deo auctore *se continere posse* » (Sess. XXIII. cp. 13.).

2°. Alia lex quoad hanc quaestionem non existât, auctores varia dant *consilia.* Ei, qui tepidam vitam cum vera peccandi habitudine coniungit, vel qui

scandalose peccaturus praevideatur, ordinationem ad sacros ordines confessarius etiam per denegationem absolutionis vetare debet (Vermeersch-Creusen n. 30. III, 4), « in altera vel suminum tertio anno, nisi consuetudo victa demonstretur, discessum exigat » (ibid.); iuxta Aertnys-Damen ante sacros ordines « per tempus notabile, saltem per complures menses, pravum habitum emendasse tenetur, nisi extraordinariae conversionis certa argumenta adsint idque etiam si candidatus non ex malitia voluntatis, sed ex fragilitate peccet » (n. 580).

3°. *Necessitas Ecclesiae* non excusat, S. Thomas allegat *Innocentium III.*: « Si non possent tot ministri inveniri, quot modo sunt, melius esset habere paucos ministros bonos, quam multos malos, ut dicit Innocentius III, in cap. 14. de aetat. et qualit » (Suppi, q. 36. a.4, ad 1.) Nostris vero temporibus *Benedictus XV.* episcopis Boliviae scripsit: « Non *quot,* sed *quos* sacrorum ministros assumamus perpendere debemus, omniaque experti quae ad sacerdotii studium in iuventute fovendum suadeat prudentia, diligenter rem Deo, cuius in manu est, commendemus » (4. aug. 1918. AAS 1918, 361).

d) Actas canonica

requiritur ad singulos ordines:

1°. *Ad episcopatum:* annos natus saltem triginta et a quinquennio saltem in presbyteratu constitutus (can. 331. § 1. n. 2. 3.)
2°. *ad presbyteratum:* annus vicesimus quartus completus,
3°. *ad subdiaconatum:* annus vicesimus secundus completus,
4°. *ad subdiaconatum:* annus vicesimus primus completus.

5°. Sic iuxta can. 975.; ad *minores* et *ad tonsuram* nunc nulla aetas directe praescripta est, ante CIC aetas erat inter 7-14 annos. *Indirecte* vero habetur aetatis determinatio, nam ante inceptum cursum theologicum non licet eas conferre.

6°. Defectus aetatis *dispensatione* indiget ad liceitatem quam dispensationem sola Sedes Apostolica potest concedere, quae tamen facultatem dispensationis unius anni concedere solet Ordinario in facultatibus quinquennalibus. Rarissime dispensatur defectus aetatis in ordinando ad subdiaconatum vel diaconatum, et ultra annum et dimidium ad presbyteratum.

e) Debita scientia

determinatur per ius canonicum eo, quod praescribuntur quot cursus debeat persolvere ordinandus:

1° *ad primam tonsuram:* cursus theologicus inceptus,
2° *ad ordines minores:* consequenter,
3° *ad subdiaconatum:* exeunte tertio cursus theol. anno,
4° *ad diaconatum:* incepto quarto anno,
5° *ad presbyteratum:* post medietatem eiusdem quarti

anni (can. 976 § 1. 2.), cursus theologicus « peractus esse debet *non privatim,* sed in scholis ad id institutis » (ibid. § 3). Duratio unius anni scholastici debet saltem novem menses complecti, examen feliciter peractum supponitur (S. Cong. Consist. 24. mart. 1911 AAS 1911, 181). H

f) Ordinum inferiorum susceptio

seu « *gradatio* », quo prohibetur ordinatio per saltum (can. 977). — Inde consequenter, « si quis, ritu orientali ad aliquos ordines iam promotus, a Sede Apostolica indultum obtinuerit ordines suscipiendi ritu latino, debet prius ritu latino recipere ordines quos ritu orientali non receperit » (can. 1004), presbyter ergo orientalis ritu latino episoopus ordinandus, debet recipere minores, excepto lectoratu.

g) Interstitiorum observatio

etiam praescribitur: « Serventur interstitia temporum quibus promoti in receptis ordinibus, see. episcopi praescriptum, sese exerceant » (can. 978 § 1.). Eodem can. § 2. haec interstitia praescribuntur:

1°. Inter *primam tonsuram* et ostiariatum *vel inter* singulos Minores: iuxta prudens episcopi iudicium, sed non est permissum primam tonsuram cum ordinibus minoribus una die, nec omnes Minores una simul conferre (can. 978 § 3).

2°. Inter *acolythatum et subdiaconatum* praescribitur interstitium unius anni, (can. 978 § 2).

3°. Inter *tres ordines sacros:* Tres saltem menses in suo quisque ordine peragendi sunt, « nisi necessitas aut utilitas Ecclesiae indicio episcopi aliud exposcat » (ibid.).

4°. Dispensare potest ergo a lege interstitii episcopus *proprius;* solus Romanus Pontifex, ut « minores ordines cum subdiaconatu duove sacri ordines uno eodemque die, reprobata quavis contraria consuetudine conferantur» (§ 3).

h) Titulus canonicus

demum requiritur, qui definitur: *Cautio seu provisio ordinati in sacris de congrua sustentatione.* Debet esse « et vere securus pro tota ordinati vita,» utique suppositis adiunctis normalibus vitae oeconomicae, « et vere sufficiens ad congruam eius sustentationem » (can. 979 § 2).

1°. *Pro saecularibus clericis* sunt tituli:

a. *Titulus beneficii,* i. e. possessio realis alicuius beneficii ecclesiastici, (can. 979 § 1. pro tribus sequentibus),

b. *titulus patrimonii* i. c. quaecunque bona (agri, officina, domus, pecunia in securis titulis collocata) e quibus per totam suam vitam congruam sustentationem habere possit, si talis titulus deficit, potest esse:

c. *titulus pensionis,* qui est stipendium ordinando assignatum at annuatim vel minoribus interstitiis praestandum sive ab auctoritate ecclesiastica, sive civili. — Si tales tituli ordinarii deficiant, supplendi sunt aliis, qui sunt:

d. *titulus servitii dioecesis,* et in locis S. Cong, de Prop. Fide subiectis:

e. *titulus missionis,* in utroque casu « ordinandus, iurciurando interposito se devoveat perpetuo dioecesis aut missionis servitio, sub Ordinarii loci pro tempore auctoritate » (can. 981 § 1). Ordinarius tali presbytero « debet beneficium vel officium vel subsidium, ad congruam eiusdem sustentationem sufficiens, conferre » (§ 2).

2°. *Pro* religiosis titulus variatur:

a. *Titulus paupertatis* competit religiosis vota sollemnia nuncupantibus, seu regularibus, et est ipsa professio sollemnis (can. 982 § 1).

b. *Titulus mensae communis* competit religiosis votorum simplicium perpetuorum vel alius iuxta Constitutiones (§ 2).

c. Religiosi *non emittentes vota perpetua* aequiparantur saecularibus (§ 3).

II. DE REQUISITIS NEGATIVIS SUBIECTI ORDINATIONIS.

Notiones praeviae.

Enumeratis requisitis positivis in subiecto ordinationis, nunc veniunt requisita negativa, i. e. ea, quae *deesse debent* in ordinando. Duplicis generis sunt haec elementa negativa: irregularitates et impedimenta. *Irregularitas* est impedimentum *perpetuum* ordinationis, et septem sunt irregularitates *ex delicto* itemque *septem ex defectu. Impedimentum simplex* est impedimentum ordinationis *temporaneum,* quod per se cessat.

Principia: 1°. Irregularitas per se non est poena, sed « macula » (Catech. Rom.) seu quaedam *inhabilitas* iure ecclesiastico statuta propter sanctitatem Sacramenti Ordinis. Potest ideo sine ulla culpa incurri (irregularitas ex defectu). — 2°. Irregularitas non solum susceptionem ordinum vetat, sed *post* susceptos ordines *incurri potest,* tuneque vetat exercitium ordinis suscepti. — 3°. Irregularitas ex delicto tunc tantum oritur, si delicta « fuerint *gravia peccata,* post baptismum perpetrata, salvo praescripto can. 985 n. 2., itemque externa, sive publica sive occulta » (can. 986). — 4°. *Ignorantia* sive irregularitatum sive impedimentorum ab eisdem *non excusat* (can. 988). — 5°. Ex eiusdem causae repetitione irregularitas *non multiplicatur,* nec impedimentum, multiplicantur vero ex diversis eorum causis (can. 989). Excipitur homicidium voluntarium, quod toties irregularitatem causât quoties peccatum committitur (ibid.). — 6°. In dubio. si post debitam investigationem *prudens dubium* persistat, *non est* censendus irregularis in dubio iuris, nec in dubio facti, in quo Ordinarius dispensare potest iuxta can. 15.

a) Irregularitates ex defectu.

Iuxta can. 984 sunt irregulares ex defectu:

1°. « *Illegitimi,* sive illegitimitas sit publica sive occulta, nisi fuerint légitimât! vel vota sollemnia professi ». Defectus est hic « *natalium* », legitimi praesumuntur, qui saltem sex menses a dic celebrati matrimonii vel intra decem menses a die dissolutae vitae coniugalis nati sunt (can. 1115 § 2.).

2°. *Defectus corporis:* e corpore vitiati, qui secure propter debilitatem, vel decenter propter deformitatem altaris ministerio fungi non valeant. Ad impediendum tamen exercitium ordinis legitime recepti, gravior requiritur defectus neque ob hunc defectum prohibentur actus qui rite poni possunt ». Talis defectus est: a. *Caecitas* vel caecutientia, si haec postvenerit, dispensatio impetrari potest a Sancta Sede. — b. *Surdi et muti* irregulares sunt, si surditas sup·ɧ merit. etsi totalis sit. item dispensari potest. — c. *Carentes membro* aliquo

necessario: ut manu, pollice aut indice, paralytici, qui hostiam elevare et frangere non possunt, vel adeo tremuli, quod calicem effundant, claudi, qui sine baculo adstare altari non possent. — d. *Deformes* sunt: qui tali vitio corporis affecti sunt, ut horrorem vel risum excitent, nimie strabones (schielaugig, losco, louche, squint-eyed, kancsal), notabiliter gibbosi (hockerig, scrignuto, bossu, srump, pupos), veri nominis pygmaei (Zwerg, nano, nain, dwarf, torpe), vel gigantes etc.

3°. *Defectus animi,* i. e. vitia psychologica: « Qui epileptici vel amentes vel a daemone possessi sunt vel fuerunt, quod si post receptos ordines tales evaserint et iam liberos esse certo constet, Ordinarius potest suis subditis receptorum ordinum exercitium rursus permittere ».

4°. *Ex defectu Sacramenti* irregulares sunt « bigami qui nempe duo vel plura matrimonia valida successive contraxerunt » Ratio est, quia bigamia non perfecte significat unionem Christi cum Sponsa sua et quia bigamia aliquo modo incontinentiam sapit.

5°. *Ex defectu famae* sunt irregulares qui infamia *iuris* notantur. De his cf. De baptismo. E. 3. b. 2°.

6°. *Ex defectu lenitatis* sunt irregulares « iudex, qui mortis sententiam tulit, » quod stricte interpretandum est, ergo solus iudex, non advocatus, nec iurati (Geschworenen, esküdtek), item:

7°. « Qui munus *carnificis* susceperint, eorumque voluntarii ac immediati *ministri* in exsecutione capitalis sententiae ». Carnifex omnimode irregularis fit, alii ministri tunc solum, si voluntarie cooperationem praestabant, milites ergo qui adiguntur, non fiunt irregulares ,etsi sententiam immediate exsequebantur.

b) Irregularitates ex delicto.

Iuxta can. 985. sunt irregulares ex delicto:

1°. *Apostatatae a fide, haeretici, schismatici.* Est ergo delictum contra fidem, seu abusus fidei. Nil refert, an etiam formaliter nomen dederit sectae acatholicae etc., sufficit factum exterius manifestatum, e. gr. qui dogma fidei (ut Assumptionem Deiparae, infallibilitatem R. Pontificis) explicite negaverit, iam irregularis factus est.

Per abusum Sacramentorum *tres* incurri possunt irregularitates: per abusum baptismi, matrimonii et ordinis (n. 2-4.).

2°. Delictum *per abusum baptismi:* « Qui praeterquam in casu extremae necessitatis baptismum ab acatholicis quovis modo sibi conferri siverunt » (can. 985 n. 2.). «Siverunt », ergo irregulares non sunt qui ante usum rationis baptizat: sunt tali modo.

3°. Delictum *per abusum matrimonii:* « Qui matrimonium attentare aut civilem tantum actum ponere ausi sunt, vel ipsimet vinculo matrimoniali aut ordine sacro aut votis religiosis etiam simplicibus ac temporariis ligati, vel cum muliere iisdem votis adstricta aut matrimonio valido coniuncta » (ib. n. 3.).

Attentari potest matrimonium vel coram Ecclesia, vel coram foro civili, quoad irregularitatem idem est delictum. Matrimonium potest validum esse (si votis temporariis tantum ligatus esset), irregularitas tamen contrahitur. « Cum ...muliere matrimonio valido coniuncta », ergo si mulier tantum matrimonio *civili* erat ligata, contrahens cum ipsa non incurrit irregularitatem (Aertnys-Damen n. 605, 2).

4°. Delictum *per abusum Ordinis:* « Qui actum ordinis, clericis in ordine sacro reservatum, ponunt, vel eo ordine *carentes,* vel ab eius exercitio poena canonica sive personali, medicinali aut vindicativa, sive locali *prohibiti* » (ib n. 7.). « *Qui* »: ergo omnes, etiam laici fiunt irregulares, qui actum ordinis *sacri* ponunt, non ergo ordinum minorum, « *vel* eo *ordine carentes* »: e. gr. subdiaconus vel alius stola indutus partes agens diaconi in Missa solemni, sollemniter baptizans, communionem distribuens; diaconus peccat sine commissione haec faciens, sed non fit irregularis. « *Prohibiti* »: per poenam personalem, quae potest esse medicinalis (e. g. excommunicatus celebrans, vel si suspensus id laciat), aut vindicativa (can. 2298. e. gr. cui tantum in certa ecclesia licet ministerium exercere, vel degradatus), vel per poenam localem (celebrans tempore et loco interdicto).

Per abusum vitae item *tres* incurruntur irregularitates (n. 5-7.).

5°. « Qui voluntarium *homicidium* perpetrarunt, aut foetus humani *abortum* procuraverunt, effectu secuto, *omnesque coopérantes* » (can. 985 η. 4.). • *Voluntarium* » homicidium intelligitur, ergo voluntarium homicidium indirecte inducit irregularitatem. De abortu iam actum est. « *Omnesque coopérantes* » refertur tum ad homicidium, tum ad abortum. Declaratio extensiva habetur quoad clericos in sacris constitutos, ideoque illis qui in bello « non legum necessitate coacti, sponte sua se obtulerunt ad arma suscipienda aut ea susceperunt, pro dispensatione ad S. Sedem erit recurrendum », etiam iis, qui iam ad militiam coacti fuerunt, sed cx alio servitio (puta sanitario) ad militiam pugnantem transierunt, etiamsi mortem vel mutilationem nulli intulerint (S. Cong. Consist. 25. oct. 1918 et 28. mart. 1919. AAS 1918, 481; 1919, 177).

6°. « Qui seipsos vel alios *mutilaverunt,* vel sibi *vitam adimere* tentaverunt » (ib. n. 5.). « *Mutilatio* » intelligitur gravis, ergo manus vel pedis, oculi etc. non digiti, auriculae, dentis. *Tentamen ad vitam adimendam* debet esse grave peccatum, ut quis irregularis fiat, item mutilatio, non est ergo peccatum mutilatio prodiens cum moderamine inculpatae tutelae.

7°. « Clerici *medicam vel chirurgicam* artem sibi vetitam exercentes, *si* exinde *mors* sequatur » (ibid. n. 6.). « *Medica ars* » *omnis* nunc vetita est (can. 139 § 2) sine apostolico induito, permissa est in missionibus; irregularitas incurritur tantummodo, si « *mors exinde sequatur n,* si ergo exercitium artis vetitae graviter peccaminosum *causa,* non solum occasio est mortis.

c) De impedimentis simplicibus ordinationis.

Iuxta can. 987. sunt simpliciter impediti:

Impedimenta fidei sunt *duo* (n. 1°-2°.):

1. « *Filii acatholicorum* », quamdiu parentes in suo errore permanent», a l qua n legem Comm. Interpret. CIC declaravit, « nomine *filiorum* intelligen-

di tantum esse descendentes in linea paterna usque ad primum gradum » (14. jul. 1922. AAS 1922, 528). Aliud fidei impedimentum habetur:

2°. « *Neophyti,* donec, indicio Ordinarii, sufficienter probati fuerint » (can. 987 n. 6.). « Neophyti » intelliguntur adulti recenter baptizati, qui ergo conversi sunt ex ludaismo, Islam, religionibus paganis vel filii sunt atheorum modernorum.

Impedimenta libertatis habentur *quatuor* (n. 3-6.):

3°. « *Viri uxorem habentes* » (ib. n. 2.). Si coniugatus etiam bona fide maiores ordines susceperit, ab eorundem exercitio prohibetur (can. 132. § 3.). Si dispensationem apostolicam obtinuerit, ordinatique est, matrimonii usus ei interdicitur (can. 1114), quae dispensatio tunc tantum concedi solet, si uxor sua sponte, praesertim si iunior sit et incontinentiae suspecta, religionem ingreditur, vel saltem ad vitam mariti votum castitatis temporalis emisit.

4°. « Qui *officium* vel *administrationem* gerunt clericis vetitam cuius rationes reddere debeant, donec, deposito officio et administratione, atque rationibus redditis, liberi facti sunt » (ib. n. 3.). Officium debet esse clericis vetitum et tale, quod ad rationem reddendam coactus sit e. gr. thesaurarius vel depositarius aeris publici, magistratus, notarius, tutor, curator; non est prohibitum consanguineorum fortunas pecuniasve curare, vel piarum causarum.

5°. « *Servi servitute propria dicta* ante acceptam libertatem » (ib. n. 4.)

6°. « Qui *ad ordinarium militare servitium* civili lege adstringuntur, antequam illud expleverint » (ib. n. 5.). « Ordinarium » servitium *non* est servitium «exercitii militaris », quod exigi solet per aliquot hebdomadas vel menses post exactum cursum servitii militaris nec servitium extraordinarium, non armis pugnans, ut servitium infirmarii sanitarii, capellani militaris etc. Hoc impedimentum extensum est etiam ad eos, et quidem ad omnes ordines suscipiendos, qui ad militiam nondum sunt vocati, sed forsan vocabuntur, vel quia aetate adhuc impares sunt, vel quia examine militari recte peracto, ad tempus inhabiles sunt declarati ad servitium militare (Comm. Interpret. CIC 2-3. jun. 1918. AAS 1918, 345).

7°. « Qui *infamia facti* laborant, dum ipsa, indicio Ordinarii, perdurat » (ib. n. 7.) De hac infamia facti actum est in tractatu de Baptismo E. 3. c. 2°.

d) De cessatione irregularitatum et impedimentorum.

Irregularitates cessare possunt per dispensationem, impedimenta simplicia vero per dispensationem *vel* cessationem causae.

Dispensationes possunt largiri:

1°. *Sedes Apostolica,* cuius potestas sic adiri debet. *In omnibus casibus secretis* recurrendum est ad S. Poenitentiariam, in casibus vero *puldicis saecularium* adeunda est Cong. disc. Sacram, si de presbyteris *iam ordinatis* agatur: Cong. Concilii; in casibus *religiosorum* Cong. de Religiosis. Irregularitas ob attentatum *matrimonium* contracta deferenda est ad Cong. S. Officii.

2°. « Licet *Ordinariis* per se vel per alium *suos subditos* dispensare ab omnibus irregularitatibus *ex occulto delicto* provenientibus, ea excepta, de qua

in can. 985 ɳ. 4 » (homicidium voluntarium, abortus, cooperatio). « Ordinariis» licet, non loci, sed *propriis,* ergo etiam Superioribus maioribus religionis clericalis exemptae (can. 990 § 1.)

3°. « Eadem facultas competit *cuilibet confessorio* in casibus *occultis urgentioribus* in quibus Ordinarius adiri nequeat *et* periculum immineat gravis damni vel infamiae, sed ad hoc dumtaxat, ut poenitens ordines *iam susceptos exercere* licite valeat » (ib. § 2.). Iuxta sententiam communem etiam extra confessionem dispensare possunt confessarii.

Litteratura.

L. Brancherau, La vocation sacerdotale, Paris 1896. — *J. Lahitton,* La vocation sacerdotale, Paris 1906, 2. ed. 1928. — A. *Ludwig,* Weibliche Kleriker in der altkirchlichen und fruhmittelalti rlichen Kirche, *in:* Theol. prakt. Monatschr. 1910, 548-557, 609-617. — F. *Gillmann,* Zur Lehre der Scholastik vom Spender der Firmung und des Weihesakraments, Paderborn 1920. — A. *Mulders,* La vocation au sacerdoce, Bruges 1925. — A. *Kalsbach,* Die altkirchliche Einrichtung der Diakonissen bis zu ihrein Erloschen, Freiburg i. Br. 1926. — F· *Hürth,* Zur Frage nach dem Wesen des Berufs, *in:* Scholastik 1928, 94-102. — *M.]. Gerlaud,* Le ministre extraordinaire du sacrement de l'ordre, *in:* Rev. Thomiste 1931, 874-885. — A. *Mitterer,* Mann und Wcib nach dein biologischen Wcltbild des h). Thomas und der Gegenwart, *in:* ZfkTh 1933, 491-556. — *C. Baisi,* Il ministro straordinario degli ordini sacramentali, Roma 1935. — *E. Krumberger,* Würde und Adel der Frau, Aschailenburg 1938. — .V. *Rocholl,* Die personale Würde der Frau, Paderborn 1940. — *Oda Schneider,* Das Priestertum der Frau, ed. 3. Wien 1940. — *M. Bockeler,* Das grosse Zeichen. Die Frau als Symbol gottlicher Wirklichkeit, Salzburg 1941. — A. *Mitterer,* Die Zeugung der Organismen insbesondere des Menschen nach dem Wcltbild des hl. Thomas und dem der Gegenwart, Wien 1949. — *J. Colson,* L'évêque dans les communautés primitives, Paris 1951. — *J. Lécuyer,* La grace de la consécration épiscopale, in: Rev. scienc. phil. theol. 1952, 389-417. — *C. Spicq,* Spiritualité sacerdotale d'après St. Paul, Paris 1953. — AL *Pfliegler,* Priesterliche Existenz, 3. ed. Wien 1953. — *J.* A. *Wahl,* The exclusion of woman from holy orders, Washington 1959. — *D. Zahringer,* Die Frau am Altar u. auf der Kanzel?, *in:* Erbe u. Auftrag 1960, 304-315.

F) De ritibus Sacramenti Ordinis.

Legibus cultualibus iam pertractatis remanent considerandi ritus ordinationis, tum respectu evolutionis historicae, tum respectu legum stricte liturgicarum. Agendum ergo est:

1. D ritibus ordinum minorum.
2. De ritibus ordinationis ministrorum sacrorum.
3. De ritibus consecrationis presbyteri.
4. De ritibus consecrationis episcopi.
5. De ritibus ordinationi analogis.

1. De ritibus ordinum minorum.

Primo in tota hac quaestione semper consideranda est evolutio rituum, secundo vero describi et explicari debet hodiernus ritus Romanus respectivi Ordinis.

a) Evolutio rituum ordinum minorum.

1 . Ritus Romanus antiquus ordinum minorum. Etsi ut iam dictum est superius B. 1. arg. II.) saec. III clare omnes 1res minores iam testimonium habent Romae, ritus ordinationis *cognitus* est usque hodie solum *lectoratus ei*

acolythatus. Ritus non fallens liturgiae Romanae sobrietatem constat in traditione libri S. Scripturae (Ilippolyt. c. 12), Pontifex verbis munus ei concredidit ute.gr.: «Intercedente B. Petro principe apostolorum et S. Paulo vase electionis, salvet et protegat et eruditam linguam tribuat tibi Dominus » (Ordo quomodo in sancta romana ecclesia lector ordinetur, M. Andrieu, Rev. scienc. eccl. 1925, 352-274, cf. Righetti IV, 280). Ordinatio autem *acolythi* legitur in Ordine Romano XXXIV. (see. Andrieu, Les Ordines Romani III. 1951, 543-547) ut saec. VI usus fuit: Summus Pontifex si venerit ad « communicandum, faciunt eum venire ad se et porrigit in ulnas eius sacculum super planetam et prosternit se in terram cum ipso sacculo et dat ei orationem sic: Intercedente beata et gloriosa semperque sola virgine Maria et beato Petro apostolo, salvet et custodiat et protegat te dominus » (l. cit. p. 603). Sacculus iste fuit ad portandam Eucharistiam (pia « fermentum » aliis ecclesiis, dein etiam aegrotis ad communicandum, « acolythi enim sacramentorum portanda vasa suscipiunt et ministrandi sacerdotibus ordinem gerunt » dicit Joannes diaconus fine saec. V-i (PL 59, 405).

2°. Ritus franco-romanus ordinum minorum, a. Simplex et sobrius ritus liturgiae Romanae purae modificatus novisque ritibus e liturgiis typi Gallicani transsumptis auctus apparet in Pontificali Romano-Germanico saec. X-i. *Fontes hi Gallicani sunt:* (1) *Statuta Ecclesiae antiqua* (falso Cone. Carth. IV.) e prima parte s. V-i, (cf. *C. Munier,* Une forme abrégée du rituel des ordinations, in: Rev. scienc. rel. 1958, 79-84, textus: Andrieu, Ordines III, 615-619 et Denz. n. 150-158). — (2) *Gelasianum primigenium* (Benedictiones super eos qui sacris ordinibus benedicendi sunt, Wilson p. 147-148) saec. VI-VII. — (3) *Miswle Francorum* (saec. VII-VIII. PL 72, 318-319). — (4) *Gelasiana saec. VIII-i.* Ritus hic tripartitus erat et uniformis quoad schema suum in quatuor ordinibus minoribus: admonitio — traditio — benedictio. — b. *Admonitio* quae hodie legitur a Durando originem ducit (Rationale divinorum officiorum scriptum 1286-1291 et cius Pontificale versus 1290), sed eius prima pars, quae de officiis agit e Gallicanis fontibus sumuntur, partim e Statutis Eccl. Antiquis, partim ex Ep. de gradibus S. Isidori (PL 83, 895). — c. Admonitioni succedit *traditio instrumentorum* quae primo in Statutis dictis invenitur, huic Gelas, saec. VIII-i adiunxit etiam aperitionem portae ecclesiae in ordinatione ostiarii, qui claves accipit de altario, lector « codicem de quo lecturus est », exorcista « libellum in quo scripti sunt exorcismi », acolythus « cereoforaleum (!) cum cereis » et « urceolum vacuum » (cf. Denz 154-157). — d. *Benedictio* ipsa fit more Gallicano cum « praefatione » seu invitatorio ad orandum et oratione benedictionis, quae hodiernis textibus iam leguntur in Gelasiano primigenio.

3°. Ritus penes Durandum. Ritum franco-romanum tum Pontificale Curiae saec. XH-i, tum Pontificale Durandi (1292-1296) retinuit. Durandus admonitiones ieiunas ordinum minorum ulterius evolvit declarationi simplici de obligationibus adiiciens *exhortationem* longiorem allegorico-mysticam. Ritus hic Durandi dein exiguis modificationibus usque ad Pontificale Romanum hodiernum permansit.

b) Explicatio ritus Romani ordinum minorum.

Structura horum ordinum minorum uniformis est, ut iam diximus: admonitio, traditio instrumentorum, benedictio cum invitatorio ad orandum et ora-

tio benedictionis, in qua pro recte exercendo munere precamur, acolythatus habet tres orationes. Quatuor minores praecedit collatio tonsurae.

Γ. Tonsura. Tonsura non est ordo peculiaris, sed est *ritus aggregationis laid in statum clericalem.* Qui hucusque laicus i. e. simplex fidelis fuit, fit nunc « haereditas Domini », graece « klêros », unde clericus appellatur, haereditas significat possessionem. Renuntiatio statui laicali et obsequium erga Deum exprimuntur toto hoc ritu.

a. Ritus incipit *invitatorio* (» Oremus fratres carissimi »), quo Pontifex precatur pro perseverante constantia intentionis permanendi in servitio Dei et pro liberatione ab omni « saeculari desiderio ».

b. Post haec, sedente Pontifice, schola inchoat et prosequitur Ant. et Ps. 15: « Tu es Domine, qui restitues hereditatem mihi », dum Ps. canitur, Pontifex *cum forficibus incidit* unicuique extremitates capillorum in quatuor locis, videlicet in fronte, in occipitio (Genick, nape, nuque, nyakszirt), ad utramque aurem deinde in medio capitis aliquot crines capillorum et in bacile seu lance deponit. Quilibet dum tondetur dicit simul cum Pontifice vel eo suggerente statim post eum (CRit d 2682,3) verba: « Dominus pars hereditatis meae et calicis mei, tu es qui restitues hereditatem meam mihi ».

c. Omnibus tonsis, surgit Pontifex, mitra deposita et dicit stans versus illos orationem (pia Deo supplicat, ut tonsurati in Dei « dilectione perpetuo maneant ».

d. Quia relicto statu laicali, iam clerici facti sunt, *accipiunt vestimentum liturgicum* clericorum commune: superpelliceum. (1) Quae sit pars hereditatis clerico obveniens, ostenditur cantu investitionis Ps. 23. et ant. « Hi accipient benedictionem a Domino... » Ps. 23. ingressum sollemnem celebrat Domini in sanctuarium suum, per accommodationem liturgicam intelligitur Christus per ascensionem glorificatus: clericus qui Eum in hereditatem accepit, particeps erit et gloriae Christi, « ascendet in montem Domini ». Inter cantum Pontifex sedet cum mitra. — (2 Post cantum surgit et sine mitra ad altare conversus dicit « Oremus », ministri dicunt « Flectamus genua », « Levate n. Mox ad tonsos genuflexos versus autem dicit orationem, quae a Deo exposcit, ut tonsi clerici « devoti in Ecclesia persistentes » « vitam mereantur percipere aeternam ». — (3) Deinde sedet cum mitra et accipiens in manum superpelliceum, dicit: « Induat te Dominus novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis ». Et mox imponit illud cuilibet. — (4) Deum oratione finali Deum obsecrat, ut famuli nunc investiti « ab omni servitute saecularis habitus » emundentur, sicque per virtutem Dei « hereditatem mereantur subsequi aeternam ».

2°. Ritus ostiariatus.

a. *Admonitio.* In omnibus ordinibus minoribus Pontifex sedet cum mitra in faldistorio ante medium altaris, ordinandique praesentantur ab archidiacono genuflexi coram Pontifice cum candelis in manibus. Admonitio enumeratis officiis ostiarii praecipue duas virtutes eis commendat: sint providi, ne per negligentiam eorum (piae in ecclesia sunt, aliquid pereat, sintque ad tempus diligentes (pünktlich, esatto, pontos) i. e. certis horis aperiant domum Dei fidelibus Sollerter studeant insuper, ut etiam « invisibilem Dei domum, corda scilicet fidelium, dictis et exemplis eorum claudant diabolo et aperiant Deo ·.

b. *Traditio instrumentorum.* Pontifex accipit et tradit omnibus claves Ecclesiae, quas successive omnes manu dextera tangunt, Pontifice dicente: « Sic agite, quasi reddituri Deo rationem pro iis rebus quae his clavibus recluduntur». Post haec archidiaconus ducit eos ad ostium ecclesiae et facit illos claudere et aperire, tradit eis etiam funem campanarum, faciens eos campanas pulsare. Iuxta decr. CRit sufficit solummodo aperire et claudere ianuam non est necesse etiam clavi obserare (d 2682,5), loco pulsationis campanarum potest campanula parva agitari (d 3315,2-4.).

c. *Benedictio.* Ostiarii reducuntur ad Pontificem, ante eum in genua procumbunt, ille vero cum mitra stans versus illos dicit *invitatorium* ad orationem, in quo pro gratia muneris implorat Deum, ut sit eis « fidelissima cura in domo Dei diebus ac noctibus », ad dignam celebrationem liturgiae (« ad invocandum nomen Domini »). Dein conversus ad altare dicit « Oremus », ministris respondentibus « Flectamus genua. - Levate ». Pontifex tunc versus ad illos genuflexos obsecrat Deum pro benedictione, sicque modo deprecativo eos constituit « ianitores Ecclesiae ». Ritus descriptus idem est penes ceteros ordines minores. Oratio « in silentio » videtur esse servanda (NCR 440).

3°. Ritus lectoratus.

a. *Admonitio.* Pontifex post officia lectorum declarata exhortatur ordinandos, ut « verba Dei, videlicet lectiones sacras distincte et aperte, ad intelligentiam et aedificationem fidelium, absque omni mendacio falsitatis proferant. Qua finis sublimior commendatur eis, quod ore legunt, corde credant, atque opere compleant, sicque auditores verbo pariter et exemplo doceant.

b. *Traditio instrumentorum.* Pontifex accipit et tradit omnibus *a* codicem de quo lecturi sunt », qui potest esse Missale, lectionarium, breviarium, S. Scriptura, hunc manu dextera tangunt, Pontifice dicente: « Accipite et estote verbi Dei relatores, habituri, si fideliter et utiliter impleveritis officium vestmm, partem cum iis, qui verbum Dei bene administraverint ab initio ». Sicut in omnibus minoribus semper duo vel tres accedunt simul tangentes instrumenta, qui dein recedunt successoribus tradentes locum.

c. *Benedictio.* Post *invitatorium* in *oratione* Pontifex obtestatur lectores, nt studio S. Scripturae intenti sint (« assiduitate lectionum instructi sint »), finis vero sublimior praefigitur eis, ut « agenda dicant, et dicta opere impleant ».

4°. Ritus exorcistatus.

a. *Admonitio.* Enumeratis tribus officiis (obiectio daemonum, cura ordinis in coetu liturgico, aquae provisio ad fines cultuales), Pontifex exposcit ab ordinandis, ut discant per officium eorum vitiis imperare et a mentibus corporibusque eorum omnem immunditiam et nequitiam eiicere.

b. *Traditio instrumentorum.* Pontifex tradit illis librum in quo scripti sunt exorcismi, cuius loco tradi potest Missale vel Pontificale, quem librum dextera tangunt, Pontifice interca dicente: « Accipite et commendate memoriae, et habete potestatem imponendi manus super energumenos, sive baptizatos sive catechumenos ». « *Energumenus* » est vocabulum graecum christianum, verbotenus significat hominem in quo alius operatur, seu « energon » est. Denominationis fundamentum habetur Eph 2,2 ubi dicitur, quod malignus « spiritus nunc operatur (energei) in filiis inoboedientiae, inde per passivum « energumenos » significatur homo operationi diaboli subiectus, aliis verbis « daimonizomenos » (Mt 4,24) seu daemoniacus, aliter obsessus. « *Sive* baptizatus.

sive catechumenus » ideo dicitur, quia saec. IV-VII, praecipue in Occidente obsessi eidem disciplinae subiecti fuerunt: in atrio solum ecclesiae inter catechumenos et poenitentes locum habebant, saepe in cellis ecclesiae adjacentibus habitabant, cotidicque exorcismis subjiciebantur.

c. *Benedictio. Invitatorio* Pontifex voce supplici postulat, ut exorcistae novi sint » spirituales imperatores ad abiiciendos daemones de corporibus obsessis », idem paulo aliter deprecans in *oratione* benedictionis, ut « probabiles (i. c. probati) medici sint Ecclesiae Dei, gratia curationum virtuteque confirmati », ubi sub primo charisma scu gratia gratis data curationis praeternaturalis, sub altero autem sanctitas subiectiva virtutum intelligendum est.

5°. Ritus acolythatus.

a. *Admonitio.* Muneribus acolythorum recensitis (candelas = cerofcrarium ferre, luminaria accendere, vinum et aquam ministrare) Pontifex ordinandos obsecrat, ut munera sua rite impleant: sint lux, « in medio nationis pravae et perversae luceant sicut luminaria in mundo, verbum vitae continentes », sintque ipsi «Deo sacrificium per castam vitam et bona opera», tunc enim «in Dei sacrificio digne vinum suggerent et aquam ».

b. *Traditio insrumentorum.* Quartus gradus, acolythatus prolixiorem habens ritum duplici traditione gaudet, primo omnibus tradit candelabrum cum candela exstincta, dicens: « Accipite ceroferarium cum cereo et sciatis vos ad accendenda Ecclesiae luminaria mancipari, in nomine Domini ». Deinde tradendo urceolum vacuum, dicit communiter omnibus: « Accipite urceolum ad suggerendum vinum et aquam in Eucharistiam sanguinis Christi, in nomine Domini ».

c. *Benedictio. Invitatoria* voce Pontifex exposcit ab acolythis, quod « lumen visibile manibus praeferentes, lumen quoque spirituale moribus praebeant, adiuvante D.N. J. Christo. » Ad augendam sollemnitatem huius ordinis *tres* dicuntur *orationes* deprecativae Deum supplicibus verbis petentes, ut « accendat mentes et corda eorum ad amorem gratiae Dei, ut illuminati vultu splendoris Eius, fideliter Deo in sancta Ecclesia deserviant », mentesque eorum a Deo « lumine scientiae illustrentur et pietatis Dei rore irrigentur ».

2. De ritibus ordinationis ministrorum sacrorum.

Respectu praecisivo caeremoniarum posset subdiaconatus tractari simul cum ordinibus minoribus, structura ritualis eius enim persimilis est ritui minorum. Ex altera parte vero inde a medio aevo pertinet ad ordines maiores, e (piorum ritu prex litanica et investitio etiam in subdiaconatus ritum transsumpta sunt, ideo simul enarratur cum ritu diaconatus.

a) De ritibus subdiaconatus.

1 . Evolutio ordinationis subdiaconi. a. In liturgia *Gallicana* iam saec. Vll-o habetur *traditio instrumentorum* subdiacono facta (Missale Francor. PL 72,319 s). Traditur calix vacuus cum patena, forma vero est: « Vide cuius ministerium libi traditur... », (piae plures propositiones quoque continet admonitionis hodiernae. *Invitatorium* ibidem (nomine « praefationis ») cum oratione benedictionis eadem sunt quam in hodierno Pontificali, et iam in Gelasiano primigenio legitur (Wilson p. 118). — b. Inde a saec. X-o iam occurrit *inve-s-ttlio* subdiaconi cum manipulo (Pont. Romano-Germanic.), ut insigne huius

gradus, sacc. XII-o (Pont. Curiae) coeperunt etiam amictum seu humerale et tunicam hac occasione tradere, (pios ritus Durandus in suo Pontificali (1291-1296) retinens adiunxit etiam traditionem libri Epistolarum. — c. Ritus sic fere integer iam penes Durandum habetur, post eum solummodo adiecta fuit instructio Pontificis *de castitate* huic ordini adnexa, initio totius ordinationis.

2°. Explicatio ritus Romani subdiaconatus.

a. Ut mox dictum est, ritus subdiaconatus incipit cum *instructione Episcopi de obligatione castitatis* subdiaconatui adnexa. In praesentatione ordinandorum cum nomine eorum simul adsignandus est etiam *titulus canonicus* ordinationis, quia abhinc iam semper famulatui Dei *mancipatus est.* Ideo ultima mora ei datur, ut consideret quod onus ultro appetant, hactenus adhuc liberi sunt, licetque adhuc eis ad saecularia desideria transire. Suscepto autem hoc ordine — monentur ab Episcopo — « amplius non licebit a proposito resilire, sed Deo, cui servire regnare est, perpetuo famulari, et castitatem illo adiuvante, servare oportebit». Si vero in sancto proposito perseverare placet, «in nomine Domini: huc accedite! » — dicitur eis.

b. *Responsum* taciturnitate sua animos perfringens est, quod ordinandi nihil dicentes eousque stantes in locis super tapetia *se prosternunt,* dum *Litaniae Omnium Sanctorum* canuntur vel recitantur, sicque ostendunt propositum suum firmum se omnino Dei famulatui devovendi, simulque per orationem fidelium Omnes Coelicolas ad adiuvandum implorare. Pontifex mitram in capite tenens super faldistorium sive in plano, sive in suppedaneo altaris jaratum, ministri vero ceteri genua flectunt cum omnibus adstantibus. Versus inem Litaniarum ante « Ut nos exaudire digneris », Pontifex surgit cum mitra ab accubitu, et se ad ordinandos vertens et baculum pastoralem in manu tenens, super prostratos trinam dat *Benedictionem specialem:* « Ut hos electos f benedicere digneris », dein secundo: « benefdicere et sanctififcare digneris», tertio vero: « benedifeere et sanctifficare etconseferare digneris ».

c. *Admonitio.* Ordinandis genuflexis in modum coronae, Pontifex eos sedens cum mitra in faldistorio alloquitur; ordinandi iam ab initio sunt induti alba et cingulo et amictu non tamen super caput, manipulum tenentes manu sinistra, tunicellam super brachium sinistrum, candelam (exstinctam) in manu dextera. Pontifex prius enarrat *officia subdiaconi;* dein *exhortatur* eos, ut visibilia ministeria nitide et diligentissime compleant, insuper « invisibilia horum exemplo perficiant ». *Exemplo* sunt: altare, cui serviunt, est ipse Christus, pallae et corporalia sunt membra Christi, sc. fideles, si ergo « contingat in aliquo fideles maculari, praebenda est ab eis aqua caelestis doctrinae. Insuper tales esse debent, ut fidelibus bonum exemplum praebeant assiduitatis in servitio Dei, in vigilantia, sobrietate et castitate.

d. *Traditio instrumentorum.* Ordinandi omnes surgunt, et bini ascendentes ad faldistorium dextera manu tangunt calicem vacuum cum patena superposita, *circa nodum* tangunt *non* vero patenam, dum Pontifex dicit: « Videte, cuius ministerium vobis traditur, ideo vos admoneo, ut ita vos exhibeatis, ut Deo placere possitis ». Dein surgunt et non descendentes pergunt ad latus Evangelii ad *archidiaconum,* ibique tangunt successive urceolos seu ampullas cum vino et aqua ac bacile cum manutergio, deinde descendunt et redeunt ad loca sua, ibique stant, alii vero interea iam ante Pontificem calicem tangunt (Nabuco 1,106).

c. Benedictio. Pontifex eodem ritu sicut in collatione minorum, prius dicit *invitatorium* ad orationem: « Oremus Deum ac Dominum nostrum, fratres carissimi... » ut ordinati « in conspectu Dei fideliter servientes praedestinata Sanctis praemia consequantur », in *oratione* autem precibus infimis petit Dominum, ut ordinati « in sacrario Dei sancto strenui, sollicitique caelestis militiae instituantur excubitores (Wachter, keeper, guardia, or), sanctisquc altaribus Dei fideliter subministrent ».

f. *Investitio.* Pontifex iterum sedet in faldistorio, subdiaconi autem singuli accedentes genuflexi accipiunt (1) *amictum* in collo ordinatorum adhuc iacentem in caput cum verbis: « Accipe amictum, per quem designatur castigatio vocis. In nomine Paftris etc. ». Humerale seu amictus hic nativam suam habet significationem: est enim velamen capitis occasione sacrificii ab antiquis Romanis usitatum (cf. « capita ante aras Phrygio velamur amictu » Vergil. Aeneis III, 543 s.), inter sacrificium inculcabatur « silentium sacrum », quia vero subdiaconi iam ad ministrandum ad sacrificium ordinantur, accipiunt amictum, *velamen sacrificale,* simulque monentur ad mores modestos, ad recollectionem tacitam (« castigatio » i.e. retentio, coercitio vocis seu loquelae inutilis). — (2) Dein inmittitur *manipulus* in sinistrum brachium cuiuslibet ordinati cum verbis: « Accipe manipulum per quem designantur fructus bonorum operum. In nomine etc. ». Manipulus usque ad saec. IX. fuit *mappula* i. e. pannus lineus ad detergendum sudorem, eo tempore iam evasit insigne distinctivum subdiaconatus, qua sudarium in memoriam reducit labores et opera, ob quae sudavit et alsit clericus, opera nempe suscepta in bonum fidelium, sicque manipulus designat fructus bonorum operum. — (3) Deinde subdiaconus induitur *tunicella,* Pontifice dicente: « Tunica iucunditatis et indumento laetitiae induat te Dominus. In nomine etc. ». Tunicella a saec. IX-o iam vestimentum distinctivum fuit subdiaconorum, vestis sollemnis semper albus laetiam natura sua signans, dein etiam significat « illum novum hominem » (cf. in ritu tonsurae), qui in Baptismo primo creatus novo charactere accepto semper novitate quadam augetur, sic in collatione diaconatus, unde dein formula investitionis gaudium annuntians etiam in ritu subdiaconatus usuvenit. — (4) Demum omnibus tradit *librum Epistolarum,* omnibus manu dextera simul tangentibus, dicens: « Accipite librum Epistolarum, et habete potestatem legendi eas in Ecclesia sancta Dei tam pro vivis, quam pro defunctis. In nomine Paftris etc. ». Omnibus expeditis, suggerente archidiacono ordinati redeunt ad loca sua, unus tamen de noviter ordinatis, tunica indutus, dicet Epistolam suo tempore.

b) De ritibus diaconatus.

1°. Evolutio ordinationis diaconi. Evolutio trium ordinum sacramentalium (diaconatus, presbyteratus, episcopatus) tribus phasibus perfecta est. *Prima phasis* est ritus antiquissimus, cuius fons unicus est Paradosis Apostolikê S. Hippolyti versus 220. *Secunda phasis* est ritus Romanus purus saec. VI-IX, fontes eius lres Sacramentarii Leonianum, Gregorianum et Gelasianum primigenium, et Ordo Rom. XXXIV. iuxta numerationem Andrieu (cf. Les Ordines Romani du haut moyen âge, III. 1951, p. 533-613). *Tertia phasis* est ritus franco-romanus saec. X-XIII., quando elementa ritualia e liturgiis Gallicanis assumpta ritum Romanum sobrium novis ritibus ditiorem simulque paulo intricatiorem et versicolorem effecerunt. Fontes Gallicani quoad maiorem partem nunc iam ignoti sunt, quia deperditi evolutionis vero huius stationes sunt Pon-

tificale Romaiio-Germanicum saec. X-i (cuius prototypiis habetur in Orcline Romano Vulgato Ilittorpii), Pontificale Romanae Curiae saec. XII-XIIL et Pontificale Durandi (scriptum inter 1291-1296). In descriptione phasis primae tres orclines sacramentales simul enarrantur, phasis secundae autem diaconatus et presbyteratus simul dilucidantur, dum descriptio phasis tertiae singillatim fiet quoad tres ordines supradictos.

a. *Ritus· antiquissimus* omnium trium ordinum sacramcntalium teste Hippolyto versus 220 est simplicissimus. Primus ritus (1) est *impositio manuum. Diaconis* ordinandis solus episcopus imponit manus, cpiia « non in sacerdotio, sed in ministerio episcopi » ordinantur, ordinando autem ad *presbyteratum* «imponat manum super caput eius episcopus, contingentibus /i. e. cum eo simul tangentibus/ etiam presbyteris » (c. 8). Electo ad episcopatum omnes qui praesentes fuerint episcopi « imponant super eum manus et presbyterium adstet quiescens» (c. 2.). — (2) Secundus ritus est *tacite prolata fidelium precatio:* «Omnes autem silentium habeant, orantes in corde propter descenionem Spiritus ». — (3) *Forma sacramentalis* vero in omnibus tribus ordinibus constat ex oratione ab episcopo inter impositionem manuum prolata. Sic ordinando ad *episcopatum* « unus de praesentibus episcopis ab omnibus rogatus, imponens manum ei, qui ordinatur episcopus, oret, ita dicens: Deus et Pater DNJ Christi, pater misericordiarum et Deus totius consolationis... ». Super *presbyterum* dicitur oratio: Deus et Pater DNJ Christi, respice super servum tuum... », in ordinatione *diaconi* vero dicebatur: « Deus qui creasti omnia et Verbo perordinasti, pater DNJ Christi... ». Hae orationes in liturgia Romana posterioris aevi nullum vestigium reliquerunt. — (4) In ordinatione episcopi, fortasse etiam presbyteri sequitur *osculum pacis:* « Omnes offerant os pacis, salutantes eum, quia dignus factus est ».

b. *Ritus Romanus purus (saec. VI-IX)* est secunda phasis evolutionis. Structura simplicissima ordinationis penes Hippolytum Romae decursu saeculi Vl-i aliquantulum aucta apparet, textus vero orationum prorsus mutati sunt. Ritus ordinationis diaconi et presbyteri omnino identici sunt, textibus, ut patet, differentibus. — (1) Novus ritus est *praesentatio ordinandorum.* Pontifex dixit ad fideles: « Auxiliante Domino Deo et Salvatore nostro J. Christo elegimus in ordine diaconi sive presbyteri illum subdiaconum, sive diaconum de titulo illo » (Gelasianum Wilson p. 22). Recitatis nominibus praesentium ordinandorum, sic pergebat: « Si quis habet aliquid contra hos viros, pro Deo et propter Deum cum fiducia exeat et dicat. Verumtamen memor sit communionis suae », quae formula per saecula hodieque permansit, cum mutatione « conditionis suae » qua reverentia significatur statui clericali debita. Consensus fidelium Romae verisimiliter tacita fuit, in ritu vero Gallicano adclamatum est: « Dignus est! » — (2) *Invitatione* « Oremus dilectissimi Deum Patrem omnipotentem... » sequitur oratio fidelium pro candidatis ordinum, quae penes Hippolytum secreta fuit, nunc vero novum quid inductum apparet: *prex quaedam litanica.* « Et post modicum intervallum mox incipiant omnes Kyrie eleison cum letania », dicit Gelasianum (Wilson p. 22), nescimus, num iam tunc aliqualis litania Omnium Sanctorum decantata fuerit. Mos hic genuinus Romanus fuit, in liturgiis typi Gallicani litania desideratur. — (3) *Investitio* nunc locum habet ordinandorum, diaconus ordinandus accipit dalmaticam, futurus iresbyter autem planctam. — (4) *Impositio manuum,* a Patribus et scriptorijus huius aetatis saepius commemorata, in fontibus liturgicis supponitur. —

(5) Orationes consecratoriae in tribus Sacramentariis (Leonianum, Gregorianum, Gelasianum) eaedem sunt tum in ordinatione diaconi, tum in presbyteri, si quaedam lectiones variantes excipiuntur. Pro *diaconis* usque hodie eadem dicitur oratio consecratoria (ℬ Adesto, quaesumus omnipotens Deus, honorum dator ») mutata in formam praefationis, etiam pro *presbyteris* hodicque fere verbis horum trium Sacramentariorum fit totus actus consecratorius: duae dicuntur orationes invitatoriae (a Oremus dilectissimi... ut super hos famulos tuos » et « Exaudi nos... n), dein dicitur praefatio consecratoria (« ...honorum auctor et distributor omnium dignitatum »), in ritu hodierno remansit quoque « benedictio ℼ in solo Gelasiano primigenio contenta (« Deus sanctificationum omnium auctor ℼ a Wilson p. 24). — (6) Post precem consecratoriam a pontifice et presbyteris osculum pacis noviter ordinatis, dein cantabatur Alleluia, vel Tractus, lectum fuit Evangelium et « completur Missa ordine suo » (Ordo XXXIV. Andrieu III, 606).

c. *Ritus franco-roinanus (saec. X-XIIΓ).* Hoc aevo totus ritus ordinationis diaconi, de quo nunc iam exclusive agitur, novis adhuc ritibus auctus est. — (1) Ad praesentationem ordinandorum accessit *postulatio* ordinationis: « Postulat sancta mater Ecclesia », — (2) *Durandus* in suo Pontificali composuit *admonitionem,* quae usque ad hunc diem dicitur («Provehendi ad leviticum ordinem »). — (3) Innovatio ad tramitem usus Gallicani saec. XIII-o adhuc usitati in ritu Romano fuit *dismembratio praefationis* consecratoriae *a Durando* inducta. Post verba enim « ...agenda concedere » praefationis pontifex singulis ordinandis manum dexteram imponit, cum forma indicativa saeculo illo a Canonists valde desiderata: « Accipe robur... » — (4) Investitio ordinandorum aevo praecedenti, ut dictum est fuit *ante* actum sacramentalem, (supra b. /3/), hoc aevo autem *post* actum sacramcntalem accipiunt stolam et dalmaticam, formulas respectivas composuit Durandus, (piae ex eo tempore usitantur. — (5) Traditio libri Evangeliorum iam in Pontificali Romano-Germanico occurrit.

2 . Explicatio ritus Romani diaconatus, a. *Postulatio.* Finita Epistola, pontifex surgit et sedet ad faldistorium ante altare cum mitra. Ordinandi in modum coronae genuilcctunt coram pontifice, induti amictu, alba, cingulo, manipulo, tenentes in manu sinistra stolam, super brachium sinistrum dalmaticam, manu dextera vero candelam extinctam, sicque respondent, quando a notario singulatim nominantur. Dein archidiaconus dicit: « Postulat sancta mater Ecclesia, ut hos praesentes subdiaconos ad onus diaconii ordinetis ». Ad interrogationem pontificis respondet: « Quantum humana fragilitas nosse sinit et scio et testificor ipsos dignos esse ad huius onus officii ». Dein fit per pontificem *praesentatio* per antiquissimam formulam « Auxiliante... » (cf. 1°. b./l/).

b. *Admonitio.* Post officiorum enumerationem exhortatur cos episcopus, ut « tanti dignitati ℼ et tam « grandi privilegio hereditatis » sancta conversatione respondeant. Sint itaque diaconi « assumpti a carnalibus desideriis » sintque semper « nitidi, mundi, puri, casti, sicut decet ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei n. ut « hereditas et tribus amabilis Domini esse » mereantur. Una voce, ut adhuc inculcatur ab episcopo, curent, « ut quibus Evangelium ore annuntiant, vivis operibus exponant ». — c. Si non sint ordinati subdiaconi, nunc recitantur Litaniae Sanctorum, (cf. supra 2. a. 2°. b.).

d. *Invitatorium duplex* ad sollemnem consecrationem est: « Commune votum communis oratio. » et « Oremus fratres carissimi... », prior dicitur sedens

in faldistorio cum mitra, altera stans cum mitra versus ordinandos. Scopus huius invitationis est, ut consecratione episcopi super ordinandos prolata fideliiunque prece adstipulante futuri diaconi « leviticae benedictionis ordine clarescant et spiritali conversatione praefulgentes, gratia sanctificationis eluceant ».

c. *Praefatio consecratoria.* (1) Mitra deposita, pontifex ante pectus extendit manus et cantat vel legit praefationem, quae cum dialogo consueto incipit. Episcopus voce supplici implorat Deum, qui est « ordinum distributor », i. e. graduum Sacramenti Ordinis, dein « officiorum dispositor » eorundem graduum, ac « honorum dator », quive « sacri muneris servitutem trinis gradibus ministrorum nomini suo militari constituit », ut ordinandorum admissa peccata purget et ea quae sunt agenda, concedat. — (2) Praefatio nunc interrumpitur, pontifex solus manum dexteram extendit et ponit super caput cuiuslibet ordinandi, dicens singulis: « Accipe Spiritum Sanctum ad robur et ad resistendum diabolo et tentationibus eius. In nomine Domini ». — (3) Postea prosequitur praefationem, cuius prima verba sunt *forma sacramentalis essentialis,* ideo sine cantu, voce clara proferenda sunt, extensam tenendo manum dexteram: Emitte in eos, quaesumus Domine, Spiritum Sanctum, quo in opus ministerii tui fideliter exsequandi septiformis gratiae tuae munere roborentur » (Variat, in Rubric. Pont. Rom. CRit d 20. febr. 1950). Postea cantando vel legendo complet praefationem consecratoriam.

f. *hwestitio.* Diaconis nunc iam rite ordinatis traduntur insignia ordinis sui. (1) Pontifex sedens in faldistorio cum mitra cuilibet ordinando ante se genufle.xo, *stolam* quam singuli in manu sinistra habent, imponit super humerum sinistrum, dicens: « Accipe stolam candidam de manu Dei, adimple ministerium tuum, potens est enim Deus, ut augeat tibi gratiam suam. Qui vivit... » et facit super quemlibet signum Crucis, diaconi autem stolam alligant sub brachio dextero. — (2) Deinde pontifex singulos totaliter induit *dalmatica, dicens:* « Induat te Dominus indumento salutis et vestimento laetitiae, et dalmatica iustitiae circumdet te semper. In nomine Domini ».

g. *Traditio Evangelii.* Diaconi nobilissimum officium est esse praeconem Evangelii. Ideo pontifex accipit et singulis tradit librum Evangeliorum, quem manu dextera tangunt, dicens: « Accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei tam pro vivis, quam pro defunctis in nomine Domini ».

h. *Benedictio finalis.* Completa ordinatione diaconi, adhuc ultima benedictione muniuntur. Pontifex stans ad altare versus sine mitra, dicit « Oremus », ministri: « Flectamus genua. Levate », dein vertens se ad ordinatos dicit invitatorium « Exaudi Domine preces nostras... » et orationem « Domine sancte, Pater fidei, spei et gratiae... », in qua diaconi Angelis comparantur in ministerio suo, in (pio puri servire debent, dignique effici primis septem diaconis, universisque virtutibus.

i. Postremo fit *exsecutio muneris accepti:* unus ex ordinatis diaconis dalmatica indutus, legit Evangelium.

3. Dc ritibus consecrationis presbyteri.

a) Evolutio consecrationis presbyteri.

1°. Ritus antiquissimus huius consecrationis iam enarratus est, cf. superius 2. b. 1°. a.

2°. Ritus Romanus purus consecrationis presbyteri item iam simul cum diaconatu elucubrata fuit: supra 2. b. 1°. b.

3°. Ritus franco-romanus *(saec. X-XIII)* ordinationis presbyteri sic effectus est. a. *Praesentatio et postulatio* iit eodem modo ac in ordinatione diaconi, Durandus tamen brevem praesentationem diaconalem quae usque ad eum etiam in consecratione presbyteri usitata fuit, substituit altera praesentatione longiore et digniore: « Quoniam... rectori navis... » usque ad finem huius praesentationis («exeat et dicat, verumtamen memor sit conditionis suae). — b. *Admonitio* pulcherrima hodieque occurrens a Durando composita est (« Consecrandi filii dilectissimi...). — c. *Litaniarum* cantus fit, ut iam aevo praecedente, item d. *actus consecrationis,* cf supra 2. b. 1°. b. (4) et (5). — e. *Investitio* iam in ritu puro Romano existons huc translatus est, sicut et in ordinatione diaconi et ditatus aliquantulum per Pontificale Romano-Germanicum saec. X-i. Presbytero iam ordinato tradita est stola presbyteralis et planeta, *formulas* solummodo Durandus invexit, ut etiam ritum planetam seu casulam usque ad finem Missae in humeris complicatam portandi. — f. *Unctio manuum* usque ad saec. X. in ritu Romano ignota per Pontificale Romano-Germanicum e liturgiis Gallicanis mutuata est, in fontibus parce conservatis primo occurrit in Missali Francorum saec. VII-VIII. (PL 72,323), eodem textu fere ac in Pontificali Romano, sed forma indicativa, dum Pont. Romano-Germanicum hanc in deprecativam commutavit (non: « consecrentur et sanctificentur», sed: « consecrare et sanctificare digneris »). Cantus hymni « *Veni Creator* » intra unctionem invexit Pontificale Curiae saec. XIII-o, *alligatio* manuum unctarum per panniculum solum exeunte medio aevo in usum venit. — g. *Traditio instrumentorum* calicis cum vino et patenae cum hostia, ut iam dictum est per Pontificale Romano-Germanicaum introductum est saec. X-o. — h. *Exsecutio muneris* seu concelebratio novorum presbyterorum noviter videtur inducta solummodo saec. XIII-o, S. Thomas morem hunc memorat « Secundum consuetudinem quarumdam ecclesiarum sacerdotes, cum de novo ordinantur, concelebrant episcopo consecranti » (III q. 82. a. 2. sed contra). Revera solum Pont. Curiae saec. XIII-i primo hanc praescriptionem continet, Pont. Durandi ad libitum habet concelebrationem (cf. Righetti IV, 307). Cur haec innovatio saec. XIII-o invecta fuerit, nescimus. Concelebratio enim iam exeunte saec. XII-o Romae tantum festis maximis in usu erat, teste Innocentio III. « Consueverunt presbyteri cardinales Romanum circumstare pontificem, et cum eo pariter celebrare » (Dc sacr. altar, myst. IV, 25 PL 217,874). Inde videtur etiam in Pont. Curiae assumptum esse morem concelebrationis occasione ordinationis, Pont. Durandi autem ulterius consuetudinem hanc diffundebat. Ratio cur hic mos concelebrandi in Occidente satis incognitus saec. XIII-o inductus fuerit, est fortasse consideratio rerum iuridica saec. XIII-o eillorescens: ius recens acceptum, ut tunc plurimi opinati sunt, per instrumentorum traditionem, statim exerceri quoque debet, analogia iam habebatur penes cetercs ordines. — i. Ritus *ad complendum* (professio fidei, collatio potestatis absolvendi, promissio fidelitatis erga Ordinarium), omnes a Durando introducti fuerint e ritibus ecclesiarum particularium Franciae.

b) Explicatio ritus Romani presbyteratus.

Collatio potestatis sacerdotalis tres actus comprehendit; praeparationem, ipsam collationem, et explicationem potestatis, dein fit exsecutio ordinis ac-

cepti, et epilogo completur tota actio. *I. Praeparatio tribus actionibus* absolvitur; 1°. a parte populi iit postulatio et praesentatio, 2°. a parte episcopi iit admonitio, 3°. a parte Ecclesiae triumphantis rata habetur per supplicationem Litaniarum consecratio. — *II. Collatio* ordinis est *actus secundus,* qui item *triplici modo* persolvitur, 1°. ponitur materia Ordinis, manuum impositio, 2°. fit oratio introductoria, 3°, in praefatione consecratoria per formam completur collatio potestatis sacerdotalis. — *III. Explicatio* non sensu « declarationis » est sumenda, qua mentis sensa « explicantur » seu deteguntur, sed eo sensu sumenda est, quo folliculo seu valvulo (Fruchtbalg, Hülse, tüszô) se exserit spica mollis vel quo fruges latentes, ruptis velamentis, adaperiuntur. Sic fit etiam in sacra lilurgia: quia actio sacramentalis unico momento positionis essentiae Sacramenti omnia exserit, Ecclesia materno paedagogiae spiritu ducta nunc actionibus symbolicis omnia adaperit, quae quasi velamine tecta in nucleo actionis sacramentalis continentur, quando homo sacerdotii Christi particeps effectus est. Etiam *actus* hic *tertius tribus perficitur:* 1°. Explicatur, quod ordinatus accepit iura et privilegia status sacerdotalis, fit *investitio* per vestimenta officio sacerdotali convenientia. — 2°. Explicatur, quod ordinatus accepit dona gratiae status sacerdotalis, quod ostenditur per repraesentativam actionem Sacramentalis ecclesiastici *unctionis manuum,* quae saepe « unctio » vocatur. — 3°. Explicatur quod noviter ordinatus etiam potestatem officii sacerdotalis accepit, *traditione instrumentorum sacerdotalium* hoc declaratur. — IV. *Exsecutio ordinis* accepti fit per concelebrationem. — V. *Epilogus* seu finis ordinationis sex actionibus absolvitur.

I. actus. Praeparatio.

Γ. Postulatio et praesentatio *ordinandorum populo.* Postulatio fit, sicut penes diaconos. Praesentationem facit episcopus *allocutione gravi:* ¶ Quoniam, fratres carissimi, rectori navis et navigio (i. e. Ordinario et plebi eius) eadem est vel securitatis ratio vel communis timoris, par eorum debet esse sententia.. ¶ A Patribus institutum est, quod etiam populus consulatur, de vita et conversatione praesentandi, « ut facilius ei quis oboedientiam exhibeat *ordinato,* cui assensum praebuerit *ordinando* ». Ideoque episcopus praesentes fideles exhortatur, si quid de eorum ordinandorum actibus aut moribus noverint, quicquid de merito sentiant, libera hoc voce pandant.

2°. Nunc fit praeparatio a parte episcopi per admonitionem, a. *Officia* exilanantur: sacerdotem oportet « offerre, benedicere, praeesse, praedicare et laptizare». — b. Ad haec officia recte implenda *requiritur,* ut «coelestis sapientia, probi mores, et diuturna iustitiae observatio ad id electos commendent». — c. Haec vitae ratio *illustratur* e Veteri Testamento: ibi quoque electi fuere septuaginta viri de universo Israeli et « eadem figura in Novo Testamento Dominus septuaginta duos elegit ac binos ante se in praedicationem misit, ut doceret verbo simul et facto ». Tales igitur esse studeant, ut in adiutorium episcoporum per Moysen et Apostolos figuratorum eligi valeant. — d. Admonitio *sublimi paraenesi* clauditur: « Agnoscite quod agitis, imitamini, quod tractatis, quatenus mortis dominicae mysterium celebrantes, mortificare membra vestra a vitiis et concupiscentiis omnibus procuretis ».

3°. Praeparatio a parte Ecclesiae triumphantis est recitatio Litaniarum Omnium Sanctorum.

II. actus. Collatio Ordinis.

1. Materia Sacramenti. Pontifex stans ante faklistorium cum mitra et nulla oratione nulloque cantu praemissis, *imponit simul utramque manum* super caput cuiuslibet ordinandi successive, nihil dicens. Idemque faciunt post cum *omnes sacerdotes* qui adsunt, quorum tres aut plures planetis vel saltem cum stolis parati, si commode fieri potest, esse deberent. Quo facto, tam pontifex, quam sacerdotes, tenent manus dexteras extensas super illos.

2°. Oratio introductoria. a. Pontifex stans cum mitra, dicit *orationem invitatoriam,* manu dextera extenta versus ordinandos usque ad finem huius orationis imitatoriae « Oremus fratres carissimi » (CRit d 2851. cf 3307 et 3274), sacerdotes dein qui etiam extenta dextera stabant redeunt in locum suum. — b. Pontifex potest sedere, dum sacerdotes recedunt, dein surgit, vertit se cum ministris ad altare, et dicit « *Oremus* n, ministri « Flectamus genua. Levate », dein dicit — c. orationem benedictionis, conversus ad ordinandos, manibus iunctis, detecto capite (n Exaudi nos quaesumus Domine »), qua Deo supplicat, ut super hos famulos suos benedictionem Sancti Spiritus et gratiae sacerdotalis effundat virtutem.

3. Praefatio consecratoria incipitur manibus ante pectus extensis, tono feriali versus ordinandos. Hac sollemni praefatione pontifex invocat Deum, qui est « *honorum auctor* et distributor omnium dignitatum », ut pontificibus ad eorum auxilium, « societatis et operis adiumentum, sequentis ordinis viros et secundae dignitatis eligeret ». De novo allegatur *typus presbyterorum* Veteris Legis (70 viri, filii Aaron, Eleazar et Ithamar) dein Apostoli, qui post Christum « orbem totum secundis praedicationibus impleverunt ». Consecrator adiungens precem, quod infirmitati suae Dominus adiumenta largiatur, profert *formam sacramentalem essentialem* in textu praefationis: « Da quaesumus omnipotens Pater, in hos famulos tuos presbyterii dignitatem, innova in visceribus eorum spiritum sanctitatis, ut acceptum a te, Deus, secundi meriti munus obtineant, censuramque morum exemplo conversationis suae insinuent ». Forma haec essentialis debet dici *sine cantu,* extensis ante pectus manibus (CRit d 20. feb. 1950): per quod distinguitur a verbis aliis praefationis, quae formam accidentalem Ordinis constituunt.

III. actus. Explicatio.

1. Invcstitio. Ordinandi nunc iam per Ecclesiam «ordinati» vocantur (cit. d 20. feb. 1950), iure portant abhinc vestimenta sacerdotalia, quibus induuntur. — a. Pontifex sedet in faldistorio, accepta mitra et reflectit orarium seu *stolam* ab humero sinistro cuiuslibet ordinati, capiens partem retro pendentem et imponens super humerum dexterum, aptatque eam ante pectus in modum Crucis, singulis dicens: « Accipe iugum Domini, iugum enim eius suave est et onus eius leve ». Stola potest sensu interpretatorum medii aevi iugum significare, quia in collo imponitur, iugum autem intelligitur evangelium, cuius sciat se « in stola superposita collo ministrum evangelii esse, non praepositum, evangelium Christus est» — dicit Amalarius (Lib. officialis II, c. 20,2 ed. Hanssens II, 243). — b. Postea imponit cuilibet *casulam* usque ad scapulas, quam quilibet teneat super humeros *complicatam,* a parte anteriori deorsum pendentem, singulis dicens: « Accipe vestem sacerdotalem, per quem caritas intelligitur, potens est enim Deus, ut augeat tibi caritatem, et opus perfec-

turn ». Ordinatus vestitus respondet: «Deo gratias», surgit, se vertit ad sinistram suam et descendens in planum genuflectit et se recipit in locum suum, dum interea alius post genuflexionem ascendit ad pontificem. *Cur* casula *caritatem* significet, sic explicatur a Durando: « Significat caritatem, sine qua sacerdos est aes sonans aut cymbalum tinniens, sicut enim caritas operit multitudinem peccatorum... sic et haec vestis cuncta planat ct alia omnia indumenta intra se claudit et continet » (Ration. l. III. c. 7,1).

2°. Unctio manuum. Nunc explicatur, quod ordinatus accepit dona gratiae in Sacramento collutae, gratia haec est gratia gratis data, i. e., in aliorum utilitatem elargita, quia vero Deus semper operatur per causas secundas instrumentales, sacerdotes suos et signa sacramentalia adhibet ad gratiam dispensandam hominibus, inter quae etiam manus praecipuum locum occupant. Manus enim adhibentur in omnibus Sacramentis, in celebrando sacrificio, in benedictionibus, ergo per unctionem earum significatur gratia sanctificandi collata per Ordinem. — a. Quia omnium gratiarum dispensator Sanctus est Spiritus per appropriationem aptissimam, intonatur a pontifice hymnus « *Veni Creator Spiritus »;* sine mitra ante altare Hexis genibus incipit hymnum, schola prosequente. — b. Finita prima stropha, pontifex surgit, et sedet in faldistorio cum mitra, et depositis chirothecis et annulo reassumpto, ponitur ei gremiale. Singuli ordinati successive ante eum genua flectunt, et pontifex cum oleo catechumenorum *inungit* cuique ambas manus simid iunctas, in modum Crucis, producendo cum pollice dextero in dictum oleum intincto duas lineas, videlicet a pollice dexterae manus usque ad indicem sinistrae, et a pollice sinistrae usque ad indicem dexterae, ungendo mox totaliter palmas, dicendo singulis: « Consecrare et sanctificare digneris, Domine, manus istas per istam unctionem et nostram benetdictionem n. Resp. « Amen ». Pontifex dein producit manu dextera signum Crucis super manum ordinati et prosequitur: » Ut quaecumque benedixerit, benedicantur, et quaecumque consecraverint, consecrentur et sanctificentur, in nomine Domini nostri Jcsu Christi ». Et quilibet ordinatus respondet: Amen. — c. Tunc fit *clausio manuum:* pontifex iungit manus cuilibet successive, quas sic consecratas albo panniculo alligat, et sic clausas et alligatas manus tenentes omnes redeunt in locum suum. Pontifex pollicem mica panis tergit.

3°. Traditio instrumentorum. Pontifex remanet sedens in faldistorio, et a cacremoniario traditur ei calix cum vino et aqua et patena super eum posita cum hostia, *singuli* ordinati accedunt et genuflectunt coram pontifice et inter indices et medios digitos accipiunt calicem cum patena, cuppam calicis ct patenam *simul tangentibus,* dum interea a pontifice eis dicitur: « Accipe potestatem offerre sacrificium in nomine Domini ». Ordinatus respondendo « Amen, surgit, se vertit super sinistram suam, descendit in planum, genuflectit et revertens ad locum suum, exspectat stans. Deinde pontifex *lavat manus,* cantatur Alleluia, vel ultimus versus Tractus aut sequentiae, dein Evangelium, Credo, Dominus vobiscum et Offertorium (antiphona) legitur ab episcopo. Dum ant. ad offertorium cantatur, ordinati *possunt* extergere manus mica panis et lavare aqua, tergereque manus mappulis, quibus ligatae erant, dein *proferunt oblata sua.* Pontifex sedet in faldistorio cum mitra, ordinati bini accedunt et coram eo genuflexi offerunt singuli candelas accensas et osculantur eius manum. Pontifex lavat manus et prosequitur offertorium.

IV. Exsecutio muneris: Concelebratio neopresbyterorum.

1 Presbyteri ordinati post pontificem, vel hinc inde, ubi magis commodum erit, in terra genuflexi, habeant libros coram se et omnia dicunt de Missa, sicut pontifex, clara voce, praesertim attendendum est ad verba consecrationis, quae dici debent eodem momento per ordinatos, quo dicuntur per pontificem. Se *signant* cum episcopus se signat, pectus percutiunt cum eo, non inclinantur, quia iam sunt genuflexi, cruces super oblata non faciunt, *submissa* voce recitant partes quas episcopus cantando profert (CRit d 2682,11).

2°. *Pax* datur a pontifice, cum recitata fuerit oratio prima « Domine Jesu Christe», osculato altari tum a pontifice tum ab ordinato, accipit eam *primus* ex singulis ordinatis cuiuslibet ordinis sacri, ergo ascendunt ad pacem primus presbyter, primus diaconus, primus subdiaconus, et accepta a pontifice pace, caput inclinant ad pontificem, genuflectunt et descendentes pacem aliis neoordinatis tradunt.

3° Post communionem episcopi neopresbyteri *communicant,* presbyteri ante communionem non dicunt confessionem, nec datur eis absolutio, quia concelebrant pontifici, dicit Pont. Rom., episcopus eis non dicit « Ecce agnus Dei... ». non ostendit corpus Domini eis, nec dicit « Domine non sum dignus », (CRit d 2089,4), nec eos communicando dicit « Corpus Domini... » (d 3274,2 et 3721,1). Si alii ordinati huic Missae adsint etiam minoribus ordinati, tunc omisso « Confiteor n episcopus ostendit Sacramentum, dicit « Ecce agnus... » et « Domine non sum dignus... », sed *diversam adbibet formulam* pro ordinatis communicandis etiam in minoribus, episcopus enim dicit: « Corpus DNJ Christi *custodiat te* in vitam aeternam », ct ordinatus respondet « Arnen ». (Cf. Index deer. SRC p. 131 ad vocem » Corpus », Nabuco I, 123).

4°. *Ablutio* sumitur ab ordinatis *in sacris:* « Unus ministrorum pontificis stat iuxta cornu Epistolae altaris, calicem habens, non illum cum quo pontifex celebravit, sed alium cum vino, et mappulam mundam in manibus, ad quem singuli communicati accedunt et se purificant, os extergunt et ad partem se locant ». Haec purificatio iuxta cl. Nabuco est passim obsoleta et hodie iuxta eum «vix permittitur ut omnes ordinati se purificent ex eodem calice», et quia ritus non praecipitur ut proprius ordinationis et concelebrationis (I, 225 nota 84); at observari certe potest, etiam debet, ubi ritus hic non venit in desuetudinem, ut e. gr. in Hungaria.

V. Epilogus seu finis ordinationis.

Postquam ablutio facta est, orationesque comitantes recitatae, pontifex manus lavat. Dein veniunt *sex actiones* ad complendum ritum ordinationis.

1' Pontifex, mitra deposita, stans in cornu Epistolae, versus ad altare inchoat in cantu respons. a *Iain non dicam vos servos...* », schola prosequente. Cantus huius textus sumptus est e sermone Domini in Caena ultima, habito non multum post communionem ordinationemque Apostolorum, aptissime ergo nunc ab Ecclesia noviter ordinatis applicatur: famuli quidem sunt, sed non seni, amici habentur a Domino, qui accipiunt in se Spiritum Paraclitum, sed simul graviter inculcatur eis: « Vos amici mei estis, si feceritis, quae ego praecipio vobis ». Pontifex incepto cantu in medio suppedanei sedet in faldistorio. exspectatque finem responsorii, quia ut recte notat Nabuco (I, 225 nota

85), « in praxi cantus responsorii et recitatio una simul symboli fidei fieri nequit ».

2°. Cantu hoc intruductorio finito, fit *professio fidei,* Apostoli enim, ac ut adiutores secundi ordinis, etiam neo-ordinati mittuntur in mundum, ut praedicant Evangelium omni creaturae, nunc ergo prius coram Pontifice sedente cum mitra, profitentur fidem, quam praedicaturi sunt, stantes coram episcopo, simulque dicentes Symbolum apostolicum

3°. Responsorium initio cantatum de Spiritu Sancto loquebatur, sicut Apostoli post Caenam ultimam, Domino iam suscitato et reverso in caelum acceperunt Spiritum Sanctum, sic etiam neo-ordinati per proslepsim liturgicam accipiunt visibili modo potestatem iam eis in ordinationis essentia traditam *remissionis peccatorum.* — a. Pontifex enim sedens cum mitra *singulis* imponit manus ambas (= *tertia impositio manuum')* super capita genuflectentium dicens cuilibet: « Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata, remittuntur eis, et quorum retinueris, retenta sunt ». — b. Ut symbolice ostendatur ordinatos nunc iam omnia etiam explicate possidere, fit *casulae explicatio:* statim enim singulis post relata verba (« Accipe ») pontifex explicat casulam super humeros uniuscuiusque complicatam, dicens: « Stola innocentiae induat te Dominus ».

4°. Fidem praedicare et peccata remittere, sicut et celebrare est simul actus iurisdictionis, ut ordinate fiant, requiritur debita submissio sub potestate antistitis. Idcirco post plenam explicationem potestatis sacerdotalis sequitur *sponsio fidelitatis,* quia etsi amici sunt ordinati Domini, amicitiam eo probant, quod faciunt quae Christus praecipit. Quia vero presbyteri « secundae dignitatis », seu «secundi meriti», vel «cooperatores» sunt ordinis episcopalis, ideo Ordinario eorum qua vicario Christi oboedientiam sollemniter promittunt. Ritus fit more Francorum: mox unusquisque iterum ad pontificem accedit, et genuflexus ponit manus suas inter manus pontificis, dicentis: « Promittis mihi (vel: « Pontifici Ordinario tuo ») et successoribus meis reverentiam et oboedientiam? » ct ille respondet: «Promitto». Ad consignandum foedus submissionis, pontifex tenens manus illius inter suas, osculatur unumquemque in dextera parte vultus (CRit d 2682,17), dicens: « Pax Domini sit semper tecum », et ille respondet: « Amen ».

5°. Brevis statim habetur *admonitio* Quia res quam tractaturi estis... ») de obligatione bene addiscendi Missae ritum et ordinem, — dein

6°. pontifex surgit cum mitra et baculo et presbyteris coram eo genuflexis *sollemnem dat benedictionem* trino Crucis signo communiens eos: « Benedictio Dei., ut sitis benedicti in ordine sacerdotali et offeratis placabiles hostias pro peccatis atque offensionibus populi... » — Ilis consecratio presbyterorum consummata est, concelebrando completur Missa, *admonitio* ante ultimum Evangelium post omnes ordinationes dicenda est: « Filii dilectissimi, diligenter considerate ordinem per vos susceptum... », in qua admonitione etiam pensum cuilibet ordinato imponit episcopus ordinans.

4. De ritibus consecrationis episcopi.

a) Evolutio consecrationis episcopi.

1°. Ritus antiquissimus huius consecrationis in phasi sua prima iam enarratus est (superius 2. b. 1°. a.).

2°. Ritus Romanus purus consecrationis episcopi *(saec. VI-IX).*

Hoc aevo ritus consecrationis episcopi remansit simplex, sicut aetate praecedenti, sed aliqua evolutio tamen cerni potest, a. *Prex consecratoria* nova composita fuit, precis textus S. Hippolyti in Occidente disparuit. Textus novus consecrationis episcopalis in tribus vetustissimis Sacramentariis Romanis legitur (Leoniano, Gregoriano, et Gelasiano), sed in Gelasiano primigenio iam habetur insertio quaedam sat prolixa e liturgia Gallicana mutuata, quae dein hodieque in usu est (Wilson p. 151-152, insertio incipit post verba « ...constantia fidei, puritas dilectionis, sinceritas pacis », insertio est: « Sint speciosi... omnium consequantur », dein sequitur textus etiam in Leoniano et Gregoriano contentus « Tribuas eis cathedram episcopalem... »). — b. Novus ritus Romae receptus est ex Oriente: *impositio Euangelii.* Primus penes quem ritus hic iam occurrit est Severianus Gabalensis saec. IV. (f 408), significatio ritus est descensus Spiritus Sancti simulque significatio sublectionis episcopi sub lege evangelica (cf. J. Lécuyer, Note sur la liturgie du sacre des évêques, *in* Eph. Lit. 1952, 369-372). Ritus hic tantum in consecratione Summi Pontificis occurrit, in consecratione alius episcopi ignotus mansit hoc aevo, sed liturgiae Gallicanae item ex Oriente una cum permultis aliis ritibus etiam hunc ritum introduxerunt (Statuta eccl. ant. can. 2. Denz 150). — c. Alter ritus Romanus est primitiva quaedam *inthronizatio* episcopi consecrati: « Benedictione expleta, dat osculum domnus apostolicus... et tunc iubet eum domnus apostolicus super omnes episcopos sedere » (Ordo Rom. XXXIV. Andrieu, Les Ordines Romani III. 1951, p. 613). — d. Ritus alius saec. XHI-o iam obsoletus ortus est hoc aevo: noviter consecratus episcopus accepit post Missam panem consecratum e quo communicavit, reservansque eum per quadraginta dies in sua Missa etiam ex hoc pane consecrato sumpsit particulam, quo more in memoriam sibi revocavit Domini praesentiam Apostolis suis post resurrectionem exhibitam.

3°. Ritus francoromanus consecrationis episcopi *(saec. X-XIIΓ).*

a. E liturgiis typi Gallicani post aevum hoc etiam in liturgiam Romanam inducta sunt quedam elementa, quae nimiam sobrietatem rituum novis caeremoniis ditabant. Pontificale Romano-Gennanicum saec. X-i iam adiunxit consecrationi episcopali *initium:* « Incipit *examinatio* in ordinatione episcopi secundum Gallorum institutiones ». Examinatio haec continet iam hodiernum ritum, quaestiones de die et moribus electi ct e fontibus Gallicani typi recepta est. — b. Admonitio brevissima a Durando (1291-96) composita est. — c. Litaniae Omnium Sanctorum quoque saec. X-o assumptae sunt. — d. *Impositio Euangelii* ad exemplum liturgiarum Gallicani typi fixum locum accepit saec. X-o, in consecratione episcoporum. — c. Actus consecratorius remansit, solum prex consecratoria trium Sacramentariorum Romanorum recepit *formam praefationis* cum dialogo « Sursum corda » etc. in Pont. Romano-Germanico saec. X-i. Manuum impositioni solum Durandus addidit formam brevem, hodieque usitatam « Accipe Spiritum Sanctum ». — f. *Unctiones episcopales.* Pont. Romano-Gennanicum e liturgiis Gallicanis assumpsit unctiones, quae sic usque hodie frequentantur. Pronum erat post textum orationis consecratoriae de i caelesti unguento » loquentem, ritum quoque inducere unctionis *tum capitis, tum manuum,* ritu hoc novo praefatio seu antiquissima prex consecrativa interrumpebatur. Durandus ulterius evolvit hunc ritum praescribendo cantum « Veni Sancte Spiritus » in suo Pontificali, qui cantus dein per decursum medii

aevi in « Veni Creator » mutatus est. — g. *Investitio* quoque episeopi consecrati eodem Pont. Romano-Germanico invecta fuit, Durandus ordinem invertens (baculus, dein annulus) etiam formulas benedictionis adiecit, ceterum traditio baculi et annuli ritus fuere Gallicani. — h. Quod *Missam* adtinet *consecrationis episcopalis,* saeculorum decursu varii mores observati sunt. In liturgia antiquissima (S. Hippolytus) saec. III. ineuntis *consecratus* celebrat Missam solus, ceteri communicant. — Aevo saec. VI-X. (iuxta tria Sacramentaria Romana) *consecrator* solus celebrat Missam, sicque mansit usque saec. XIII., quando usus *concelebrandi* cum episcopo consecratore incoepit. — i. Ritus *ad complementum* sie quoad maiorem partem a Durando compositae sunt: impositio mitrae cum formulis benedictionis, item chirothecarum, inthronizatio, ut dictum est, iam antea nota fuit.

b) Explicatio ritus Romani consecrationis episcopi.

Tres actus possunt etiam in consecratione episcopi distingui. *I. actus* est *praeparatio* electi 1°. a parte populi postulatio et praesentatio, 2°. a parte auctoritatis ecclesiasticae iuramentum fidelitatis cum examinatione, 3°. a parte Ecclesiae triumphantis: Litaniae Omnium Sanctorum. — *II. actus* est *collatio* Ordinis, quae item tribus actibus fit. 1°. Impositio Evangelii actione symbolica significat onus episcopatur, 2°. materia Sacramenti applicatur: impositio manuum, 3°. praefatio consecratoria cantatur, in qua recitatur forma essentialis. — *III. actus. Explicatio,* sensu quo supra 3) b. tribus actionibus perfecta. 1°. Unctio capitis, qua summa gratiae pastoris primi collata significatur, 2°. unctio manuum, quae gratiam a capite descendentem signat, demum 3°. investitura seu traditio symbolorum officii episcopalis. — *IV. Missa consecrationis* seu concelebratio. — V. *Epilogus* seu ritus complementarii consecrationis per tres actiones: 1°. collatio mitrae, 2°. inthronizatio, 3°, gratiarum actio, Deo per « Te Deum », consecratori per adclamationem, populo per benedictionem.

I. actus. Praeparatio.

1°. Postulatio et praesentatio, a. Primum episcopus *consecrator recipitur* in ianua ecclesiae more consueto, qui facta aspersione, ad altare SS. Sacramenti pergens ibi aliquantulum orat, dein vestitur, vel in sacrario vel in throno. — b. Paulo post adveniunt episcopi *duo conconsecratores,* cum electo. Simili modo recipiuntur in ianua ecclesiae, aspersorium a tribus tangitur, pergunt ad altare Sacramenti, dein ad capellam electi, quae praeparanda est, ibique se vestit, induens caligas seu sandalia Missae, deponit manteletum ct vestitur amictu, alba, cingulo, manipulo, stola, more sacerdotis, et pluviali, semper albi coloris (CRit d 1265,2). Interim sedendo recitat *praeparationem ad Missam* et orationes ad indumenta. Episcopi conconsecratores vero deponentes biretum, enicem pectoralem et manteletum, sumunt amictum, crucem pectoralem, stolam, pluviale et mitram, quam sibi ipsi imponunt. — c. Deinde consecrator advenit e sacristia vel statim accedit ad altare, ubi positum est faldistorium, ibique *sedet ante altare* in medio suppedanei, cum mitra, et imponitur ei gremiale. — d. *Electus* medius inter conconsecratores (a dexteris eius cum episcopo seniore) vadit ad altare maius, ubi Cruci et consecratori simul exhibent reverentiam profundae inclinationis capitis, electus cum bircto in manibus, conconsecratores cum mitra in capite. — e. Dein fit postulatio: Consecrator

primus surgit, mitra deposita et dicit: « (Excellentissime et) reverendissime pater, postulat sancta mater ecclesia... » .Ad quaestionem consecratoris legitur per notarium « *mandatum apostolicuin* », sub lectione omnes sedent tectis capitibus, electus et conconsecratores in linea recta coram consecratore.

2°. Deinde fit praeparatio a parte auctoritatis ecclesiasticae: a. *luramentum* praestatur fidelitatis per electum, qui genuflexus coram pontifice legit textum juramenti praescriptum, chorus interim sedet, finito textu iuramenti. electus sine reverentia ascendit ad altare et ambabus manibus tangens librum apertum Evangeliorum, iurat «Sic me Deus adiuvet etc»., omnibus respondentibus « Deo gratias ». Dein redit ad locum suum ct ibi sedet inter conconsecratores — b. ibique fit *examen electi.* Prima para est post introductoriam allocutionem (« Antiqua sanctorum patrum institutio ») « *interrogatio de moribus* b, *de* quibus octo quaestiones a consecratore ponuntur, electus respondendo clara voce « Volo », semper caput detegendo aliquantulum surgit, dein iterum sedet. Secunda pars examinis est « *de credulitate* », ponuntur enim novem interrogationes de fide orthodoxa, praecipue circa fidem trinitariam et christologicam, ad quas electus simili modo ac supra, respondet: « Credo », vel uti a Pontificali praescribitur. — c. Examine finito, electus ducitur a conconsecratoribus ad consecratorem, cuius manum genuflexus osculatur. — d. *Missa* dein incipitur, lecta vel sollemnis, more solito, electus interea ad suum altare vestitur, stolam aptans modo pontificis, sumens pectorale, tunicam, dalmaticam et casulam. Si Missa habeatur sollemnis, altare suum thurificat, secus autem omnia de more persolvit. Missa dicitur ab eo voce submissa, habito respectu ad Missam consecratoris. Sic pervenitur usque ad Alleluia vel ultimum versum Tractus aut Sequentiae exclusive, et continuatur ritus ordinationis. Praeparatio absolvitur electi per

3 . Litaniarum cantum. Consecrator et conconsecratores cum mitris stant, electus detecto capite, sicque legitur oratio invitatoria « Oremus fratres carissimi... » post quam electus super pulvinar se prosternit ad gradus altaris in latere Evangelii, in medio ante faldistorium, genuflectit consecrator, conconsecratores ante sedilia sua genuflectunt, cum mitris. Cetera fiunt more solito.

II. actus. Collatio Ordinis.

1 . Fit actio symbolica onus officii repraesentans, impositio Evangelii. Litaniis finitis, electus ascendit ad altare et in genua procumbit in ora suppedanei. conconsecrantes ad invicem se vertunt, consecrans vero accipit librum apertum Evangeliorum et eius littera deorsum versa librum adiuvantibus duobus episcopis imponit super cervicem ct scapulas electi. Liber dein tenetur a capellano primo electi *per totam actionem* usque ad peractam baculi et annuli traditionem. Ritu hoc *significatur* susceptio legis evangelicae, quod *iugum* est Christi, cui humiliter cervices submitti debent, simul etiam *onus* est, electus enim intelligere debet, « cui labori et oneri subiiciatur, quia omne, quod hic eminet, i c. omnis praelatus, plus moeroribus afficitur, quam honoribus gaudeat ad notandum, quod pondus evangelicae praedicationis eum circumquaque ferre pigere non debet» (Durandus, Rationale l. I. c. 11. n. 8).

2°. Nunc materia *Sacramenti* applicatur: *impositio manuum.* Ut iugum legis evangelicae suave fiat, onusque episcopatus leve, datur nunc electo gratia

Spiritus Sancti. Consecrator ambabus manibus caput electi tangit dicens: « Accipe Spiritum Sanctum », quod successive faciunt episcopi consecratores, qui non solum debent utraque manu caput electi tangere, dicentes: « Accipe Spiritum Sanctum », verum etiam, facta opportuno tempore mentis intentione conferendi episcopalem consecrationem una simul cum episcopo consecratore, orationem quoque « Propitiare » recitare cum integra sequenti praefatione, itemque universo ritu perdurante, ea omnia submissa voce legere, quae consecrator legit vel canit, exceptis tamen precibus ad pontificalium indumentorum benedictionem praescriptis, quae in ipso consecrationis ritu sunt imponenda (sic verbotenus iuxta Variationes in rubricis Pontificalis Romani, Pars I. c. 2, CRit d 20. feb. 1950, editum ad tramitem Const. Apost. « Episcopalis consecrationis » 30. nov. 1944).

3°. Forma *Sacramenti* applicatur in sequentibus, a. *Oratio introductoria* « Propitiare... » dicitur, mitra deposita, et est tantum forma accidentalis seu rubricalis, ad verbum « benedictionis » consecrator et conconsecratores electo benedicunt. — b. Dein consecrator incipit manibus ante pectus extensis *praefationem consecratoriam,* quae submissa voce *etiam a duobus episcopis* legitur Incepta praefatione caeremoniarius electi vittam aptat super eius caput, adaptans eam temporibus electi et ligans circa occipitium (Genick, nuca, nuque, nape, tarkô) ita ut extremitates vittae retro dependeant. *Prima pars praefationis* (usque ad unctionem capitis) celebrat prece antiquitatem olente summum sacerdotium Novi Testamenti, in quo « pontificalem gloriam non iam nobis commendat vestium, sed splendor animarum n, non « fulgor auri, nitor gemmarum ». Hic splendor animae efflagitatur nunc verbis praefationis, quae ab Ecclesia declarata sunt *forma essentialis* (Const. Ap. « Sacramenti Ordinis » 30. nov. 1947): • Comple in sacerdote tuo ministerii tui summam et ornamentis totius glorificationis instructum, caelestis unguenti rore sanctifica », quae verba dici debent sine cantu extensis ante pectus manibus (decr. 20. feb. 1950 supra cit). Iuxta rubricas Pontificalis Romani eodem decreto variatas electus abhinc iam semper *vocari debet « consecratus* », Ecclesiae enim decisione iam applicata est forma essentialis, ideoque iam episcopus habendus est. Verbis his essentialibus iam in venerando Sacramentario Leoniano contentis, miro modo *determinatur materia,* sc. manuum impositio, quae ad id facta est, ut ministerii sacerdotalis summa ɑ compleatur », electus nunc iam plus valet presbytero, nam « caeleste unguentum n accepit, quo metaphorice charisma episcopale significatur, imo etiam «ornamentis totius glorificationis » ditatur, i.e. habitibus infusis donisque Spiritus Sancti vigore pollentibus speciali gratiae sacramentalis.

III. actus. Explicatio ritualis collationis gratiae.

Ut etiam actionibus symbolicis significetur collatio haec gratiae, praefatio consecratoria interrumpitur, et statim proceditur ad explicationem liturgicam, quae tribus actionibus perficitur.

1°. fit unctio capitis consecrati, a. Consecrator flexis genibus intonat hymnum « *Veni creator Spiritus n,* et post primam stropham sedet in faldistorio in medio ante altare. Mitram capiens deponit annulum et chirothecas, resumensque annulum et gremio imposito a ministris pollicem suum dexterum intingit in sacrum *chrisma,* et caput consecrati coram se genuflexi inungit, primo formans

signum Crucis per totam coronam seu tonsuram, dicendo: « Ungatur et consecretur caput tuum », dein inungit totam coronam dicens: « caelesti benedictione in ordine pontificali», dein trino signo Crucis benedicit consecratum: «in nomine Pa t tris et Fi t lii et Spiritus f Sancti ». — b. *Sensus huius unctionis* est iuxta Durandum: « Caput ungitur balsamo caritatis, primo ut episcopus *diligat* Deum ex toto corde et ex tota mente et tota anima sua, et etiam Christi exemplo proximum suum... Secundo caput ungitur propter *auctoritatem* et dignitatem, quoniam non solum episcopus, sed etiam rex consecratur. Tertio, ut ostendatur Christi repraesentare *personam,* de quo dicitur per prophetam: Sicut unguentum in capite... Christus enim caput nostrum, unctus est oleo invisibili, ipse pro universa interpellat ecclesia, episcopus pro sibi commissa » (Rationale l. I. c. 8. n. 17). — c. Finita unctione pontifex abstergit pollicem suum cum medulla panis, dein exspectant doxologiam hymni, ad quam caput inclinant. Hymno finito pontifex surgit, et cum eo conconsecratores, mitram deponunt et consecrator prosequitur praefationem. *Secunda pars praefationis* supplicem precem delegat ad Deum, ut unguentum hoc « copiose » fluat, ita ut « in totius corporis extrema descendat ». Ordinatio enim episcopalis, sicut omnis ordo, est gratia gratis data, i.e. in favorem aliorum impertita, gratia ergo capitis seu episcopi, debet communicari corpori Christi mystico seu Ecclesiae, propius: gregi consecrato commisso. — Post cantum praefationis fit secunda actio symbolica:

2°. unctio manum *consecrati.* Uti gratia capitis per unctionem capitis consecrati, ita nunc descensus gratiae in membra seu fideles illustratur per unctionem manuum. — a. Manus enim cooperantur ut iam dictum est *instar instrumentorum* in Sacramentis: undam fundendo regenerantem, unctione chrismatis septiformem tradendo Spiritum, roborando animam in extremis constitutam, per impositionem manuum sacerdotio Christi incorporando, Crucem formando reconciliant, sanctificant, consecrant omnia, optimo iure ergo unctio eorum descensum seu communicationem gratiae capitis in membra significare potest. — b. Finita itaque praefatione, pontifex intonat antiph. « Unguentum in capite », quam schola prosequitur, ipse vero sedet cum mitra et accipit gremiale. Cantus hic scholae concinne exprimit *ideam communicationis gratiae:* « unguentum in capite » seu gratia episcopo elargita « descendit in oram vestimenti eius », i. e. in fideles, sicque « mandavit Dominus benedictionem in saeculum ». — c. Intra cantum ant. et Ps 132 *fit unctio.* Consecrator sedet, accipit mitram, et consecrato ante ipsum gcnuflexo inungit ambas manus simul iunctas cum chrismate in modum Crucis, producendo cum pollice suo dextero intincto duas lineas, videlicet a pollice dexterae manus usque ad indicem dexterae, et mox inungat totaliter palmas consecrati, dicens: « Ungantur manus istae de oleo sanctificato et chrismate sanctificationis, sicut unxit Samuel David regem et prophetam, ita ungantur et consecrentur ». Et producens manu dextera ter signum Crucis super manus consecrati, dicit: « In nomine Dei Pa t tris, et Fi t lii et Spiritus f Sancti, facientes... » (Variat. in Pont. Rom. d 20. feb. 1950). Duabus dein orationibus precatur consecrator, in priore ter, in altera bis signando manus consecrati, ut exaudiatur, consecratusve « spiritualis benedictionis ubertate » fecundetur. — Praemissis expeditis, consecratus iungit ambas manus et eas ponit in mappulam a collo pendentem, quae iam incepta antiphona ad collum eius imposita est. Et amplius iam non disiungit manus, usque ad continuationem Missae, tenens eas in mappula.

3°. Tertia actio explicaliva est investitura seu *traditio symbolorum officii episcopalis·,* baculi nempe, annuli ct libri Evangeliorum. — a. Consecrator absterso pollice cum medulla panis, deposita mitra surgit et benedicit *baculum pastoralem* cum oratione Pontificalis, dein accepta mitra sedens tradit consecrato coram eo genuflexo baculum, qui eum inter indices et medios digitos manibus non disiunctis capit, consecratore dicente: « Accipe baculum pastoralis officii... ». — b. Similiter fit cum *annulo,* qui a consecratore post eius benedictionem inmittitur in digitum annularem dexterae manus consecrati. — c. Ultimo consecrator accipit *librum Evangeliorum* de scapulis consecrati et adiuvantibus conconsecratoribus cum clausum tradit consecrato, qui illum tangit sine apertione manuum, consecratore dicente: « Accipe Evangelium... ». — d. Ritus investiturae clauditur *osculo pacis,* consecrator sedens dat osculum consecrato genuflexo, dicens: « Pax tibi », et ille respondet: « Arnen ». Simili modo recipit osculum pacis a conconsecratoribus (cf. Nabuco I, 269).

IV. Concelcbratio consecrati cum consecratore.

1°. Consecratus medius inter conconsecratores *pergit in suam capellam.* ibique sedenti caput abstergitur cum medulla panis et panno mundo, dein capilli eius pectine complanantur, manusque lavantur. Consecrator autem lavat manus in faldistorio. — Dein

2°. *Missa continuatur: consecrator* accepto baculo surgit, cum assistentia ad thronum se confert, ibi sedet, reddens baculum accipiensque gremiale, dein legit Alleluia vel ultimum versum Tractus vel Sequentiae, dein fit more consueto lectio Evangelii, post quam consecrator incensatur, dein dicitur Credo, si dicendum est. *Consecratus* interea omnia dicit *in suo altari.*

3°. *Ad offertorium* consecrator surgit, deposito gremiali et dicit « Dominus vobiscum », stansque legit ant. ad offertorium. Consecratus osculatur altare suum, et ipse dicit « Dominus vobiscum » non se vertens, et legit antiphonam praedictam. Consecrator surgit et facta debita reverentia accedit ad altare et sedit in faldistorio, consecratus vero medius inter duos episcopos accedit et *jacit suam oblationem.* Post eum portantur a primo capellano consecrati duo intortitia seu funalia accensa, post illum a secundo capellano duo panes in lance, post eum a capellano conconsecratoris primi doliolum seu barile (Fass, barrel, hordô) deauratum vino plenum, ultimo portatur doliolum a capellano secundi conconsecratoris deargentatum. Doliola vino repleta stemmata exhibent tum consecratoris, tum consecrati. Reverentia altari ab omnibus exhibita, consecratus solus ascendit in suppedaneum, ibique genua flectens tradit intortitia, unum post alterum, dein panes et doliola consecratori, qui ea accipiens statim tradit diacono, a quo ulterius traduntur capellanis, a quibus reponuntur in credentia consecrationis. In fine consecratus deosculatur manum consecratoris, qui dein sedens manus lavat.

4°. Ab hoc momento incipit *concelebratio.* Consecrator ascendit in medium altaris, consecratus vero ad posterius cornu Epistolae eiusdem altaris se recipit, medius inter episcopos conconsecratores, ante se habens Missalc, simul cum consecratore *omnia dicit et facit prout in Missali.* Praescriptum hoc Pontificalis Romani propius determinandum est: a. *facit* consecratus cum consecratore: genuflexiones, elevationes manuum et oculorum, percussionem pectoris, benedictionis gestus versus oblata, sinistra interea altari apposita. — b. *Non facit*

tamen sequentia: non benedicit incensum, nec aquam ad offertorium, recitat tamen orationes respectivas, etsi hoc controvert!tur, ad Lavabo manus non lavat, sed dicit Psalmum, « Orate fratres » dicit, sed non se vertit, ad doxologiam finalem Canonis (» Per ipsum ») dicit textum, sed manibus iunctis stat, — c. Ad consecrationem una cum consecratore profert verba consecrationis, ad elevationem Hostiae genuflectit, sed tantum post elevationem surgit consimili modo faciens ad consecrationem calicis (Nabuco I, 273-4).

5°. Una ponitur hostia consecranda pro concelebrantibus, vinumque sufficiens ponitur in calice pro utroque. Secreta ordinationis dicitur sub una conclusione cum secreta diei currentis, infra actionem dicitur « Hanc igitur » proprium, consecratore dicente: «pro *hoc* famulo tuo», consecrato autem proferente: « pro *me* famulo tuo ».

6°. *Ritus pacis:* Dicta oratione prima (« Domine J. Christe qui Apostolis tuis »), consecratus accedit ad dexteram consecratoris, ambo osculantur altare, manibus super illud positis et accipit pacem ab eo, dein revertitur ad latus Epistolae, ibique pacem dat conconsecratoribus, primum seniori.

7°. *Communio.* Postquam consecrator sub utraque specie communicavit, reservans dimidiam partem Hostiae et vini consecrati, consecrato in cornu Epistolae capite inclinato stanti porrigit partem Hostiae, sine ullo ritu, et statim dat ei in manu dextera calicem et patenam. Consecratus ad altare versus sumit sanguinem et continuo ponit calicem in medio altaris in corporali. Ablutio fit per consecratorem more solito, consecratus autem postea accipit calicem et purificatorium et se purificat in latere Epistolae.

8°. Deinde consecratus pergit in latus Evangelii, ibique stans omnia dicit cum consecratore usque ad benedictionem Missae inclusive. *Benedictio* datur more pontificali *a solo consecratore,* consecratus et conconsecratores in linea a latere Evangelii stantes recipiunt profunde inclinati benedictionem et se signant (Nabuco I, 270-276).

V. Epilogus seu ritus complcmentarii consecrationis.

1°. Ante ultimum Evangelium consecratus accipit mitram, sicque eius *inuestitura episcopalis* completur. Reponitur faldistorium in medio altaris, consecrator sine mitra stans benedicit *mitram* consecrati et sedens eam imponit capiti consecrati coram eo genuflexi, adiuvantibus conconsecratoribus, dicens: « Imponimus Domine... ». Similiter fit cum *chirothecis,* quibus indutis statim ei imponit *annulum* pontificalem.

2°. Secunda actio est *inthronizatio,* quae fit in throno, si consecratio fit in ecclesia cathedrali consecrati, secus in faldistorio, e quo consecrator surrexit. Consecrator consecratum accipit per manum dexteram, conconsecrator senior per sinistram, sicque ducitur ab eis ad sedem suam.

3°. Tertius actus est *gratiarum actionis,* a. primum *Deo aguntur gratiae:* Consecrator stans versus altare sine mitra intonat hymnum « Te Deum », quo incepto consecratus inter cantum hymni cum mitra et baculo medius inter consecratores mitratos per mediam ecclesiam usque ad portam principalem procedens fidelibus benedicit, omnibus interea in genua procumbentibus. — b. Reversus ad altare finitur « Te Deum », consecrator a sinistra eius consecratus, stant in medio altaris in plano et consecrator imponit antiphonam: « Firmetur manus tua... » schola eam prosequente, postea dicit orationem « Deus omnium fidelium pastor et rector... » Dicta oratione consecrator detecto capite

manens in cornu Evangelii stat cum conconsecratoribus sine mitris, consecratus autem accedens cum mitra et baculo ante medium altaris, inde *dat populo* trinam benedictionem pontificalem, per haec gratiam exhibens populo. — c. Restat, ut etiam *consecratori gratiae reddantur,* quod fit per vetustissimam *adclamationem* « polychronii ». Post benedictionem pontificalem consecrator accipit mitram, simulae conconsecratores stantes in cornu Evangelii versa facie ad cornu Epistolae. Consecratus vero cum mitra et baculo ad idem cornu Epistolae accedit, et genuflexus versus ad consecratorem dicit cantando: « Ad multos annos », dein accedens ante medium altaris eodem modo, sed altiore voce cantat eundem textum, demum accedit ad pedes consecratoris, idem altius repetendo. Consecrator tunc recipit consecratum surgentem ad osculum pacis, similiter faciunt conconsecratores. — d. Deinde *ultimum Evangelium* legitur, quod consecratus incipit se signans ante gradus altaris, unde dein dicendo textum redit cum conconsecratoribus ad capellam suam, ubi genuflectit ad verba « et verbum caro factum est ». Dein sedet et exuitur vestibus pontificalibus. Post recessum consecrati etiam consecrator versus ad altare incipit ultimum Evangelium, accipiensque mitram et baculum se recipit in thronum, ubi complet more consueto ultimum Evangelium, et in throno sedens, exuit vestes liturgicas, quae in altari deponuntur.

Scholion. Praeparanda ad ordinationes.

I. Praeparanda ad ordinationes in genere.

1°. Personae. Pontifex (episcopus vel ad minores etiam abbas regularis pro suis subditis vel alius praelatus see. Normas iuris) — archidiaconus seu presbyter assistens — ministri sacri — diaconi assistentes ad thronum — caeremoniarius — octo ministri: duo ceroferarii — thurifer, gremialista (qui simul et ampullas s. oleorum porrigit) — mitrifer, baculista, librifer, bugifer (minister cum scotula) — tres familiares episcopi: secretarius (seu notarius), caudifer. cubicularius (camerarius) — si metropolita celebrat: subdiaconus crucifer, amictu, alba et tunica vestitus.

2°. In sacrario seu sacristia. *Pro ministri sacris·,* duo amictus — albae — cingula — dalmaticae — bireta — stola diaconalis — manipuli. — *Pro diaconis assistentibus:* duae albae, amictus, dalmaticae. — *Pro presbytero assistente:* rochetum vel supcrpelliceum — pluviale. — *Pro ceteris ministris:* 12 superpellicea — 4 pluvialia, si eis utantur — duo vela serica. — Parvi libelli ordinationis.

3°. Ad altare. *Indumenta episcopi:* planeta — chirothecae — dalmatica — tunica — stola — alba — cingulum — gremiali cooperta — mitra simplex — mitra pretiosa — baculus ad parietem. — Faldistorium cum pulvinari — tapeta ante altare ad prostrationem — si metropolita celebrat: s. pallium in lance — tres spinulae in lance.

4°. In credentia (abaco) ordinaria. Calix et patena cum hostia — velum pro subdiacono super calicem — velum et bursa cum corporali — pyxis (ciborium) cum hostiis ordinandorum — ampullae vini et aquae — urceus aquae cum pelvi et manutergium — Canon pontificalis — Missale.

5°. In credentia ordinationis. Quia occasione ordinationum multa requirun tur, expedit alium quoque abacum prope credentiam in latere Epistolae parare.

Pontificale vel Ritus ordinationis — elenchus ordinandorum — candelae iuxta numeruin ordinandorum. Et aliae res iuxta sequentia.

II. Praeparanda ad ordinationes in specie (in abaco ordinationis).

1e. Ad tonsuram. Stiperpellicea iuxta numerum ordinandorum — forfices in lance.

2°. Ad ostiariatum. Duae claves in lance — campanula.

3°. Ad lectoratum. Lcctionarium — vel Missale vel codex S. Scripturae.

4°. Ad cxorcistatum. Rituale — vel Missale.

5°. Ad acolythatum. Candelabrum cum cereo exstincto — duae ampullae vacuae cum pelvi.

6°. Ad subdiaconatum. Calix cum patena sine aqua et vino — ampullae cum aqua et vino in pelvi — manutergium.

7°. Ad diaconatum. Liber Evangeliorum.

8°. Ad presbyteratum. Calix cum vino aqua mixto — patena cum hostia — oleum catechumenorum — vittae iuxta numerum ordinandorum — catinus cum mica panis et bombaciis — Missalia sufficientia pro binis ordinandis.

III. Praeparanda ad consecrationem episcopi.

1 . Personae. Ad personas Tab. I, 1 recensitas accedunt adhuc: duo episcopi eonconsecratorcs — caerimonarius consecratoris — caerimonarius electi et conconsecratorum — secretarius electi — duo capellani electi — capellani duo pro unoquoque conconsecratore.

2°. In sacristia. Praeter res Tab. I, 2 enumeratas: superpellicea pro ceteris clericis.

3°. Ad altare. Praeter necessaria Tab. I, 3 relata: tria scabella ad genuflectendum cum pulvinaribus.

4°. In credentia ordinaria. Praeter obiecta Tab. I, 4 praescripta: Calix cum vino et purificatorio pro electo — manutengia quatuor in lance.

5°. In credentia consecrationis. Tria pontificalia — bulla de mandato apostolico — liber Evangeliorum. — /V/ *tinctiones:* s. chrisma in lance — medulla panis et bombacia in lance — mappula linea oblonga, alligenda ad caput electi — mappula oblonga maior, appendenda in collum electi ad manuum unctionem. — *Ad investituram:* annulus in lance — mitra simplex e tela aurea — chirothecae in lance — baculus pastoralis ad parietem.

6 . Capella electi paranda est in presbyterio in parte Epistolae vel etiam extra presbyterium in loco apto. Capella constat ex altari et e credentia in latere Epistolae huius altaris. *Altare paratur* cum Cruce, duabus candelabris, petra sacra, tribus tobaleis. suppedaneo. *In altari* ponuntur *in medio:* pro electo: manipulus — plancta — dalmatica — tunica — crux pectoralis — pluviale — stola — alba cum cingulo — amictus. *In latere Evangelii* pro conconsecratore seniore: pluviale — stola — amictus — mitra alba simplex. *In latere Epistolae* altaris, eadem pro conconsecratore iuniore. — Consecrandus electus utitur semper paramentis coloris albi, consecrator vero et eonconsecratorcs utuntur colore tempori vel officio convenienti (CRit d 1265.2). — *In credentia capellae electi:* Missale cum legili — ritus consecrationis pro electo — caligae et sandalia in

lance — urceus cum pelvi — duo manutergia in lance — linteum ad caput abstergendum. — Ibidem *pro offertorio:* intortitia duo maiora (unius metri et 4 librarum) — duo panes rotundi, de more recepto cooperta charta inaurata et argentata — duo doliola seu barilia vino plena, unum deauratum, alterum inargentatum, cum scutis seu stemmatibus consecratoris et electi ornata in fundis eorum.

Multo plus potes habere de praeparandis in libro optimo *J. Nabuco,* Pontificalis Romani expositio iuridico-practica. Functiones pontificales extraordinariae, Tomus I. De personis Petropoli-Brasilia 1945, p. 83-87, dein p. 133-135, item p. 163-166, demum p. 249-250.

5. De ritibus ordinationi analogis.

luvat aliquid adhuc dicere de quibusdam ritibus, qui ad similitudinem quorundam ordinum compositi sunt ad personas in certo quodam statu constituendas. Ritus hi partim obsoleti historia tamen veneranda gaudentes sunt fere sequentes: a) Benedictio diaconissae, — b) Consecratio virginum, — c) Consecratio professionis monasticae, — d) Benedictio abbatis et abbatissae, — e) Consecratio et coronatio regis, — f) Coronatio Summi Pontificis.

a) Dc benedictione diaconissae.

1°. De ordine diaconissarum. Status quidam mulierum Deo devotarum fidelibusque inservientium ab Ecclesiae primordiis adfuit. Fuerunt tum virgines, tum viduae, vocabanturque « ministrae », graece « diakonoi », vel « viduae », tcherai». Dominatio «ministra» tam divulgata fuit, ut etiam Plinius lunior, proconsul Bithyniae eam versus 110 novit: « Necessarium credidi ex duabus ancillis, quae ministrae dicebantur, quid esset veri, et per tormenta quaerere ». Eodem fere tempore S. Ignatius Antiochenus meminit « virgines vocatas viduas» (Smym. 13,1). Sed aevo persecutionum ritus constitutivus pro hoc ordine non est notus, Paradosis S. Hippolyti explicite dicit, quod viduae non ordinantur, sicut clerici (n. 11).

2°. Inde a saec. IV-o iam ritus quidam institutus est benedictionis diaconissarum. a. *In Oriente* versus 400 Constitutiones Apostolicae describunt talem ritum: episcopus manus imponit iis quae diaconissae eligebantur (VIII, 8). Post saec. VII. etiam stola eis imposita fuit et acceperunt calicem vacuum, etsi optime noverunt, non perfici ritum sacramentalem (cf. superius E. 3. d.). — b. *In Occidente* autem per totum medium aevum ordinatio diaconissae in vigore mansit, ut abunde probant Pontificalia manuscripta a cl. V. Leroquais recensita, sic e.gr. *duo Pontificalia Salzburgensia* saec. XI-i dicunt etiam: « Ad diaconam faciendam. Episcopus cum diaconam benedixerit, orarium in collo eius ponat...» (Leroquais, Les Pontificaux manuscrits, I, 1937, p. 298. II, 423) sic fuit etiam saec. XIV-o exeunte (Pont. Rom., Paris Bibl. Nat. ms n. 968. Leroquais II, 93). Diaconissae utique solum in usum monasteriorum sanctimonialium ordinatae sunt, ideo in manuscriptis Pontificalibus « ordinatio dyaconae » vel « dyaconissac » fere semper coniuncta apparet cum consecratione virginum.

3°. Munera diaconissarum eadem fuere, quae describuntur a S. Paulo quoad viduas: « Speret in Deum et instet obsecrationibus et orationibus nocte ac die... Vidua eligatur non minus sexaginta annorum, quae fuerit unius viri uxor, in operibus bonis testimonium habens, si filios educavit, si hospitio recepit, si

sanctorum pedes lavit, si tribulationem patientibus subministravit, si omne opus bonum subsecuta est » (1 Tim 5,5. 9-10). Certurn est, quod iam aevo persecutionum diaconissae seu viduae presbyteris ministrabant, « cum mulieres baptizabantur, idque propter decorem et honestatem » (Const. Ap. VIII, 8), verisimiliter etiam mulieres rudes ad baptismum aspirantes catechismo excoluerunt, ut Statuta Eccl. antiqua saec. VI-o referunt, docuerunt « imperitas et rusticanas mulieres, tempore quo baptizandae sunt, qualiter baptizatori ad interrogata respondeant et qualiter accepto baptismate vivant » (can. 12. Andrieu, Les Ordines Romani III, 1951. p. 619).

4 . Benedictio diaconissarum una cum instituto iam diu evanuit, *officia* autem carum, praesertim caritativa inde a saec. XVI-o per novos ordines religiosos feminiles vastissimo territorio resumpta sunt. Instar imitationis ordinum religiosarum caritatis operibus inservientium *etiam Protestantes* instituerunt • diaconissas », praeeunte Theod. Fliedner anno 1836 in Germania, fundatore instituti diaconissarum cum centro Kaisersvverth. Diaconissae aegrotos curant in nosocomiis et domibus, post annos probationis pastor protestons eas manus imponendo « ordinat ». Communem quandam ducunt vitam, non nubunt, sed si voluerint, libere possunt ad nuptias transvolare.

b) De consecratione virginum.

Γ . Evolutio ritus, a. Semper fuerunt virgines quae consilium secutae Domini perpetuam virginitatem voverunt, peculiarem constituebant statum, « illustrior portio gregis Christi », dixit S. *Cyprianus* dc virginibus Deo sacris (De hah. virg. PL 4,443). Quia virginitas Deo devota considerata est qua matrimonium animae cum caelesti Sponso, iam a saec. II-o usuvenit, ut flammeum seu *velum mulierum nuptarum* portent, velum sic evasit signum distinctivum sanctarum virginum. Pronum fuit, tale velum ad propositum signandum eis in coetu liturgico imponere. — b. Huius tamen indubia vestigia saec. IV-o habentur, S. *Ambrosius* e. gr. talia refert de velatione sororis suae Marcellinae anno 353 facta: « ...cum Salvatoris natali ad apostolum Petrum virginitatis professionem vestis quoque mutatione signares... adstantibus etiam puellis Dei compluribus, (piae certarent invicem de tua societate » (De virginib. 3, 1 ed. Faller p. 63), mutatio vestis constabat in velatione, unde ritus hic « *velatio virginum* » vocari consuevit. Simili modo *Innocentius I.* (f 417) ad Victricem Rotomagensem (Rouen) scripsit de virginibus, a quae in Christo spiritualiter nupserunt et velari a sacerdote meruerunt n (PL 20,478). Pulcherrima et *prolixa prex* eucharistica seu in stilo praefationis legitur a ad virgines sacras » in Sacramentario *Leoniano* (Feltoe p. 139-140): « Deus castorum coquorum benignus habitator... ». — c. Ut etiam in aliis ritibus liturgiae Romanae antiquae, etiam consecratio virginum *aucta est* ritibus e liturgiis *typi Gallicani* oriundis. Sic e.gr. additus fuit ritus *benedictionis vestimentorum;* virgo enim consecranda « in talibus vestibus applicetur, qualibus semper usura est professioni et sanctimoniae aptis » (Stat. Eccl. ant. can. 11, Andrieu III, 619)). Venusti *textus* sumpti sunt ut antiphonae ex officio S. Agnetis virginis, qui iam a Patribus passim allegantur (a S. Ambrosio, Sulpitio Severo, Hieronymo), unde quidam concludunt eos textus iam aevo patristico in usu fuisse (Righetti IV, 365). *Cantus* « Suscipe me Domine... » iam notus fuit S. Benedicto, qui quendam textum consecrationis virginis allegare videtur (c. 72: « amore Deum timeant », in Consecr. virg.: « amore te timeant »,

cf. JfLw 1925, 25 nola 85). Similiter *Litaniae Sanctorum* ex ordinationis ritu transsumptae sunt in consecratione virginum. Sic ritus tali modo ditatus est in Pontificali Romano-Germanico saec. X-i. — d. *Pontificale Romanum* saec. XII-i et *Durandus* adiecerunt more suo alios ritus: triplicem cantum « Venite », postulationem, benedictionem et traditionem annulorum et coronarum. — e. Consecratio virginum medio aevo exeunte pedetentim *in desuetudinem abiit,* ordines enim novi mendicantium eum iam nunquam applicabant, etsi medio aevo adhuc etiam virginibus in saeculo remanentibus consecratio virginalis collata fuit, in pluribus enim Pontificalibus legitur ritus consecrationis « virginum quae a saeculo conversae in domibus suis susceptum castitatis habitum privatim observare voluerint » (in duobus Pontificalibus supra a. 2 . allegatis e saec. XI-o, Leroquais, Pontificaux I, 298, II, 423). — f. *Nunc utuntur consecratione* virginum Carthusianae numquam eam remittentes, quae etiam nunc ritu earum particulari accipiunt stolam et manipulum; dein congregationes benedictinae Anglica, Beuronensis, Brasiliensis, Solesmensis; sanctimoniales Cistercienses consecrationem virginum iam a pluribus saeculis reliquerunt, sicut etiam canonissae Lateranenses, Praemonstratenses et S. Augustini, solum monasterio S. Mariae et Annae in Beaulieu excepto (Nabuco I, 473). — g. Iuxta *ius hodiernum,* sc. Constitutionem Apost. « Sponsa Christi » consecratio virginum reservatur monialibus, i.e. religiosis votorum sollemnium (AAS 1951, 16 art. III. § 3). Secundum responsum autem S. C. Relig. 25. feb. 1927 benedictio et consecratio virginum mulieribus in saeculo viventibus dari non potest et nihil innovetur hac in re (AAS 1927, 138 s.).

2°. Descriptio ritus. Consecratio virginum fieri potest in festo Epiphaniae, in albis paschalibus (hebdomada Paschae), natalitiis Apostolorum et Dominicis diebus, intra Missarum sollemnia ab Episcopo celebrata. — a. *Adductio virginum.* Matronae paranymphae duae associantur singulis virginibus, quae ab eis ductae post Graduate apparent in porta ecclesiae, vocanturve ab archidiacono per cantum: « Prudentes virgines, aptate vestras lampades, ecce sponsus venit, exite obviam ei ». Virgines sacrandae accendunt candelas suas et accedunt in presbyterium sistuntque se coram episcopo, qui vocat ter cantando « Venite » vocem semper elevando, usque coram eo in genua procumbunt, cantantes «Suscipe me Domine secundum eloquium tuum...». — b. *Promissio* nunc fit virginitatis. Post admonitionem episcopi interrogantur ab eo: «Vultis in sacrae virginitatis proposito permanere? », affirmative respondentibus, singulae manus suas iunctas inmittunt genufiexae inter ambas manus Pontificis, a quo interrogantur: « Promittis te virginitatem perpetuo servare? » Post responsum « Promitto », osculatur manum episcopi. — c. *Prex litanica.* Super virgines prostratas cantantur Litaniae Omnium Sanctorum. — d. *Investitionis* ritus (1) exorditur per cantum « Veni Creator », — dein (2) virgines recedunt ad papilionem seu ad alium locum idoneum proximiorem ad hoc ordinatum, — (3) pontifice interea stante sine mitra ad altare vestes benedicendo, velaque, annutes, coronasve virginum. (4) Vestes portantur virginibus, quae vestibus induuntur. — e. *Prex consecratoria.* (1) Virgines intra cantum ant. « Regnum mundi et omnem ornatum saeculi contempsi... » accedunt ad altare, ibique in modum coronae coram pontifice vultibus demissis genuitectunt. — (2) Episcopus tunc cantat extensis manibus precem consecrationis in forma praefationis (« Castorum corporum benignus habitator... ») a Deo precando, ut virgines ad « similitudinem provehat angelorum », quae « sublimiores animae » Illius se thalamo devoverunt, qui

« perpetuae virginitatis est sponsus, quemadmodum perpetuae virginitatis est filius ». Dein consecrationis huius effectus suppliciter expostulantur: « ...prudens modestia, sapiens benignitas, gravas lenitas, casta libertas... », Deus autem rependens eis, quod semetipsas Ei devoverunt, erit eis « gaudium, in moerore solatium, in tribulatione patientia », sicque per castam vitam « transeant in numerum puellarum sanctarum et Christo iucundanter occurrant ». — f. Peracta prece consecratoria, fit *traditio insignium virginalis status.* (1) Pontifice incipiente cantatur a schola ant. « Veni electa mea et ponam in te thronum meum...», unicuique virgini imponitur in capite *velum,* antiquissimum signum propositi perpetuae virginitatis, postea cantant ipsae virgines ant. « Posuit signum in faciem meam, ut nullum praeter eum amatorem admittam » pontifice postea orationem dicente. — (2) Eodem modo fit traditio *annuli,* qua facta virgines cantant ant. « Ipsi sum desponsata, cui angeli serviunt, cuius pulchritudinem sol et luna mirantur». Dein omnes elevando manum dexteram annulatam cantant: « Annulo suo subarrhavit me Dominus meus Jesus Christus, et tamquam sponsam decoravit me corona ». — (3) Pontifex sedens cuilibet virgini imponit *coronam seu torquem* (Kranz, guirlande, koszoru), dicens: « Accipe coronam virginalis excellentiae... », virgines autem postea cantant ant. « Induit me Dominus cyclade auro texta... », et aliam ant. « Ecce quod concupivi iam video, quod speravi iam teneo... ». — g. *Epilogus* totius consecrationis comprehendit (1) *duas orationes* prolixiores: « Deus plasmator corporum... » et « Benedicat vos Deus Pater... » iam in Gelasiano primigenio contentas, (2) dein pontifex sedendo dicit « cum mitra, publica voce » *anathema* seu bannum contra eos, qui virgines consecratas a divino officio abducere vel earum bona subripere vellet. — h. Pontifex dein continuat Missam, (1) ad *offertorium* virgines offerunt candelas, (2) post communionem episcopi etiam ipsae sumunt Corpus Domini, reversaeque in loca sua cantant ant. « Mel et lac ex ore eius suscepi, et sanguis eius ornavit genas meas ». — (3) Post benedictionem pontificalem singulis tangentibus traditur cis breviarium, episcopo dicante: « Accipite librum, ut incipiatis horas canonicas, et legatis officium in ecclesia ». — (4) Dicto hymno « Te Deum », — (5) episcopus virgines consecratas genuflexas ad ianuam monasterii praesentat abbatissae etiam genuflexae, dicens: « Vide, quomodo istas consecratas Deo serves... ».

c) Dc consecratione professionis monasticae.

1 . Sensus professionis sollemnis. Votum publicum sollemne seu professio religiosa sollemnis potest concipi, ut sollemnis consecratio Deo facta. Etsi hic conceptus hodie non omnibus placet, certum est eum per saecula mentes catholicas pervasisse. — a. Virgines revera semper iam aevo antiquo Ecclesiae habebantur « hagiai ». « sacratae, sacrae. Deo devotae, consecratae » (cf. O. Casei, JfLw 1925. 3-15). Fontes huius aetatis vocabant eas « templum Dei, domum Christi, habitaculum Spiritus Sancti » (Const. Ap. IV, 14). Pronum fuit hunc conceptum etiam x iris « monazontibus » seu *monachis* Deo devotis applicare, sic S Basilius e.gr. nuncupat professionem monasticam ab eo primum praescriptam « *consecrationem* (hagiasmos) corporis, sicut quandam oblationem Deo sacratam » (Keg. fusius tract. 15. PG 31, 956). — b. Reapse per professionem vitae perfectioris homo sc obligat adamussim vivere secundum promissiones baptismales, vita boni monachi ergo semper baptismi perfectionem indicat, unde susceptio status monastici iure considerari potest « *Baptismus secundus* n, eo

magis, quia saec. IV-o monachi saepe « vivi martyres » vocati fuere, martyrium autem aevo persecutionum secundus baptismus habitum fuit, permultis testimoniis id probantibus. *Professio* itaque *sollemnis* merito qua *consecratio quaedam* concipi potuit ct potest, docente *Doctore Communi:* « Solemnitas voti attenditur secundum aliquid spirituale vel speciale, quod ad Deum pertineat, id est, secundum aliquam spiritualem benedictionem vel consecrationem, quae ex institutione Apostolorum adhibetur in professione certae regulae, secundo gradu post sacri ordinis susceptionem » (II-II q. 88. a. 7). Votum intelligitur non qualecunque, sed solum illud cui congruit sollemnitas, « quo aliquis totaliter se subiicit divino ministerio seu famulatui » (ib. ad 2).

2°. Evolutio « ordinationis monachi ». a. *In Oriente* invenitur origo ordinationis cuiusdam monachorum, de qua iam S. Basilius locutus est. Ritus ab eo memoratus fuse describitur versus 500 a *Ps. Dionysio* (Eccl. Hierarch. VI, 3. 2 PG 3, 533), et vocatur ab eo « mystêrion monachikês teleioseos » seu mysterium ad monachum perficiendum seu faciendum. Ritus iam prolixior est: sacerdos orationem consecratoriam profert super novitium, quae « *epiklesis* » = invocatio nominatur, sequitur *examen,* num novitius re ipsa renuntiare vult saeculo, dein fit professio et signatur signo Crucis, sicut in baptismo, *tonduntur* eius capilli, cum invocatione trium personarum divinarum, *exuitur* omnibus vestibus suis et accipit *indumentum monasticum,* cucullam seu melotam, ac demum per *pacis osculum* in congregationem fratrum suscipitur, celebraturque Missa. — b. *In Occidente* conspicitur ritus simplicior in Regula Monasteriorum S. *Benedicti* (c. 58). (1) Post decursum anni novitiatus profitendus in oratorio coram fratribus et abbate se sistit et « *promittit* de stabilitate sua et conversione morum suorum et oboedientia coram Deo et sanctis eius », (2) dein professionem scriptam « petitionis manu sua *super altare* ponit », seu sacrali modo offert vitam suam Deo, (3) ter repetitur dein una cum congregatione *versus a* Suscipe me Domine secundum eloquium tuum... » transsumptus e consecratione virginum (cf. supra b. 1° c.), (4) tunc « *prosternit* se singulorum pedibus, ut orant pro eo », (5) « in oratorio exuitur rebus propriis, quibus vestitus est. et *induitur* rebus monasterii ». (6) *Tonsio* capillorum non memoratur, sed supponitur (c. 2.). — c. Hic ritus simplex anni 529 saec. VII-o, verisimiliter in monasteriis Romanis sub influxu Orientis *mutatus* auctusque fuit, hoc saeculo enim, ut dictum est (cf. supra Pars gener. Typologia F. 1), liturgia Urbis subiacuit influxui orientali. De facto archiepiscopus Cantuarensis *Theodorus* (f 690), ex Oriente oriundus, Roma in Angliam missus refert primo de hac « ordinatione monachi »: « In monachi vero ordinatione abbas debet missas agere et tres orationes super caput eius complere et septem dies velet caput suum cuculla sua et septimo die abbas tollat velamen suum. Sicut in baptismo solet presbyter infantibus auferre, ita et abbas debet monacho, quia secundum baptisma est iuxta indicium patrum, in quo omnia peccata dimittuntur » (Poenitentiale c. r PL 99,928). — Ritus huius ordinationis monachi lautius describitur in manuscripto quodam *Pontificali Romano saec. XH-i* a Casei detecto (Engelberg cod. 54 fol. 77-81, JfLvv 1925, 34-37), et ablatis quibusdam interpolationibus ritum monastico-romanum Urbis saec. VIII-i repraesentat. In hoc ritu Romano-Anglico ad sobrium ritum Regulae accesserunt *alii ritus:* benedictio vestimentorum ante investitionem, dein « cantatur letania ipso prostrato », dicitur « Pater noster », recitatisque versiculis tres effunduntur prolixae orationes ad benedicendum monachum. — d. Hic ritus ubique diffusus a *Clunyacensibus monachis* paulatim modificatus fuit, praeser-

tim novae fuerunt quatuor orationes benedictionis monachi ab ipsis compositae quae hodiedum adhuc in usu sunt (1. « Deus indulgentiae pater », 2. « Deus qui per coaeternum Filium tuum n, 3. « Domine Jesu Christe qui es via », 4. « Sancte Spiritus qui te Deum »). Ritus hic Clunyacensium per Pontificale Durandi (1291-1296) devenit in Pontificale Romanum ac nunc quoque ibidem legitur ante Benedictionem abbatis. — e. Medio aevo ulterius progrediente accessit huic benedictioni *character* quidam *lugubris* quo exprimere voluerunt monachum professum mortuum fuisse huic saeculo. Sic e.gr. in Benedictionali S. Montis Pannoniae (saec. XV) habetur post investitionem : « Postea surgens de loco illo iaceat super unum latus ante altare honeste super pallio nigro ad hoc praeparato, facie manibus cum pedibus de cuculla coopertis, positis duobus cereis uno ad caput et altero ad pedes, in signum ut vivat mortuus et moriatur vivens n (Radô, Libri lit. bibi. Hungariae I. 1947, p. 189).

3°. *Hodierni ritus* quoad rem sequuntur ritum Clunyacensem, cum quibusdam variantibus singularum Congregationum Confoederationis O.S.B. et ordinum monasticorum. Religiones non-monasticae ritum proprium liturgicum vix possident. Ritus vero professionis Pontificalis Romani non est in usu, abbates enim commendatarii non benedicuntur nec emittunt professionem.

d) Dc benedictione abbatis et abbatissae.

1°. Evolutio ritus. Monasterii Pater, aramaice « abba », specialem benedictionem saec. VI-o iam certe habuit. S. Benedictus clare loquitur anno 529 de ordinatione abbatis, memorans n sacerdotem, vel eosdem abbates, qui abbatem ordinavit n (c. 64); etiam Gregorius Magnus (t 604) testatur ordinationem abbatis et abbatissae (Ep. 12. PL 77,866 et Ep. 48. PL. 77,1167). a. Ritus certe simplex fuit, Sacramentarium *Gregorianum-Hadrianum* (ed. Lietzmann n. 216. quod deest in Paduano) habet orationem « ad abbatem faciendum vel abbatissam », cum sequenti textu: » Concede quaesumus omnipotens Deus, et famulum tuum illum vel illam quem ad regimen animarum eligimus, gratiae dono prosequere, ut te largiente cum ipsa tibi nostra electione placeamus ». E *Gelasianis iuniori-bus* seu saec. VIII-i Sacramentarium Gellonense iam quatuor habet orationes: (1) nativa est oratio Gregoriani-Hadriani, (2) prolixa oratio est « Cunctorum institutor Deus... », (3) est longissima oratio « Omnipotens sempiterne Deus affluentem illum spiritum tuae benedictionis... », (4) est oratio specialis pro benedictione abbatissae « Domine Deus omnipotens, qui per sororem Moysis Mariam... » (cf. Baudot in DAL II, 1,725), omnes hae orationes usque hodie in Pont. Rom. leguntur, oratio 3. autem evasit praefatio consecratoria. — b. *Impositio manuum* episcopi super caput ordinandi est ritus vetustus in territorio liturgiarum *typi Gallicani* primum occurrens iuxta Vitam S. Fructuosi archiepiscopi Bracarensis (t 665), quem episcopus « ...imponens ei manum ordinavit eum abbatem in praecipuo Turonensi monasterio » (PL 87,469). — c. Traditio *baculi et pedulum* seu calceorum pontificalium etiam ritus Romanus novit, teste Theodoro Cantuarensi (t 690): « In abbatis ordinatione episcopus debet missam acere et eum benedicere inclinato capite... et donet ei baculum et pedules » (PL 99.928 s.). — d. Elementa haec omnia habet Pontificale Romano-Germanicum saec. X-i, ubi *Litaniae* quoque occurrunt *Omnium Sanctorum,* quibus — c. Pontificale Durandi adhuc adiecit recitationem *septem Psalmorum poenitentialium,* in fine vero traditionem annuli et mitrae. « Te Deum n et polychronion (« Ad multos annos ■) iam post Durandum accesserunt.

2°. Descriptio ritus benedictionis abbatis. Ritus per omnia adsimilatus est ritui consecrationis episcopi.

I. actus est praeparationis, a. *Postulatio et praesentatio* est brevior quam in consecratione episcopi. Adhibentur duo abbates assistentes, (1) senior assistens facit postulationem: « Adest, reverendissime Pater electus monasterii N., ordinis N. ... », (2) dein legitur mandatum apostolicum. — b. *Examen* fit nunc ordinandi, quod item brevius est examine episcopi ordinandi, quaestiones vero de fide penitus omittuntur. — c. Dein cantantur *Litaniae Omnium Sanctorum,* quas septem Psalmi pocnitentiales antecedunt, intra cantum electus procumbit in gradibus altaris a sinistra pontificis.

II. actus. Collatio dignitatis abbatialis. a. Loco impositionis Evangelii consecrationis episcopalis, Litaniis expletis, electo prostrato manente pontifex surgit et deposita mitra post versiculos *duas recitat orationes* (« Concede quaesumus omnipotens Deus affectui nostro » et « Cunctorum bonorum institutor... »), dein — b. incipit essentialem partem: *praefationem consecratoriam.* Intra cantum huius praefationis manus imponit capiti electi ad verba: « Ut qui per nostrae manus impositionem hodie abbas constituitur, sanctifi t catione tua dignus a te electus permaneat et nunquam postmodum a tua gratia separetur indignus ». — c. Praefatione completa adhuc *tres* recitantur *orationes* (« Deus cui omnis potestas... », dein « Omnium Domine fons bonorum... n et « Exaudi Domine preces nostras »).

III. actus. Explicatio potestatis acceptae. Quoniam abbas non recipit ordinem sacramentalem, unctiones non habentur, restat a. ergo solummodo *investitura* seu traditio instrumentorum officii abbatialis: regulae, baculi pastoralis et annuli cum respectivis orationibus et formulis, — b. actus clauditur *oratione* episcopi (« Te omnipotens et piissime Domine »), — et c. *osculo pacis* ab episcopo et duobus assistentibus accepto.

IV. Imitatio concclebrationis. Abbas ordinatus primo in capella sua prosequitur Missam, ad *offertorium* facit, ut fit in consecratione episcopi, postea *concelebrat* inde a « Suscipe sancte Pater... », sed alio modo quam episcopus. Genuflexns ante scabellum, medius inter duos assistentes legit cum pontifice totam Missam, exceptis verbis consecrationis, quae non proferet. Pacem de more recipit a pontifice et ad locum suum reversus pacem dat assistentibus, primum assistenti seniori. Deinde postquam pontifex se de corpore et sanguine (quem totum sumere debet, dicit Pontificale, ergo hostiam non) communicaverit, et antequam se purificet, communicat abbatem genuflexum de corpore tantum; iuxta Nabuco (L 399) non dicitur confessio et pontifex nil dicit praeter formulam «Corpus Domini nostri... », etsi etiam haec omitti posse videtur, ut alio loco dicit (p. 419. nota 219), quia hanc formulam abbas iam cum pontifice concelebrans dixit.

V. Epilogus. a. Data benedictione pontificali Missae per pontificem benedicuntur *mitra* et *chirothecae* et imponuntur cum formulis respectivis abbati ordinatio. — b. Dein fit *inthronizatio*: pontifex statuit abbatem ordinatum in sede praedecessorum suorum, dans ei baculum in manu sinistra. — c. Pontifex intonat hymnum « Te Deum », abbas vero ordinatus surgit et circuiens per ecclesiam populo benedicit. — d. Postea fit *homagium* tali modo: abbas rediens ad sedem recipit omnes monachos ad manus et oris osculum, postquam omnes

ei reverentiam exhibuerunt. — c. *Polychronio* (ad inultos annos) finitur ordinatio abbatis.

3°. Benedictio abbatissae, a. *Evolutio ritus.* Eodem tempore, quo abbates benedictionem acceperunt, etiam abbatissae monialium leguntur participes factae esse talis benedictionis, testante Gregorio Turonensi (t 594) in sua Historia Francorum (IX, 42 PL 71, 523); ritus quoque habetur in Libro Ordinum mozarabico (η. XXIII. MEL V, 66-68). Saeculorum decursu ritus benedictionis abbatissae omnino conformata est benedictioni abbatis. — b. Ideo *ritus hodiernus* in sequentibus fere differt a benedictione abbatis: non recitantur Psalmi poenitentiales, non traditur mitra, chirothecae, peculiaris dicitur oratio post praefationem consecratoriam pro abbatissa ordinata (« Domine Deus omnipotens, qui sororem Moysis Mariam n). Secundum ius particulare quaedam abbatissae etiam annulum, pectorale, diadema et chirothecas deferunt.

4°. Nostris temporibus *benedictio abbatum* a. in vigore est penes *canonicos regulares* sequentes: canonicos Lateranenses SS. Salvatoris, praemonstratenses S. Norberti, canonicos S. Augustini in Monte S. Bernardi (Grand St Bernard); abbates Crucigerorum non benedicuntur. Benedicuntur abbates congregationum *Confoederationis O.S.B.,* excepta congregatione Montis Oliveti; item: abbates S. *O. Cisterciensium,* tum communis observantiae, tum reformatae (Trappistac), congregationis O.S.B. *Vallis Umbrosae* et *Siloestrinae,* non benedicuntur priores monachorum Camaldulcnsium. Benedicuntur *regulares,* tum monachi, tum canonici, quibus a S. Sede abbatia *titularis* concessa est. — b. *Sacerdotes* autem *saeculares,* quibus a quacunque potestate etiam regia, titillus collatus est alicuius abbatiae vel praepositurae iampridem destructae vel penitus e.xtinctae, non possunt celebrare functiones pontificales, non habent usum pontificalium, nec ullam possunt benedictionem abbatialem recipere, praesertim eam, quae in Pontificali Romano descripta est, sic definitive declaravit Sanctus Pius X. (CRit 14. dec. 1904. d 4148, 1-3). Privilegia per exceptionem concedi solent a S. Sede. — c. Quod *abbatissas* adtinet, benedictionem recipiunt canonissae, bcnedictinae et cistercienses, aliae nomen quidem habent abbatissae, ut superiorissae Clarissarum, sed non recipiunt benedictionem. (Cf. de his Nabuco I, p. 415 nota 197-198 et p. 442 nota 229-230). — d. Benedictionem solum *episcopus* potest conferre, *assistentes* sunt abbates regulares benedicti; si non habentur, invitari possunt presbyteri in dignitate constituti, si fieri potest, protonotarii usu mitrae gaudentes (Nabuco I, 388). — *Privilegia* heic quoque dantur, sic Cistcrciensis Abbas Generalis potest omnes abbates sui ordinis benedicere. (Innocentius VIII. 9. mart. 1489), archiabbas O.S.B. S. Montis Pannoniae abbates congregationis Hungaricae (Benedictus XV 13. dec. 1921. AAS 1922, 34 s).

e) De consecratione et coronatione regis.

1 . Evolutio ritus, a. Prima mentio coronationis *imperatoris* in *Oriente* fit de imperatore Marciano anno 450, qui a patriarcha Anatolio coronatus est. Inde coronatio imperatoris ritus evasit liturgiae Byzantinae, post saec. VII. iam non in palatio imperiali, sed in ecclesia Ilagia Sophia locum habuit in ambone ecclesiae, non solum diadema imperiale sed etiam paludamentum purpureum seu pallium imperiale accepit a patriarcha, qui prolixam orationem super imperatorem recitavit, in qua plures alhisiones erant dc unctione cum oleo exaltationis etsi ritus byzantinus unctionem nunquam novit, sicut nec in conse-

cratione presbyteri et episcopi. — b. In *Occidente* coronatio regum primum in territorio liturgiarum *typi Gallicani* iam a saec. VII-o usuvenit; praeter impositionem coronae regalis etiam unctio regis semper occurrit. Sic in coronatione regis *Vamba oisigothici* anno 672 « oleum benedictionis per sacri Quirici pontificis manus vertici eius refunditur et benedictionis copia exhibetur », ut refert testis ocularis Julianus Toletanus (t 690) (Lib. de hist. Galliae PL 96, 766). In *Anglia* Pontificale Egbert! Eboracensis (732-766 testatur coronationem regum Angliae; in *Gallia* Pippinus limior fuit rex consecratus anno 754 per Stephanum Papam II. Speciali modo exculta fuit *coronatio imperatorum* Romano-Germanicorum inde a saec. X-o, tempore imperatorum saxonum, cuius ritus habetur in Pontificali Romano-Germanico. In hoc ritu imperator non solum coronatur, recipit etiam unctionem in capite cum chrisma, sicut episcopus, quod dein mutatum fuit in unctionem brachii dexteri et humerorum cum oleo catechumenorum. *Novi ritus* accessere: etiam in coronatione regis cantatae sunt *Litaniae,* praeter ritus memoratos etiam *gladium* benedictum recepit, *sceptrum* regni et ** pomum* », aureum globum mundum significans. — c. Coronatio regum propter unctionem cum oleo sacro habebatur *quaedam consecratio,* ideo reges, qui in tota Europa mediaevali coronati sunt, vocabantur « rex sacratus, rex unctus et consecratus, sua sanctitas, sanctus, vel sanctissimus, Christus Domini » (Oppenheim art. 1944. cit. p. 46-47)). — d. Nunc iam coronatio regis *obsoleta est,* quidam reges etsi catholici, coronari noluerunt vel nolunt, ultimae coronationes ritu Romano fuerunt in Brasilia 1822 et 1841 (Petrus I. et II. imperatores) et anno 1916 in Hungaria (Carolus IV.).

2°. Ritus Pontificalis Romani. — Die Dominica omnes episcopi in ecclesiam conveniunt, metropolita fungitur cum duobus episcopis assistentibus, qui regem deducunt. — a. *Postulatio* fit per seniorem episcopum deducentem: « Reverendissime Pater, postulat sancta mater Ecclesia, ut praesentem egregium militem ad dignitatem regiam elevitis ». — b. *Admonitione* facta per metropolitam. — c. fit *professio* regis genuflexi se ad iustitiam et pacem Ecclesiae servandam obligantis, quod etiam iureiurando confirmat inanibus super Evangelium positis. Metropolita dein dicit orationem « Omnipotens, sempiterne Deus, creator omnium... ». — d. *Prex litanica.* Super regem prostratum cantantur Litaniae Omnium Sanctorum versiculis recitatis dicuntur duae orationes (° Praetende Domine » et « Actiones nostras quaesumus Domine... »). — c. *Unctio regis.* Metropolita sedens inungit oleo catechumenorum brachium dexteram regis inter manum et cubitum atque inter scapulas, duas interea recitans orationes (« Deus Dei Filius » et « Omnipotens sempiterne Deus qui Hazael.... »). Postea metropolita incipit Missam et pergit usque ad graduale inclusive. — f. *Traditio insignium regalium.* Metropolita sedens tradit cum formulis sat prolixis: (1) *gladium* prius benedictum in altari, quo eum cingit, dein (2) rex genuflexus *coronatur* a metropolita, (3) et adhuc genuflexus recipit *sceptrum* regni. — g. *Inthronizatio.* Rex sceptrum in manu coronamque in capite ferens inthronizatur a metropolita, qui h. dein « *Te Deum* » intonat, quo finito duas longiores orationes decantat (« Deus qui victrices Moysis manus » et » Deus inenarrabilis auctor mundi... »). — i. Metropolita dein prosequitur *Missam,* ad offertorium rex offert « aurum quantum sibi placet ». Post communionem metropolitae detecto capite genuflexus in supremo grado altaris communicatur a metropolita et ex calice de manu eius se purificat.

f) De coronatione Sumini Pontificis.

Prima veri nominis coronatio cum corona triplici (tiara) facta est 1306. Clemente V. (1306-1314). Coronatio fit ad portam vel ad gradus ecclesiae Vaticanae basilicae, inde a Pio XII. in externo basilicae podio (vulgo: loggia). Primus diaconus cardinalis tollit mitram de capite Summi Pontificis, dicit Pater noster et collectam, dein ponit tiaram in capite electi, dicens: « Accipe tiaram tribus coronis ornatam et scias te esse patrem principum et regum, rectorem orbis et in terra vicarium Salvatoris nostri Jesu Christi, cui est honor et gloria in saecula saeculorum. Arnen ». Deinde datur a Summo Pontifice prima sollemnis benedictio apostolica Urbi et Orbi.

Litteratura.

Quoad ordinationes. *J. Morlnus,* Commentarius histor. et dogmat. de sacris Ecclesiae ordinationibus, Paris 1655. — *J. Many,* Praelectiones de sacra ordinatione, Paris 1905. — *J. Fixeront,* L'ordre et les ordinations, 2. ed. Paris 1925. — *P. Batiffol,* La liturgie du sacre des évêques dans l'évolution historique, *in:* Rev. d'hist. ecclés. 1927, 733-763. — *P. de Puniet, Le* Pontifical Romain, Paris 1930-31. Germanice: Das Romische Pontifikale. Geschichte u. Kommentar, Klosterneuburg 1932. — *M. Andrieu,* Le Pontifical Romain au moyen-âge I-IV. Città dei Vaticano 1938-1941. — *V. Leroquais,* Les Pontificaux manuscrits dans les bibliothèques publiques de France, I. Paris 1937, p. XXXIII-XCIII. — *L. Eisenhofer,* Ilandbuch d. kath. Liturgik 2. ed. Freiburg i. Br. 1941, II, 355-406. — *J. Nabuco,* Pontificalis Romani expositio iuridico-practica, Petropoli in Brasilia 1945, I, p. 66-338. — *L. Malien,* La liturgie des sacrements, Paris 1948, 367-449. — *M. Andrieu,* Le rituel des ordinations, *in: Les* Ordines Romani du haut moyen-âge, III. Paris 1951, 543-594 et IV. 1956, 3-20. 121-184. — *J. Lechner,* Liturgik des rômischen Ritus, 6. ed. Freiburg i. Br. 1953, 303-317. — *M. Righetti,* L'ordine, *in:* Storia liturgica IV. Milano 1953, 252-333.

Quoad ritus ordinationi analogos. Ad a) et b): *J. Wilpert,* Die gottgeweihten Jungfrauen in den ersten Jahrhunderten d. Kirche, Freiburg i. Br. 1892. — A. *Kalsbach,* Die altkirchliche Einrichtung der Diakonissen bis zu ihrem Erloschen, ibid. 1926. — *A. Wintersig,* Die Jungfraucnwcihe nach dem Rômischen Pontifikale, Düsseldorf 1926. — *J. Mayer,* Monumenta de viduis, diaconissis, virginibusque tractantia, (Florileg. Patr. 42), Bonnae 1938. — *F. Weichert,* Die Gcschichte der Diakonissenweihe, *in:* Eine hl. Kirche 1939, 57-79. — *L. Eisenhofer* II (1941) 423-427. — *Ph. Oppenheim,* Die Consecratio Virginum ais geistesgeschichtliches Problem, Romae 1943. — *J. Nabuco,* 1 (1945) 447-478. — *O. Harrison,* The formulas ad virgines, *in:* Eph· lit. 1952, 252. — M. *Righetti,* IV (1953) 283-287 et 361-366. — *R. Metz,* La consécration des vierges dans l'Église romaine, Paris 1954. — *L. Munster,* Ilochzcit des Lammes. Die Christusmystik der Jungfraucnwcihe, Düsseldorf 1955. — R. *Metz,* L'Ordo de la consécration des vierges dans le Pontifical dit de St. Aubin d'Angers, *in:* Mélanges M. Andrieu, Strasbourg 1956, 327-337. — *R. Schilling,* Le voile de la consécration des vierges dans l'Église franque du VU. au IX. siècle, *in:* Revue des sciences religieuses 1957, 105-121. — Xd c): *R. Molitor,* Von der Monchsweihe in der lateinischen Kirche, *in:* Theol. Glaulie 1924, 584-612. — *O. Casel,* Die Monchsweihe, *in:* JfLw 1925, 1-47. — *Ph. Oppenheim,* Monchsweihe und Taufritus, *in:* Mise, lit Mohlbcrg I (1948) 259-282. — *J. Lechner,* 6. ed. 1953, 329-330. — *M. Righetti,* IV (1953) 355-358). — C. *Figueras,* Acerca del rito de la profesion monastica medieval «ad succurrendum d, *in:* Liturgica II (Montserrat), Barcelona 1958-359-400. — Ad d): *J. Baudot.* Bénédiction d'un abbé et d'une abbesse, *in:* DAL II, 1 (1910) 723-727. — *L. Eisenhofer,* Il (1941) 427-429. — *J. Nabuco,* I, 381-446. — *M. Righetti,* IV (1953) 358-361. — Xd c): G. *Waitz.* Die Formeln der deutschen Kônigs-und Ka'scrkronung vom 10. bis zum 12. Jahrhundert, Gottingen 1873. — *E. Eichmann,* Konigs- und Bischofsweihe, München 1928. — *Idem,* Die Kaiserkrônung, Würzburg 1912. — *Ph. Oppenheim,* Die sakralen Momente in der deutschen Hcrrscherweihe bis zum Investiturstreit, *in:* Eph. Lit. 1944, 42-49. — *H. Leclercq,* Sacre impérial et royal, DAL XV. 1 1950) .304-313. — *M. Righetti,* Storia lit. IV (1953) 366-371. — De benedictione imperatoris cf. etiam *M. Andrieu,* Les Ordines Romani IV., Paris 1956, 445-462. — C. A. *Bouman,* Sacring and Crowning, Groningen 1957.

IX. Tractatus nonus

De Matrimonio.

Sacramentum Ordinis ad creandam novem progeniem parentum spiritualium a Domino ordinatum, institutum divinitus compar habet in Sacramento Matrimonii ad creandam progeniem parentum corporalium.

Sacramentum Matrimonii definitur a Catech. Catholico: « *Sacramentum Matrimonii est ipsummet coniugium inter baptizatos valide initum, ad dignitatem Sacramenti a Jesu Christo evectum, quo gratia coniugibus confertur, ut officia, quibus et inter se et erga filios adstringuntur, rite expleant* » (qu. 487).

Nomina huius *Sacramenti usitatissima sunt: Matrimonium,* i. e. aliquod munus, quod praesertim matri competit, ut S. Thomas rem declarat: « ...quia feminis incumbit maxime educandae prolis officium... quamvis pater sit dignior quam mater, tamen circa prolem mater magis est officiosa quam pater... unde magis pertinet ad rationem matrimonii mater quam pater » (Suppi, q. 44. a 2. corp, et ad 1.). — Dein vocatur *coniugium,* « quia coniuncti sunt, vel a iugo, quo in nuptiis copulantur, nec resolvi aut separari possint » ut S. Isidorus dicit (Etymol. IX, 20). — *Connubium* vocatur matrimonium a nubere seu velare, quasi « nube » obtegere, nam iuxta morem antiquum sponsa capite velato tradita fuit sponso, ut S. Ambrosius dicit: « Inde enim et nuptiae dictae, quod pudoris gratia puellae se obnuberent » (De Abraham I, 9, 93). — *Nuptiae* actum significat, quo sponsa tradita est sponso, item a caeremonia significativa velandi caput. Hoc nomine matrimonium consideratur *dynamice,* seu in statu fieri, dum « connubium » etiam respectu *statico* i.e. in statu esse considerat matrimonium; denominationes « coniugium » et « matrimonium » fere semper statice intelliguntur. — Graece matrimonium vocatur «ganws», a radice «gen», « gan » (cf. egeneto, gegaos = generare), dein etiam « *syzeuxis* « = coniugium. Gallicum a *mariage* » (Angi, marriage a « maritatione » (maritum accipere) derivatur; transsumptum est etiam *matrimonii* nomen (Ital. matrimonio, Angi, matrimony), German. « *Ehe* », ab « *ewa, etve* » = « foedus » oritur; Hungarica denominatio a *luizassag* » significat possessionem domus.

Materia absolvenda venit sequentibus capitibus:

A) De existentia Sacramenti Matrimonii.
B) De essentia Sacramenti Matrimonii.

C) De *efficientia* Sacramenti Matrimonii.
D) *De* personis sacramentalibus Matrimonii.
E) De ritibus Matrimonii.

A) De existentia Sacramenti Matrimonii.

1. Vox Ecclesiae.

Trident, sess. XXIV. can. 1.: « Si S.q.d., matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem legis evangelicae Sacramentis a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque conferre gratiam: a. sit! » (Denz. 971). — *Leo XIII.* « *Arcanum divinae sapientiae* » 1 febr. 1880: « Christus Dominus dignitate Sacramenti auxit matrimonium, matrimonium autem est ipse contractus, si modo sit factus iure... apparet, omne inter christianos iustum coniugium *in se* et *per se* esse Sacramentum ». — *Pius XI.* « *Casti connubii* » 31 dee. 1930: « Christus Dominus, Sacramentorum institutor atque perfector, suorum fidelium matrimonium ad verum et proprium Novae Legis Sacramentum provehendo, illud revera effecit peculiaris illius interioris gratiae signum et fontem, ...Et quoniam Christus ipsum coniugalem inter fideles validum consensum signum gratiae constituit, ratio Sacramenti cum christiano coniugio tam intime coniungitur, ut nullum inter baptizatos verum matrimonium esse possit, quin sit eo ipse Sacramentum » (Denz 2237).

2. Adversarii Matrimonii.

a) Primi adversarii matrimonii extiterunt *Gnostici et Manichaei,* quorum principium fundamentale erat materiam (hylê) esse intrinsecus malam, utpote a principio malo, a Satana creatam, ergo etiam matrimonium malum est, quia animas a Deo creatas materiae malae adiungebant. Matrimonium ergo damnaverunt, sed propter antinomismum eorum, vitam sexualem extra matrimonium licitam annuntiabant. Sic iam *Nicolaitae* saec. I-i, dein *Carpocratiani* s. II-IV., oriundi a Carpocrate gnostico, cuius haeresis per Marcellinam quandam etiam Romam usque pervenit.

b) Secundas nuptias prohibitas habuerunt *Athenagoras,* apologeta s. II-i, et *Montanistae,* quorum antesignanus Tertullianus erat in opere suo De monogamia.

c) Medio aevo *Haeretici dualistae* (Albigenses et Waldenses), Manichaeos sequentes, iterum affirmabant, matrimonium esse peccatum.

d) *Novatores* licitum quidem reputantes foedus nuptiale negabant matrimonium esse Sacramentum. Sic *Lutherus* iam anno 1522. talia dixit: « Matrimonium non solum sine ulla Scriptura pro Sacramento censetur, verum iisdem traditionibus, quibus Sacramentum esse iactatur, merum ludibrium factum est » (De captiv. Babylon.) Anno 1530. iam scripsit: « Es kann ja niemand leucken (= leugnen) dass dic Ehe ein eusserlich weltlich ding ist, wie kleider und speisen, haus und hoff » (Von Ehesachen). — *Calvinus* autem sat ridicula usus est argumentatione: « Matrimonium, quod ut a Deo institutum fatentur omnes, ita pro Sacramento datum nemo usque ad Gregorii tempora viderat. Et cuinam unquam sobrio in mentem venisset? Ordinatio Dei sancta et bona est, et agri-

cultura, architectura, sutrina, tonstrina ordinationes sunt Dei, nec tamen Sacramenta sunt » (Institutio religionis christianae IV. 19, 34).

e) Etiam *Modernistae* falsum conceptum habuerunt de matrimonio, ut videri potest e propositione 51. a Sancto Pio X. damnata: « Matrimonium non potuit evadere Sacramentum N. Legis, nisi serius in Ecclesia, siquidem, ut matrimonium pro Sacramento haberetur, necesse erat, ut praecederet plena doctrinae de gratia et Sacramentis theologica explicatio » (Denz. 2051).

3. Testimonium S. Scripturae.

Locus classicus est *Eph.* 5, 22-33. qui prae oculis habendus est totus secundum suum contextum. *Contextus* vero est:

a) V. 22-24: *Gynaikes hypotassesthôsan* = mulieres viris suis subditae sint, ratio vero est: etiam Ecclesia Christo subdita est, tamquam Capiti (kephalê tes ekklêsias).

b) V. 25-27: *Andres agapate tas gynaikas* = viri diligite mulieres, ratio est: quia etiam Christus diligit Ecclesiam, hunc vero amorem suum manifestavit per purificationem Ecclesiae, mundans eam per baptismum (louthros tou hydatos), ita ut Ecclesia endoxos, hagia, amornos = gloriosa, sancta, immaculata evadit.

c) V. 28-29: Ita viri debent diligere uxores suas, sicut « *ta heautôn somata* * = propria corpora, quae nutriunt et fovent. Ratio item assignatur: sic diligit etiam Christus Ecclesiam suam.

d) V. 30-33: *Consequentia est:* omnes sumus eiusdem corporis membra, qui Ecclesiam constituimus. Haec vero unitas corporalis habetur in matrimonio, sic, ut duo unam carnem constituant. Haec unitas corporalis quod in matrimonio habetur, iam secundum legem divinam *Veteris Testamenti aderat,* Paulus allegat Gen 2, 24 (« propter hoc relinquet homo patrem n etc.), verba haec Adam qua propheta a Deo illuminatus protulit, Christus Dominus vero auctoritate sua confirmavit, dicens « Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet n (Mt 19, 5-6). — In *Nova Lege* autem haec coniunctio divinitus ordinata *novum quid efficitur:* « *To mysterion touto mega estin, egô de lego eis Christon kai eis ten ekklêsian* » = Mysterium hoc magnum est, ego autem dico respectu Christi et Ecclesiae (acc. respectivus). — Unde legitime fit consequentia: viri diligant uxores sicut seipsos, uxores vero timeant viros suos.

e) E textu hoc classico *legitime fit* argumentum. Paulus enim argumentatione sua supponit rectam doctrinam de matrimonio iam notam esse fidelibus suis, ad quos epistolam suam scripsit, ideoque argumentari potest, quomodo in matrimonio se gerere debeant. Sequentia enim supponuntur a S. Paulo.

1°. In matrimonio *confertur gratia.* Obligationes enim coniugum sunt imago coniunctionis Christi cum Ecclesia, *atqui* haec coniunctio est supematuralis, ergo etiam obligationes coniugum sunt supernaturales. — Prob. maior: Obligationes coniugum sunt: subordinatio et dilectio, quae illustrantur per Ecclesiae subordinationem et Christi amorem erga Ecclesiam (v. 24-25. kathôs... hos). — Prob. minor. Coniunctio Christi cum Ecclesia est supematuralis i.e. eius principium est gratia gratum faciens. Christus enim Ecclesiam sanctificat « lavacro

aquae per verbum vitae », hoc est, baptismo, ita, ut Ecclesia sancta etc. fit (v. 26.27). *Ergo* etiam obligationes coniugum, i.e. matrimonium Novi Testamenti est supernaturale aliquid, i.e. principium etiam huius coniunctionis est gratia gratum faciens.

2'. Matrimonium N. Test, est *signum efficiens gratiam.* Matrimonium enim N. T. significat, i.e. repraesentat, imitatur coniunctionem Christi cum Ecclesia. *Atqui* haec coniunctio consistit in caritate, i.e. gratia gratum faciente, *Ergo* matrimonium N. T. significat gratiam. — Prob. maior. Coniunctio maritalis viri cum femina est « mysterium magnum » (v. 32), et quidem praecise ideo, quia refertur i.e. relationem habet ad Christum ct ad Ecclesiam (eis Christon kai eis ten ekklcsian, respectu habito ad Christum ct Ecclesiam). Coniunctio vero maritalis N. T. eo habet relationem ad unionem Christi cum Ecclesia, inquantum comparatio instituitur inter coniunctionem maritalem ex una parte, et coniunctionem Christi cum Ecclesia. Ubi vero iure fieri potest comparatio, adesse debet similitudo, i.e. rerum specifice differentium *eadem* qualitas, quae est caritas et subiectio. — Prob. minor. Coniunctio Christi cum Ecclesia consistit in caritate, quae caritas habet ut principium supernaturale gratiam, ut ostensum est.

3°. Matrimonium N. T. rem sacram *ex ordinatione divina significat,* omne enim matrimonium est ex ordinatione Dei, ergo etiam matrimonium N. T. *Atqui* matrimonium N.T. est significatio coniunctionis Christi cum Ecclesia, *ergo* etiam haec significatio coniunctionis fit ex ordinatione Dei. — Prob. ex supradictis.

4°. Matrimonium N.T. est *causa instrumentons gratiae.* Matrimonium enim N.T. significat gratiam, *atqui* in Novo Testamento signa gratiam significantia efficiunt quoque gratiam, *ergo* matrimonium N.T. efficit gratiam.

4. Testimonium S. Traditionis.

a) S. Patres ab initio matrimonium *pro re sacra habuerunt.* Sic egr. iain 5. *Ignatius Antiochenus* edixit: « Decet, ut sponsi et sponsae (gamontes kai gamouinenai) cum sententia episcopi coniunctionem faciant, ut matrimonium sit secundum Dominum et non secundum cupiditatem. Omnia ad honorem Dei fiant » (Ad Polycarp. 5, 1 RJ n. 67). — *Tertullianus* adhuc catholicus immortalia verba scripsit de matrimonii christiani dignitate: « Unde sufficiamus ad enarrandam felicitatem eius matrimonii, quod Ecclesia conciliat et confirmat oblatio (= Missae sacrificium), et obsignat benedictio, angeli renuntiant, Pater rato habet » (Ad uxorem 2,9 RJ 320). En iam saec. II-o exeunte habes testimonium quod matrimonium ad Ecclesiam spectat, habes testimonium Missae pro sponsis celebratae et benedictionis quoque maritalis. Imo singulae consuetudines iam memorantur a Tertulliano, transsumptae ab antiquis populorum moribus in diesque nostros adhuc vigentes. Sic memoratur *annulus* (« ...digitus, quem sponsus oppignorasset pronubo annulo » Apologetic. 6 MEL I. η. 1581), dein etiam mos sponsos *coronandi* (« coronant et nuptiae sponsos » De corona 13. MEL I. n. 1815). — S. Patres matrimonium pro re sacra habentes, matrimoniumque in jurisdictionem Ecclesiae relegantes, testimonium exhibent sacramentalitatis matrimonii.

b) Res sacra in matrimonio est *gratia gratum faciens.* Sufficiat allegare ex orientalibus *Origenem:* « Deus quidem is est qui duos in unum coniugavit (syzeuxen), ut amplius duo non sint ex quo mulier nupta est viro, et quoniam

Deus coniunxit, proptcrea iis inest gratia, qui a Deo coniuncti sunt, quod Paulus intelligens, connubium Verbo Dei consentaneum gratiam esse pronuntiat, quemadmodum castus celibatus gratia est » (In Mt 14, 16 RJ n. 505). — Ex Occidentalibus audiatur unus S. *Augustinus:* « Dicit apostolus: Viri diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam. Huius procul dubio Sacramenti res est, ut mas ct femina connubio copulati, quamdiu vivunt, inseparabiliter perseverent, nec liceat, excepta causa fornicationis, a coniuge coniugem dirimi. Hoc enim custoditur in Christo et in Ecclesia, ut vivens cum vivente nullo divortio separetur... Manet inter viventes quiddam coniugale, quod nec separatio, nec cum altero copulatio possit auferre... sicut apostatae anima velut de coniugio Christi recedens, etiam fide perdita sacramentum fidei non amittit, quod lavacro regenerationis accepit » (De nuptiis et concupisc. I. 10, 11 RJ 1867.

c) Matrimonium ideo habetur sanctum a Patribus, quia hoc *Christus Dominus sic ordinavit.* 1°. Testatur hoc *archaeologia Christiana,* sic in poculis vitreis deauratis antiquitatis christianae et *in nummis* saepe repraesentantur sponsi manibus innetis, quos Christus benedicit, vel loco Christi signum eius *PX.* In *sarcophagio* christiano saec. V-i coniuges Catervius et Severina iungunt manus suas, et versus hexametri appositi dicunt Christum eos copulasse: « Quos paribus meritis, iunxit matrimonio dulci | omnipotens Dominus tumulum custodit in aevum | Catervi Severina tibi coniuncta laetatur | surgatis pariter Christo praestante beati » (K. Kaufmann, Handbuch d. altchr. Epigraphik 197). — 2°. Pulcherrime exprimit partes Christi in sanctificatione matrimonii *S. Epiphanius.* Christus ideo vocatus est ad nuptias Canaeas, ut matrimonnium mere naturale, quod comparat vino aqua misto, transmutaret in vinum purum et sanctum matrimonii sacramentalis: « Ibi enim sensibiles nuptiae erant in Cana Galileae, et aqua veraciter conversa in vinum, vocatus vero est (Jesus Christus) duabus de causis: (1) ut vinum aqua dilutum (to hydares) quod est matrimonium in saeculo bacchantium, condensaret (epistypsê) in sobrietatem et honestatem, ut ceterum in posterum corrigeretur in laetitiam (euphrasiam) vini aerumnam solventis (lysiponou oinou) et gratiae, sicque omnimode obturet ora contra Dominum insurgentium, et (2) ut ostenderet quod ipse Deus est cum Patre et Spiritu eius Sancto » (Panarion 51, 30 RJ n. 1094).

Scholion. De ratione sacramentalitatis in matrimonio.

Matrimonium in Nova Lege tunc solum est Sacramentum, si contractus matrimonialis inter baptizatos initur. Quod pronum est, nam etsi omne matrimonium naturale per se bonum est et validum, Sacramentum tantum contractus inter baptizatos esse potest. Matrimonium ergo duorum non baptizatorum non est Sacramentum, sine baptismo enim nullum Sacramentum suscipi potest. Imo communius tenere debemus etiam matrimonium inter baptizatum et non baptizatum non esse Sacramentum, Christus enim contractum matrimonialem evexit in Sacramenti dignitatem, contractus vero tunc tantum valet, si ex utraque parte validus est; quod invalidum est ex ima parte, invalidum quoque est ex altera. Ideo ergo videtur etiam matrimonium tale non esse Sacramentum, quia pars non-baptizata certo non suscipit Sacramentum. Similiter putamus matrimonium paganorum non evadere Sacramentum, si una pars baptizetur. Si vero ambo coniuges baptizantur, matrimonium eorum, si consensus matrimonialis perseveret, eo ipso automatice evadit Sacramentum. — Matrimonium haereticorum

ct schismaticorum certo est Sacramentum, nam contractum fuit per baptizatos, ideo etiam indissolubile est.

Litteratura.

II. Cremer, Die kirchliche Training, historisch, litnrgisch und ethisch, Berlin 1875. — */ Müüendorf,* Ueber den patristischen Beweis der Elie als Sakrament, *in:* ZfkTh 1878, 633. — *J. B. Franzelin,* Tractatus de Matrimonio, Romae 1880. — *Schanz,* Der sakramcntale Charakter der Elie, *in:* Tiibing. Theol. Quartalschr. 1890, 3-56. — *M. P. Rosset,* De Sacramento Matrimonii, I-VI. Paris 1895-6. — *J. Perrone,* De Matrimonio christiano, I-I1I. 2. ed. Prati 1897. — *D. Palmieri,* Tractatus de matrimonio christiano, 2. ed. Romae 1897. — L. *Godefroy-G. le Bras-M. Jugie,* Mariage, *in:* DictThCath IX (1926) 2044-2335. — *A. de Smet,* Tract, thcologico-canonicus de sponsalibus et matrimonio, 4. ed. I-II. Brugis 1927. — *P. Card. Gasparri,* Tractahis canonicus de Matrimonio, 2. ed. I-II. Romae 1932. — *H. Leclercq,* Mariage, *in:* DAL X, 2 (1932) 1843-1982. — F. *M. Cappello,* De matrimonio, 3. ed. Romae 1933. — *Schütz Antal,* A hâzassâg (= De Matrimonio), Budapest 1933. — *G. II. Joyce,* Christian marriage. An historical and doctrinal Shidy, London 1933. Germanice, Leipzig 1934. — *N. Ladomérszky,* Saint Augustin, docteur du mariage chrétien, Rome 1942. — *Wernz - Vidal - Aguirre,* Jus matrimoniale, 3. ed. Romae 1946. — *C. Boyer,* Synopsis praelectionum de Sacramento matrimonii, Romae 1947. — *St. Sipos-L. Galos,* Enchirid. iuris canon., 6. ed. Romae 1954, p. 404-547. — *M. Premm,* Kath. Glaubenskunde, III, 2 (1955) Wien 1955, 258-384. — *M. Schmaus,* Kath. Dogm. IV, 1 (1957) 674-730. — V. *Fagiolo,* L'istituzione del sacramento del matrimonio nella dottrina di S. Bonaventura, *in:* Antonianum 1958, 241-262. — *J. Bank,* Connubia canonica, Romae 1959. — J. *Haspeker etc.,* Ehe, *in:* LfThK 2. cd. III (1959) 675-699.

Respectu pastorali. *D. Prümmer,* Summa Th. Mor. 4. ed. 1928, III. n. 625-894. — */. Morr-N. Marker - Markaroff,* Verwaltung des hl. Ehesakramentes, Wien 1946. — A. *Vcrmccrsch - J.Cretisen,* Th. Mor. 4. ed. 1948, n. 685-775. — *B. Merkelbach,* Summa Th. Mor. ed. 8. 1949, III. n. 746-979. — *J. Aertnys-C. A. Damen,* Theol. Mor. ed. 10. 1950, II. n. 623-952. — *J. Fanfani,* Man. theor.-pract. Th. Mor. IV. 1951, p. 652-931. — *O. Schollig, Die* Verwaltung der hl. Sakramente unter pastoralen Gesichtspunkten, 4. ed. 1952, p. 357-411. — *II. Noldin-A. Schmitt - G. Heinzel,* Summa Th. Mor., ed. 30. 1954, n. 502-677.

B) De essentia Sacramenti Matrimonii.

Agendum nobis est de essentia physica matrimonii, i.e. 1. de materia et forma matrimonii, dcin 2. de proprietatibus consensus maritalis, quia hie consensus constituit materiam et formam huius Sacramenti, dein 3. de potestate Ecclesiae in matrimonium, quia Ecclesia in hoc Sacramentum plus potestatis habet, quam in aliis Sacramentis, nam contractum irritare potest matrimonialem, qui in dignitatem sacramentalem sublimatus est.

1. De materia et forma matrimonii.

a) Materia ct forma simul sumpta

in matrimonio est ipse contractus matrimonialis. False opinabantur, qui, ut Melchior Canus primo, dein Launoy, Toumely, et Regalistae Galliae opinabantur materiam matrimonii esse consensum maritalem, formam vero benedictionem Ecclesiae. *Pius IX.* damnavit sententiam: « Matrimonii Sacramentum non est nisi quid contractui accessorium ab eoque separabile, ipsumque Sacramentum in una tantum nuptiali benedictione situm est » (Syllab. prop. 66. Denz. 1766).

Recta enim *doctrina* invenitur can. 1012 CIC: « Christus Dominus ad Sacramenti dignitatem evexit ipsum contractum matrimonialem inter baptizatos.

Quare inter baptizatos nequit matrimonialis contractus validus consistere, quin sit eo ipso Sacramentum ». — Ratio apposite assignatur a Leone XIII.: « Christus Dominus dignitate sacramental! auxit matrimonium, matrimonium autem est ipse contractus, si modo factus sit iure », ergo « exploratum est in matrimonio christiano contractum a Sacramento non esse dissociabilem » (Arcano divinae sapientiae Denz 1854).

b) Quomodo contractus materia et forma sit.

Tria consideranda sunt. — 1°. Quid sit sensu Aristotelis materia et forma in matrimonio, assignari quidem potest, sed recte notat Gutberlet quaestionem ideo solummodo poni, quia analogia ceterorum Sacramentorum hoc urget, ubi semper inveniri potest « elementum et verbum ». — 2°. In matrimonio non requiritur, ut forma ex verbis constet, iuxta S. Bonaventuram sufficit, « qualiscunque fiat expressio sive verbo, sive scripto, sive etiam quocunque nutu alio » (Sent IV. d. 34. al. 2. 4.) Ad naturam enim contractus non pertinet, quod verbis ineatur. — 3°. Notandum est, quod materia et forma in matrimonio non realiter, sed virtualiter tantum distiguuntur.

c. Materia

ergo est momentum illud contractus matrimonialis, quod vocari potest *mutua oblatio vel traditio corporum,* qua unusquique nubentium compart! offert seu tradit ius in proprium corpus. Corpora nubentium non sunt materia *ex qua* Sacramenti, sed materia *circa quam,* materia *ex qua* est oblatio seu traditio iuris ad corpora seu oblatio mutua. Oblatio seu traditio haec variis modis, sed aliquo modo manifestari debet, iuxta Ritualia fit per interrogationem. « N. vis accipere N. hic praesentem in legitimam uxorem iuxta ritum sanctae matris Ecclesiae? » ad quod sponsus respondendo « Volo », offert ius in corpus proprium sponsae, quae item idem responsum dans, idem facit, sicque oblatio haec mutua evadit.

d) Forma matrimonii

consistit in *acceptatione reciproca* huius oblationis seu traditionis. Sic clare Benedictus XIV: «Mutua ac legitima corporum traditio, verbis ac nutibus interiorem animi assensum exprimentibus, materia, et mutua pariter ac legitima corporum acceptatio, forma » est matrimonii (Epist. « Paucis abhinc » anno 1758. CIC fontes, II. p. 575). — Iure dicitur materia oblatio mutua in corpus proprium, materia etenim est aliquid elementum essentiale in Sacramento, sed adhuc indeterminatum, et revera, haec oblatio mutua seorsim sumpta nondum determinat contractum, nec terminat coniunctionem mutuam, nisi accedente acceptatione mutua huius oblationis. Acceptatio mutua est quasi-forma: per eam enim determinatur materia, sicque perfecte significatur unio inter Christum Ecclesiamve intercedens (cf. Boyer p. 46).

2. Proprietates consensus maritalis.

Quia Sacramentum matrimonii in consensu maritali consistit, Ecclesia huic consensui leges ferre potest; nunc vero nondum de hac potestate Ecclesiae agimus, sed de conditionibus omni consensui internis, quae ideo etiam consensum matrimonialem attingunt. — Consensus enim hic maritalis debet esse:

a) *Verus,* non fictus, nam talis non esset veri nominis consensus.

b) *Liber,* nam omnis contractus vi ac metu extortus nullus est. Libertas affici potest cx parte voluntatis, ideo vis et metus gravis nullum reddunt contractum, et affici potest e parte intellectus, ideo error substantialis invalidum reddit consensum.

c) Consensus debet esse *de praesenti,* non de futuro, talis enim non esset consensus maritalis, sed promissio matrimonii, ideoque solummodo sponsalia.

d) *Mutuus et simultaneus,* matrimonium enim est contractus bilateralis, non unilateralis, simultancitas vero intelligitur moralis.

e) *Absolutus et non condicionatus,* iuxta declarationem Ecclesiae: « Conditio semel apposita et non revocata: 1° si sit de futuro necessaria vel impossibilis vel turpis, sed non contra matrimonii substantiam, pro non adiecta habeatur, 2° Si de futuro contra matrimoni substantiam, illud reddit invalidum. 3° Si de futuro licita, valorem matrimonii suspendit. 4° Si de praeterito vel de praesenti, matrimonium erit validum vel non, prout id quod conditioni subest, exsistit vel non » (can. 1092).

f) *Externe manifestatus,* nam omnis consensus bilateralis manifestari debet, matrimonialis vero etiam ideo, quia hic consensus Sacramentum constituit, Sacramentum vero est signum sensibile.

3. De potestate Ecclesiae in matrimonium.

Ad naturam contractus pertinet, quod irritari potest per potestatem legislativam, conditiones possunt apponi, sine quibus contractus ab auctoritate legitima invalidus declaratur. Quia vero matrimonium N. Legis Sacramentum est, ad Ecclesiam pertinet legislatio circa hunc contractum matrimonialem. Quid vero Ecclesia possit, nunc ad maximum enuntiatur, aliud, quod minus est, Ecclesia a fortiori potest, quorum singularis consideratio ad Ius canonicum pertinet. Sicque statuitur:

TIIESIS. Ecclesiae ex ordinatione Dei privative ius est pro suis subditis impedimenta etiam dirimentia constituendi.

De fide definita.

a) Vox Ecclesiae

Trident, sess. XXIII. can. 3.: « S.q.d., eos tantum consanguinitatis et affinitatis gradus, qui Levitico exprimuntur, posse impedire matrimonium contrahendum, et dirimere contractum, nec posse Ecclesiam in nonnullis illorum dispensare aut constituere, ut plures impediant et dirimant: a. sit » (Denz 973). — *Ibid. can. 1:* « S.q.d., Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse: a. sit » (Denz 974).

Prop. 59 *damnata Pistoriensium:* « ... quasi Ecclesia non semper potuerit ac possit in Christianorum matrimoniis iure proprio impedimenta constituere, (piae matrimonium non solum impediant, sed ct nullum reddant... » (Denz 1559\

Prop, damnata 6S. *Syllabi Pii IX.:* « Ecclesia non habet potestatem impedimenta matrimonium dirimentia inducendi, sed ea potestas civili auctoritati competit, a (pia impedimenta existentia tollenda sunt » (Denz 1768).

Can. 1038 *CIC:* « §1. Supremae tantum auctoritatis ecclesiasticae est authentice declarare quandonam ius divinum matrimonium impediat vel dirimat. — § 2. Eidem supremae auctoritati *privative* ius est alia impedimenta matrimonium impedientia vel dirimentia pro baptizatis constituendi per modum legis sive universalis sive particularis ». — Quibus clare edicitur, auctoritatem civilem in matrimonio baptizatorum nullam habere potestatem, Ecclesiae enim in rebus matrimonialibus ius privative competit.

b) S. Scriptura

implicite et indirecte probat thesim. Christus Dominus Petro et successoribus eius dedit potestatem circa res sacras in bonum commune Ecclesiae, dicendo: « Quodcunque ligaveris super terram erit ligatum et in caelis » (Mt 16, 19), atqui haec potestas impedimenta etiam dirimentia statuendi sine dubio ad res sacras pertinet et etiam in bonum vergit commune Ecclesiae, clericum in sacris vel religiosum inhabilem reddens e. gr. ad contrahendum matrimonium. — Item apostoli cum auctoritate locuti sunt de rebus matrimonialibus, sic praesertim Paulus apostolus 1 Cor 7., ubi non nuptis et viduis declarat matrimonium licitum esse (v. 8-9), inculcat matrimonium esse indissolubile (v.10.11). promulgat privilegium « Paulinum » (v. 12-15).

c) S. Traditio

statim ab initio ostendit, Ecclesiam habere potestatem impedimenta etiam dirimentia constituendi, haec potestas tacite supponitur, nam omnes acceptant leges quae talia statuunt. Sic Cone. Neocaesaraeense (314) legem statuit de affinitate: « Mulier, si duobus nupserit fratribus, abiiciatur usque ad mortem, sed propter humanitatem in extremis suis, si dixerit, quod si forte sanitatem recuperaverit, matrimonium solvet, ad paenitentiam admittatur » (can. 2.) — Item initio saec. V. -i Nicetas Remesianus memorat impedimentum voti: « ...quae se Christo spondit, iam nupsit, iam immortali coniuncta est viro. Quae si voluerit nubere communi lege coniugii, adulterium perpetrat ancilla mortis efficitur » (De lapsu virg. consecratae 5,12 RJ 1335). — S. *Gregorius Magnus* vero contra legem Romanam impedimentum cognationis inculcat S. Augustino Cantuarensi observandum etiam in Anglia (Resp. Gregorii ad August. RJ n. 2299).

d) Ratione theologica

limpide probatur Ecclesiam habere potestatem statuendi impedimenta dirimentia. Hoc sequitur:

1°. *E notione Ecclesiae,* nam Ecclesia qua societas supernaturalis, debet pollere potestate impediendi gravissima mala quae vergere possent in animarum perniciem. Sed matrimonia iusto facilius celebrata praecise haec mala gignerent, Ecclesia ergo ea vetare posse debet. Sufficit ad impedimentum disparitatis cultus provocare, quo Ecclesia periculum defectionis a fide vult praecavere.

2°. *E notione Sacramenti,* Sacramentorum enim cura soli Ecclesiae competit, quippe quae ministra est Sacramentorum. Atqui matrimonium est Sacramentum, ergo eius cura pertinet ad Ecclesiam. Argumento hoc ius privativum Ecclesiae comprobatur.

3° *E diversitate auctoritatis civilis* sequitur, auctoritatem hanc non habere

potestatem impedimenta constituendi inter baptizatos. Auctoritates enim civiles diversae sunt iuxta territorium regnorum et statuum, inde maxima diversitas intercedere potest et revera intercedit inter varia regna quoad legislationem matrimonialem. Baptizati tales leges sequentes in maximas difficultates incidunt, et non potest probari Deum talem rerum statum intendisse.

4°. *E notione ipsius matrimonii* quoque hoc sequitur. Matrimonium enim consistit in consensu contrahentium, qui ipse fuit elevatus ad dignitatem sacramentalcm. *Atqui* omnis contractus regulari potest ab auctoritate competente, normasque sequi debet iuxta quas contractus rite ineundus est. — Minor illustratur. Qui mutat vinum in acetum, impedit, ne adsit materia consecrationis apta, sic quoque Ecclesia, impedimenta constituendo, efficit, ne personae sint ad contrahendum habiles (Hugon p. 772).

Scholion. I. De obligatione legis civilis matrimonialis.

Matrimonium mere civile baptizatos nullatenus obligat, immo omnino damnandum est, inquantum matrimonium attentaretur iuxta leges civiles tantum et coram magistratu civili ineundum. Sufficit allegare Pium IX.: « Nemo ex catholicis ignorat... quamlibet aliam inter christianos viri et mulieris praeter Sacramentum coniunctionem, cuiuscunque etiam civilis legis vi factam, nihil aliud esse, nisi tuqjem et exitialem concubinatum ad Ecclesia tantopere damnatum, ac proinde a coniugali foedere Sacramentum separari nunquam posse, et omnino spectare ad Ecclesiae potestatem ea omnia decernere, quae ad idem matrimonium quovis modo possunt pertinere » (a Acerbissimum vobiscum » 1852. Denz 1640).

Scholion II. De liceitate matrimonii civilis.

1° *Licitum est* matrimonium *etiam* civile inire,, sive matrimonium sacramcntale, sive postea, immo etiam obligatorium potest esse, si secus tractarentur ut concubinarii, et non consequerentur effectus civiles matrimonii, proles haberentur illegitimi etc. Hanc liccitatem matrimonii civilis clare edicit can. 1063 § 3.: « Non improbatur tamen, quod lege civili iubente, coniuges se sistant etiam coram ministro acatholico, officialis civilis tantum munere fungente, idque ad actum civilem dumtaxat explendum, effectum civilium gratia n.

2°. *Illicitum* est ut patet e supradictis, matrimonium mere civile *tantum* inire et in eodem persistere, tales tamquam veri concubinarii absolutione indigni sunt, usquedum resipiscant, et Ecclesiae praescriptionibus parere parati sint, iuxta Instruet. S. Poenitentiariae 15. jan. 1866.

3°. *Officiali* seu magistratui civili, item *testibus licet assistere* matrimonio civili etiam, quando matrimonium verum in facie Ecclesiae non celebraretur, sed intentionem debent habere in casu, sc exercere actum mere civilem, cooperatio enim ad concubinatum futurum, supposita hac intentione, mere materialis est. quae propter detrimenta gravissima denegationis licita est (cf. Instruet. S. Poenitent. 29. mart. 1885).

Litteratura.

A. *Roskovany,* Matrimonium in Ecclesia catholica potestati ecclesiasticae subiecta, Nitriae I-IV 1870-1882. — A *Resemans,* De competentia civili in vinculum coniugale infidelium, Romae 1887. —] *Bicdcrlack,* Weltliche Ehegesetze und ihre Gcltung, in: ZfkTh 1893,

677-695. — *I·'. Huszàr,* De potestate Ecclesiae in matrimonium soli exclusive propria, Romae 1900. — R. *Adam,* Die sakramentale Weihe der Ehe, Freiburg i. Br. 1930. — *B. Pivano,* De essentia matrimonii ad mentem Patrum, *in:* Rassegna di morale e diritto 1938, 196-215, 1939, 139-155. — *E. Boissard,* Questions théologiques sur le mariage, Paris 1948. — W. *Kornfeld,* Der Symbolisions matrimonialis in der 111. Schrift, in: Seelsorgcr 1958-59, 145. — G. *Reidick,* Die Rolle der Kirche beim Zustandekornmen des Ehesakraments, *in:* Una sancta 1959, 208-213.

C) De efficientia Sacramenti matrimonii.

Tractanda nunc est a nobis compositio metaphysica Sacramenti matrimonii, postquam physica eius compositio dilucidata est. Physica enim compositio matrimonii est oblatio mutua corporum, qua materia, acceptatio vero corporum est forma. Posito hoc signo sacramentali, i. e. contractu legitime inito, habetur « *Sacramentum tantum* », quod producit effectum suum « *rem et sacramentum* » quo suscipientes fiunt copulati, ad instar unionis Christi cum Ecclesia. Effectus hic intermedius producit « *rem tantum* », i. e. effectus ulteriores. Effectus *naturales* matrimonii etiam sacramentales resultant ex eo, quod matrimonium contrahitur *Novi* Testamenti, sed omne matrimonium Novae Legis ut effectus naturales habet prolem, i. e. legitimam susceptionem et educationem prolis, dein « fidem », i. e. unitatem matrimonii, et « sacramentum », i. e. fidelitatem matrimonialem. Effectus vero *supernaturales,* resultantes ex eo, quod matrimonium inter baptizatos repraesentat *unionem* Christi cum Ecclesia, sunt: castum connubium seu concupiscentiae refraenatio, dein auxilia ad officia coniugalia, demum consecratio matrimonii.

Ad illustrandam rem subiicitur sequens Tabella.

SACRAMENTI MATRIMONII:

Sacramentum tantum:	*Res et Sacramentum:*	*Res tantum:*
Oblatio mutua corporum (materia) et acceptatio mutua corporum (format	Copulatum esse in Novo Testamento: ad instar unionis Christi cum Ecclesia:	I. *Effectus naturales:* 1. Proles 2. Fides = unitas 3. Sacramentum = indissolubilitas II. *Effectus supernaturales:* 1. Castum connubium 2. Auxilia ad officia coniugalia 3. Consecratio matrimonii

I. De effectibus naturalibus matrimonii.

Primo agendum est de effectibus naturalibus matrimonii. Id est 1. de susceptione et educatione prolis, 2. de fide seu de unitate matrimonii, demum 3. de « sacramento » seu de indissolubilitate matrimonii. Triplex hic effectus seu fines connubii tali modo denominantur a S. *Augustino:* « In nuptiis bona nuptialia diliguntur: proles, fides, sacramentum » (De nuptiis et concup. 17,19 PL 44,424). Quid haec sibi vellent, propius explicat alibi: « In *prole,* ut amanter suscipiatur. ne praeter vinculum coniugale cum altero vel altera concumbatur... *In sa-*

cramento autem, ut confugium non separetur, et dimissus aut dimissa nec causa alteri iungatur » (De Gen. ad litt. 9,7,12 PL 34,397).

1. De « prole » matrimonii.

De susceptione et educatione prolis agere pertinet ad Theol. moralem et paedagogiani christianam, restat ergo solum tractandum de « fide » seu unitate matrimonii, et de « sacramento » seu indissolubilitate eius.

2. De « fide » seu unitate matrimonii.

Effectus hi iure nominantur tali modo, consequuntur enim susceptionem matrimonii. Nuncupantur vero etiam *fines* matrimonii, vel *proprietates,* praesertim a Iure canonico, cf. can. 1013 §2: « Essentiales matrimonii proprietates sunt unitas ac indissolubilitas ».

Fides autem seu unitas matrimonii consistit iuxta definitionem Augustini in eo, « ne praeter vinculum coniugale cum altero vel altera concumbatur », unitas matrimonii sic latius sumitur, nam omne adulterium, i. e. peccatum carnale perfectum adversatur unitati matrimonii. Stricte vero considerata unitas matrimonii significat *monogamiam, i. e. unum matrimonium, quo unus cum una iungitur foedere nuptiali.* Contra monogamiam est *polygamia* quando plures iunguntur foedere matrimoniali. Monogamia potest esse *perfecta,* si ad mortem usque perduret, i. e. si etiam mortuo coniuge non contrahuntur novae nuptiae, et *imperfecta,* si coniugali vinculo soluto per mortem novum foedus ineatur. Haec monogamia imperfecta vocatur etiam a quibusdam *polygamia successiva,* dum veri nominis polygamia *simultanea* vocatur. Nemo non videt, hanc terminologiam laborare tautologia, ideo melius dicitur cum Pio XI. polygamia *successiva* ea, qua coniux reiicitur et altera compars ducatur, cum qua dein sola in posterum vivitur, manente tamen vinculo coniugali cum priore; polygamia *simultanea* in hoc casu vocatur matrimonium cum pluribus temporaria simultaneitate compartibus. Polygamia potest esse *polygynia* seu polygamia simpliciter dicta, quando nempe unus vir plures habeat uxores, sive successive, ita ut prior uxor adhuc vivat, sive simultanée. Polygamia dein potest esse *polyandria,* quando una mulier plures habet viros, sive successive, ita ut prior vir adhuc vita sospes sit, sive simultanée; haec polyandria omnino est contra leges naturae.

MATRIMONIUM

Monogamia		*Polygamia*	
perfecta	*imperfecta*	*successiva*	*simultanea*
(per totam vitam)	(durante solum vita compartis)	(novum foedus, vivente comparte, cum alia)	(matrimonium cum pluribus eodem tempore compartibus)
		polygynia	*polyandria*
		(unus vir cum pluribus mulieribus)	(una mulier cum pluribus viris)

His praemissis statuitur:

THESIS. (1) Polygynia lege divina ab initio vetita in Vetere Testamento dispensata fuit, (2) in Novo vero Testamento omnino prohibita, (3) monogamia imperfecta autem licita est.

I. et II. pars est de fide definita, III. theologice certa, vel etiam fidei proxima.

Probatur pars I.: Polygynia vetita in V. T. -o dispensata.

a) Vox Ecclesiae.

Trid. sess. XXIV. prooem. « Matrimonii perpetuum indissolubilemque nexum primus humani generis parens divini Spiritus instinctu pronuntiavit... hoc autem vinculo duos tantum copulari et coniungi, Christus Dominus apertius docuit » (Denz 969). — Haec verba clare demonstrant, Ecclesiam docere, matrimonii unitatem inde ab initio legem fuisse divinam, nil vero decernit de polygyniae liceitate tempore Veteris Legis. — Hoc aperte fit per sequens testimonium *Pius XI.* « *Casti connubii* » 31. dec. 1930: (coniugalis) « fides in primis postulat absolutam coniugii unitatem, quam in protoparentum matrimonio Creator ipse praestituit, cum illud noluerit esse, nisi inter unum virum et mulierem unam. Et quamquam deinde hanc *primaevam legem* supremus legislator Deus ad tempus aliquantum *relaxavit,* nullum tamen dubium est, quin illam pristinam perfectamque unitatem ex integro restituerit, *omnemque dispensationem* abrogaverit evangelica lex » (Denz 2231).

b) S. Scriptura

docet *tum* legem esse divinitus ordinatam ab initio generis humani matrimonium debere esse monogamicum, *tum* hanc legem ad tempus relaxatam esse. *Primum* iuxta authenticam interpretationem Ecclesiae sequitur e verbis Adae. « Hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea. Quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem et adhaerebit uxori suae et erunt duo in came una » (Gcn 2,23 s.), quod Adam dixit «divini Spiritus instinctu n. Ad quae verba Innocentius III. adiungit: « Non dicit tres vel plures, sed duo, nec dicit adhaerebit uxoribus, sed uxori » (PL 216,1270): — Christus eadem verba divinitus inspirata ad Adam prolata ideo tamquam verba ipsissimi Dei allegat: « Non legistis, quia *qui fecit hominem* ab initio masculum ct feminam fecit eos? *et dixit:* Propter hoc dimittet homo patrem et matrem et adhaerebit uxori suae et erunt duo in carne una ». Creator, qui fecit hominem ergo ipse enuntiat per Adam unitatem matrimonii, Christus vero contextu allegato statim adiunxit: « Itaque iam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus coniunxit. homo non separet » (Mt 19,5-6). — *Secundum, relaxatio* nempe huius legis primigeniae, continetur eodem contextu verborum Christi, qui declaravit: « Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras, ab initio autem non fuit sic » (Mt 19,8).

c) Ratione theologica

dilucidari debet, quomodo Deus dispensare voluit et potuit legem divinam de monogamia. Ad quaestionem responsum habetur *Suppi, q. 65 a. 1. et 2.* Lex haec divina positiva est etiam lex naturae, sed non pertinet ad « *prima praecepta*

legis naturae », in quantum de polygynia agatur, sed pertinet ad « *secunda praecepta* legis naturae, quae ex primis derivantur ». « Pluralitas uxorum neque totaliter tollit, neque aliqualiter impedit matrimonii primum finem, cum unus vir sufficiat pluribus uxoribus fecundandis et educandis filiis ex eis natis. Sed *secundarium finem* etsi non totaliter tollat, tamen *multum impedit,* eo quod non potest esse *pax* in familia, ubi uni viro plures uxores iunguntur, cum non possit unus vir sufficere ad satisfaciendum pluribus uxoribus ad votum, et etiam quia communicatio plurium *in uno officio causât litem* » (a. 1. corp.), lure autem vocatur actio Dei relaxativa hanc legem ad tempus *dispensatio,* sicut idem Doctor Communis docet: « Illi ex cuius auctoritate lex efficaciam habet, reservatur, ut licentiam praebeat legem praetermittendi in illis casibus, ad quos legis efficacia non extendere se debet, et talis licentia dispensatio dicitur. Lex autem de unitate uxoris non est humanitus, sed divinitus instituta... et ideo in hoc a solo Deo dispensatio fieri potuit » (a. 2. corp.) Fere omnes theologi de dispensatione loquuntur, quod item videmus etiam Pium XI. fecisse, non est ergo audiendus, cui terminus « dispensationis » minus placeret.

Quod alteram speciem polygamiae attinet, *polyandriam* nempe, clarum est illam vetitam esse praecepto primo legis naturae: adversatur etenim primario matrimonii fini, bono nimirum prolis. « Mulier enim, cui plures accedunt viri, redditur sterilis, adeo ut iuxta Debreyne ex ducentis meretricibus duo vel tres filii nascantur per annum » (Zubizarreta p. 437).

Probatur II. pars: Polygamia in Novo Testamento prohibita.

De fide:

Trident, sess. XXIV. can. 2: « S.q.d., licere Christianis plures simul habere uxores, et hoc nulla lege divina esse prohibitum: anathema sit » (Denz. 972).

S. Scriptura

clare docet hoc *Mt 19,4-6:* « Non legistis quia qui fecit hominem ab initio masculum et feminam fecit eos? Et dixit: Propter hoc dimittet homo patrem et matrem et adhaerebit uxori suae et erunt duo in carne una. Itaque iam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet. » — Hac abrogatione dispensationis divinae Veteris Legis restituta est monogamia originalis. nova vero dispensatio a Deo iam non datur, nam tempus revelationis absolutum est. Polygamia ergo in perpetuum vetita manet, et — ut patet — pro omnibus hominibus, qui Novi Testamenti tempore vivunt.

Probatur pars III.: Monogamia imperfecta licita.

Post solutionem vinculi coniugalis per mortem compartis novae nuptiae licitae sunt i.e. monogamia imperfecta seu polygamia stricte successiva. Saltem theologice certum.

a) Vox Ecclesiae.

Lugdunense IL 1274. Professio fidei Midi. Palaeologi: (Sancta Romana Ecclesia) « ...soluto legitimo matrimonio per mortem coniugum alterius, secun-

das et tertias deinde (vel deinceps) nuptias successive licitas esse dicit... » (Denz 465). — *Deer. pro Jacobitis Eugenii IV. 4. jebr. 1442:* « Declaramus, non solum secundas, sed tertias et quartas et ulteriores, si aliquod impedimentum non constat, licite contrahi posse » (Hardouin, Concil. IX, 1028).

Can. 1142: « Licet casta viduitas honorabilior sit, secundae tamen et ulteriores nuptiae validae ac licitae sunt ».

b) Adversantur

huic clarae doctrinae *Montanistae,* praesertim Tertullianus, dein *Novatiani,* secundas iam nuptias bigamiam declarantes. *Orientales schismatici* tertias nuptias prohibent, sed dispensant, ergo legem reputant mere ecclesiasticam.

c) S. Scriptura

evidenter docet liceitatem monogamiae imperfectae *1 Cor 7,8-9.39:* « Dico autem non nuptis et *viduis:* bonum est illis, si sic permaneant sicut et ego. Quod si non se continent, nubant ... Mulier alligata est legi, quanto tempore vir eius vivit, quod si dormierit vir eius, liberata est, cui vult, nubat, tantum in Domino ».

d) S. Traditionis

unus testis audiatur S. *Hieronymus:* « Non damno digamos, immo nec trigamos, et si dici potest, octogamos. Aliud est non damnare, aliud praedicare, aliud est veniam concedere, aliud laudare virtutem » (Ad Pammachium c. 9. RJ n. 1349).

e) Ratione theologica

quoque probatur haec doctrina: Vinculum matrimoniale solutum morte coniugis de novo contrahi potest. Quod significationem attinet, relationis nimirum Christi ad Ecclesiam, verum est, hanc relationem, utpote insolubilem, in secundis nuptiis minus iam verificari. Sed tamen aliquo imperfectiore modo verificatur etiam in secundis nuptiis, nam secundus contractus, ut docet Scriptura et usus Ecclesiae, licitus est, ideo Sacramentum evadit inter baptizatos, ideoque unionem Christi et Ecclesiae, imperfecte quidem, sed etiam pro hac secunda vice repraesentare potest.

3. De bono sacramenti seu de indissolubilitate matrimonii.

Statuitur:

THESIS. (1) Matrimonium Novi Testamenti intrinsecus indissolubile est, j2) etiam in casu adulterii. Fidei proxima.

Probatur I. pars: indissolubilitas.

a) Vox Ecclesiae.

Tridentinum sess. XXIV. can. 5: « S.q.d., propter hacrcsim aut molestam cohabitationem aut affectatam absentiam a coniuge dissolvi posse matrimonii vinculum: a. sit » (Denz 975).

Matrimonium dicitur *intrinsecus* indissolubile, si non potest solvi ab eadem causa efficiente, per quam factum est. Sensus ergo thesis est, quod matrimonium solvi nunquam potest a partibus contrahentibus. *Extrinsecus* est matrimonium solubile, si causa externa, non ergo contrahens matrimonium, matrimonium solvere potest. Tali modo est veritas de fide, matrimonium ratum i.e. legitime initum, non consummatum per copulam carnalem, per solemnem religionis professionem alterius coniugum dirimi (sess. XXIV. can. 6. Denz 976). Ex usu Ecclesiae inde a Bonifacio VIII. theologice certum est, Ecclesiam posse solvere matrimonium ratum non consummatum « per dispensationem a Sede Apostolica concessam utraque parte rogante vel alterutra, etsi altera sit invita » (can. 1119).

b) Adversantur:

Praesertim *Lutherus,* qui valde laxo modo opinatus est de hac materia, affirmans matrimonium solvi posse, si compartes moleste ferunt cohabitationem, si compars in haeresim inciderit, si derelicta fuerit, etiam per affectatam absentiam, si ad peccatum seducta fuerit a comparte, e. gr. ad furtum, praecipue vero solvi potest matrimonium ob adulterium compartis. Melanchthon et Calvinus iam severius indicabant, solum adulterium reputantes legitimam causam dissolutionis vinculi.

c) S. Scriptura

clare enuntiat hanc doctrinam: *1 Cor 7,10:* « Iis autem, qui matrimonio iuncti sunt, praecipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere, quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat ». — Similiter *Roni 7,2-3:* « Quae sub viro est mulier, vivente viro, alligata est legi, si autem mortuus fuerit vir eius, soluta est a lege viri. Igitur, vivente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro, si autem mortuus fuerit vir cius, liberata est a lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro ». — Quod autem valet de muliere, aeque valet etiam de viro, in Novo Testamento enim lex unilateralis divortii abrorogata est etiam quoad virum, nec ipse potest ad novas nuptias convolare, quod evidens est e textu *Mc 10,11-12:* « Et ait illis: Quicumque dimiserit uxorem suam et aliam dixerit, adulterium committit super eam » (cf. textum parallelum apud Mt 19,9).

d) S. Traditio

similiter sine dubio enuntiat hanc doctrinam. Sic Poimén Hennae inter 110-155: «Quid igitur, Domine, faciat maritus, si uxor in hac libidine permanserit? Dimittat eam, inquit, et vir maneat secum, sin vero uxore dimissa aliam duxerit, et ipse adulterium committit » (Mand. 4,1,6, RJ n. 86). — Consimili modo loquitur etiam S. *Justinus,* dicens: « Qui ducit repudiatam ab altero viro, moechatur... Quemadmodum etiam ii, qui ex lege humana duplex matrimonium ineunt, ita et qui mulierem aspiciunt, ad concupiscendum eam, peccatores sunt apud dominum nostrum » (Apol. I. 15. RJ n. 119). — *Clemens* vero Alexandrinus versus 208-211 affirmat: « Qui vero dimissam accipit uxorem, moechatur, inquit, si quis enim dimiserit uxorem, moechatur ipsam, hoc est, cogit eam moechari. Non solum autem, (pii dimisit est eius causa (sc. fomica-

tionis), sed etiam, qui eam suscepit, praebens mulieri peccandi occasionem », (Stromateis 2,23,146,2 RJ n. 420).

e) Ratione

sic argumentatur: Matrimonium Christianum est simile Eucharistiae, quae non solum dum fit, sed etiam dum permanet, Sacramentum est, ita etiam matrimonium, dum coniuges vivunt, semper est societas repraesentans Christi et Ecclesiae unionem. *Atqui* haec unio Christi et Ecclesiae est coniunctio indissolubilis, semper permanens, *Ergo* etiam externa coniugum societas Christianorum est permanens, i.e. indissolubile, « quemadmodum in Sacramento Eucharistiae, consecratione peracta, remanent species consecratae, quae sunt symbolum sensibile atque externum interni alimenti spiritualis » (Bellarminus Controv. de matrimonio II, 6 ed. J. Fèvre 5,57).

Scholion. De vinculo matrimonii non-baptizatorum.

Agitur de matrimonio legitimo, i.e. de matrimonio inter non baptizatos valide celebrato (cf. can. 1015 § 3). Hoc matrimonium est consummatum, sed non est « ratum », nam ratum matrimonium solummodo matrimonium inter baptizatos contractum dicitur (can. 1015 § 1). Quaestio est, inquantum indissolubilitas se ad matrimonia non-baptizatorum extendat.

1°. *Per se* matrimonium non-baptizatorum, seu legitimum *indissolubile* est. Ratio vero est, quia in Novo Testamento omnis polygamia excluditur, qui autem solvat matrimonium et cum alia comparte contrahit, committit polygamiam successivam: altera parte vivente de facto cum una vivit tantum, sed de iure tamen duas habet uxores. — *Per accidens* vero matrimonium legitimum, i.e. non-baptizatorum solvi potest in iis casibus, qui afferuntur, in aliis vero non. Ratio, quod solvi possunt, est, quod etsi vera matrimonia sint, tamen non sunt Sacramenta, sed ratio insolubilitatis praecise in sacramentalitate consistit matrimonii (cf. Bellarmin. Cont. IV, 12, ed. Fèvre 5,78). — Casus vero sequentes sunt.

2°. *Primus casus* est quando matrimonium *solvi potest in infidelitate contracta,* ergo inter compartes non-baptizatos, etiam si monotheistae essent, ut ludaei, Mahometan!, et est *casus* privilegii Paulini: « Legitimum inter non baptizatos matrimonium, licet consummatum, solvitur in favorem fidei ex privilegio Paulino » (can. 1120 § 1). Locus classicus huius privilegii est *1 Cor 7, 12-17:* n Si quis frater uxorem habet infidelem, et haec consentit habitare cum illa, non dimittat virum. Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem, et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem ...Quodsi infidelis discedit, discedat, non enim servituti sublectus est frater aut soror, in huiusmodi, in pace autem vocavit nos Deus ». E contextu solo erui non potest, num Paulus loquatur solum de iis, qui ante baptismum matrimonium inierunt, sed iuxta intrepretationem Ecclesiae hoc certum est. — a. *In praxi* privilegium hoc sic applicandum est: Pars non baptizata *interpellanda* est: « Λη velit et ipsa converti ac baptismum suscipere, et an saltem velit secum cohabitare pacifice sine contumelia Creatoris » (can. 1121 § L). « *Sine contumelia Creatoris* » significat cohabitationem non mere materialem, sed talem, qua pars infi-

delis aliquo modo saltem « sanctificetur », pacem concedat parti fideli, et ubi exclusum sit periculum perversionis. Si hanc cautelam pars fidelis obsequi non possit, potest novas nuptias inire. — b. Hoc ius partis fidelis *non amittitur:* • Coniux fidelis, licet post susceptum baptismum denuo matrimonialiter cum parte infideli vixerit, ius tamen novas celebrandi nuptias cum persona catholica non amittit, ideoque potest hoc iure uti, si coniux infidelis, mutata voluntate postea discedat sine iusta causa, vel iam non cohabitet pacifice sine contumelia Creatoris » (can. 1124). — c. Privilegium Paulinum iuxta declarationem Ecclesiae est concessum *iure divino,* et a S. Paulo promulgatum (S. Offic. 11. jul. 1886). — d. Privilegium Paulinum non potest applicari, si alter *fidelium* coniugum post matrimonium sacramentaliter initum in haeresim vel in totalem infidelitatem labatur, ratio vero est iuxta Innocentium III.: «quia sacramentum fidei quod semel est admissum, nunquam amittitur, sed ratum efficit coniugii Sacramentum, ut ipsum in coniugibus illo durante perduret » (Denz. 406). — e. Privilegium vero iuxta sententiam communiorem adhiberi potest, si quis e coniugibus infidelibus convertatur ad sectam haereticam, sed verum baptismum suscipit. Ratio enim privilegii Paulini est baptismus valide susceptus; in casu autem recurrendum est ad Sedem Apostolicam.

3°. *Secundus casus,* quando matrimonium legitimum solvi potest, est, si *Summus Pontifex* dispensationem dederit: a. *Gregorius XIII.* concessit regionibus Angolae, Aethiopiae et Brasiliae facultatem « dispensandi... Christi fidelibus... qui ante baptismum matrimonium contraxerant, ut eorum quilibet, etiam superstite coniuge infideli et eius consensu minime requisito aut responso non exspectato matrimonium cum quovis fideli, alias tamen rite contrahere » (° Populis ct nationibus » 25. jan. 1585). Conceditur ergo his facultas dispensandi delegata solvendi matrimonium, etiamsi *quaestiones ad partem infidelem factae non fuerint.* Hic casus debet dici dispensationis, nam revera iam non potest dici applicatio privilegii Paulini, si omittatur interpellatio: fieri enim potest, quod coniux velit pacifice cohabitare. — b. Alia facultas dispensandi concessa est a S. *Pio V.* « Indis », i.e. Indianis Americae, concessum est enim si quis baptizatur, *e pluribus uxoribus retinere* eam, quae *etiam vellet baptizari,* etsi non esset uxor prima, quae per se sola in matrimonio legitimo vixit cum baptizato (n Romani Pontificis » 2. aug. 1571). In hoc casu multo minus potest sermo esse de privilegio Paulino, est mera dispensatio Pontificis Summi. Hae facultates nunc extensae sunt « ad alias quoque regiones in eisdem adiunctis » (can. 1125).

4°. *Tertius casus,* ubi solvitur matrimonium legitimum, est probabiliter professio religiosa sollemnis, emissa a parte baptizata, si utrique coniuges matrimonium contraxerunt ante baptismum (sic Pesch VII. n. 800. Lercher n. 789); si vero utrique baptizati sunt, tunc tantum, si matrimonium post baptismum non consummaverunt. Si vero vir in matrimonio legitimo vivens baptizatus ordinem sacrum vellet suscipere, vel votum simplex castitatis emittit, non solvitur matrimonium, quia nec ratum non consummatum Christianorum solvitur.

Probatur pars II: etiam in casu adulterii.

a) Vox Ecclesiae.

Trid. sess. XXIV. can. 7.: « S.q.d., Ecclesiam errare, cum docuit et docet... propter adulterium alterius coniugum matrimonii vinculum non posse dissolvi...

a. sit » (Denz 977). — Concilium voluit definitionem directam ferre, sed rogatum ab oratoribus reipublicac Venetorum, quod ita Graeci anathemate afficerentur, aliam praxim sequentes, benigne abstinuit a definitione directa.

Adversantur omnes Protestantes, Graeci schismatici, plurimi Orientales haeretici, partim etiam Catholici, ante Concilium Card. Caietanus O.P., et Ambrosius Catharinus, mirarum sententiarum interdum fautores, dein post Concilium non sine temeritate Launoy, doctor Parisiensis et Regalistae quidam.

b) S. Scriptura.

Lc 16,18 absolute enuntiat: « Omnis qui dimittit (pas ho apolyôn) uxorem suam et alteram ducit, moechatur, et qui dimissam a viro ducit, moechatur ». Idem textu parallelo Afc *10, 11-12,* ubi adiungitur: ◊ Et si uxor dimiserit virum suum et alii nupserit, moechatur », quod in iure tantum Romano possibile erat, Marcus ergo scribens Romanis, etiam hoc adiecit. — Hoc sine distinctione et nulla addita exceptione dicitur, ergo valet etiam in casu adulterii. Sed iuxta regulas hermeneuticae, si alio loco Scripturae exceptio daretur, standum est textui, qui uberior est. Adversarii autem provocant revera ad tales textus, qui « cruces » sunt exegetarum, sed tamen recte solvi possunt.

Matth 5,32:

Pas ho apolyôn tên gynaika,	Omnis, qui dimiserit uxorem suam,
parcktos logou pomeias,	excepta fornicationis causa,
poiei autên moicheuthênai.	facit eam moechari.

Matth 19,9:

Hos an apolysê ten gynaika	Quicunque dimiserit uxorem suam,
autou, mê epi pomeia, kai	nisi ob fornicationem,
gamèsê alien, moichatai.	et aliam duxerit, moechatur.

Usque ad saec. XX. duae erant interpretationes traditionales. Una quidem inde ab Augustino intelligebat hanc dimissionem separationem a mensa et thoro, altera erat adversariorum, qui intrepretabantur hunc textum de liceitate novi matrimonii, si una pars adulterium commisit.

Inde vero ab a. 1939 etiam aliae interpretationes prodierunt.

1°. *J. Sickenberger* (anno 1942. cf. Litteraturam!), putavit, Christum tantum de matrimonio ludaeorum locutum fuisse, legem respexisse eorum, seque adiunxit sententiae Rabbi Shammaj severiori: uxor solummodo propter fornicationem dimitti potest, dum Rabbi Hillel multas alias causas adduxit. Haec ergo lex textibus Matthaei promulgata vigebat usque ad excidium Jerosolymac etiam pro ludaeochristianis, dum Christiani conversi e Gentibus legem penes Lucam et Marcum promulgatam sequi debebant. — At haec gratis videntur asseri, nam logion Domini (« quod Deus coniunxit, homo ne separet »), valorem habet universalem; insuper Judaei remanentes infideles per duplicem legem Domini favore immerito ampliati fuissent.

2°. *A. Ott* (anno 1939) affirmat expressionem « parektos logou pomeias » esse Semitismum. « Logos pomeias » revera est « *eroath dabar* », i.e. « nuditas seu obscocnitas rei », aliis verbis res aliqua obscoena. « Parektos » vero sensu

inclusive) sumi debet: non « excepta » fornicatione, sed « inclusa etiam fornicatione». Particulae exccptivae reapse interdum etiam contrarium significant, allegari potest Lev 23,37: « Hae sunt feriae Domini... exceptis sabbatis Domini », ubi evidenter dicitur, sabbata includi in has ferias. — Interpretatio haec sine difficultate sequi posse videtur, sed existit adhuc tertia:

3°. *K. Staab* (anno 1943 cf. Litter.), cui adhaerent alii, 7L *Allgeier,* (anno 1943) et *U. Holzmeister* (anno 1945), solutionem rectam videtur invenisse. — a. Locus *Mt 19,9* recte sensu *inclusive)* intelligi debet. Nam « *mê epi porneia* » non vertitur recte sensu exceptivo, i.e. « *nisi* ob fornicationem », particula « mê » etenim in sententiis prohibitivis truncatis, hoc est verbo carentibus significare potest inclusionem. Multa exempla talium sententiarum in Novo Testamento inveniuntur, e.gr. « me en te heortê » = « neque in die festo, ne forte tumultus fieret in populo » (Mt 26,5). Recta versio ergo est textus: « Quicunque dimiserit uxorem suam, *neque* ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur». — b. Locus alter vero, scilicet *Mt 5,32* particulam affert « *parektos* », quae citra hunc textum duabus solummodo vicibus in Novo Testamento occurrit. *Act. 26,29* adhibetur sensu *exclusive:* « Opto... omnes, qui audiunt hodie, fieri tales, qualis et ego sum, exceptis (=parektos) vinculis his ». Alio vero loco (2 Cor 11,28) particula eadem sensu *inclusivo* occurrit: «Choris ton — parektos hê epistasis moi he kath' hêmeran, hê merimne pason ton ekklêsiôn », (piae sententia recte sic interpretatur: « Praeter illa, *insuper etiam* instantia mea cotidiana, sollicitudo omnium ecclesiarum », non ut in Vulgata legitur « quae extrinsecus sunt ». — c. Ex his sequitur particulam « parektos » in textu de quo sermo (Mt 5,32) *per se* intelligi posse tum sensu exclusivo, tum sensu inclusivo. Quod recte tunc vertitur, si sensus supponitur inclusivus, sequitur c regulis hermeneuticis. (1) Regula enim est hermeneutica de *contextu:* Christus in hac oratione in monte habita praecise *novas* leges voluit proferre, si autem « parektos » sensu exclusivo deberet sumi (« excepta fornicationis causa »), sine causa sufficiente repetivisset prohibitionem Deuteronomii (24,1).— (2) Idem sequitur etiam ex alia regula hermeneutica iuxta quam textus obscurior *ad tramitem clarioris* collustrari debet. Tales vero textus clariores in casu habentur: Lc 16,18 ct Mc 10,11-12 superius allegati ct etiam Mt 19,9 recte interpretatus. — Iure itaque vertitur Mt 5,32: « omnis qui dimiserit uxorem suam, *inclusa etiam fornicationis causa,* facit eam moechari... ».

c) Ratione theologica

confirmari potest doctrina haec: 1 . Si propter adulterium iure divino solveretur vinculum maritale, compartesque ad novas possent nuptias convolare, in multo *peiore conditione* essent *coniuges ob aliam causam separatae,* e.gr. ob morbum mulieris, vel detentionem viri, absentiam eius in bello et talia. Multae coniuges tunc adulterium perpetrantes, liberari possent a vinculo matrimonii, allicerentur ergo ad peccandum. Talis vero lex sanctitati et sapientiae Conditoris quam maxime indecens esset, repugnat ergo matrimonium ob adulterium solvi posse.

2 . Si divortium in causa fornicationis licita esset parti innocenti, tunc quid fieret cum parte culpabili? Si ei pariter quoque liceret novum foedus mire: *e gravi culpa commodum reportaret,* sed Dominus non potest censeri hoc intendisse. Si parti nocenti non liceret matrimonium novum contrahere, posset

quaeri, cur non? Quod vinculum attinet, supposita lege dirimente, esset solutus, quod compartcm attinet, ei iam non noceret novo matrimonio, quia etiam ipsa contraxit. Nec posset dici ideo, quia lex pro parte nocenti matrimonium prohibet, talis lex etenim non potest praesumi, sed probari debet, non vero existit discrimen inter innocentem et nocentem quoad matrimonium contrahendum. Insuper: « cur prohiberet lex coniugari hominem solutum ct proclivem ad vitia, quando nulla restat amplius spes reconciliationis cum coniuge priore? » (Bellarminus, Controv. IV, de Matr. cap. 16.).

II. De effectibus supematuralibus matrimonii.

Secundo agendum est de effectibus supematuralibus matrimonii de quibus S. Thomas generaliter dicit: « Matrimonium in quantum in fide Christi contrahitur, habet ut conferat gratiam adiuvantem ad illa operanda quae in matrimonio requiruntur, et hoc probabilius est, quia ubicunque datur divinitus aliqua facultas, dantur etiam auxilia, quibus homo convenienter uti possit facultate illa, sicut patet, quod omnibus potentiis animae respondent aliqua membra corporis, quibus in actum exire possint » (Suppi, q. 42. a. 3.). — Hi effectus supematurales sunt: auxilium ad castum connubium. dein auxilium peculiare ad officia coniugalia, demum consecratio matrimonii.

1. De casto connubio.

a) Matrimonii usus non consistit in licentia carnis ad omnia, coniugibus non licent omnia, sed mutua consuetudo familiaris insigniri debet *nota castitatis.* Sicut existit sanctae virginitatis status, status coelibatus, ita adest iuxta Dei leges castitas matrimonialis. In matrimonii usu « coniuges ad Dei naturaeque legis normam sese in omnibus gerant, et sapientissimi sanctissimique Creatoris voluntatem cum magna erga Dei opus reverentia semper sequi studeant » (Casti connubii, Denz 2231). Duplex gratia datur, ut matrimonium castum sit: rimo in matrimonio ıı incontinentiae regitur pravitas » (August. De Genes, ad itt. 9,7) seu *concupiscentia refraenatur,* in quantum in recto usu matrimonii naturalis nisus generandi impletur. Actus enim generandi, ad quem concupiscentia inclinat, « exterius turpitudine caret, et hoc fit per bona matrimonii, quae honestant carnalem concupiscentiam », matrimonium sanctificat actum coniugalem, qui fit opus meritorius, gratiam augens. Concupiscentia non solum per actum licitum generandi refraenatur, sed etiam eo, quod « ipsa concupiscentia reprimatur in sua radice et sic remedium praestat matrimonium per gratiam quae in eo datur » (Suppi, q. 42. a. 3. ad 4.).

b) Secundo datur gratia, ut *actus turpitudinem habens* impediatur seu ut devitentur actus contra naturam matrimonii, aliis verbis *abusus matrimonii.* 1°. Primus abusus et late vulgatus est si coniuges prolis pertaesi solam sine onere voluptatem explere cupiunt, ideoque *naturae actum vitiant.* « Cum autem — dicit Pius XI. — actus coniugii suapte natura proli generandae sit destinatus, qui, in eo exercendo, naturali hac cum vi atque virtute de industria destituunt, contra naturam agunt et turpe quid atque intrinsece inhonestum operantur » (Denz 2239). — 2°. Alium gravissimum facinus est vitae prolis in sinu materno reconditae directa occisio, seu *abortus procuratus.* Nulla indicatio hoc facinus cohonestare potest, nulla medica et therapeutica, socialis, vel euge-

nica indicatio (Denz 2242-2244). — 3°. Tertium peccatum est *sterilizatio* seu viri seu mulieris, quae ex rationibus eugenicis semper vetita est, permittiturque solummodo, « quando bono totius corporis aliter provideri nequeat » (Denz 2245-6). — 4°. Ad devitationem vero horum actuum praesertim hodiernis temporibus, quando modi ct media tam varia ad hos actus nefarios perpetrandos commendantur, quandoque tam late serpens periculum exempli mali ad peccatum incitat, et insuper multi coniuges revera in « funestis externarum rerum conditionibus d versantur, quae susceptionem educationemque prolis valde difficilem reddant, *gratia quam maxime est necessaria,* ut coniuges in omnibus adiunctis munere suo sine peccato fideliter fungere queant. *Pius XI.* gravi monito urget fideles, nullas exsurgere posse difficultates, quae mandata Dei transgredi posse faciant, nam « in omnibus rerum adiunctis semper possunt coniuges, gratia Dei roborati, suo munere fideliter fungi et castitatem a turpi hac macula illibatam in coniugio servare » (Denz 2241).

Corollarium ad confessarios.

Hodierna crux confessoriorum invenitur in permultis abusibus matrimonii. Numquam debent oblivisci factum, quod de lege naturae agatur, et « Ecclesia catholica altam extollit vocem atque denuo promulgat n quemlibet matrimonii abusum in quo « actus de industria hominum, naturali sua vitae procreandae vi destituantur » legem Dei et naturae infringere et peccatum grave constituere. — Confcssarii et pastores animarum admonentur, « ne circa *gravissimam* hanc Dei legem fideles sibi commissos errare sinant, et multo magis, ut *ipsi* se ab huiusmodi falsis opinionibus immunes custodiant n (Denz 2240).

2. Auxilium peculiare ad officia coniugalia.

Ut Pius XI. enuntiat, « hoc Sacramentum... peculiaria addit dona, ut coniuges efficaciter velle et perficere valeant, *quidquid* ad statum coniugalem eiusque fines et officia pertinet » (Denz 2237).

a) Gratia ergo peculiaris datur ad honestam non solum susceptionem sed etiam *educationem prolis,* christiani enim parentes intelligere debent, se non solum ad humanum genus conservandum, « sed ad pariendam Ecclesiae Christi subolem, ad cives sanctorum et domesticos Dei procreandos, ut populus Dei et Salvatoris nostri cultui addictus in dies augeatur » — b) Gratia dein peculiaris datur ad *mutuum auxilium* sibi praestandum, ut connubium christianum « blandum (sit) concordiae iugum » (Gelasianum, Wilson p. 265). Caritas etenim fovenda est gratiae ope in societate domestica, dein praesertim in mutua interiore coniugum conformatione: « ... ut coniuges inter se iuventur ad interiorem hominem plenius in dies conformandum perficiendumque, ita, ut per mutuam vitae consortionem in virtutibus magis magisque in dies proficiant n (Denz 2232). — c) Demum gratia peculiaris adsit oportet, ut *fidelitas matrimonialis* per tam longum tempus observari possit, quod solis naturae viribus impossibile esset. Obligatio etenim est coniugum. ut debitum matrimoniale 1°. coniugi ne denegetur. — 2°. neque cuivis permittatur, — 3°. nec ipsi coniugi concedatur, quod, utpote divinis legibus ac iuribus contrarium et a fide coniugali alienum, concedi nunquam potest (Denz 2231).

3. Consecratio matrimonii.

Gratia sacramentali connubium adipiscitur quandam consecrationem, sanctificationem. Dum enim coniuges vivunt, eorum foedus remanet semper Sacramentum in Christo ct in Ecclesia. De hac sanctificatione matrimonii iam *Tridentinum* loquitur: Gratia « naturalem amorem perficit, indissolubilem unitatem confirmat, coniugesque *sanctificat* » (sess. XXIV. Prooem. Denz 969). — /\dhuc clarius enuntiat *Pius XI.* hanc veritatem: Coniuges « ...erunt tanto Sacramento roborati et sanctificat!, et *quasi consecrati.* Nam, ut S. Augustinus docet, sicut per baptismum et ordinem homo deputatur et iuvatur sive ad vitam christiano more degendam, sive ad sacerdotale munus gerendum, eorumque sacramentali auxilio nunquam destituitur, eodem fere modo (quamquam non per characterem sacramentalcm) fideles, qui semel matrimonii vinculo iuncti fuerint, eius *sacramentali adiutorio* ac ligamine privari nunquam possunt. Quin immo, ut addit idem S. Doctor, vinculum illud sacrum, etiam adulteri facti, secum trahunt, quamquam non iam ad gratiae gloriam, sed ad noxam criminis, sicut apostata anima, vehit de coniugio Christi recedens, etiam fide perdita, sacramentum fidei non amittit, quod lavacro regenerationis accepit » (Casti connubii, Denz 2238).

Corollarium. De cooperatione coniugum cum gratia sacramentali.

Ut coniuges plene effectus omnes consequi possint, opus est eorum socia cooperatione cum gratia, quod *Pius XI.* vehementer iis iniungit dicendo: « Cum divinae providentiae in ordine supernatural! lex sit, ut homines ex Sacramentis, quae post adeptum rationis usum recipiant, fructum plenum non colligant, nisi gratiae respondeant, gratia matrimonii magna ex parte talentum inutile in agro reconditum manebit, nisi coniuges supematurales vires *exerceant,* ac recepta gratiae semina *colant atque evolvant...* lidem vero coniuges, aureo Sacramenti ligamine non constricti, sed ornati, non impediti, sed roborati, omnibus viribus ad hoc nitantur, ut suum coniugium non solum per Sacramenti vim et significationem, sed etiam per ipsorum *mentem ac mores* sit semper et maneat viva imago fecundissimae illius unionis Christi cum Ecclesia, quae est venerandum profecto perfectissimae caritatis mysterium » (Denz 2238).

Litteratura.

C. Boeckendorff, De individuitate matrimonii, Berlin 1901. — *M. Dernner,* Die Ehescheidung im N.T. Die Auslegung bei den Vatem, Paderborn 1910. — *G. Serrier,* De quelques recherches concernant le mariage contrat-sacrement et plus particulièrement de la doctrine augustinicnnc des biens de mariage, Paris 1928. — *IL Doms,* Vom Sinn und Zweck der Ehc.Eine systematische Studie, Breslau 1935. — *A. Ott,* Die Ehescheidung im Matthiiusevang., Würzburg 1939. — A. *Lanza,* De fine primario matrimonii, Romae 1941. — *B. Krempel,* Die Zwcckfrage der Ehe in nouer Beleuchtung, Zürich 1941. — *J. Sickenhereer.* Die Unzuchtsklausel im Matthiiusevang., *in:* Tübing. Theol. Quartalschr. 1942, 189-206. — *K. Staab,* Zur Frage der Ehescheîdungstexte im Matthiiusevang.. *in:* ZfkTh 1943, 189-206. — *IL Allaeier,* Dic crux interpretum im neutestamentlichen Ehescheidungsverbot, *in:* Angelicum 1943, 128-142. — *U. Holzmeister,* Die Streitfrage über die Ehescheidungstexte bei Mt 5,32; 19,9, *in:* Biblica 1945, 133-146. — *J. Fuchs,* D;e Ehezwecklehre des Hl. Thomas von Aquin, *in:* Theol. Quartalschr. 1948. 398-426. — *IL Portmann,* Der unauflosliche Bund, Münster 1950. — *L. Lochct.* Les fins du mariage, in: Nouv. Rev. théol. 1951, 449-465, 561-585. — *P. Fransen,* Eheschliessung im Falle von Ehebruch. in: Scholastik 1952, 526-556; 1954, 537-560; 1955, 33-49. — *Villain de Lestapis.* L'Encyclique Casti connubii sur le mariage chrétien. Traduction et commentaire, Paris 195-5.

D) De personis sacramentalibus matrimonii.

Agendum nobis solummodo restat 1. De ministro matrimonii, dein 2. de subiecto matrimonii, item 3. de praeparatione matrimonii, demum 4. de legibus cultualibus matrimonii.

1. De ministro matrimonii.

THESIS. Ministri matrimonii sunt ipsi contrahentes.

Theologice certum.

a) Vox Ecclesiae.

1°. *Innocentius III. ad Tsembertum* 15, jul. 1198: « sufficit ad matrimonium solus consensus horum, de quorum quarumque coniunctionibus agitur » (Denz 404). — 2°. *Trident. Decr. Tametsi* 1563: « ...qui aliter, quam *praesente parocho* vel alio sacerdote de ipsius parochi seu Ordinarii licentia et duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt... » (Denz 992). — 3°. *Sanctus Pius X. Decr.* « *Ne temere* » 2. aug. 1907: » Si contingat, ut in aliqua regione parochus locive Ordinarius aut sacerdos ab eis delegatus, *coram quo* matrimonium celebrari queat, haberi non possit, eaque rerum conditio a mense iam perseveret, matrimonium valide ac licite iniri potest emisso a sponsis formali consensu coram duobus testibus » (Denz 2069). — 4°. *CIC can. 1094:* • Matrimonia contrahuntur *coram parocho...* », item *can. 1095* f *1:* « ...parochus et loci Ordinarius matrimonio *assistunt...* » — Demum *can. 1098* declaratur matrimonium validum et licitum in duobus casibus: « Si haberi vel adiri nequeat sine gravi incommodo parochus vel Ordinarius vel sacerdos delegatus, qui matrimonio assistant. In mortis periculo validum et licitum est matrimonium contractum coram solis testibus, et etiam extra mortis periculum, dummodo prudenter praevideatur eam rerum conditionem esse per mensem duraturam ».

b) Argumentum

Facile fit: Contractum matrimonialem evidenter contrahentes faciunt. *Atqui* iuxta doctrinam Ecclesiae ipse contractus est Sacramentum. *Ergo* contrahentes sunt ministri huiusmodi Sacramenti. — Sententia adversa nunc iam nulla probabilitate gaudet, iuxta quam materia esset contractus, parochus vero minister qui formam profert dicendo: « lungo vos in matrimonium... », quae opinio hodie « post tot ac tantas S. Sedis declarationes omnem probabilitatem amisit » (Card. Gasparri, Tract, canon, de matrimonio 2. ed. Romae 1932, n. 33).

2. De subiecto matrimonii.

a) De subiecto matrimonii ad validitatem.

1°. Subiectum matrimonii iure naturae non est nisi *adultus,* i.e. qui usum rationis iam consecutus est. Ratio est quod contractus non potest iniri nisi ab eo, qui usu rationis pollet. Non potest enim semetipsum ligare, nisi is, qui obligationem aliquo modo comprehendit. Ideo usu rationis nondum pollentes et perpetuo amentes matrimonii incapaces sunt. Usus rationis iure canonico prae-

sumitur inde ab expleto septennio (can. 88 § 3.), Ecclesia tamen contractum iure naturae per se validum inhabilitat, nam « vir ante decimum sextum aetatis annum completum, mulier ante decimum quartum item completum matrimonium validum inire non possunt » (can. 1067 § 1.).

2°. Subiectum matrimonii debet esse *capax ad usum matrimonii,* nam obiectum contractus matrimonialis est ius ad corpus, qui ergo sive relative, sive absolute impotens est ad copulam carnalem, inhabilis est ad matrimonium. Hoc quidem iure naturae, Ecclesia enim propius determinat etiam hanc materiam (can. 1068).

3°. Lege Novi Testamenti matrimonium christianum, sacramentale tunc tantum habetur, si subiectum *baptizatum sit.* Lege Ecclesiae « nullum est matrimonium contractum a persona non baptizata cum persona baptizata in Ecclesia catholica » (can. 1070 § 1.).

4°. Iure *naturae* matrimonium quodlibet inter personas *consaguineas in linea recta,* saltem in primo gradu, invalidum est. Ratio ea assignari potest, quod vehementer laedit reverentiam erga parentes debitam et quia lata via aperiretur abusibus horrendis incestus. *Ecclesia* invalida declarat etiam matrimonia in aliis gradibus lineae rectae et in linea collaterali usque ad tertium gradum inclusive (can. 1076).

5°. Lege Novi Testamenti, ubi polygamia excluditur, invalidum est matrimonium, si contrahens non fuit liber *quoad statum suum,* i.e. si iam valido vinculo matrimonii fuerit ligatus. Qui iuri suo se nubendi renuntiaverit per votum, iure naturae inhabilis est ad matrimonium contrahendum. Lex Ecclesiae declaravit, eum inhabilem esse, qui votum sollemne professus est in religione, aut vota simplicia, quae vim habent nuptias irritandi (can. 1073). Clericis in sacris constitutis matrimonium invalidum decernitur per Ecclesiam (can. 1072Y

6°. Subiectum matrimonii debet esse *liber* etiam *quoad actum suum.* Etenim qui liber non est, non potest valide contrahere. Libertati vero obest vel error vel vis ac metus. — a. *Error,* ut iure *naturae* obsit contractus validitati, debet esse *substantialis* circa personam; lege autem *ecclesiastica* contractus invalidus est, si error versetur circa *qualitatem* personae, quae redundet in errorem personae, vel si versetur circa senilem conditionem coinpartis (can 1083). — b. *Vis et metus* iure naturae tunc reddit matrimonium invalidum, si pars contrahens inhabilis fieret ad actum liberum ponendum. Quia vero hoc in casu particulari valde difficile esset diiudicare, Ecclesia legem tulit invalidum esse omne matrimonium « initum ob vim vel metum gravem ab extrinseco et iniuste incussum, a quo, ut quis se liberet, eligere cogatur matrimonium » (can. 1087 § 1.). — c. Huc pertinet etiam *raptus mulieris,* iure naturae matrimonium vel validum est vel non, iure vero canonico inter raptorem et mulierem, quamdiu in potestate raptoris manserit, nullum potest consistere matrimonium (can. 1074).

7°. Matrimonium lege Ecclesiae etiam in aliis casibus invalidum esse potest, subiectum enim debet esse liberum *ab impedimentis dirimentibus.* Impedimenta dirimentia, quae mere per fegem Ecclesiae statuuntur, sunt: disparitatis cultus, ordinis, criminis, affinitatis, publicae honestatis, cognationis spiritualis et legalis. De quibus fuse tractatur in Iure canonico.

8°. Forma quoque matrimonii Tridentina requiritur ad validitatem, sed non pertinet ad qualitates subiecti, ideo de ea agetur inferius (De legibus cultualibus, *4.* a.).

b) Dc matrimonii subiecto quoad liccitatem.

Ad liccitatem matrimonii e parte subiecti requiruntur sequentia:

1°. Ut contrahens liber sit *ah impedimentis impedientibus* seu prohibitivis, quae sunt: votum simplex virginitatis et similia vota (can. 1058), cognatio legalis, ubi impedimentum est impediens, (can. 1059), mixta religio (can. 1060-1064), vetitum Ecclesiae seu S. Sedis seu Ordinarii loci (iuxte can. 1039).

2°. Ut sit *in statu gratiae,* matrimonium enim est Sacramentum vivorum. Ilie status per se non debet procurari per confessionem, sufficit etiam actus contritionis perfectae.

3*. *Confessio et s. communio* vehementer commendanda sunt: parochus enim sponsos « vehementer adhortetur, ut ante matrimonii celebrationem sua peccata diligenter confiteantur, et sanctissimam Eucharistiam pie recipiant » (can. 1033). Assistentia parochi non potest denegari propter recusationem receptionis Sacramentorum.

4°. Ut *non sit ligatus sponsatitiis* cum persona alia, nam e promissione matrimonii, si valida erat, sequitur ob virtutem fidelitatis prohibitio nuptiarum cum alia persona. Tales ergo nuptias contrahere sine dissolutione legitima sponsalitiorum esset peccatum grave, tamen non datur actio ad petendam matrimonii celebrationem, sed solummodo ad reparationem damnorum si quae forte e dissolutione sponsalium exortae sint (can 1017 § 3.). Haec actio in foro civili excquenda est, nam causa est fori mixti (AAS 1918, 345).

5°. Ut matrimonium sit *rite praeparatum,* dc quo in puncto sequente tractabitur.

3. Dc praeparatione matrimonii.

a) Sponsalitia

Quae possunt, sed non debent praecedere matrimonium, sunt *matrimonii promissio bilateralis, seu mutua, legitime facta.* 1°. Legitime et valide tunc solum fiunt sponsalitia vel etiam unilateralis promissio, si « facta fuerit *per scripturam subsignatam* a partibus et *vel* a parocho aut loci Ordinario *vel* a duobus saltem testibus (can. 1017 § 1.). Ratio sponsalitiorum est cognitio intimior partis alterae, tempus eius non debet immodice, puta per plures annos protrahi. Sponsalitia stricte dicta tantum haec sunt; si sponsi apud parochum se sistunt, etiamsi in libro inscribantur, sponsalitia adhuc non constituunt. — 2°. Sponsalitia stricte dicta *legitime solvuntur:* mutua consensione, per notabilem mutationem vel personae (ob morbum infectiosum, etc.) fortunarum, circumstantiarum. ob violationem fidei sponsalitiae (peccatum grave luxuriae cum alia, indebita dilatio matrimonii), per electionem status perfectioris (religionis, clericatus), per dispensationem Summi Pontificis, qui solet dispensare.

b) Nupturientes debent nomen dare (sich melden, jelentkezni) in paroecia propria, ct quidem sponsae (can. 1097 § 1.). Parochus omnia et singula data inqui-

rat ab cis, quae necessaria sunt ad matrimonium contrahendum. Iuxta aliquas leges dioecesanas data haec inscribi debent in peculiari libello (sic Statuta Synodalia Strigoniensia § 162). — In specie:

1°. Inquirenda et adnolanda sunt:
a. Dies quo nomen dederunt.
b. Nomen ct conditio nupturentium.
c. Nomen coniugis deiuncti, datum mortis.
d. Religio.
e. Status nupturientium (an caelebs, an viduus).
i. Tempus et locus nativitatis utriusque.
g. Nomina parentum.
h. Domicilium nupturientium.
i. Quibus in locis inde a pubertate saltem per semestre versati sint.
k. Impedimenta matrimonii, vel eorum delectus.
l. Dies examinis et instructionis.
m. Tres dies publicationis matrimonii.

2'. Exigenda deinde veniunt quaedam documenta, haec nempe:
a. Testimonium recens baptismi (non superans sex menses iuxta Instructionem S. Cong. Sacram. 29. jun. 1941).
b. Testimonium mortis coniugis, vel Ordinarii de morte praesumpta (Todcserklanmg, holttânyilvânitâs).
c. Testimonium iudiciale de nullitate matrimonii praecedentis.

Ut patet, documenta haec exigenda sunt solum, in quantum necessaria, sic si nupturientes in paroecia domicilii nati sint, sufficit inspectio Libri baptizatorum.

c) Examen seu investigatio

Circa nupturientes facienda est iuxta can. 1020: « Tum sponsum, tum sponsam etiam seorsum et caute interroget num aliquo detineantur impedimento, an consensum libere, praesertim mulier, praestent, et an in doctrina Christiana sufficienter instructi sint, nisi ob personarum qualitatem haec ultima interrogatio inutilis appareat ».

Canon citatus et *Instructio Cong. Sacr. 29. jun. 1941.* sequentia praescribunt:

1°. Parochus moraliter certus debet fieri, quod nullo nupturientes *impedimento detinentur.* Itaque saltem haec debet interrogare:
a. Sintne consaguinitate coniuncti?
b. Sintne allines?
c. Inieruntne matrimonium (in facie Ecclesiae vel solum foedus civile)?
d. Habeantne intentionem matrimonium ineundi veri nominis christianus? Voluntne se ligare vinculo perpetuo vel fortasse contrahere praesumant solummodo sxdictum « matrimonium ad experimentum»? Nolunt se fortasse ad perfectam fidelitatem matrimonialem obligare?
c. Feceruntne pactum ad excludendam prolem?
f. Numquid posuerunt aliquam conditionem, (e.gr. si sponsus vellet tantum virginem ducere, vel sponsa declaraverit se a comparte, non ab alio gravidam factam esse) utrum haec vera sint.
g. Si alterutra pars vidua sit: Utrum priore coniuge adhuc vivente matrimonium sibi promiserunt? Numquid hoc tempore adulterium perpetraverunt?
h. Voluntne consensum matrimonialem libere praestare? Praecipue sponsa interroganda est, numquid ab aliquo ei metus gravis incutitur, molestiis, comminationibus, terroribus, iniuriis realibus vexatur? A quo vel quibus — quomodo — quando haec facta sint?

2°. *De sufficienti instructione nupturientium in doctrina Christiana* quoque parochus examen instituat. « Nisi ob personarum qualitatem haec interrogatio inutilis appareat » : si in scholis vel alibi sufficientem instructionem iam acceperunt in religione Christiana. Saepe optimum erit, si haec instructio nimis ieiuna fuerit, vel fortasse prorsus omissa, succincte recapitulare veritates fundamentales religionis christianae: existentiam Dei — quid sit religio — doctrinam de S. Scriptura et Traditione — de fine ultimo hominis — de legibus Dei — de vita aeterna. — Ab hac instructione supplementaria et eventual! toto caelo differt instructio sequens:

d) Instructio nupturientium

(Brautlehre, jegyesoktatas), de qua can. 1033. praescribit: « Ne omittat parochus secundum diversam personarum conditionem sponsos docere *sanctitatem matrimonii,* mutuas *coniugum obligationes,* et *obligationes parentum erga prolem* ». Parochus obligationi suae graviter deficeret, si hanc instructionem semper vel saepe omitteret, vel sufficiens existimaret aliquem librum de his tractantem sponsis porrigere. Haec institutio facienda a parocho, vel aliquoties ab eius vicariis, diligenter praeparanda est iuxta tria capita, quae canon allegatus enumerat.

Litteratura ad examen et instructionem sponsorum.

Ed. Weigl, Das kirchliche Brautexamen, Regensburg 1932. — *M. Kreuser,* Brautunterricht, Diilmen 1935. — *L. Uhl,* Brautlehre, 3. ed. Wien 1938. — *J. Morr - N. Markar Markaroff,* Die Verwaltung des heiligen Ehesakramentes, Wien 1946, p. 7-35. — Fr. *von Streng,* Das Geheimnis der Ehe, 60-65. Tausend, Einsiedeln 1947. — *L. Anler,* Comes pastoralis, 10. ed. Fulda 1947, p. 170-178. — *II. Klens,* Eine Brautlehre, Altenberg 1950. — *O. Schollig - R. Weber,* Verwaltung der heiligen Sakramente unter pastoralen Gesichtspunkten. 4. ed. Freiburg i. Br. 1952, p. 376-382. — *Jansen Fons,* Auf der Suche nach einer christlich. Geisteshaltung vor und in der Ehe, Paderborn 1956. — *II. Caffarel,* Vom Sinu der Verlobung, in: Anima 1958, 299-312. — V. *Stabler,* Liturgie der Verlobung, *ibid.* 1958, 312-317.

Matrimonium deinde praeparatur etiam per publicationes seu *banna. Lex* habetur can. 1022: « Publice a parocho denuntietur inter quosnam matrimonium sit contrahendum ». — 1°. *Quis* debet banna facere: « Matrimoniorum publicationes fieri debent a parocho proprio » (can. 1023 § 1.). — 2° *Ubi* fieri debent: In ecclesia paroeciali (can. 1025.), et etiam « si pars alio in loco per sex menses commorata sit post adeptam pubertatem, parochus rem exponat Ordinario, qui pro sua prudentia vel publicationes inibi faciendas exigat », sed « ex legitima causa a publicationibus etiam in aliena diocesi faciendis dispensare » potest (can. 1023 § 2.). et 1028 § 1.). — 3°. *Quando et quoties:* « Publicationes fiant tribus continuis diebus dominicis aliisve festis de praecepto » (can. 1024). — 4°. *Quomodo* fiant: Modus *ordinarius:* « ...in ecclesia inter Missarum sollemnia, aut inter alia divina officia, ad quae populus frequens accedat » (ibid.). Modus *extraordinarius:* « Potest loci Ordinarius... substituere publicam ad valvas ecclesiae paroecialis aliusve ecclesiae, affixionem nominum contrahentium per spatium saltem octo dierum, ita tamen, ut hoc spatio, duo dies festi de praecepto comprehendantur » (can. 1025., intelliguntur dominicae vel dies de praecepto festi). — 5°. *Omitti debet* haec publicatio in casu mixtae

religionis vel disparitatis cultus, nisi Ordinarius, post dispensationem apostolicain iam acceptam eam opportunam duxerit, in hoc tamen casu mentio omittatur religionis partis non catholicae (can. 1026). — 6°. *Dispensationem* a publicationibus concedere potest loci Ordinarius, etiam in aliena diocesi faciendis (can. 1028 § 1.), quod peculiaribus in adiunctis etiam saepe contingere potest.

4. Leges cultuales celebrationis matrimonii.

a) Prima lex est fonna Tridentina

praescripta inde a decreto « Tametsi » : « Ea tantum matrimonia valida sunt, quae contrahuntur coram » ;

1°. parocho, vel:

2°. loci Ordinario, *vel:*

3°. sacerdote ab alterutro delegato, *et*

4°. duobus saltem testibus.

Sic iuxta can. 1094.

1°. Parochis aequiparantur omnes *qui parochorum nomine veniunt* (can. 451)). Parochi intra fines sui territorii possunt valide assistere omnibus matrimoniis contrahendis, licite solum servatis praescriptis infra sub c) notatis.

2°. Ordinariis aequiparantur omnes qui in iure *nomine Ordinarii veniunt* eorumque Vicarius generalis (can. 198 § 1.).

3°. Sacerdos delegari potest *sequentibus conditionibus cerificatis:* sive parochus sive Ordinarius potest eum delegare, sed ad matrimonium determinatum; sacerdos delegatus debet esse etiam determinatus, non exempli gratia: quicunque sacerdos casu advenerit, delegatio generalis solummodo vicariis cooperatoribus pro paroecia sua dari potest (can. 1096 § 1.). Delegatus cooperator α ad universitatem causarum ɱ potest etiam subdelegare, alius vero non (can. 199 § 4.).

4°. *Testes duo* ad validitatem matrimonii contrahendi praescribuntur. Saltem duo debent esse, ergo *etiam plures* possunt adhiberi. De qualitate eorum in iure nihil dicitur, possunt ergo etiam haeretici tolerari e gravi causa, remoto scandalo (S. Oific. 19. aug. 1891). Iure naturae debent esse in statu, quo actum humanum praestare possint, perfecte ebrii, amentes, surdi et caeci simul ideo valide assistere nequeunt matrimonio.

b) *Condiciones ad* validam *assistentiam*

1°. *Canonica possessio* beneficii vel officii, α nisi per sententiam fuerint excommunicati vel interdicti vel suspensi ab officio *aut* tales declarati » (can 1095 § 1. η. 1.), ergo qui latae sententiae sine declaratione excommunicati etc. sunt, valide sed illicite assistunt. — Parochus putativus valide assistit, quia in errore communi suppletur iurisdictio ab Ecclesia (can. 209).

2°. *Territorium proprium* requiritur, ut matrimonio etiam non subditorum valide assistat (ibid. n. 2.). — Qui parochus personalis est, ut, e concessione S. Sedis alicubi capellani militares, ubique terrarum matrimonio suorum subditorum assistere queunt.

3°. *Libertas a coactione* requiritur, « dummodo neque vi neque metu gravi constricti requirant excipiantque contrahentium consensum » (ibid. n. 3.).

c) Condiciones ad licitam *assistentiam*

1°. *Legitima certitudo,* « de libero statu contrahentium ad normam iuris » (can 1097 § 1. n. 1.), de quibus iam egimus.

2°. *Domicilium legitimum, i.e.* « domicilium, vel quasi-domicilium, vel menstrua commoratio, aut si de vago agatur, actualis commoratio alterutris contrahentis in loco matrimonii » (ibid. n. *2.).* — Interruptio unius alteriusve diei non censetur destruere menstruam commorationem. Vagi insuper licentia Ordinarii indigent.

3°. *Parochus sponsae* habet regulariter ius assistendi, quae obligatio a quibusdam moralistis levis censetur, sed vix recte, pluria enim incommoda ac inordinationes graves secum ferre potest. Intelligitur casus si sine iusta causa fieret exceptio ab hac regula, lex enim praescibit: « In quolibet casu pro regula habeatur, ut matrimonium coram parocho sponsae celebretur, nisi iusta causa excuset, matrimonia autem catholicorum mixti ritus, nisi aliud particulari iure cautum sit, in ritu viri et coram eiusdem parocho sunt celebranda » (can. 1097 § .).

4°. *Licentia parochi* domicilii — regulariter data per litteras dimissorias — petenda est, non delegatio, qua non indiget, si pars alterutra domicilium etc. in aliena paroecia habeat, (can. 1097 § 1. n. 3. et § 3. de stolae emolumentis).

5°. *Licentia Ordinarii loci* expetenda erit, si de matrimonio vagorum agatur (can. 1097 § 1. n. 3.).

d) Duae dantur exceptiones

a forma Tridentina: in periculo mortis et si sacerdos haberi nequit.

1°. *In periculo mortis* — quae provenire potest tum ex causa *interna,* i.e. infirmitate, tum *externa,* ut periculo imminentis incursionis hostilis vel aereae, tempore terraemotus, incendii, morbi contagiosi grassantis etc., — « validum et licitum est matrimonium contractum coram solis testibus », conditio vero est: « si haberi vel adiri nequeat sine gravi incommodo parochus vel loci Ordinarius vel sacerdos delegatus, qui matrimonio assistant » (can. 1098). In mortis periculo facile fieri potest, quod parochus etc. vocari non possit, vel delegatio non possit procurari. Si testium advocatio impossibilis esset, vel in casu matrimonii putativi scandalum generaret, sacerdos potest dispensare ab obligatione convocandi testes. Supponitur semper casus, quod nullum impedimentum aliud habetur, si impedimentum dispensari potest, sacerdos item dispensare potest « super omnibus et singulis impedimentis iuris *ecclesiastici* » (non ergo iuris divini, ut est impedimentum ligaminis!), sed excipiuntur impedimenta sacri ordinis presbyteratus ct affinitatis in linea recta. Si dispensatio concedatur super cultus disparitate aut mixta religione, praestari debent consuetae cautiones (can. 1043, coll, cum. can. 1041). Si impedimentum habeatur indispensabile, matrimonium iniri nequit, sed tunc absolvi potest moribundus, si promiserit, se postquam convaluerit, ordinare velle conditionem suam.

2°. *Exira mortis periculum* « si *haberi vel adiri* nequeat *sine gravi incommodo parochus* vel loci Ordinarius vel sacerdos delegatus... dummodo prudenter praevideatur, eam rerum conditionem esse *per mensem duraturam* » (can. 1098 n. 1.). — « *Haberi* » non potest parochus etc., si absens sit, ut contingit tempore belli, vel in locis missionum, « *adiri nequit* », vel ita, ut propter magnam distantiam contrahentes non possunt eum adire, vel ita, ut physice quidem praesens sit, sed ob grave incommodum celebrationi nequit assistere, tunc materialiter praesens est, sed formaliter non (ita Comm. Interpret. CIC 1. mart. 1928 et 25. jul. 1931. cf. AAS 1928, 120 et 1931, 388). Bene notandum est, quod hoc grave incommodum imminere potest sive *sacerdoti* assistenti sive utrique vel alterutri *e contrahentibus* (eadem Comm. 3. maii 1945, cf. AAS 1945, 149).

e) Tempus et locus celebrationis

1°. *Tempus* pro matrimonii celebratione sine Missa nuptiali permissum est *omni anni tempore:* «Matrimonium quolibet anni tempore contrahi potest». « *sollemnis* tantum nuptiarum benedictio vetatur a prima dominica Adventus usque ad diem Nativitatis Domini inclusive, et a feria IV Cinerum usque ad dominicam Paschatis inclusive » (can. 1108 § 1. 2.), Ordinarii locorum possunt ex iusta causa *dispensare,* « monitis sponsis, ut *a nimia pompa* abstineant » (ib. § 3.,) quod propter consuetudinem et analogiam propter reverentiam horum temporum etiam faciendum esse videtur quoad celebrationem matrimonii ritu simplici.

2°. *Locus matrimonii* celebrandi a. *ordinarius* est: ecclesia paroecialis vel alia ecclesia vel oratorium publicum, sive semipublicum, sed « nonnisi de licentia Ordinarii loci vel parochi » (can 1109 § 1.), quae licentia sine iusta causa denegari non debet. — b. *Extraordinarius* locus est: in aedibus privatis, sed tantum e licentia Ordinarii loci, « semper iusta ac rationabili causa » permittenda (ibid. § 2.), quae licentia in particularibus adiunctis etiam saepius dari potest. — c. *Locus vetitus* est: Ecclesia vel oratorium religiosarum vel Seminarii, (ibid. § 3.), quia mulieribus et iuvenibus aspectus celebrationis matrimonii facile scandalo esse potest. « Ordinarii id ne permittant, nisi urgente necessitate ac opportunis adhibitis cautelis », inter quae prima videtur esse prohibitio assistendi matrimonio iis, qui domum vel Seminarium incolant. — d. *Locus ordinarius pro matrimoniis mixtis* est extra ecclesiam, si Ordinarius prudenter indicet, id servari non posse, quin graviora oriantur mala, hac super re dispensare potest, sed nunquam potest permissionem dare celebrandi Missam nuptialem (can. 1109 § 3. et 1102 § 2.).

f) Adnotatio matrimonii

Post celebrationem facienda est in duobus libris. *Primo:* in libro *matrimoniorum* parochus describere debet nomina coniugum ac testium, locum ac diem celebrati matrimonii atque alia secundum modum in libris ritualibus et a proprio Ordinario praescriptum (can. 1103 § 1.). — *Secundo:* inscribere debet in libro quoque *baptizatorum* coniugem tali die in sua paroecia matrimonium contraxisse; si alibi baptizatus fuerit, matrimonii parochus notitiam initi contractus ad parochum baptismi transmittat, ut matrimonium ibi in baptizatorum librum referatur (can. 1103 § 2.). — Si matrimonium iuxta can. 1098 (si parochus haberi nequeat) ineatur, sacerdos, secus testes in solidum

cum contrahentibus tenentur curare ut coniugium in libris quamprimum adnotetur.

E) De ritibus Matrimonii.

Tractandum est nobis 1. de evolutione rituum matrimonii, dein 2. de explicatione rituum matrimonii, demum 3. de ritibus postnuptialibus.

1. De evolutione rituum matrimonii.

a) Liturgia Romana pura usque ad saec. IX.

1°. *Distinctio* facienda est inter *celebrationem contractus* matrimonialis seu celebritatem matrimonii ex una parte, et *benedictionem nuptiarum* ex altera parte. Haec distinctio hodieque perdurans iam aetate antiqua Ecclesiae deprehendi potest. — a. *Aevo apostolico* quomodo matrimonium celebratum sit, nescimus, verisimile est, quod idem status in nucleo adfuit, qui — b. *saec. II-III. cognitus est.* Matrimonium iam ut indissolubile vinculum a Christo sanctificatum procul dubio celebratum fuisse etiam primis temporibus Ecclesiae credimus — ut ita dicamus — « *civilibus* » *ritibus consuetis. ludaei* christiani facti adhibere potuerunt ritum in libro Tobiae descriptum: Raguel «apprehendens dexteram filia suae, dextrae Tobiae tradidit, dicens: Deus Abraham et Deus Isaac et Deus Jacob vobiscum sit, et ipse coniungat vos, impleatque benedictionem suam i-i vobis. Et accepta charta fecerunt conscriptionem coniugii. Et post haec epulati sunt, benedicentes Deum » (7, 15-17). *Graeco-Romani* autem certo usi sunt ritibus nuptialibus usitatis: datus fuit *anulus pronubus,* qua traditione dotis actio symbolice significabatur, vocata « subarrhatio » (arrha = Handgeld, arrivées, handsel, foglalô), *osculum* mutuo porrectum fuit, pignus nuptiarum; libum seu placentam (= Kuchen, cake, galette, focaccia, lepcny) e faire, genere quodam frumenti confectam simul manducabant, quae actio « *confarreatio* » nuncupata est; dextrarum quoque iunctio cognita fuit. « *Flammeum* » seu velamen rubinum capiti sponsae impositum est, qua « *velatione nuptiali* » distincta luit a puellis. Nullum tamen vestigium invenitur, quod hae consuetudines populares ritibus quoque Ecclesiae exornatae fuissent.

2°. *Primus ritus* certe liturgicus est *benedictio Ecclesiae* nuptiis iam celebratis data, supposita a Tertulliano versus 200: « Unde sufficiamus ad enarrandam felicitatem cius matrimonii, quod Ecclesia conciliat et confirmat *oblatio* ct obsignat *benedictio,* angeli renuntiant, Pater rato habet? » (Ad uxorem 2, 9). Benedictio ergo haec Ecclesiae cum Missae sacrificio coniuncta fuit, tantique habita, quod iuxta verba Siricii Papae anno 385: « ...illa benedictio quam nupturae imponit, apud fideles sacrilegii instar est, si ulla transgressione violetur » Ep. ad Himer. Tarrac. 4. PL 13, 1136).

3°. *Textus* huius Missae benedictionisve in ea contentae habentur iam in tribus vetustis *Sacrarnentariis Romanis,* ubi pulcherrimae benedictiones textusve Missae inveniuntur, a. Textus hi liturgici antiquissimi leguntur in *Leoniano.* im inscriptione: «velatio nuptialis», in *Gelasiano* primigenio «actio nuptialis ·, in *Gregoriano-Hadriano* « oratio ad sponsas velandas » (Feltoe p. 140-142, Wilson p. 265-268, Lictzmann n. 200). — b. Tria haec Sacramentaria conveunt in orationibus Missae, quae nunc quoque in Missalis Romani textu « pro

sponso et sponsa » leguntur (oratio « Exaudi nos omnipotens et misericors Deus», secreta «Suscipe quaesumus Domine», postcom. «Quaesumus omnipotens Deus, instituta »), habent praefationem propriam « qui foedera nuptiarum blando concordiae iugo ») et « Hanc igitur » proprium (cum eodem textu: Leon, et Gelas.). — c. Ipsa *benedictio nuptialis* constat e longissima oratione, in Leoniano legitur « Pater mundi conditor, nascentium amator... », eadem etiam in Gelasiano habetur, ubi locus quoque huius benedictionis assignatur post orationem Dominicam. In *Gregoriano* textus huius benedictionis diversus est (« Deus qui potestate virtutis tuae de nihilo cuncta fecisti... » usque ad verba: « ...iugum dilectionis et pacis »), finis autem orationis Gregoriani iam identica est cum fine orationis Leon, et Gelas. (« Fidelis et casta nubat ...atque ad caelestia regna perveniat »). Gregorianum dein huic fini adhuc addit epilogum proprium, optatum nempe ad utrumque nupturientem directum: « et videant *ambo* filios filiorum suorum... », secus enim tota oratio benedictionis in tribus Sacramentariis solummodo pro sponsa funditur. — d. *Missa pro sponso et sponsa* Missalis Romani tota quanta e *Gregoriano* deprompta est, etiam benedictio, tantum ultima benedictio Miss. Rom. post « Ite missa est » elargita («Deus Abraham») est innovatio e liturgiis typi Gallicani transsumpta. — e. Praeter velationem in inscriptione ritus memoratam nullum vestigium invenitur *(iliorum rituum,* qui tamen sine dubio in usu erant. *Dexterarum coniunctio e.* gr. probari potest per effigies nupturientium in sarcophagis saec. 1V-V. sculptas; potissimum conferri potest sculptura in Villa Torlonia exhibens nubentes manibus super librum Evangelii iunctis, Christo velum super eos tenente, evidens signum celebrationis liturgicac, Christus enim sacerdote repraesentatus saepe loco celebrantis sculptus apparet (DAL X, 2 coi. 1905.). Attamen hi alii ritus, ut nobis videtur, aevo antiquae liturgiae Romanae purae nondum erant liturgicc exculti, textibus enim carere videntur liturgicis.

4°. Hic status adhuc cernitur in celeberrimis *Respons. ad Bulgares Nicolai I.* anno 866: « Postquam arrhis sponsam sibi sponsus per digitum fidei a se *anulo* insignitum desponderit, dotemque utrique placitam sponsus ei cum scripto pactum hoc continente coram invitatis ab utraque parte tradiderit, aut mox aut apto tempore... ambo ad *nuptialia foedera* perducuntur. Et primum quidem in ecclesia Domini cum *oblationibus,* quas offerre debent Deo, per sacerdotis manum statuuntur, sicque demum *benedictionem* et *velamen* coeleste suscipiunt, ad exemplum videlicet quo Dominus primos homines in paradiso collocans benedixit eis dicens: Crescite et multiplicamini... Post haec autem de ecclesia egressi *coronas* in capitibus gestant, quae semper in ecclesia ipsa solitae sunt reservari » (PL 119, 980).

b) Liturgiae typi Gallicani

coeperunt *uberius evolvere ritus* ad celebritatem Matrimonii pertinentes. 1°. Valde ieiunus ritus adhuc habetur in *Missali Bobiensi* saec. VH-i (PL 72, 570-1.) a. Est « *benedictio thalami super nubentes* », ergo iam ritus quidam consuetudinis popularis liturgice excultus. Invitatorium stili Gallicani provocat ad orandum pro iis, « quos ad copulam coniugalem ipse praeelegit, ipse custodiat», videtur ergo revera agi de benedictione cubiculi et cubilis sponsorum. In oratione subséquente imploratur Deus pro « gratia coniugii » his verbis: « ...induant caritatem Sarac, paenitentiam Rebeccae, amorem Rachel, gratiam

et caritatem Susannae ». Post orationem hanc archaicam legitur alia « oratio pro iis qui secundo nubunt », in qua allegatur exemplum Ruth Moabitidis et ad Apostolus secunda matrimonia concedens. — b. *Missa nuptialis* textu proprio praedita non remansit in liturgiis typi Gallicani, nec in liturgia stricte Gallicane, nec in Mozarabica. Econtra adsunt varii ritus celebritatis nuptiarum, qui *post* Missam, non intra eam locum suum habebant.

2°. In libris liturgicis *mozarabicis* iam tales *ritus celebritatis Matrimonii* fusius descripti inveniuntur. — a. In Supplemento Libri Ordinum leguntur hi ritus (a Ordo ad thalamum benedicendum » = MEL V, 433, « Ordo nubentium » = 434, « Ordo arrharum » = 434-436), saec. VH-i. Post Missam nubentes tradunt *anulos* sacerdoti, qui eos benedicit (a Benedic Domine has arrhas... »), deinde vir puellae, illa vero viro ponit anulum et « dat illi *osculum* pacis, quod est verum testamentum ». Deinde datur *benedictio* a sacerdote: « Repleat vos Dominus dulcedine sui timoris... » — b. Alius est *ritus benedictionis nubentium,* qui tribus diversis modis potuit celebrari: ordo fuit apro iis qui noviter nubunt », diversus ordo a personae quae primum nubit cum ea persona quae iam nupsit », et iterum alius ordo « de secundis nuptiis » (cf. MEL V, 436-440, 440-441, 441-443). *Ritus valde simplex* est: Coniungendi veniunt post Missam ad cancellos altaris, parentes puellae, vel si desint, aliquis e propinquis eius, *tradunt* puellam sacerdoti. Ille vero *velat sponsos* cum « iugali » seu pallio coccini et albi coloris, quod vir super humeros, mulier super caput accipit. Sacerdos dein post invitatorium (« praefatio ») dicit *duas orationes* longas, puella specialem recipit benedictionem, dein ambo benedicuntur. « His explicitis tradit sacerdos puellam viro, admonens eos, ut pro sancta communione a pollutione ea nocte se custodiant. Et sic communicant » (coi. 439). Ob defectum Fontium, praecipue liturgiae stricte Gallicanae, plus vix potest dici de ritibus palaeo-gallicanis.

c) Matrimonium in liturgia franco-romana (saec. IX-XIII).

Post introductionem liturgiae Romanae in regno Francorum via iam parata Fuit ad Fusionem per assumptionem rituum et textuum e liturgiis typi Gallicani in liturgiam puram Romanam. Status hic quoad ritus Missae et ad ordinationes sine dubio existons, sat clare detegi potest etiam quoad ritus matrimoniales. Dum Missa cum benedictione nuptiali e liturgia Romana recepta immota permansit, inde a saec. VIII-o, ritus celebritatis Matrimonii diversimode variisque modalitatibus evolvi coepit.

1°. Pontificale Romano-Germanicum saec. X. ostendit ritum evolutum Matrimonii. a. Ad ostium seu ad valvas ecclesiae se praesentant sponsi cum parentibus et paranympho. Sacerdos in vestibus liturgicis excipit eos, et Facit *examen,* num quoddam impedimentum matrimonio celebrando obstet. Dein interrogatur pater vel eo deficiente propinquus sponsae de cessione paternae potestatis: « Vis hanc feminam dare huic ad uxorem? » Post responsum aFFirmativum sponsa tradita est sponso. — b. In ecclesia fit *anuli* traditio, sed prius anulus benedicitur cum oratione « Creator et conservator humani generis » in qua precatur pro adventu Spiritus Sancti super anulum, dein sacerdos anulum sponso dedit, qui eum in digitum sponsae quartum sinistrae manus imposuit dicendo: « N. de isto anulo te sponso in nomine Patris » etc. Sacerdos autem

benedictionem e libro Tobiae recitavit: « Deus Abraham... ipse vos custodiat... » — c. Dein dicta *oratione* — d. *benedictio* datur sponsis tribus constans membris, ad quorum singula respondetur « Arnen ». Non fit mentio nec de velatione quae paulatim in desuetudinem abiit, nec de manuum iunctione, etsi haec semper in usu mansit, nec de coronatione sponsorum, quae corona tamen (quoad sponsam) usque hodie in usu solum populari remansit.

2°. Pontificale Curiae saec. XH-i novam invexit formulam ad benedictionem anuli « Benedic Domine anulum hunc », quae nunc quoque in Rit. Rom. legitur et novam benedictionem quoque addidit: « Benedicat vos Dominus Deus, custodiat vos Jesus Christus, ostendatque faciem suam in vobis... ».

3°. In multis regionibus alii quoque ritus adiecti sunt, quorum praecipui enumerantur, a. Ratio cogitandi iuristica inde a saec. XII-o formulas *consensus* semper magis evolvit necessariasque duxit iuxta decretum Alexandri III.: « Unus alterum in suo mutuo consensu verbis consuetis expresse recipiat, utroque dicente: Ego te accipio in meam et: Ego te accipio in meum » (Corp. lur. can. c. 3. X. de sponsa duorum 4, 4). Consensus ob maiorem facilitatem eum eliciendi saepe per *interrogativam* formam exprimitur, talis interrogatio remansit e formulis variis medii aevi etiam in Rit. Romano: « N. vis accipere N. praesentem in tuam legitimam uxorem iuxta ritum sanctae matris Ecclesiae? »

b. Coniunctio manuum evasit in *copulationem sponsorum per sacerdotem facta,* inter iunctionem manuum sponsorum sacerdos in nomine Ecclesiae ratum habet matrimonium contractum variis formulis usitatis, ut iam medio aevo occurrit formula hodierni Rit. Rom.: « Ego coniungo vos in matrimonium. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ». Sed diu remanserunt formulae copulationis mere declaratoriae, ut e. gr. in Rituali Augustano (Augsburg) 1487 legitur: « Matrimonium inter vos contractum confirmet Deus et ego illud approbo et in facie Ecclesiae solennizo in nomine sanctae et individuae Trinitatis. Amen » (F. A. Hoeynck, Geschichte d. kirchl. Liturgie d. Bistums Ausburg, Augsburg 1889, p. 421 s.). Saepenumero ritus concomitans iunctionem manuum fuit stola involvere manus contrahentium, symbolo hoc signando partes Ecclesiae.

c. Ubique fere variis locis quidem ritus matrimonialis servata fuit *consuetudo osculi,* crebro osculum sacerdos dedit sponso, ipse vero osculavit sponsam. Quibusdam in regionibus, praecipue in Italia mos osculi remansit usque ad saec. XVII., tunc synodi dioecesanae id prohibuerunt, quia « non sine adstantium cachinno et loci irreverentia tribuitur » (Albenga, Synod. 1620, Righetti IV, 345).

d. Mos nunc, quantum scimus, solum in Ilungaria adhuc usitatus est *iuramentum matrimoniale,* vel ad ritus sponsalitios vel ad ritus nuptiales praestitum, tam magni habitum penes Hungaros, quod etiam nunc lingua eorum ritus matrimonialis simpliciter « iuratio » (esküvo) vocetur. Fortasse iam S. *Augustinus* quoddam iuramentum novit occasione nuptiarum praestitum, privatim ut patet: « Nonne ingemiscimus, quod vir et uxor, ut fideliter coniungant corpora sua, *iurant* sibi plerumque per Christum et ipsius corpus Christi diversa communione dilaniant? » (Ep. 23, 5 PL 33, 97), scribit Maximino episcopo donatistae de coniugibus ad variam confessionem pertinentibus. — (1) Medio aevo

canonistae magni aestimabant iuramentum promissionis matrimonii *occasione sponsalium* (Card. Gasparri, Tract, canon, de matrimonio, 2. ed. I, n. 78), ritus quoque evasit hic mos in ecclesia celebratus. Sic e. gr. iuxta *Ordinem Parisiensem* saec. XIV: « Accipiat sacerdos manum dexteram sponsae et ponat in dextra manu sponsi, et dicat ista verba nominando eos: Vous Marie, et vous Jehan, vous promettez, fianciez et jurez l'un a l'autre à garder la foy et loyauté du mariage et à garder l'un l'autre sain et enfers? » (Martène, De ant. Eccl. rit. lib. 1. c. 9. a. 5. Ordo X., similes cf. Ordo IX., XII.). — (2) In *celebratione ipsius Matrimonii* habetur sequens iuramentum in Ordine quodam *Leodiensi:* « Ego N.N. ...iuro me nunquam eamdem relicturum, neque propter meliorem, neque ditiorem, neque pulchriorem, neque nobiliorem, neque ob ullum defectum, quem Deus ei posset immittere, sed iuro me fideliter praestiturum ei quod bonus maritus tenetur praestare uxori suae legitimae usque in horam mortis. Sic me Deus adiuvet et omnes sancti eius » (Martène 1. c. Ordo XIV). Iuramentum *germanicum* inveni e saec. XVI. ineunte in codice quodam civitatis Cremniciae Hungariae medii aevi (= Kremnica, Kremnitz, Kormocbanya, nunc in Slovacia): « Ich. N. neme dich N. mir czw meine eelichem weybe vnd gebe dyr mein trewe dich nimmer czw loszenn in kainen noten in kainer widerwertikeit also helff mir Got maria dy Junkfraw Patronas (1) vnd Xpti Ewlegium (!) ».

2. Explicatio rituum Matrimonii.

a) Explicatio rituum iuxta Rit. Romanum (tit. VIII. c. 2).

Iterum monemus clare distinguendam esse celebritatem Matrimonii et benedictionem eius in Missa nuptiali factam.

I. Celebritas Matrimonii.

1°. Parochus superpclliceo et stola, alba indutus pluviali quoque albi coloris uti potest, si vero statim sequitur post celebrationem Matrimonii Missa nuptialis, paramenta Missae assumat, excepto manipulo. Adhibeatur clericus vel ministrans superpclliceo indutus, qui librum et vas aquae benedictae cum aspersorio deferat. Sponsi ante altare genuflexi expectant, duobus saltem testibus retro eos stantibus. Sponsos parentum vel propinquorum suorum praesentia cohonestari decet (Rit. n. 1).

2'. Primo interrogantur de *consensu* per parochum vel eius delegatum singillatim vulgari sermone. Mutuo consensu intellecto contrahentium, sacerdos iubeat eos dexteras iungere (vulgari sermone), quo facto, dicit (latine): « Ego contango vos in matrimonium. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Arnen ». Vel aliis utatur verbis iuxta receptum uniuscuiusque loci ritum (Rit. n. 2). Postea eos aspergit aqua benedicta.

3°. Deinde sequitur *ritus subarrhationis.* a. Primo *benedicitur anulus,* cuius *materia* non est determinata, potest esse ex argento, vel aurichalco vel stanno, plerumque utuntur anulo aureo. Ritus hic benedictionis anuli etiam in secundis nuptiis servandus est (CRit d 2713, 2), si nupturientes non haberent anulum, benedicatur anulus quamvis pluries benedictus, quem parochus in promptu habeat (CRit d 3518, 2). — b. Anulus ponitur in lance super altari et celebrans

versus altare emn *benedicit* dicto versiculo « Adiutorium nostrum » etc. cum oratione « Benedic Domine », dein aspergat anulum aqua benedicta. — c. Anulum deinde *tradit sponso,* qui acceptum anulum (genuflexus manens) imponi: digito, quarto seu anulari sinistrae manus sponsae, dum celebrans dicit: « In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Arnen ».

4°. *Benedictio simplex Matrimonii.* Sacramentum iam susceptum est, benedictione hac nunc Deus exoratur, ut effectus huius Sacramenti benigne exsequi dignetur, a. Prius dicitur, sicut post Confirmationem, ant. « Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis » etc., — dein b. dicuntur Kyrie, Pater noster et speciales versiculi, — demum c. dicitur oratio « Respice quaesumus Dc mine... » Si Missa nuptialis celebranda sit, sacerdos, recedentibus sponsis in suum locum, accipit manipulum et incipit Missam.

II. Missa nuptialis cum sollemni benedictione.

1°. *Missae huius textus* habetur in Missali Romano inter votiva (post Missam in collatione sacrorum ordinum); quando legi potest haec Missa, quando Missa de officio currenti cf. De Eccl. sacrifie. (G. 1. 19). Missa haec adhuc retinet orationes (collectam, secretam, postcommunionem) iam in Sacramentario *Leoniano* habitas; praefatio propria et « Hanc igitur » inde a Missali Pii V. (1570) disparuit. *Textus cantuum* variabilium (antiphonae ad introitum, graduate, offertorium, ad communionem) iam in Antiphonario S. Gregorii saec VIII-i iidem leguntur. Nova est lectio *epistolae* (Eph 5, 22-33) textus dogmatici Sacramenti huius (inde a Missali Piano); *Evangelium* (Mt 19, 3-6) locus classicus de indissolubilitate Matrimonii iam idem praescribitur in Capitulari cvangeliorum Romano saec. VH-i (Th. Klauser p. 45 « ad velandam mari tatam »).

2°. *Sensus textuum,* a. Ipsa sollemnis benedictio fit post Orationem Dominicam, eo loco quo sollemnes benedictiones episcopales c Gallicana liturgia oriundi per totum medium aevum fieri solebant. Noviter nupti per orationem mensae eucharisticae (Pater noster) ad epulas sacrificales Agni incontaminati invitantur, peculiarique benedictione firmantur, ut nunc iam ut veri nupti occumbere queant mensae Dominicae. — b. Cur *primario sponsa* benedicatur, explicatur eo, quod amittet virginitatem suam, quod partem primam habet in educandis liberis, quod dotes eius fuse enumeratae (« sit casta, amabilis » etc. tam necessariae sunt ad bonum felixque matrimonium. — c. *Prima oratio* (« Propitiare ») dicitur de « instituto ad propagationem humani generis ordi nato » i.e. de matrimonio, ut auxilio Dei « servetur », seu incorruptum permaneat. Haec oratio habenda est instar invitationis ad d. *magnam orationem benedictionis,* quae tres partes habet. (1) *Prima pars* (usque ad verba « expeti; protectione muniri ») terna repetitione, semper cum verbis « Deus qui » incipiente, Dei partes extollit in matrimonio: *Deus qui* potestate virtutis suae cuncta de nihilo fecit, invocatur ad inseparabile foedus adiuvandum, *Deus qui* tam excellenti mysterio coniugalem copulam consecravit invocatur ad foedus nuptiarum, *Deus per quem* mulier iungitur viro invocatur ad benedicendam « societatem principaliter ordinatam », matrimonium nempe, proto-societatern intei omnes humanas coniunctiones. — (2) *Secunda pars* magnae orationis (a Sit in ea iugum dilectionis » usque ad verba « ad caelestia regna perveniat ») impio rat Deum pro dotibus sponsae: vigeat in ea dilectio, pax, fidelitas, amabilitas.

sapientia, verecundia, pudor, eruditio, foecunditas. — (3) *Tertia pars* (inde a verbis « et videant ambo ») ut novi nupti tertiam et quartam videntes generationem consenescant.

3°. *Ritus huius benedictionis,* a. Sponsi durante Missa nuptiali in loco separato consistunt, non vero in presbyterio, ad altare accedunt, quando celebrans benedictionem daturus est — b. Sacerdos, dicto « Amen » post responsum « Sed libera nos a malo », priusquam patenam abstergat genuflectit et ad cornu Epistolae vadit et conversus ad sponsos genuflexos *dicit orationes,* ministro ante eum librum tenente. Orationes dicuntur voce clara, manibus innetis, et ad clausulam orationis ad verba « Jcsum Christum » caput Sanctissimo inclinat. Post benedictionem sponsis in suum locum se conferunt, sacerdos vero abstergens patenam dicit embolismum « Libera nos ». — c. Si consuetudo habeatur, sponsis *datur pax* cum instrumento (« pacificati »), vel cum patena si episcopus celebrat; post sumptionem sanguinis vero *communicantur* sponsi, qui exhortandi sunt, ut hoc faciant (CRit d 3329), at Missa haec celebrari debet, etsi sponsi in ea nolint communicare (d 3531, 7). — d. In fine Missae ante orationem « Placeat » sacerdos ad sponsos genuflexos iterum ante altare se convertit et dicit benedictionem « *Deus Abraham* ». — c. Deinde « moneat eos sacerdos *sermone gravi,* ut sibi invicem servent fidem, orationis tempore et praesertim ieiuniorum et sollemnitatum casti maneant, et vir uxorem atque uxor virum diligat et in timore Dei permaneant » (Miss. Rom. rubr. specialis). — f. Postea *asperguntur* a sacerdote aqua benedicta, qui dein dicta oratione « Placeat », more solito dat benedictionem populo, et legit ultimum Evangelium. — g. Leges cf. NCR 381.

b) Ritus quidam speciales.

« Sicubi aliae laudabiles consuetudines et caeremoniae in celebrando Matrimonii Sacramento adhibentur, eas convenit retineri » (Rit. n. 6). Speciminis gratia videatur ritus specialis *Germaniae* (Collectio rituum pro omnibus Germaniae diocesibus, 1950, Pars I. tit. 4. c. 1). 1°. Duo *anuli benedicuntur,* dicitur etiam secunda oratio ad benedictionem « Creator et conservator », antiquior prima. — 2°. Fit more antiquo *Scrutinium,* sacerdos dum adstant testes, peragit scrutinium, semper utens lingua vernacula, triplici interrogatione, an sit singulus sponsus liber, an velit fidem servare, an paratus sit liberos suscipere e manu Dei. — 3°. Sequitur *arrhatio cum anulis* sacerdote monente patria lingua; sponsus de manu sacerdotis acceptum anulum in digito sponsae imponit dicens « In nomine Patris » etc. similiter facis sponsa sponso. — 4°. Deinde elicitur *consensus:* sponsi ad invitationem sacerdotis dexteras iungunt, quae statim stola sacerdotis circumvolvuntur, et eo praeeunte singillatim dicunt verba « In facie Dei accipio te N. in coniugem meam ». — 5°. Sequitur *confirmatio* consensus: sacerdote dicente: « Ego auctoritate Ecclesiae matrimonium per vos contractum confirmo et benedico: In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ». Statim stolam removet, sponsi vero in genua procumbunt. — 6°. Fit dein *benedictio.* Dicitur Ps 127 (« Beatus quicunque times Dominum »), recitatis Kyrie et Pater noster dicuntur versiculi et oratio specialis « Omnipotens sempiterne Deus, qui primos parentes nostros... » — 7°. Si Missa nuptialis non dicitur, datur benedictio lingua patria quinque membris constans, ad singula respondetur « Arnen ». Sacerdos eam dat manibus elevatis et super sponsos extensis, ministrante librum tenente, postea dimittit cos.

3. De ritibus postnuptialibus.

Ecclesia vitam coniugalem, praecipue autem puerperium multis ritibus circumdedit, c quibus pauci adhuc in usu sunt.

a) De benedictione thalami.

1°. *Thalamos* graece significat cubile, dormitorium, gynecaeum seu dormitorium muliebre, sensu strictiore cubile seu lectum nuptialem. Introductio sponsorum in thalamum eiusque benedictio inde a saec. VII-o iam in usu fuit (Missale Bobiense, Liber Ordinum cf. supra 1. b. 1°. et 2°.). Inde vero a saec. XI-o multiplicari coeperunt formulae huius benedictionis longioresque in dies evadere. Finis eius est consecutio vitae felicis in coniugio et boni prolis; medio aevo finem habuit quoque apotropaeicum, avertere enim voluit daemonum influxum eorumque « ligationem », qua potentiam alligabant hominis eumque prohibebant in actu coniugali. — 2°. Nunc Rit. Romanum brevissimam habet formulam benedictionis thalami (tit. IX. c. 6. n. 5.); unica oratio quae dicitur, iam saec. XI-o occurrit et saepe in formulis benedictionum legitur: « Benedic Domine thalamum hunc, ut omnes habitantes in eo in tua pace consistant et in tua voluntate permaneant, et senescant et multiplicentur in longitudinem dierum et ad regna caelorum perveniant ». (Plura cf. Franz II, 177-186).

b) De benedictione mulieris foecundatae.

1°. *Ritus introducendi novam nuptam in templum post nuptias;* in Hungaria adhuc usitata est haec benedictio foecunditatem deposcens (Rit. Strigoniense tit. VII. c. 3.). Matrimonium supponitur consummatum, nova nupta dum gratias actura Deo consistit ad fores ecclesiae, suscipitur a sacerdote superpelliceo et stola alba induto, qui Ps 66. super eam recitat, dein dicit Kyrie, Pater et versiculos in celebratione Matrimonii usitatos cum oratione: ◊ Deus qui mortuam Sarae vulvam per Abrahae servi tui semen fecundare dignatus es, ut etiam contra spem soboles ei nasceretur: famulam hanc tuam propitius respice, eique partum et fecunditatem benignus tribue, et prolem, quam donaveris benedicito ». Oratio haec similis est orationi cuidam benedictionis super feminam post partum, cum adhuc iacet in lecto codicis Monacensis (Clm 16401. saec. XII, Franz II, 211).

2°. Medio aevo plures exstabant benedictiones foecunditatem mulieris deposcentes, sterilitatem avertentes et partum felicem implorantes. Talis fuit gr. Benedictio aquae S. Alberti saec. XV. (Franz II, 196-197). — Nunc in Rit. Romano (tit. IX. c. 11. n. 43) habetur *Benedictio aquae in honorem B.M.V. et S. Torelli conf, pro infirmis,* quae specialem finem quoque habet, in orationis textu enim dicitur: ℟ ...precibus B. Mariae Virginis ac S. Torelli confessoris sanitatem consequantur infirmi, pariterque fecundatae mulieres a malis ingruentibus salvae, partusque ad sacrosancti Baptismi gratiam feliciter perducant ». S. Torellus fuit eremita (t 1282) prope Avellaneto in Tuscia, benedictio haec 16. dec. 1628. approbata est.

c) Benedictio mulieris praegnantis in periculis partus.

1°. Permultae fuerunt *medio aevo* benedictiones praegnantium « quando mulier parturiendo periclitatur», « in dolore partus»; variae benedictiones

modo epico dabantur e.gr. « Kamelle (=camille, puerule) exi foras, te fratres vocant ad lucem. Anna pcperit Samuelem, Elisabeth praecursorem, Maria peperit Christum, Elisabeth peperit Johannem, sancta Maria Salvatorem... » (Franz II, 199).

2°. *Benedictio Bit. Romani* (tit. VIII. c. 5.) sat longa est: recitatis versiculis matrimonialibus dicitur oratio SS. Trinitatis (a ...qui dedisti famulis tuis in confessione verae fidei »), dein prolixa oratio (Domine Deus omnium Creator »), quae est « cento » e variis orationibus composita, precans, « ut, obstetricante manu misericordiae tuae, fetus eius ad lucem prospere veniat ». Deinde mulier aspergitur aqua benedicta et mox dicitur Ps. 66 cum versiculis et oratione Angelorum custodiam exorans (« Visita quaesumus Domine habitationem istam... »).

3°. Nunc quoque valet, quod *Guilelmus Durandus* saec. XIII-o commendavit: «Sacerdos mulierem vicinam partui saepe monet, *ut confiteatur,* ita, cum dolor partus urgebit eam, sit parata accipere Eucharistiam. Nam inhonestum est, quod tempore partus presbyter diu cum ea moretur » (Rat. div. off. lib. 7. c. 7. n. 7.).

4°. Durante partu possunt accendi *candelae* benedictae, extat earum benedictio in Rit. Romano (tit. IX. c. 11. n. 48) « in honorem S. Raymundi Nonnati, quae praesertim pro felici partu accendi solent ».

d) Benedictio mulieris post partum.

1°. Ad imitandum exemplum B. Mariae Virginis *in Oriente* iam saec. IV-o mos fuit mulieres post partum per quadraginta dies ab ecclesia arcere, imo eas punire, si transgressae sunt hoc praeceptum (Canones Hippolyti can. 18). Etiam *in Occidente* consuetudo haec invaluit et diu viguit, etsi S. *Gregorius Magnus* eam minime commendavit, dicens: « Cum vero enixa fuerit mulier... si hora eadem, qua genuerit, actura gratias intrat ecclesiam nullo peccati pondere gravatur ...Si itaque enixam mulierem prohibemus ecclesiam intrare, ipsam ei poenam suam in culpam deputamus » (Mon. Germ. Epist. II, 338).

2°. Ideo *formulae diversae* inveniuntur medio aevo, *aliae* stricte loquuntur de quadraginta diebus, allegant purificationem B. Maria Virginis et Moysen, *aliae* vero simpliciter ordinantur ad gratias agendas post felicem partum occasione primi ingressus puerperae in ecclesiam (cf. Franz II, 208-240).

3°. *Benedictio mulieris post partum* Rit. Romani (tit. VIII. c. 6) ad secundum genus benedictionum pertinet, nulla enim fit in ea mentio de 40 diebus vel de lege Moysis. Mulier puerpera post partem gratias actura accedit ad templum et foris ad limina genullectit candelam accensam in manu tenens. Sacerdos superpelliceo ct stola alba indutus, eam ibi aspergit aqua benedicta, recitat Ps. 23 (« Domini est terra », propter versum ❙ Attollite portae capita vestra »), ct porrigens ad manum mulieris extremam partem stolae ex humero sinistro pendentem, eam introducit in ecclesiam dicens: « Ingredere in templum Dei, adora Filium beatae Mariae Virginis qui tibi fecunditatem tribuit prolis ». Coram altari autem benedicitur: dicto Kyrie, Pater et versiculis matrimonialibus recitatur oratio « super hanc famulam tuam ad templum sanctum tuum pro gratiarum actione laetam accedentem ».

4°. *Specimen benedictionis primi generis* exstat in *Hungaria* <Rit. Strigon. tit. VII. c. 4), in qua duae orationes archaicae dicuntur: a Deus qui per Moysen famulum tuum Israeliticae plebi mandasti, ut mulier, quae suscepto semine filium pareret, quadraginta diebus se ab ingressu templi sequestraret... » (similis oratio in codice Clm 16401 saec. XII-i, Franz II, 227). Altera oratio (« Omnipotens, sempiterne Deus et Pater DNJ Christi qui tuum Unigenitum... post quadraginta dierum spatium in templo praesentasti... ») eandem ideam exprimit, sicut etiam Evangelium de praesentatione Domini in templo (Lc 2,22-32), quod in fine ritus ante aspersionem aquae super mulierem legitur. — Notandum est hanc benedictionem dari posse solummodo mulieribus *legitimo thoro iunctis* (S. C. Cone. 18. jun. 1859 et 7. maii 1897).

5°. Benedictio mulieris puerperae post partum *octavo die in domo eius jacta,* quae medio aevo valde usitata fuit (Franz II, 210-212), nunc iam ignoratur.

e) De benedictione matrimonii iubilaei.

1°. Ad analogiam iubilaei magni 50 annorum consueverunt homines inde a saeculo elapso etiam matrimonii iubilaei seu *anniversarium diem quinquagesimum* Deo gratias acturi celebrare (« Matrimonium aureum »), imo etiam anniversarium *vigesimi quinti anni* (« Matrimonium argenteum »). Ritualia particularia iam noverunt etiam ritum ad benedicendum coniuges iubilares, e.gr. Rit. Strigoniense (1908, tit. VII. c. 5. Benedictio Matrimonii iubilaei), nunc autem etiam Rit. Romani ed. typica anni 1952 edidit *Benedictionem coniugum post* 25 *vel* 50 *annos in Matrimonio transactos* (tit. VIII. c. 7), quae ab eodem Rituali vocatur etiam « Benedictio coniugum jubilaeum Matrimonium celebrantium». Cavendum, ne fideles talem ritum falso opinentur quasi novam benedictionem nuptialem vel Matrimonii confirmationem, quod ad integram vitam iam coniunctum est; secus consuetudo tali occasione coniuges benedicendi laudabilis est.

2°. Benedictionem — a. dare potest *parochus aut alius sacerdos* (Rit. n. 1). qui coniuges post 25 aut 50 annos in Matrimonio transactos, gratiarum actiones in ecclesia celebrare exoptantes, sacris paramentis (superpelliceo, stola et pluviali, si vult, albi coloris) primo brevi sermone alloquitur. — b. Deinde « pro ipsis Missam celebret, quae iisdem ac Missa pro sponsis privilegiis fruitur. Haec potest esse votiva de SS. Trinitate aut de B. Maria V., *non* vero votiva pro sponsis, oratione addita pro gratiarum actione sub unica conclusione cum prima cf. dicta De Eccl. sacrifie. F. 1, 19. c.

3°. Post ultimum Evangelium (preces Leonis XIII. ergo omittuntur), celebrans deposito manipulo, ad coniuges convertitur, et super eos sequentes preces recitat, a. Ant. « Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum. » et Ps 127. «Beatus quicunque times Dominum». Loco huius Psalmi potest sumi etiam Ps 116. « Laudate Dominum ». — b. Ant. repetita versiculi dicuntur et duae orationes, prima (« Praetende Domine fidelibus tuis ») dicta, secunda oratione (« Omnipotens sempiterne Deus, respice ») coniugibus gratias agentibus supplicatur pro gratiae donis, pro caritate in unitate et gaudiis aeternae beatitudinis. — c. Deinde canitur vel recitatur hymnus « Te Deum », — d. in cuius fine adduntur versiculi sueti et tres orationes: (1) « Deus cuius misericordiae

infinitus est numerus », (2) « Deus qui corda fidelium » (3) « Deus qui neminem in te sperantem ». — c. Deinde asperguntur coniuges aqua benedicta cum verbis « Benedictio Dei omnipotentis... », — f. postremo vero dicit: « Ite in pace et Dominus sit semper vobiscum ».

Litteratura.

II. Cremer, Die kirchliche Trauung, historisch, liturgisch u. ethisch, Berlin 1875. — *Dieckhoff,* D. kirchl. Trauung, ihre Geschichte, Rostock 1878. — *Howard,* History of matrimonial Institutions, London 1904. — *F. Brandileone,* Sulla storia della celebrazione del matrimonio in Italia, Milano 1906. — G. *Rietschel,* Lehrbuch der Liturgik, II. Berlin 1912, 207-304. — F. *Ilanuy,* Λ jcgyesség es hâzassâgkotés forma]a (= De forma sponsalium et Matrimonii), Budapest 1912. — *J. Kramp,* Vom Sakrament des hochzeitlichen Blindes, *in: St.* d. Zeit 1924, 196-211. — *H. Leclercq,* Mariage, *in:* DAL X, 1 (1931) 1843-1982. — *B. Binder,* Gesch. des feierlichen Ehesegens von der Entstehung d. Ritualien bis zur Cegenwart, Metten 1938. — *L. Anne, Les* rites des fiançailles et la donation pour cause de mariage sous le Bas-Empire, Louvain 1941. — *L. Eisenhofer,* Handbuch der kath. Liturgik 2. ed. Freiburg i. Br. 1941, 406-422. — *L. Molten,* Liturgie des Sacrements, Paris 1948, 450-483. — *De Amicis,* Caeremoniale parochorum, 4. cd. Romae 1948, 232-236, et 507-512. — *J. Lechner,* Liturgik des romischen Ritus, 6. ed. Freiburg i. Br. 1953, 317-326. — *M. Righetti,* Storia liturgica, IV. Milano 1953, 334-350. — *P. Jounel,* La liturgie romaine du mariage. Étapes de son élaboration, *in:* Maison-Dieu cah. 50 (1957) 30-57. — *I. H. Dalmais,* La liturgie du mariage dans les Églises orientales, *ibid.* 1957, 58-69. — *J. Gelineau,* La célébration liturgique du mariage, *ibid.* 1957, 130-152. — *J. Huard,* La liturgie nuptiale dans l'Église romaine. Les grandes étapes de sa formation, *tn* : Quest, lit. et paroiss. 1957, 197-205. — *A. Hanggi,* Liturgiegeschichtliches zum Sakrament der Ehe, *in;* Anima 1958, 333-341. — *Th. Schnitzler.* Anregungen zur praktischen liturgischen Gestaltung der Feier des Ehesakramentes, *ibid.* 1958, 325-333.

X. Tractatus decimus.

De Ecclesia sanctificante tempora seu Hcortologia.

Tempus concipitur ut capacitas res durantes earumque motus sibi succedentes recipiens. Res talis perdurans supernaturalis est Ecclesia eiusque actiones sacrae, quibus Deum colit hominesque sanctificat quaeve recipiuntur ab ipsa Ecclesia: capacitas ergo ad illas actiones sacras recipiendas constituit tempus sacratum. Ecclesia ergo, quae spatium sanctificat loca sacra constituendo, etiam tempus sanctificat tempora sacrata condendo per exercitium actuum cultus publici. Sic homines renascuntur in societatem Corporis Mystici, talis actus potest alligari momento temporis definito, ut nocti s. paschatis; constitui possunt tempora poenitentiae dicata; ante omnia autem opus est die fixo, quo fideles coenam celebrent dominicae passionis; singula demum momenta oeconomiae salutis debent recoli ab omnibusque ita participari, « ut divinum Mystici CoqDoris Caput in singulis membris perfectissima sanctitate sua vivat « (MDei n. 150). Per hos actus publicos aliqui dies eximuntur a communi profano usu, Deoque dicantur, circulus vero talium dierum per evolutionem historicam auctorum constituit tempus sacratum: hebdomadam vel annum liturgicum.

De temporibus sacris agentes tractandum est nobis:

A) Dc notione anni liturgici.
B) Dc s. cyclo hebdomadario.
C) De s. cyclo natalitio.
D) De tempore poenitentiali s. cycli paschalis.
E) Dc tempore gaudioso s. cycli paschalis.
F) De tempore liturgico extracyclico.
G) De cultu B. Mariae Virginis in anno liturgico.
II) De cultu Sanctorum in anno liturgico.

A) De notione anni liturgici.

Tractare debemus 1. de definitione anni liturgici, dein 2. de nominibus anni liturgici, item 3. de origine et evolutione anni liturgici, postea 4. de partibus anni liturgici, demum 5. de anno liturgico Orientalium.

1. Definitio et sensus anni liturgici.

Definitio optima desumi potest e MDei: Annus *liturgicus est annus solaris ab Ecclesia constitutus quo Christi mysteria recoluntur praesentiaque continenter adsunt et operantur, ut fideles ea attingerent ac per ea quodammodo viverent* (e verbis MDei n. 163). — Singula elucidantur:

a) Annus liturgicus est annus solaris, quo designatur *causa materialis* anni liturgici. Posset enim esse annus liturgicus etiam aliud spatium temporis, puta aliquot menses solum complectens, vel plures annos; quia tamen Ecclesia ab initiis suis annum civilem Imperii Romani amplexata est, qui est annus luniso-laris per lulium Caesarem ab Aegyptiis receptus, ideo hic annus civilis usque ad hodierna tempora a nationibus excultis observatus servit ad recolenda mysteria Christi.

b) Annus hic ab Ecclesia est constitutus, quo designatur *causa efficiens* anni liturgici. 1°. Causa efficiens *principalis* est quidem Christus Dominus adeo, ut MDei dicit annum liturgicum esse ipsum Christum Dominum: « (liturgicus annus) est *Christus ipse,* qui in sua Ecclesia perseverat, quique immensae misericordiae suae iter pergit », quod fit per id, quod « sacra liturgia *totum nobis Christum* proponit in omnibus suae vitae conditionibus » (MDei n. 163. et n. 161). Christus eiusque opus salutiferum redemptionis ergo memoriae commendantur simulque etiam repraesentantur seu in anno liturgico praesentia fiunt; quo recto sensu infra declarabitur (c. 2°.). — Christus *ideo* potest dici *auctor principalis* anni liturgici, quia ipse ordinavit passionem suam recolendam per mysterium Missae, in quo Christus opusque eius repraesentatur, haec vero repraesentatio iterata certis quibusdam diebus iam aevo apostolico originem praebens Dominicae ct festo Paschatis nucleum constituit anni liturgici. — 2'. Ecclesia est *causa secundaria* anni liturgici, Apostoli enim eorumque successores, Episcopi, dein Metropolitae, inde vero ab anno 1588 pro Ecclesia Latina ipsa Sancta Sedes protoplasma primigenium anni liturgici non sine speciali ductu Spiritus Sancti ulterius evolvit ad pulcherrimam varietatem anni liturgici. Sicquc « pia Mater Ecclesia, dum Redemptoris nostri mysteria proponit nobis contemplanda, precibus suis superna ea dona efflagitat, quibus filii sui eorundem mysteriorum spiritu quam maxime ex virtute Christi imbuantur » (MDei n. 163).'

e) *Causam formalem* anni liturgici constituunt mysteria Christi, i.e. opus redemptionis, cuius initium haberi debet Incarnatio. Annus solaris eo fit annus liturgicus. quod haec mysteria *recoluntur, praesentia* sunt et *operantur* per spatium anni.

1°. *Mysteria Christi* recoluntur per annum liturgicum. Memoria eorum per cyclos liturgicos festaque pie excitatur fidelibusque in memoriam revocat opera Christi salutifera. Sed monendum cum magisterio Ecclesiae, hanc recordationem non esse ‹ *xclusivam,* enimvero « liturgicus annus, quem Ecclesiae pietas alit ac comitatur, non frigida atque *iners* earum rerum *repraesentatio* est, quae ad praeterita tempora pertinent, vel *simplex ac nuda* superioris aetatis rerum recordatio » (MDei n. 163). Repraesentatio heic intelligitur repraesentatio quasi scenica. non ea quae inferius recurrit (2°).

2°. Mysteria Christi in anno liturgico non solum recoluntur per rememorationem historicam, sed etiam praesentia continenter adsunt, « quo modo catholica doctrina nos docet » (MDei n. 163). Haec praesentia mysteriorum Christi in anno liturgico non debet intelligi a nobisque mimime intelligitur « incerto ac subobscuro eo modo, quo recentiores quidam scriptores effutiunt ». *Quo* modo vero mysteria Christi praesentia fiunt, ostendit eadem Encyclica (n. 149. coli, cum n. 162). *Missa cotidie repraesentat* et renovat *mysterium passionis* Christi (MDei n. 162), ut Ecclesia dicit, « quoties huius hostiae (i.e. sacrificii Crucis) commemoratio (i.e. Missa) celebratur, opus nostrae redemptionis exercetur » (seer. Dom. IX. Pent.). — Atqui annus liturgicus *potissimum circa personam Christi* vertitur (MDei n. 149), et quidem circa personam Christi *Redemptoris.* Redemptionis initium est Incarnatio, idem vero Christus, cuius passionem Missa repraesentat et innovat, est Christus a Virgine natus, mundo per Epiphaniam praesentatus, dein resuscitatus et per ascensionem missionemque Spiritus Sancti glorificatus. — Ergo *mysterium passionis* Christi *praesens* est in *anno liturgico;* in anni cursu precibusque horariis « Servator noster per suae demissionis, redemptionis, triumphique mysteria dominatur » (MDei n. 149. cf. n. 163). Mysteriaque omnia Christi adsunt praesentia (MDei 163) continenter in anno liturgico, quia in passione implicite continentur, ut dictum est. Per recordationem liturgicam enim in singulis cyclis vel festis *praecisive* comitur quoddam *mysterium particulare,* e.gr. in Natali Domini nativitas Christi, qui quodam modo in altari nascitur: novo modo praesentiae enim adest in altari, ubi antea non erat, ideoque Ecclesia « redeunte Natali die videtur nos veluti ad Bethlehemiticum reducere specum » (MDei n. 153).

3°. Mysteria Christi in anno liturgico praesentia (tali et non alio subobscuro modo) etiam continenter operantur. Quo autem modo operentur mysteria, item declarat Ecclesia, dicendo ea *triplici modo* operari, a. *Primo* quidem modo mysteria Christi in anno liturgico sunt « eximia christianae *perfectionis exempla* » (MDei n. 163), Ecclesia enim in his mysteriis Christum « imitandum nobis praebet ...qui e Deipara Virgine nascitur, qui veritatem nos docet, qui aegrotos sanat, qui maerore affectos solatur, qui dolores patitur, qui moritur, ac deinde (pii ex triumphata morte resurgit, qui in coeli gloria regnans Paraclitum in nos immittit Spiritum » (MDei n. 161). Actus, « quo eius imitemur mysteria... impensum validumque nisum atque indefessum requirit exercitium » (MDei n. 159). — b. *Secundo* mysteria eodem operantur, quod « divinae *gratiae sunt fontes* ob merita deprecationesque Christi » (MDei n. 163). Haec gratia in anni liturgici cursu praeprimis per celebrationem Missae impetratur, dein etiam per officium divinum aliaque pietatis exercitia. — c. *Tertio* mysteria operantur eo, quod « *effectu suo in nobis perdurant* » (ibid.) et quidem ideo, quia mysteria « singula secundum indolem cuiusque suam salutis nostrae causa suo modo existant ». In hac singularitate mysteriorum invenitur *ratio formalis anni liturgici:* in Adventu accipi possunt gratiae, quae ad parusiam Christi nos praeparant, « peccatorum conscientiam excitant »; in Natali Domini ut « Dei verbum, hominem factum, intima ac vitali ratione attingamus»; in Quadragesimae tempore, ut « ad morum emendationem actuose incitemur utque peculiari modo peccata detestemur »; Passionis tempore, ut cum Christo «Crucem volentes subeamus»; Paschali vero tempore, ut «cum Redemptore resurgamus ex frigida atque inerti vita » (MDei n. 152-158).

d) *Causa finalis* anni liturgici est, ut mysteria in eo contenta ct operantia fideles « attingerent ac per ea quodammodo viverent « (MDei n. 163). — 1 . Mysteria *attinguntur* eo, quod fideles per celebrationem condignam anni liturgici (semper intelligitur primario Missae communionisque participatio) Spiritus Sancti » alllatu et virtute... per sociam voluntatis operam, vitalem vim assumant sicut palmites ex arbore atque ex capite membra « (ibid.), sicque in vita supernatural] crescant. — 2°. Fideles sic per mysteria anni liturgici *quodammodo vivunt,* sicut Ecclesia affirmat: « Per liturgicum iter quod singulis annis nobis patet, Ecclesiae opera, sanctitatis effectrice permoti... accedimus ad Sacerdotem Magnum, ut cum eo vivamus et consentiamus, ac possimus per ipsum penetrare usque ad interiora velaminis, ibique caelestem per omne aevum honorare Patrem » (MDei n. 168).

2. Nomina ct conceptus anni liturgici.

Nomina alicui rei tunc solent dari, si iam conceptus aliqualis rei istius efformatus sit. Ad conceptum anni liturgici non pertinet, quod annus iste habeat necessario aliud initium quam annus civilis, sufficit, si percipiatur qua *circulus quidam qui annuatim tempora quaedam ab aliis distincta revolvit.* Talis vero conceptus iam a saec. IV-o deprehendi potest, nostra ergo opinione possumus iam inde ab hoc tempore loqui de anno liturgico.

a) Etiam *initium* anni huius saec. IV-o ortum est: *Kalendarium enim Filokalianum* (seu Bucherianum) supponit initium anni a Natali Domini supputandum esse (cf. DAL XII, 912-913 et II. Frank AfLw 1952, 4). Revera fere omnes libri liturgici occidentales cum festo Natalis Domini incipiunt, duo ultima saecula medii aevi dein tempus Adventus iam antea existens etiam in libris praefixerunt ante Natale Domini.

b) Quod revera de *circulo quodam festorum* iam conscientia existebat, demonstrat S. *Augustinus* versus annum 400, qui festa totius anni enumerans data opera inquirit in quaestionem, cur praecise quibusdam temporibus et diebus celebratio fit (in Ep. 55. ad inquis. Januarii IL PL 33, 204-223). Signanter incipit cum « die natali Domini » enumerationem festorum omnium, quibus fuse pertractatis agit de lotione pedum, quonam tempore fiat, nam « aliqui autem et hoc ut sacratiore tempore commendarent... diem tertium octavarum... vel etiam ipsum octavum, ut hoc facerent, elegerunt » (coi. 220). Putamus Augustinum iam clarum habuisse quendam conceptum anni liturgici, cuius *obiectum* est « observatio sacramenti », quae observantia fit per legem Dei quoad Pascha et Pentecosten, quoad cetera vero per consuetudinem servandam Ecclesiae: « ...quod autem instituitur praeter consuetudinem Ecclesiae, ut quasi *observatio sacramenti* sit, approbare non possum » (coi. 221), his verbis concludit tractatiunculam suam de temporibus festorum. « Observatio », observantia speciatim in re sacra significationem habet « reverentiae, cultus », observatio ergo sacramenti *est cultus mysteriorum Christi* iuxta Augustinum. Hic cultus fit non « in aliis particulis temporum » (coi. 221), sed in « *sacratiore* tempore » (coi. 220). Augustinus ergo claram habet ideam *temporis sacri,* in quo sacramenta i.e. mysteria Christi recoluntur, solummodo nomen adhuc non indidit huic conceptui.

c) Eodem fere tempore S. *Paulinus Nolanus* simili modo, independenter a S Augustino, sibi ponens quaestionem, cur dies natalis S. Felicis martyris

sit praestantior ceteris, rationem recidit anni liturgici (Poema XXVII. De S. Felice Natal, carm. IX. PL 61, 648-663). « Fides... *tempora* certis *distinguit* titulis, *sacrosque* per annua signat festa *dies* » (coi. 649), dein enumerans festa incipiens a Natali Domini, deducit conclusionem: «Ergo velut caelum stellis, ut floribus arva | temporibusque annos Dominus, sic ipse diebus | tempora distinxit festis ut... discrimine facto | *post intervallum reduci* sollemnia voto ¡ sancta libenter agant, residesque per *annua* mentes | *festa* parent Domino... » (coi. 651). Bene ergo habet conceptum anni liturgici, quem vago modo vocat « *annua festa* », quin ei speciale nomen daret.

cl) Hoc quoque factum est medio saec. V-i per S. *Petrum Chrysologum,* qui loquens de festo Paschatis, in sermone suo aperte nomen prodit: «Annus Domini perficitur temporibus, non senescit, qui tamdiu suo recurrit circulo, quamdiu nos ad diem retributionis perducit » (PL 52,407). *Annus Domini* vel annus *ab Incarnatione, a Nativitate* abhinc in multis legitur documentis medii aevi, Petrus Chrysologus vero nomen hoc praecise de festis recurrentibus usurpavit.

e) Liturgica denominatio anni liturgici est evidenter etiam terminus technicus a Sacramentariis vetustioribus usitata: « *anni circulus* » (cf. Liber Sacramentorum Romanae Ecclesiae anni circuli); in medio aevo occurrit denominatio « *officium orbiculare* » quod idem dicit.

f) Nomine « *annus salutis* », vel « salutis recuperatae » medio aevo de anno non ut liturgico utebantur; nostris temporibus quidam utuntur eo ad designandum annum liturgicum (P. Parsch: « Jahr des Pleiles »).

g) Nomen ipsum « *anni ecclesiastici* » seu « *anni Ecclesiae* » videtur a Protestantibus originem ducere, iuxta Rietschel primo invenitur nomen in Postilla Joh. Pomarii 1589.

h) Nomen « *corona* » i.e. sertum festorum legitur penes aliquos auctores (sic Joh. Olearium 1671), et videtur iam medio aevo aliquoties in usu fuisse.

i) Terminus « *annus liturgicus* » solum a saec. XVII-o in usu est, vulgatusque evasit per opus celeberrimum Prosperi Guéranger inde ab anno 1841.

3. Origo et evolutio anni liturgici.

a) Ut profundius perspicere valeamus anni liturgici rationes, summatim perstringere oportet ortum et evolutionem eius. Aevo apostolico granum fuit solummodo sinapis, quod aevo catacumbarum miranda et monumental! simplicitate se evolvit, duobus autem saeculis aevi aurei (s. IV-V.) crevit in arborem pulcherrimam; his saeculis iam omnia elementa essentialia inveniri possunt, quae annum liturgicum constituunt. Arbor tunc vitae christianae, annus nempe Domini, in omnem terrarum orbem ramos suos extendit, habitabantque sub umbra eius gentes aevo migrationis populorum, medio aevo vero gentes ab Ecclesia excultae rationem formamque vitae quoque civilis in anno liturgico inveniebant.

b) Nucleus, ut ita dicamus, *protoplasma anni liturgici* est *sollemnitas Dominicae,* quae loco sabbati succedens, dies fuit renovandae Coenae dominicae.

Fere certum haberi debet, quod hoc ipso aevo Apostolorum etiam Pascha Domini et diem Pentecostes recolebant. Primum vestigium huius sacrosancti diei invenitur iam penes Paulum (1 Cor 16,1) nomen eius versus annum 90 in Apocalypsi et Didache occurrit.

c) *Aevo catacumbarum* Dominica nocte sabbati in Dominicam vertente celebrata est; quod est antiquissima consuetudo, ut iam expositum est (De Eccl. orante B. 1.).

1°. Fidelibus valde placuit; nocte in diem dominicum illucescente eorum sensu non dormiendum, sed spiritualibus excubiis vacandum erat. *Cultus publicus Dominicae* constabat in recitatione Sacrarum Scripturarum, quando Ecclesia « *legem* et prophetas cum evangelicis et apostolicis litteris miscet » Tertull. De praescr. haeretic. c. 36). Carmina Christo quasi Deo, Psalmi nempe a Deo inspirati, canebantur in his coetibus liturgicis, Scripturae exponebantur ab antistite, orationesque delegabantur ab eo nomine totius communitatis, lotum vero opus divinum culmen suum attingebat per celebrationem sacrificii eucharistici.

2°. Ecclesiae trium priorum saeculorum annus liturgicus proprie *constabat* « *celebratione Dominicae;* annum sanctificavit haec celebritas, ut S. Ignatius Antiochenus scripsit: « Dies Domini est dies resurrectionis, regina dierum, in quo vita pro nobis exsurrexit, et in Christo vita mortem devicit » (Ad Magnes. 9,4). Alia festa Ecclesia catacumbarum nondum cognovit, nam Pascha et Pentecostes — exceptis saec. II. quibusdam ecclesiis Asiae proconsularis — Dominica die celebrata sunt. Memoriam quidem recolebant martyrum die eorum natalitio, i.e. anniversario passionis, sed haec memoria nondum fuit festum proprie dictum et solum in ecclesiastico coetu martyris proprio celebrata fuit. Ideo potest sermo esse de quadam simplicitate monumentali aevi huius catacumbarum; festa enim, ut Origenes aperte dicit, sunt: « Dominicae, parasceve, Pascha et Pentecostes » (PG 11,1550).

d) Post maximam persecutionem anno 313 *aetas aurea pacis* Ecclesiam laetificabat, vigiliae dominicales et festivales abhinc iam in basilicis potuerunt celebrari. Cum evolutione Missae et officii divini annus quoque liturgicus his duobus saec. IV-V. abunde evolutus est.

1°. quidem *festa Incarnationis* orta sunt ob necessitatem luctarum christologicarum huius aetatis. Portae enim inferni iam-iam praevaluerunt, haeretici deitatem, dein personalitatem, demum humanitatem Christi inficientes — Ariani, Nestoriani. Monophysitae — incessanter saepeque imperatoribus adiuvantibus impugnabant orthodoxam Ecclesiam, quae doctrinam suam ab Apostolis acceptam definiens ulterius evolvit et explicavit. Ut dein repetitis vicibus factum est. Ecclesia non contenta definitione dogmatica, vetustam veramque doctrinam etiam per celebrationem liturgicam inculcare conata est. Sic orta sunt ordine chronologico: festum *Epiphaniae Domini,* festum collectivum nativitatem, baptisma, adorationem Magorum nuptiasve Canaeas celebrans, festum hoc fructus est spiritus Hellenici in urbe Alexandrina saec. III-IV. Dein Romae inter 325-335 ortum est festum *Natalis Domini* die, quo Solis invicti natalis habebatur; tum contra Arianos, tum adversus cultores henotheismi solaris festum hoc 25. decembris institutum est. Demum spiritualitas Celtica

produxit sollemnem frequentationem Incarnationis: tempus nempe liturgicum *Adventus Domini* in territorio liturgiarum typi Gallicani, saec. IV-V.

2°. Eodem tempore, saec. nempe IV-o, ubique celebrari coepit *Quadragesima,* quin tempus originis accurate sciremus. Totius aevi antiqui et aetatis mediae institutum Quadragesimae maximi fuit momenti pro vita spirituali: cum gaudio expectantes sanctum Pascha certabant in subeundis variis abnegationibus, omnibus diebus auscultabant expositiones S. Scripturae; hoc etiam tempore, praesertim tribus ultimis hebdomadibus catechumeni ad baptismi susceptionem praeparati sunt; poenitentes vero publici exsercitationibus poenitentialibus expectabant Fer. V. in Coena Domini, diem magnum reconciliationis.

3°. Evolutio celebrationis dramaticae *Tridui Sacri* saec. IV-o orta est Hierosolymis, teste Aetheria, una cum festo sollemni Dominicae Palmarum. Liturgia haec dein decursu saeculorum diffusa ubique orbem terrae occupavit.

4°. Festum *Ascensionis Christi* medio saec. IV-o, quadragesimo die post Pascha, ortum, saeculo subsequent! iam ubique colitur; similiter festum *Exaltationis Crucis* 14. septembris, quod festum dedicationis fuit ecclesiae Sepulcri.

5°. Dies poenitentiales his saeculis orti sunt, Romae *Quatuor Tempora,* quae saec. V-o a S. Leone iam apostolicae originis esse putabantur; *Litaniaeque Maiores* die 25. aprilis. *Dies Rogationum* seu Litaniae minores in Gallia ortum duxerunt ante festum Ascensionis.

6°. *Temporale* anni liturgie! sic saec. V-o ad finem vergente iam fere evolutum fuit; his saec. IV-V. etiam cultus liturgicus Sanctorum, *Sanctorale* primas origines habuit. Saec. IV-o unicum fuit festum *Deiparae* iam ante Cone. Ephesinum: Dominica Natalem Domini antecedente celebratum est festum « Euangclismos » seu Annuntiationis et maternitatis BMV. Hoc festum Orientis fuit festivitas, quae etiam in Occidente vestigia reliquit; Romae colebant festum dedicationis basilicae S. Mariae Maioris 4. augusti, quod decursu medii aevi nomen accepit S. Mariae Nivis. Vetustissima *Sanctorum festa* quoque his duobus saeculis orta sunt: SS. Petri et Pauli 29. iun., S. Joannis Evangelistae (6. maii et 7. dec.), festum S. Stephani protomartyris 26. dec., dedicatio basilicae S. Michaelis archangeli 29. sept., festum S. Joannis Baptistae 24. iun.

e) Aetate *migrationis populorum et aevi Carolingici* (saec. VI-X) forma iam extans anni liturgici novis quibusdam celebritatibus Temporale auxit, multo pluribus vero Sanctorale.

1°. Temporale dominicis quibusdam diebus poenitentialibus ditatum est: aetate sanguineo, quando gentes populique sedes suas mutaverunt, Romae saec. VI-o ortae sunt Dominicae stationales *Septuagesimae, Sexagesimae et Quinquagesimae* ante Quadragesimam, ut Deus misereatur populi sui flagellis vexati. Simili motivo orta sunt festa: *Omnium Sanctorum* in regno Carolingico saec. IX-o ct *festum SS. Trinitatis* tempore incursionum Normannicarum ineunte saec. X-o.

2°. In *Oriente* ortum duxerunt pulcherrima *festa Matris Dei:* Nativitatis cius 8. sept., 25. mart, festum Annuntiationis ortum e computu diei 25. dec.

Nativitatis Domini, dein Conceptio BMV. 8. dee. Festa haec saec. VI-VII-o orta fere statim etiam in Occidente accepta sunt.

f) Inde iam Temporale fere nullas passum est mutationes, sed *medio aevo in finem vergente* festa Sanctorum partem temporalem fere oppresserunt. Unicum festum maximi momenti hac aetate ortum fuit: saec. XIII-o, a saeculo Eucharistiae » *Festum SS. Corporis Christi.* Multa alia festa nimie crescentes reformationi S. Pii V. viam straverunt, de his vero cf. De Eccl. orante (C. 3. c), nostris vero temporibus S. Pius X. recentioris reformationis primum gressum, Pius autem XII. secundum et Joannes XXIII. tertium gressum fecit (ibid. C. 3. d. et e.).

4. Partes anni liturgici.

a) Cyclos i.e. *series semper redeuntes festorum temporis sacri* distinguere medio aevo incipiebant auctores. Sicardus Cremonensis (t 1215) anno mundiali, seu historiae salutis generis humani comparat annum liturgicum (Mitrale IV. PL 213, 191). ο *Magnus annus vitae praesentis* » i.e. historia salutis quatuor constat periodicis aevis: tempus deviationis est aetas ab Adam usque ad Moysen; « tempus revocationis, in quo revocati sunt per legem et prophetas et edocti de adventu Christi », est aetas a Moyse usque ad Christum; « tempus reconciliationis » complectitur vitam terrestrem Domini a nativitate eius usque ad resurrectionem; α tempus nostrae peregrinationis » vero est aetas Ecclesiae militantis usque ad fmem saeculi. Ilis quatuor aetatibus consonant tempora anni liturgici: α Haec tempora magni anni videns Ecclesia *pro varietate temporum laudabili* varietate utitur officiorum, nam in *Adventu* recolit tempus revocationis. In *Septuagesima* vero usque ad octavas Paschae tempus deviationis. In *paschalibus* diebus usque ad octavas Pentecostes tempus reconciliationis. Ab *octavis Pentecostes* usque in Adventum tempus peregrinationis. Propterea librorum (sc. liturgicorum) compositionem hoc artificiali ordine prosequentes, secundum quatuor tempora quatuor faciemus officia, quia figuram praetendit in officiis divisionis ».

b) Nunc inde a saeculis annus liturgicus complectitur cyclos festales (Festkrcis cycle, ciclo, iinnepkor) quosdam, qui incipiunt ab Adventu. Iuxta permultos auctores antiquiores *tres sunt cycli liturgici:* Cyclus Nativitatis Domini, seu tempus Natale a Dom. I. Adventus usque Epiphaniam vel iuxta alios ad ultimam Dom. post Epiphaniam, dein Cyclus Paschalis a Dom. Septuagesimae usque ad Dom. SS. Trinitatis exclusive, et Cyclus Pentecostalis a Dom. Trinitatis usque ad ultimam Dom. post Pentecostes. — Nunc rectius a maiore parte auctorum rccentiorum distinguuntur *duo solummodo cycli: Cyclus natalitius* a Dom. I. Adv. usque Epiphaniam vel (sensu latiore) usque ad 2. febr. Purificationem BMV. et *Cyclus paschalis* a Dom. Septuagesimae usque Pentecosten cum octava. Cetera tempora sunt « *extracyclica* », seu tempus « *per annum* », hue pertinent Dominicae post Epiphaniam et Dominicae post Pentecosten.

c) *Cycli alio* respectu possunt distingui iuxta eorum sedem fixam. Sunt enim festa seu tempora festalia, quae ordinem *anni lunaris* sequuntur ideoque in anno lunisolari aliis diebus celebrantur. Huc pertinet *Cyclus paschalis* cum omnibus suius Dominicis usque Pentecosten, quae semper aliis diebus Kalendarii celebrantur. Existunt dein festa et tempora festalia quae *annum*

solarem sequuntur, proin diebus fixis Kalendarii celebrantur: *Cyclus Natalitius.* cuius festum principale Natale Domini 25. dec. celebratur, et omnia festa BMV. et Sanctorum; dum omnes Dominicae tum Cycli natalitii, tum infra annum *mobiles* sunt.

d) *Annus* etiam *liturgicus* dividitur in partes. 1°. *Dies* comprehendit *24* horas, sed iuxta computationem liturgicam numerantur Horae canonicae diem dividentes. Prima hora (sexta diei), dein Tertia (nona diei), item Sexta (duodecima diei), Nona (quintadecima dici), Vesperae (versus vesperam) et Completorium (initio noctis) sunt habendae *Horae diei liturgici,* dum Officium nocturnum (Matutinum) et Laudes noctem Deo consecrant. Secus dies liturgicus convenit cum dic civili. — 2°. Item congruit hebdomadae civili *Hebdomada liturgica,* etsi hebdomadam Romanam usus ecclesiasticus inde iam a saec. II-o mutavit. Hebdomadae planetariae Romanae enim primus dies est Dies Saturni, seu iudaicum Sabbatum, Christiani primum diem hebdomadis elegenmt diem secundum, Diem Solis, eumque denominaverunt Dominicam, alios dies vero simpliciter numerando nuncupabant Feriam secundam etc.

5. Annus liturgicus Ecclesiae Orientalis.

Quoad summa delineamenta annus liturgicus Orientalium concordat anno Occidentalis Ecclesiae. Tribus cyclis liturgicis constat, qui nominantur a libris liturgicis praecipuis.

a) Triodion

vocatur graece cyclus complectens 4 Dominicas ante Quadragesimam et Dominicas quadragesimales usque ad Sabbatum Sanctum inclusive (slav. Trypisnec, rumen. Triodu).

1°. Tempus praeparatorius Quadragesimae *quatuor Dominicis* constat. — a. Dominica publicani et pharisaei est prima, — b. Secunda est Dom. filii prodigi, qua omittitur cantus Alleluia. — c. Tertia est Dom. camisprivii (tes apokreô), qua interdicitur carnium esus. — d. Quarta est Dom. casei (tes tyrophagou), post quam etiam usus lacticiniorum (lactis, casei, butyri, ovorum) vetitus est. Quia ieiunium Fer. II. post Dom. camisprivii incipit, habentur 56 dies usque ad Pascha, Sabbatis et Dominicis vero in Oriente non ieiunatur, sicque ex octo hebdomadis 16 dies detrahendi sunt, remanentque quadraginta solidi dies iciunii.

2°. Quadragesima ipsa incipit cum a. Dom. I. leiunii seu Orthodoxiae, quia commemorat fidei verae triumphum reportatum in Synodo Constantinopolitano anno 842 super imaginum destructores. — b. Dom. II. leiunii, et c. Dom III. Iciunii, in qua fit adoratio Crucis (stauroproskyncsis), sicut penes Occidentales Fer. VI. Pass, et Mort. Domini. — d. Dom. IV. leiunii seu S. Joannis Climaci, celebris ascetae Orientis, cuius librum (Climax) hac Dominica incipiunt legere in monasteriis. Fer. V. huius hebdomadis est medium Quadragesimae; hac die cantatur Magnus Canon pocnitcntialis S. Andreae Cretensis, sub quo millies facienda est prostratio. — c. Dom. V. leiunii seu S. Mariae Aegyptiacae alterum typum poenitentiae prae oculis ponit fidelibus.

3°. Hebdomada « sancta ct magna » incipit cum Dom. Palmarum. — a. *Fer. V. · sancta et magna* ▯ habetur lotio pedum, nocte vero inter Fer. V. et

VI. celebratur « vigilia sanctarum passionum », in qua legitur Passio Christi contexta e verbis quatuor Evangaliorum (diatessaron), divisa in 12 pericopas, inter quas orationes prolixae dicuntur, cantusque Tropariorum cantantur. — b. *Fer VI.* « *magna Parasceues* », in qua coluntur « passiones... sputa, flagellatio, colaphi, contumeliae, irrisiones, purpurea laena, arundo, spongia, acetum, clavi, lancea et prae omnibus Crux et mors ». Officium (akolouthia) fit ▮ Horarum regiarum », nocte vero inter. Fer. VI. et Sabbatum iit sollemnis processio cum imagine — *c.* ▮ *Sanctum et magnum Sabbatum* » habet maximam vigiliam, postquam horae canonicae recitatae sunt Liturgiaque S. Basilii celebrata, sabbatum enim Graecis semifestum est. Vigilando traducunt totam noctem lectiones audientes, canticaque cantantes. In aurora sacerdos procedit ad portam speciosam iconostasii, librumque Evangeliorum — symbolum Christi — portans, intonat hymnum paschalem: « Christus surrexit e mortuis, mortem morte conculcans et vitam his, qui in monumentis erant, impertiens ».

b) Pentccostarion

Vocatur secundus cyclus liturgicus a Dom. Paschae usque ad octavam Pentecostes, temporis ergo paschalis, quia liber officia liturgica huius temporis continens tali nomine insignitur. Totum tempus seu cyclus vocatur « Pentêkostê charmosynos » i.e. « Quinquagesima laetitiae » et complectitur Dominicam et octavam Paschae, dein sex Dominicas paschales, demum Pentecosten et octavam eius.

1°. *Octava Paschae* unum festum cum Dom. Paschae constituit et vocatur hebdomas « renovationis » (anakainêsimou) vel splendida (lampros).

2°. Dominicae *sex paschales* sunt: a. Dom. Paschae opposita seu Thomae. — b. Dom. unguentiferarum (myrophoron), — c. Dom. paralytici, — d. Dom. Samaritanae, — e. Dom. caeci nati, — f. post quam quadragesimo die celebratur festum Ascensionis Domini, — g. ultima Dom. post Pascha est Dom. « deiferonim 318 Patrum Nicaenorum ».

3°. Pentecostes *vigilia* et ▮ *Psychosabbaton* ». i.e. commemoratio omnium fidelium defunctorum. Hoc die fit benedictio colyborum (tritici granorum decoctorum quibus fructus miscentur) pro defunctis. Post horum distributionem processio fit in coemeterium.

4°. Dominica octava post Pascha celebratur sanctum festum *Pentecostes,* quinquagesimus dies, a dierum numero nuncupatum, qui inter Pascha et hoc festum excurrunt.

c) Octoêchos

Vocatur *tertius cyclus* liturgicus a libro officia huius temporis continente (slav. osmoglasnik, rumen, optu-tonuri); liber hic officia dominicalia continet, officia vero ferialia hebdomadarum inveniuntur in libro supplcmentari vocato *Paracleticon.* Cyclum hebdomadarum cum festis quibusdam Dominicarum infra recensemus.

1°. *Primus cyclus* est Dominicarum S. Matthaei, summation 14. Festa mobilia in his Dominicis celebrata vero sunt sequentes: a. Dom. I. Sanctorum

Omnium. — b. Dom. post 13. iul. (vel eo die si in Dom. cadat): SS. Patrum sex synodorum oecumenicarum — c. Dom. sequenti: Memoria Synodi Constantinopolitanae adv. impium Severum (anni 536).

2°. *Duae Dominicae* ante et post Exaltationem S. Crucis 14. sept); in priore legitur ex Ev. Joannis, in altera ex Ev. S. Marci.

3°. *Secundus cyclus* Dominicarum est nuncupatus a S. Luca, et comprehendit 11 Dominicas. Fest mobilia sunt: a. Dom. post 11. oct: SS. Patrum in VII. Synodo oecumenica Nicaeae celebrata (anni 754). — b. Dom. ante 7. nov.: Pulveris e caelo lapsi sub Leone Magno (anni 472). — c. Dom. post 11. dec. SS. Propatrum Abraham, Isaac et Jacob. — d. Dom. ante Christi Natalem: SS. Patrum ab Adam ad Joseph. — e. Dom. post Christi Natalem: S. Joseph Jacobi fratris Domini et David prophetae et regis.

d) Festa immobilia temporis Octoechi:

1°. 14. sept. *Exaltatio* venerandae et vivificae Crucis; uti vidimus, circum datur hoc festum duabus Dominicis.

2°. 25. dec. *Nativitas Christi,* festum hoc non habet tempus Adventus, solum duas Dominicas, quibus commemorantur progenitores Christi, bene vero habet ieiunium mitigatum 40 dierum a 15. nov. usque 24. dec. Officium nocturnum nativitatem Domini, diurnum vero adorationem Magorum celebrat. — 26 dec. habetur Memoria Deiparae Virginis.

3°. 6. ian. Festum *Epiphaniae* celebrat baptisma Domini. Dies hic celebris est a sanctificatione aquae. — 7. ian. celebratur memoria Sancti et gloriosi prophetae et praecursoris Joannis Baptistae.

4°. 2. febr. *Hypapantê* (Occursus) i.e. praesentatio Domini in templo sim indole Mariana liturgiae Romanae. — 3. febr. habetur Memoria SS. Simconis senis et Annae.

5°. *Festa immobilia Deiparae* (Heortai theometorikai) distribuuntur p τ annum. Principalioria sunt: a. 15. aug. Dormitio SS. gloriosae Dominae nostra· Deiparae semper virginis Mariae, quod festum praecedit ieiunium duarum hei · domadarum. — b. 2. iul. Depositio vestis pretiosae SS. Dominae nostrae Deiparae in Blachernis, suburbio quodam civitatis Constantinopolitanae.

6°. *Festa Sanctorum* (heortai ton hagiôn) numerosa sunt; ritus Byzantinus non novit ferias « de ea ». Unusquisque dies habet Sanctos, et quidem saepe plures eodem die. Inter quos celebrantur cum quadam praedilectione omnes Prophetae virique eximii Veteris Legis eventusque illius aetatis, ut e.gr. Ieiunium Ninivitarum, exaltatio serpentis aenei per Moyseu etc. Inter Sanctos coluntur 29. iun. SS. Petrus et Paulus; 4. jan. vero omnes 72 discipuli Domini, vocati a liturgia orientali « Apostoli n.

Litteratura.

P. Cuéranger, L'année liturgique 1841., ed. 22. Tours 1929. — .V. *Nillcs,* Kalendariu manuale utriusque Ecclesiae orientalis et occidentalis, Oenipote 1896-7. — *J. Dowden.* Tl · Church Year and Kalendar, Cambridge 1910. — *K.* A. *//. Kellner,* Heortologie, 3. ed. Freibur-i i. Br. 1911. — *K. Müller,* Das Kirchenjahr, ibid. 1911. — .Vi. *Cattercr,* Annus liturgicus.

Oenipontc 1912, 5. cd. 1945. — *Chr. Kunz,* Das katholische Kirchenjahr, Regensburg 1913. — *I. Card Schuster,* Liber Sacramentorum. Note storiche c liturgichc sul Messale Romano I-IX. Torino 1919-1925. Germanice Regensburg 1929-1931. — J. *Kramp,* Messliturgie und Gottesreich, I. II. Freiburg i. Br. 1922-3. — S. *Stricker,* Das Kirchenjahr, *tn: Die* l>etende Kirche, hcrausgegeb. Abtei Maria-Laach, Berlin 1924, 307-329. — *Idem,* Das Kirchenjahr, *in:* Mysterium. Ges. Aufsatze Laacher Monche, Münster i. W. 1926, 65-78. — P. *Parsch,* Das Jahr des Heiles, 10. ed. I-III. Klosterneuburg 1932. Italice Milano 1932 (6. ed. 1956). Hungarice Budapest 1938. — *Mihdlyfi Akos,* A nyilvanos istentisztelet (= De cultu publico) 4. ed. Budapest 1933. — *J.* A. *Jungmann,* Das Christusgeheimnis im Kirchenjahr, *in:* Gewordene Liturgie. Studien und Durchblicke, Innsbruck-Leipzig 1941, 295-321. — *O. Casel,* Das christliche Festmysterium, Paderborn 1941. — L. *Eisenhofer,* Handbuch der Liturgik, 2. ed. Freiburg in Br. 1941, I, 473-607. — *Greg. Dix,* The Sanctification of the time, in: The Shape of the Liturgy, Westminster 1945, 303-396. — *M. Righetti,* L'anno liturgico, in: Storia liturgica II. Milano 1946, 1-414. — *E. Guano,* L'anno del Signore, Roma 1949. — *E. Berbuir,* Das Kirchenjahr in der Verkündigung, Freiburg i. Br. 1950. — *G. Leclercq,* Poesia nell'anno liturgico, Alba (Ed. Paoline) 1950. — *Aemiliana Lohr,* Das Herrenjahr, 5. ed. Regensburg 1951, anglice New-York 1937, hollandice Brigge 1942, hispanice Madrid 1955. — *Divo Barsotti,* Il mistcro cristiano nell'anno liturgico, Firenze 1951. — *J. Lechner,* Liturgik des romischen Ritus, 6. ed. Freiburg i. Br. 1953, 129-183. — B. *Steuart,* The liturgical Year, *in:* The Development of Christian Worship. An Outline of Liturgical History, London 1953, 214-251. — *J. Tyciak,* Jahreskranz der Güte Gottes (= annus liturgiae', Mainz 1953. — *F. Sarda y Salvany,* Ano Sacro, 6. ed. I. II. Barcelona 1954. — *A. Chavasse,* Le cycle liturgique: cycle biblique et eucharistique, *in:* Questions lit paroiss. 1955,111-118. — *Eug. Fehrle,* Feste und Volksbrauche im Jahresablauf europiiischer Volker, Kassel 1955.— *J. E. M. Vilanova,* Per una teologia de l'ano litûrgico, *in:* Liturgica in memoriam Card. Schuster, Montserrat 1956, 1-44. — *Radô Polikiirp,* Az egyhazi év (= De anno Ecclesiae), Budapest 1957. — P. *Eistnann,* Das gekronte Jahr. Ein Werkbuch zum Kirchenjahr, I-V. Band, München 1956-1958. — F. X. *Weiser,* Handbook of Christian Feasts and Customs. The Year of the Lord in liturgy and foklore, New York 1958. — W. *Lurz,* Fest, *tn:* LfThK 2. cd. IV (1960) 95-99. — *J. A. Jungmann,* Das kirchliche Fest nach Idee und Grenze, *in:* Liturg. Erbe 1960, 502-526.

B) De cyclo hebdomadali.

Cyclus hebdomadalis constat e Dominica et feriis. Agere ergo debemus 1. De origine Dominicae, — 2. de indole Dominicae, — 3. de legibus cultualibus Dominicae, — 4. de feriis poenitentialibus, — demum 5. de feriis Quatuor Temporum.

1) De origine Dominicae.

a) Dominica in S. Scriptura.

Hodierna inquisitio scientifica compertum habet celebrationem aliqualem Dominicae esse institutionem apostolicam. (Cf. in Litter, infra Domaine 1920, col. 895 et Callewacrt 1940, 263-303).

1°. *Prima mentio Dominicae* legitur *1 Cor 16, Is.:* « De collectis autem quae fiunt in sanctos, sicut ordinavi ecclesiis Galatiae, ita et vos facite. Per unam sabbati unusquisque vestrum apud se sepomat recondens quod ei bene placuerit, ut. non cum venero, time collectae fiant ». Haec scripsit Paulus anno circ. 57. — Dominicae ergo institutum fidelibus partim gentilicae originis iam ut notum supponitur. Nomen adhuc est « prima sabbati » (mia sabbatou) i.e. primus dies hebdomadae, « sabbatum » enim tum diem septimum hebdomadae Judaicae, tum ipsam hebdomadam significat.

2°. *Nocte inter sabbatum et diem sequentem* sunt fideles in unum congregati: iuxta iudaicam consuetudinem initium noctis iam ad diem sequentem trahendum est, sicque intelligendum testimonium *Act 20, 7-8:* « Una autem

sabbati, cum convenissemus ad frangendum panem, Paulus disputabat cum eis profecturus in crastinum protraxitque sermonem usque in mediam noctem. Erant autem lampades copiosae in cenaculo, ubi eramus congregati. « Quod factum est Troade, in ecclesia a S. Paulo fundata, supponitur factum esse etiam in ceteris ecclesiis Paulinis, imo Callewaert iure coniicit morem hunc oriundum esse ex ecclesia Hierosolymitana. « Frangere panem » (klasai arton) certo certius significat renovationem Coenae Dominicae, cuius nomen fractio panis (klasis ton artou) iam aetate Apostolorum usitatum fuit.

3°. *Nomen riovum* huius diei legitur iam *Apoc 1, 9-10:* « Ego Joannes frater vester et particeps in tribulatione et regno et patientia in Christo Jesu, fui in insula, quae appellatur Patmos, propter verbum Dei et testimonium Jesu. Fui in spiritu in dominica die et audivi post me vocem magnam tubae ». « Kyriakê hêmera » = dies dominicus est nomen novum inditum diei, qui hucusque appellatus est « dies primus » hebdomadae, hebraice « jôm harisôn », quam denominationem retinuerunt Arabi (el achad) et Aethiopes (ehud). Fideles ex hellenismo oriundi tunc Christum vestigia Pauli secuti iam fere exclusive « Dominum » (Kyrios) appellare consueverunt, inde nomen novum assumptum est. Nomen hoc retinebant Graeci et Coptae (tikiriaki); latine versum id Ecclesiae Occidentali commune evasit (Dominica vel Dominicus dies), quod nomen gentes originis latinae retinebant (domenica, dimanche, rumenice dominec'a), dum gentes originis germanicae pagano nomine utuntur Dominicam « diem solis » vocantes (Sonntag, Sunday). Russi a resurrectione Domini Dominicam appellant « voskresenie », sicut etiam Armeni (haruthjan), qui tamen etiam nomine « dominici » utuntur (deruni); Hungari vero Dominicam « diem nundinae » (vasâmap) vocitant.

4°. *Cur* aetate apostolica *haec mutatio diei* facta sit, septimum nempe diem, quietis et religionis, transferendo in diem sequentem, sat facile ratio reddi potest. Idea enim centralis aevi apostolici fuit, quod Christus « resurrexit tertia die secundum Scripturas, et quia visus est plus quam quingentis fratribus simul... deinde visus est Jacobo, deinde apostolis omnibus, novissime autem omnium, tamquam abortivo visus est et mihi » (1 Cor 15, 4-8). Haec est veritas fundamentalis Christianorum primigeniorum, quod post mortem Christus resurrexit, hanc « tradidit imprimis quod et accepit » Paulus (ibid. 3). Stupendum miraculum resurrectionis est basis fidei apostolicae, nam si « Christus non resurrexit, inanis est ergo praedicatio nostra, inanis est et fides vestra » (ibid. 14). Ipso die dominico *factum resurrectionis* evenit, dies ergo carus et venerabilis debuit Apostolis esse. — Quod adhuc magis pretiosus hic dies evasit, ideo factum est, quia *tres eventus validissimi* die sabbatum sequente fiebant. Primus eventus fuit ipso die resurrectionis apparitio Christi in coenaculo, quando etiam Sacramentum resurrectionis iis tradidit; post octo dies vero in alia Dominica iterum ibidem apparens Thomae fidem firmavit; tertium vero factum quod experti sunt Apostoli, erat adventus Spiritus Sancti. Sic optime intelligi potest, cur praecise Dominica electa sit dies ad celebrandum actum centralem cultus Novi Testamenti.

b) Dominica in primis scriptis christianis.

Institutum Dominicae una cum nomine eius novo ultimo decennio saec. I-i iam legitur in primis scriptis auctorum Christianorum.

1. *Doctrina Apostolorum* (Didache) tamquam omnibus communem supponit Dominicam, celebrationemque « fractionis panis » hoc die: « Dominica vero Domini convenientes frangite panem et agite gratias « (14, 1). Vocabulum conventum liturgicum designans ▮ synaxis » iam supponitur notum, dicitur enim « convenientes » graece « synachthentes ». Notandus est modus emphaticus, quo nomen hoc adducitur: ▯ Kyriakê Kyriou! ».

2°. Versus 107 S. *Ignatius Antiochenus* inculcat diem hunc novum colendum esse loco Sabbati: « Ultra iam non sabbatum observate, sed secundum Dominicam vivite » (Magnes. 9, 1). Ut motivum affert, quod ii qui iuxta legem veterem vixerunt, conversi sunt ad spem novam.

3°. Versus medietatem saec. Π-i auctor quidam doceta *Euangelii Petri* iis in locis Evangeliorum, ubi primus dies hebdomadae occurrit, semper nomen ▯ Dominicae ▯ (kyriakê) ponit (Domaine: DAL IV, 2, 862).

4. Nomen tamen diu remansit *nomen arcanum,* inter christianos solum usitatum. S. *lustinus* e.gr. in sua Apologia imperatori directa loquitur de « die dicto Solis »; *Tertullianus* quoque signanter memorat « diem Solis » in libro « Ad nationes », in operibus autem Christianis scriptis semper loquitur de « die dominico ».

5. *Dionysius Corinth,* in epistola sua ad Soterum (166-174) scripta meminit Dominicae: « Hodie ergo Dominicam, diem sanctum egimus, in qua recepimus tuas litteras » (Euseb. H. E. IV, 23, 11; PG 20, 388).

6. Eodem circiter tempore *Melito Sardensis* iam inonographiam edidit de Dominica, teste Eusebio, cuius titulus erat: « Semo de Dominica » (Peri kyriakês logos, H. E. IV, 26, 2). Proh dolor libellus cum aliis operibus huius auctoris deperditus est.

7. *Sabbati observatio* decursu saec. II-i paulatim in desuetudinem abiit, locoque Sabbati ubique exclusive Dominica celebrata fuit. Orator s. V-i tamquam actae rei longe ante factae meminit: « Dominica dies exstat insignis. \c ideo sancti doctores Ecclesiae decreverunt omnem gloriam iudaici sabbati in illam (sc. Dominicam) transferre, ut quod ipsi in figura, nos celebraremus in veritate, quia tunc erit requies nostra vera, quando resurrectio fuerat perpetrata » (PL 39, 2274).

2) De indole Dominicae.

a) Dies resurrectionis.

Tota historia originis Dominicae ostendit nobis hunc diem notatum esse resurrectione Domini, quae resurrectio etiam nostra resurrectio evasit in novitatem vitae.

1°. Ideo iam aetate antiquissima Dominica dies graece vocitatus est « *resurrectionis dies clamatus Dominica* » (hêmera anastasimos hê kaloumenê Kyriakê: sic e.gr. Euseb. in Ps 21, 30 PG 23, 213). De quo die sub hoc respectu pulchre dicit Brev. Gothicum: « Dies dominicus, fratres carissimi, a nobis pia devotione colendus est, illuxit dies resurrectionis et pacis, dies verae lucis et

vitae, in quo Christus credentium vita resurrexit a mortuis » (PL 85, 231). In ecclesia orientali multo magis remansit haec indoles resurrectionis; Dominica quasi Pascha parvum, Paschatis repetitio continua celebratur. In ritu Byzantino universali finito officio matutino legitur omnibus Dominicis Evangelium de resurrectione Christi, sicut hoc in fine saec. IV-i Aetheria Hierosolymis audivit (24, 10).

2°. Alterum momentum resurrectionis invenitur in eo, quod sicut Christi resurrectio nostra quoque effecta est, ita et Dominica non solum resurrectionem Christi colit, sed *etiam nostram resurrectionem factam in baptismo.* Dominica sic significat cultuque suo recto etiam efficit, ut in novitate vitae ambulemus. S. *Ignatius Antiochenus* ideo inculcat: « ...in qua (Dominica) et vita nostra orta est per ipsum — quod quidam negant — per quod mysterium accepimus credere » (Magnes. 9, 1). Ideo saec. II-o libenter ministrabant baptismum diebus dominicis, respective nocte Dominicam antecedente, ut Iustinus martyr testatur (Apol. I. 65), adiungens: « Solis autem die omnes una convenimus, quo Deus tenebras materiamque immutando mundum creavit, et Jesus Christus Servator noster eodem die a mortuis surrexit » (ib. 67, Quasten 20).

3°. Relate ad baptismum *benedicebatur aqua in Dominicis* ante Missam uti etiam nunc quoque fit, aspergiturve aqua benedicta turba fidelium, ut scribit Rupertus Tuitiensis: « Idcirco singulis aspergimur Dominicis, quia in sacrosancto primae huius Dominicae (sc. Paschatis) vespera baptismum universaliter sancta celebrat ecclesia » (De div. officiis VII, 20).

b) Religionis dies consecratus

i.e. cultus divini peculiariter exercendi fuit ab initio Dominica. Cuncti quidem dies homini christiano sacri habendi sunt, nominanturque « feriae», hoc est dies festi, sed quia omnes dies eodem modo eademve mensura non possunt consecrari servitio divino, ideo unus dies electus est qua consecratus exercitio virtutis religionis, ut apposite dicit liturgia Mozarabica: « Deus quem omni tempore colere et laudare sine intermissione debemus: dona, ut quatenus perpetim serviendi curam per negligentiam non implemus, saltem dominicorum dierum festivitatem diligentius excolamus » (Sacr. Mozarabicum, Férotin MEL VI, 509). Die dominico opus est otio sancto, ideo quoque mandatum requiei latum est, ut quidam concionator saec. V-i dicit: « Sciendum est fratres carissimi, quod ideo a sanctis patribus nostris constitutum est Christianis et mandatum, ut ...in dominicis diebus otium haberent, et a terreno negotio vacarent, ut paratiores et promptiores essent ad divinum cultum » (PL 39, 2274). Dominica praecipue per sacrificium eucharisticum, per communionem, per \i-giliam, per auditionem Verbi Dei et caritatis officia sanctificatur.

1°. *Eucharisticum sacrificium* iam ah initiis primum locum occupavit in consecratione Dominicae, Ecclesia e catacumbis in lucem vitae publicae egressa, statim coacta fuit hanc observantiam etiam poenis urgere, multi enim novi fideles fervore remissiore viventes, hanc obligationem neglexerunt. Ideo iam *Concil. Illiberitanum* saec. IV-o ineunte legem tulit de sanctificatione Dominicae (can. 21); *Cone. Sardicense* vero 343 decrevit: « Si quis laicus in ea, qua commoratur civitate, tres dominicas dies, i.e. per tres septimanas non celebrasset conventum, communione privetur » (can. 14.); similiter *Trullanum* anno

602 (can. 80). De Missa Dominicae respectu pastorali optima disputata fuerunt in I. Congressu National! Liturgico Germaniae (cf. Wagner-Zahringer, Euch. feier am Sonntag, Trier 1951). Sanctificatio per assistentiam Missae factam (de qua cf. De Eccl. sacrifie. F. 6) positive debet commendari fidelibus, qua « officium sen debitum caritatis » (cf. A. M. Roguet, La messe du dimanche, engagement du charité, *in:* Donckel- Hild-Turpel 1952, 38-53).

2°. *Communio* in Missa dominical! facta per longum tempus considerabatur fere ut essentiale quid, inde a saec. XVI-o operarii indefessi restaurationis catholicae pium hunc usum iterum late divulgaverunt, nostris vero diebus Deo opitulante semper maiora incrementa profert. Quia aetas antiqua multa tulit imitanda posteris, duo audiantur testimonia illius temporis. *Eusebius* dicit de communione dominical!: „ Unoquoque die dominico vivificati (zoopoioumenoi) sanctissima carne salutiferi agni paschalis, animas vestras obsignate pretioso eius sanguine » (PG 24, 705). S. Joannes vero *Chrysostomus* sic allocutus est suos auditores: « Hoc die communicare oportet venerandis et immortalibus mysteriis, hoc enim magnam alacritatem (prothymian) largitur animae, fideles enim recogitare debent se hoc die ineffabilium bonorum factos esse participes: radix et initium vitae nostrae hoc enim die habet originem » (PG 61, 368).

3°. *Vigilia dominicalis* tota antiquitate aetateque posteriore diu celebrata fuit, etiam per fideles. « Stato die ante lucem convenire » iam Plinius, Bithyniae proconsul miratus est; post edictum Mediolanense verum in basilicis recenter exstructis vigilia facta est sui iuris, Missa enim hora tertia Dominicae celebrari coepit. Fideles adhortabantur, quod tamen etiam vigiliam frequentarent: „ Veniat cuicunque possibile sit, in conventu ecclesiae, pro peccatis suis ad Deum. Qui vero non possit, saltem in domo sua oret », sic concionator saec. V-i anonymus (PL 39, 2275). Vigilare decet nocte Dominicam antecedente: « Noctem quae nos insperatae luci inaccessibili reddit, spiritalibus exigamus excubiis nec dormiamus in ea », dicit *Con. Matisconense* anno 585 (can. 1.).

4°. *Verbi Dei auditio* quoque aequo modo pertinet ad sanctificationem Dominicae, quod tum exemplum S. Pauli ostendit, tum lustini Apologia aperte edicit: » Die qui dicitur solis... commentarii apostolorum et scripta prophetarum leguntur, prout tempus fert, deinde, ubi lector desiit, antistes oratione admonet ct incitat ad haec praeclara imitanda » (c. 67). Qui usus aliquoties a quibusdam *graviter obligans* putabatur, e.gr.: « Ad extremum si toto die dominico lectioni insistere et Deo supplicare negligimus, non leviter in Deum peccamus » dixit iste concionator iam saepius allegatus (PL 39, 2278).

5°. *Caritatis officia* erga proximum iam a tempore Apostolorum censebantur ad sanctificationem Dominicae concurrere. Prototypum talis actionis caritativae vidimus iam penes S. *Paulum,* S. *lustinus* vero scribit de consimili facto: « Divites autem quibus placet, pro suo quisque arbitrio quod visum est largiuntur, ct quod conligitur, apud antistitem deponitur, et ipse subvenit, et pupillis ct viduis et iis, qui ob morbum aliamve ob causam inopia premuntur, et qui in vinculis sunt, adventantibusque peregre hospitibus, denique omnium qui in egestate sunt, curator exsistit „ (Apol. I. 67, 6). S. *Joannes Chrysostomus* opportune reddit rationem, *cur praecise in Dominica* caritatis actionem exerceamus: « Videas, quomodo nos / Paulus apostolus / etiam quoad tempus adhortatur: hic enim dies aptus est, ut nos ad misericordiam inducat. Recogitate enim, quan-

ta bona recepistis hoc praecise die!... Tempus tamen hoc non solummodo propter hoc ad exercitium caritatis proximi (philanthropia) idoneum est, sed ideo quoque, quia hic dies otio gaudet negotiaque non exsequuntur in eo. Anima enim negotiis expedita facilius celeriusque miseretur aliorum » (PG 61, 368).

c) Dies requietionis perpetuus

(Cone. Matisconense can. 1.), « *sabbatum Christianum* » (Origenes), « *sabbatum delicatum* » denotant partem negativam sanctificationis Dominicae: cessationem nempe a laboribus servilibus aliisve negotiis vetitis.

1°. Lex talis cessationis a laboribus *impossibilis erat tempore persecutionum,* imo ex antagonismo contra sectas iudaizantes Dominicae observatio more Sabbati iudaei impugnabatur. *Iustinus* medio saec. II-o Iudaeis obiicit observantiam sabbatinam, quod nullo modo fecisset, si christiani tali cultu Dominicam coluissent: « Putatis vos pios esse, si per unum diem integrum nihil facitis... Observate stellas, quae nunquam requiescunt et non observant sabbatum » (Dial. Tryphon, Iud. 12, 3; 22, 3). Ideo adhuc saec. IV-o commendatur *spiritualis observatio sabbatina,* i.e. abstinentia a peccatis. Hoc Sabbatum cordis praecipue commendavit S. *Augustinus,* e.gr.: « Dicitur tibi ut spiritualiter observes sabbatum, non quomodo Iudaei observant, sabbatum carnali otio, vacare enim volunt ad nugas atque luxurias suas » (PL 38, 77). (De lege cessationis cf. De Eccl. sacrifie. F. 6. i.).

2°. Idea tamen festum divinitati dicatum *liberandi a negotiis profanis,* universo generi humano communis est, ideoque etiam pagani opinabantur ferias seu festa pollui per quotidiana opera. Hac cognitione imbutus *Constantinus Magnus* anno 321 Dominicam feriam status declarans edixit: « Omnes indices urbanaeque plebes et artium officia cunctarum venerabili die solis quiescant, ruri tamen agrorum culturae libere libenterque inserviant » (Cod. Iustin. l. II. tit. 12, l. 2).

3°. Subinde evolutio versus *totalem cessationem ab operibus* progressa est, motivumve rectum inventum est, quod fideles laboribus non occupati melius se Deo dicare possint, sic. egr. *Hieronymus* affirmat: « In sex diebus operantes die septimo requiescimus, ut nihil aliud die ac nocte faciamus... et redeunte hebdomade, totos nos eius nomini consecramus » (In Ezech. PL 25, 190). Gentibus Germaniae recenter conversis iam talis requies plena promulgata est, S. *Bonifatius* praescripsit, ut « adnuncient presbyteri diebus dominicis per annum sabbatizandum » esse (Statuta anni 745. Mansi 12, 386 n. 36).

d) Dies laetitiae

habebatur semper Dominica, « charmosynês hêmera » (Petrus Alexandr. PG 18, 508). Saec. II-o gentiles de laetitia Christianorum cognoscebant diem Solis esse quendam eorum festum, ita ut *Tertullianus* coactus est eos defendere, quod ideo tamen solem non adorant: « Aeque si diem solis laetitiae indulgemus, alia longe ratione, quam religione solis » (Apolog. 16).

1°. Ut idem scriptor ecclesiasticus dicit, « die dominica nefas ducimus ieiunium vel de geniculis adorare » (De corona 3, 9). Gentiles etiam id observabant, quod hoc die christiani *opulentius se reficiebant;* sic paganus dicit in Dia-

logo Minucii Felicis: « Et de convivio notum est (festum diei solis)... ad epulas sollemni die coeunt » (Octavius 9, 6 PL 3, 272). Etiam *vestitus festivus* habet suam traditionem in antiquitate; *Leo Magnus* dixit: « Rationabile et quodammodo religiosum videtur per diem festum in vestitu nitidiore prodire, et habitu corporis hilaritatem mentis ostendere, si ipsam quoque orationis domum propensiore tunc cura et ampliore cultu quantum possumus, adornamus » (PL 54, 272).

2°. Quia populo *nundinae* semper gaudio sunt, eas iam Constantinus in Dominicis permisit: « Provisione etiam pietatis suae nundinas die solis perpeti z= tolerari / constituit », dicit inscriptio quaedam, casu in Pannonia detecta, in ea provincia, ubi hodiedum Dominica de nundinis nominatur (Corp. Inscr. Lal. III 1 n. 4121).

3°. *Adversus excessus saeculares* laetitiae popularis iam mature bellum susceptum est, anno 399 imperatores Arcadius et Honorius ediderunt legem: t Dic dominico, cui nomen ex ipsa reverentia inditum est, nec ludi theatrales, nec equorum certamina, nec quicquam, quod ad molliendos animos repertum est, spectaculorum in civitate aliqua celebretur » (Cod. Theod. 1. II, 8, 23).

4°. Diebus nostris multum necessc est *contra « saecularizationem » diei dominici* non solum negative pugnare, sed positive hodiernos modos se recreandi sanctificando eosque cum Dominicae observatione coniungendo (cf. optima proposita F. Boulard, Repos et loisirs chrétiens, éléments de la célébration du dimanche, *in:* Donckel-Hild-Turpel 1952, p. 68-77).

5°. Aliquo vero modo Dominica etiam « *dies expiationis* » dici potest, non quidem dies stricte poenitentialis, ieiunio nempe celebratus, ut S. Gregorius Magnus affirmat: « Dominicorum vero die, a labore terreno cessandum est, atque omni modo orationibus insistendum, ut si quid negligentiae per sex dies agitur, per diem resurrectionis dominicae precibus expietur » (Epist. 1. XIII, 1. PL 77, 1254-5). Expiationis praecipuus modus est poenitentia de peccatis. iam, uti vidimus, a DidaChe commendata, adeoque frequentata praecise diebus Dominicis toto orbe terrarum.

c) Dc indole trinitaria Dominicae.

1°. Dominica procul dubio secum portat quemdam indolem cultus SS. Trinitatis, ut Ecclesia hoc clare enuntiat: « Dominica die Deus ipse lucem condidit, lesus Christus a mortuis resurrexit, sedens ad dexteram Patris Paracletum Spiritum Sanctum misit de coelis, quo proinde ineffabile et incomprehensibile Trinitatis mysterium manifestum factum est nobis » (Clemens XIII. in decr. S. C. Rit. 3, jan. 1759. n. 2449). Hoc decreto ordinatum est, quod Dominicis diebus totius anni, quibus praefationes propriae per rubricas non sunt adsignatae, dicenda est praefatio de SS. Trinitate, quae iam in Gelasiano primigenio legitur (LXXXIV. Wilson p. 129, in octavis Pcntec.); originem habet in liturgia Mozarabica (MEL VI, 619). Missa SS. Trinitatis vel saltem praefatio iam inde a saec. IX. saepe dicebantur e privata devotione.

2°. Tamen Dominicae revera *iam ab antiquo competebat aliqua indoles Trinitaria,* quae in liturgia quoque expressa fuit. a. Opus *creationis* factae iuxta Hx xacmeron primo die colitur hymnis «Aeterne rerum conditor» (Laudes) et

▮ Lucis creator optime » (Vesp.), (loin Psalmis Laudum, qui celebrant Deum, • qui firmavit orbem terrarum », (Ps 92), « cui exultant omnes terrae » (Ps 99), praecipue vero resonat laudem omnium creaturarum Canticum trium puerorum « Benedicite » ct Ps 118. in Laudibus. — b. *Resurrectio* colitur praecipue Ps. 117 in Prima, quem ipse Dominus interpretatus est (Mt 21, 42) de seipso, Ecclesia vero hoc Psalmo resurrectionem (per accommodationem) celebrat ob versum • Hic est dies quem fecit Dominus, exultcmus et laetemur de eo ». Exaltationem Christi per resurrectionem incipientem colit Ps. 109 in Vesperis. Nostram resurrectionem in novitatem vitae celebrat Ps 113., hymnus Exodi ex Aegypto, prototypi baptismi. — c. *Spiritus Sanctus* colitur in trinitariis invocationibus: doxologia propria post Cant. « Benedicite », responsorio VIII. in nocturnis, hymno « Primo die quo Trinitas beata mundum condidit » et praefatione.

3. De legibus cultualibus Dominicarum.

a) Series ct denominatio Dominicarum

decursu temporum valde *varia* fuit.

1°. Dominicae Adventus vocabantur etiam » ante Natale »; post Epiphaniam «post Natale Christi », post Pentecosten denominabantur a festis: «post Petri et Pauli », « post Laurentium » etc., medio aevo exeunte communius vocatae sunt « post Trinitatem », quod nomen penes Lutheranos usque hodie in usu remansit.

2°. Nunc habentur *series et denominationes sequentes:* Dom. I-IV. Adventus, Dom. infra octavam Nativitatis, Dom. inter Octavam Nativ. et Epiphaniam, in qua celebratur SS. Nomen Jesu, Dom. post Epiphaniam I-VI., in I. Dom. celebratur Festum S. Familiae, Dom. Septuagesimae, Sexagesimae, Quinquagesimae, Dom. Quadragesimae I-IV., Dom. Passionis I. II. seu Palmarum. Dom. Resurrectionis seu Paschae, Dom. in Albis, Dom. I-VI. post Pascha, Dom. Pentecostes, Dom. I. post Pent, in qua Festum SS. Trinitatis colitur, Dom. II-XXIV. post Pentecosten, e quibus in Dom. ultima octobris semper Festum D.N.J. Ch. Regis celebrari debet (NCR 9-20).

b) Numerus Dominicarum

Quinquaginta tres Dominicae habentur in anno, officia vero solum existant quinquaginta duo, nam Dominica inter Octavam Nat. et Epiphaniam destituitur officio, ideo « Dom. vacans » vocari consuevit. — Adventus incipit in Dominica, quae proximior est festo S. Andreae, contingere ergo potest inter dies 27. nov. – 3. dec. (NCR 20).

c) Gradus Dominicarum

seu dignitas liturgica. Habentur tredecim Dominicae quae sunt *I. cl.:* I-IV. Adventus, dein Dom. I. Quadr. usque ad Dom. in Albis inclusive et Dom. Pentecostes. Omnes ceterae Dominicae sunt IL cl. De his cf. fusius De Eccl. sacrif. G. 1. n. 14, a. ubi etiam declaratur, quomodo cedunt festis.

d) Privilegia Dominicarum

1°. *Commemoratio* semper facienda est de qualibet Dominica, si quod festum in eam inciderit nisi festum sit Domini, quod locum tenet Dominicae

NCR 16. a); in officio vero dominicali commemoratio solum una admittitur, si vero fuerit I. cl, nulla admittitur (ibid. 111).

2°. *Collecta* ab Ordinario imperata in Dominicis non dicitur (457 d.).

3°. Si *vigilia* II. et III. cl. in Dominicain occurrerit, de ea nihil fit, nec anticipatur (n. 33).

4°. Si in Dominica celebretur Missa per se non exigens *Credo,* hoc tamen dicendum est, quia Credo affixum est diei dominico (475. a.), dicenda est *praefatio* de SS. Trinitate, si quoddam festum celebretur in Dominica, quod non habet praefationem propriam; sic si festum Joannis Bapt. inciderit in Dominicam, dicenda est praefatio SS. Trinitatis (494 b).

e) Dominica prima mensis 1°. iam non est computanda — ut usque 1960 — a Kalendis, i.e. calendarii Romani, sed iuxta calendarium *civile:* est ea, quae revera prima occurrit in mense, hoc est a primo die usque ad septimum mensis currentis, ultima autem, quae praecedit primam sequentis mensis. — 2°. Sic computandae ratione lectionum Scripturae primae Dominicae mensis *augusti, septembris, octobris, novembris* (NCR 19). Si ergo Dom. prima mensis *augusti* vel *octobris* incidit in dies 1-3. mensis, habentur quinque Dominicae, si incidit in dies 4-7. mensis, habentur quatuor Dominicae. In tali casu sicut et in ceteris mensibus, dc Scriptura occurrenti omittitur pars illi hebdomadae assignata (NCR Var. 35. et 38). — Si Dom. prima incidit in dies 1-2 *septembris,* habentur quinque Dominicae, si in dies 3-7. sept., tantum quatuor. — Si Dominica prima incidit in dies 1-2. *novembris,* habentur quidem quinque Dominicae, sed ultima erit Dom. I. Adventus. Si incidit in dies 3-5. nov., quatuor habentur Dominicae. Si incidit in dies 6-7. nov. etiam quatuor habentur Dominicae, sed ultima erit I. Adventus, sicque solummodo tres hebdomadae manent (Var. 36. et 39).

f) Dominicae vagae

Vocantur Dom. ΠI-VI. post Epiphaniam, quia iuxta sedem Paschatis hae Dominicae celebrari possunt post Epiphaniam, vel inter XXIII, et ultimam Dominicam post Pentecosten, a. Transpositio fit tali modo. Si Dominicae fuerint post Pont. 25, Dom. XXIV. erit Dom. quae inscribitur VI. post Epiph.; si fuerint Dominicae 26 erit Dom. V. post Epiph.; si 27 : erit IV. post Epiph.; si 28: erit III. post Epiph. Ultimo semper ponenda est Dom. quae in ordine est ultima (XXIV.) post Pent, et omittuntur cetera post Epiph. Dominicae, quae locum non possunt habere (NCR 18). — b. Missae textus sunt ut in Dom. post Epiph., at sumunt antiphonas ad introitum, offertorium, communionem, necnon graduate et Alleluia a Dom. XXIII. post Pentecosten (NCR 298).

g) De legibus Missae adstandi et cessandi a quibusdam operibus iam actum est (cf. De Eccl. sacrifie. F. 6).

4. De feriis poenitentialibus.

Feriae pocnitcntialcs vocantur feriae, quibus ieiunandum fuit, et quae cito c tiam privilegia liturgica sibi acquisierunt.

a) *Duae inseparabiles feriae sunt* Fer. IV. et Fer. VI. Recentior inquisitio certum habet, harum feriarum observationem ex aetate apostolica originem trahere

1°. Mos ieiunandi iam sacc. I-o exeunte a *Didache* commendatur: « leiunia vestra ne fiant cum hypocritis, ieiunant enim secunda post sabbatum et quinta, vos autem ieiunate quarta et sexta ᾗ (VIII, 1). Hoc testimonium primum valet pro Syria, eandem praxim intactam ostendunt *Didascalia* saec. III. ineunte (V, 14) et versus a. 400 *Constitut. Apostol.* (V, 15).

2°. *Romae* medio saec. II-o occ'urrit vox « statio », et quidem in textu graece scripto *Pastoris Hermae:* « Quid tam mane huc venisti? Quia, inquam domine, stationem habeo. Quid est, inquit, statio? Ieiunium, inquam, domine » (Simii. V, 1, 2). Dies quidem non indicatur, sed evidenter agitur de Fer. IV. et VI. sicut in Africa. Secus ieiunium horum dierum notat *Hieronymus* non multo post suam commorationem Romanam: « quartam sabbati observantes et parasceven » (In Gal. II, 3 PL 26, 404).

3°. In *Africa* saec. III. ineunte testis est classicus *Tertullianus* loquens de ieiunio et memorans morem, quo « stationibus quartam et sextam sabbati dicamus » (De ieiunio adv. psychicos 14).

4°. *Alexandriae* eodem fere tempore *Clemens Alexandrinus* loquitur de bono christiano, qui « novit ieiunii quoque aenigmata horum dierum, quarti inquam et sexti (Strom. VII, 12 PG 9, 504).

5°. In *Hispania* medio saec. III. narratur de S. Fructuosio episcopo, qui Fer. IV. die 21. jan. 259 recusando potum ei oblatum dixit: « Nondum est hora solvendi ieiunium. Agebatur enim hora diei quarta, siquidem in carcere quarta feria stationem sollemniter celebravit » (Ruinart, Acta mart, sincera, ed. Ratisbon. 1859, p. 266).

6°. In confinibus *Norici et Pannoniae* saec. III-o exeunte *Victorinus Petavionensis* cognoscit hunc morem (De fabrica mundi CSEL 49, 4).

7°. In *Cypro* vero praxim hanc enuntiat universalem *Epiphanius:* « Quis est uspiam terrarum, qui non in eo consentiat, quartam et sextam feriam solemni in Ecclesia ieiunio consecratam? » (Haer. 75, 7).

b) Ratio ieiunii et stationis Fer. IV-ae debet peculiariter assignari, nam *ratio Fer. VI.* evidens est: mors redemptiva Domini.

1°. *Ratio insufficiens* ieiunii Fer. IV. notari solebat a historicis proditio Indae, quae facta esse supponitur Fer. IV. ob cocnam ultimam vespere Fer. V-ae celebratam; hanc rationem interpretationis ieiunii iam invenimus penes *Petrum Alexandrinum* (t 311 PG 18, 507), quae dein dubitanter prolata est ab *Augustino* (PL 33, 150); ab *Amalario Metensi* vero toto medio aevo tradita (Lib. offic. IV, 37, 9 ed. J. Hanssens 1948, II, p. 521).

2°. At *ratio sufficiens* praxis vetustissimae vix haberi potest proditio ludae et revera nunc iam cognoscitur traditio antiquior, sed oblivioni data et solum in vestigiis relicta. *E. Vogt* ostendit valde probabile esse, quod dies Coenae novissimae fuit vespera Fer. III., Christusque prehensus est nocte inter. Fer. III. et Fer. IV-am, *Fer. IV.* ergo a multis antiquissimis habebatur ut dies quo *passio Domini incoepit, eo* quod comprehensus est, et prima vice condemnatus mane Fer. IV-ae (De die ultimae coenae Domini, *in:* Biblica 1955, 408-413 et articulus eiusdem Vogt: Antiquum kalendarium sacerdotale, ibid. 403-408).

3°. Probationi ab E. Vogt factae adiungere possumus *vestigia antiquae huius traditionis etiam in liturgia,* iuxta quam Dominus Fer. IV. prehensus et condemnatus est qua reus blaspemiae declaratus. Talia vestigia sunt: *Gelasianum* primigenium precatur in Missa Fer. IV-ae: « Praesta... ut sicut in con-

demnatione Filii tui salus omnium fuit piaculum perfidorum » (Wilson p. 62); *Gregorianum* vero Hadriani I. et etiam Gregorianum a Mohlberg e codice Paduano restitutum, 150 annis antiquius, Fer. IV. hanc habent orationem super populum: « Respice quaesumus Domine super hanc familiam tuam, pro qua D.N.J. Ch. non dubitavit manibus tradi nocentium » (ed. Lietzmann n. 76 et Mohlberg n. LXXI). Oratio haec *nunc* Triduo sacro recitata tunc solum Fer. IV. occurrit, testificans traditionem antiquam de prehensione Domini, quando traditus est manibus nocentium nocte Fer. IV-am incipiente. Liturgia vero *typi Gallicani* simili modo loquitur Fer. IV. maioris hebdomadae, sic Liber Sacramentorum Mozarabicus: « ...qui pati voluit pro impiis et pro sceleratis indebite condemnari » (MEL VI, n. 568 et etiam in Missali Mixto PL 85, 404). Sic plene intelligitur, cur Fer. IV. et VI. ubique sine exceptione observata fuit, ieiunium Fer. IV. per totum medium aevum ut videri potest e Decr. Gratiani: • leiunia sane legitima, id est quarta et sexta feria, non sunt solvenda nisi grandis aliqua necessitas fuerit » (D. III. de consecr. c. 16).

c) Sabbatum *vario modo* celebratum fuit: dum in *Oriente* qua semifestum habebatur, *Romae* paulatim dies poenitentialis ieiunio celebratum evasit, ut Innocentius testatur: « Sabbato vero ieiunandum esse, ratio evidentissima demonstrat. Nam si diem Dominicum ob venerabilem resurrectionem Domini N.J. Ch. non solum in Pascha celebramus, verum etiam per singulos circulos hebdomadarum ipsius diei imaginem frequentamus ac sexta feria propter passionem Domini ieiunamus, sabbatum praetermittere non debemus, quod inter tristitiam atque laetitiam temporis illius videtur inclusum. Nam utique constat, Apostolos biduo isto et in moerore fuisse et propter metum ludaeorum se occuluisse » (Ep. ad Decentium PL 20, 555). Haec observatio Sabbati consuetudo *Romana* erat, iam ante Innocentium Ambrosius hoc responsum celebre dedit S. Monicae: « Quando hic sum (i.e. Mediolani) non ieiuno sabbato, quando Romae sum, ieiuno sabbato », revera Augustinus scribit, quod nonnullae solum Occidentis ecclesiae ieiunant cum Romana, ceterae, praecipue Orientis ecclesiae solvunt ieiunium (Ep. ad Casulanum 36, 13 PL 33, 150). In maiore parte Occidentis ieiunium sabbatinum observatum est, imo IX. saeculo obiectum fuit disputationis cum Graecis. Dein ieiunium relaxatum fuit, sabbato praescripta fuit sola abstinentia a carnibus, quod sancitum in Concilio Romano 1078 sub Gregorio VII. diu in usu remansit.

d) *Dies poenitentialis in Oriente* exortus est Fer. II., quae sc adiungens ad dies antiquissimos ubique terrarum receptos, Fer. nempe IV. et Vl-am, systema sic dierum poenitentialium ieiunioque celebratum constituit *dierum Fer. II. Fer. IV. et Fer.* VI., quod ut Th. Michels 1923. ostendit, etiam in Gallia assumptum est et medio aevo a multis constitutionibus monasticis; vestigium huius systematis videtur quoque in liturgia Romana, Feriae II. IV. et VI. Quadragesimae enim eundem tractum habent (« Domine non secundum peccata nostra »).

5. De Feriis Quatuor Temporum.

Qua systema dierum poenitentialium Occidentis ortum est *a* Ieiunium primi, quarti, septimi, decimi mensis n, seu « Quatuor Tempora ».

a) Nomen Quatuor Temporum

serius invenitur, quam nomen primigenium « leiunii quarti etc. mensis ». Nomina nationum tamen inde exorta sunt: *Le tempora* (italice), *quatre temps*

(gallicc), Quatemberfasten (germ.), *quatember* (rumen.), *kvaterni posti* (croat. et sloven.), *ember-days* (angl.), *kdntorbojt* (hung, verbotenus: « ieiunium cantorum », ob etymologiam popularem). Alia nomina habent Bohemi et Poloni: *suché dni (suchedni)* i.e. a dies aridi » (cf. xerophagia) ob ieiunium, et Germani *Frohnfasten,* latino « Angariae » (medio aevo) quia his diebus subditi census suos, angarias vocatos solvere debebant.

b) Historia Quatuor Temporum

1°. Quidam liturgistae iure putant ea *Romae saec. IIl-o orta esse* (sic Eisenhofer I, 482, Greg. Dix. 342-343, Righetti II, 29, Lechner 135, Steuart 225 etc.). Notitia e Libro Pontificali desumpta de *Callisto* (217-222) videtur vera esse: « Hic constituit ieiunium dies sabbati *ter* in anno fieri frumenti, vini et olei secundum prophetiam » (ed. Duchesne I, 141). Quatuor Tempora ergo initio « *Tria Tempora* » fuere, nam tribus vicibus annuatim recurrentibus sunt solummodo celebrata. Nota haec Libri Pontificalis valde verisimilem reddit hypothesim G. Morin, quod systema primigenium Trium Temporum ortum duxit e nisu *festa naturae Romana* supplendi, quae festa pagana vocabantur: « feriae messis » (iun.-aug.), « feriae vindemiales » (sept.) et « feriae sementinae »(nov. dec.). His feriis paganis optime concordant feriae « frumenti, vini et olei », prophetia est Joelis (2, 15-19). Impossibile non est quidam nexus cum *praxi ludaica,* quam *Liber Regulae* Chirbet Qumran ostendit (Jungmann ZfkTh 1953, 217). Celebritati Septembris festum Tabernaculorum materiam suppeditavit (J. Daniélou, Maison-Dieu 46 [1956] 114).

2°. *Primum vestigium* Fer. Quatuor Temp, invenitur in opusculo « De solstitiis et aequinoctiis », quod scriptum est saec. IV-o Romae a quodam clerico, cuius nomen Wilmart detexit: *Pontius Maximus* vocabatur (La collection des 38 homélies de S. Jean Chrys., *in:* Journal of theol. Studies 1918. 305-327). Hoc opusculum enixe commendat Quatuor Tempora celebranda esse, et loquitur de ieiunio « primi mensis trium dierum », usque ad quartum ieiunium « decimi mensis sicut a Zacharia propheta mandatum est » (Cod. Vat Regin. 407. saec. X. fol. 70-71). — Quaternaria celebratio vero, ut e Pontio Maximo apparet, commendabatur propter prophetiam Zachariae (8, 19): « Ieiunium quarti et ieiunium quinti, et ieiunium septimi, et ieiunium decimi erit domui Inda in gaudium et laetitiam, et in sollemnitates praeclaras ».

3°. *Leo Magnus* iam ieiunium Quatuor Temporum dixit « apostolicis traditionibus consecratum » (Sermo 17, 1 PL 54, 180 et pluries). Observatio tamen Quatuor Temporum solum lente et pedetentim a Roma in Ecclesia *Occidentali* divulgata est, Oriens enim nunquam ea acceptavit. Primum in *Anglia* acceptata sunt haec ieiunia per S. Augustinum Cantuariensem, dein per S. Bonifatium in *Germania,* imo etiam in regno tunc iam Carolingico *Galliae. Mediolani* et in territorio ritus Ambrosiani tantum saec. XII-o Quatuor Tempora acceptata sunt, sed solum per ieiunium non vero etiam liturgice celebrantur.

4°. *Tempus accuratum* Quatuor Temporum diu dubium fuit, tandem a Gregorio VII. fixa reddita sunt in Synodo Romana 1078 (cf. inferius d. I0.).

c) Finis Quatuor Temporum

1°. Primarius assignatur opusculo Romano saec. IV-i iam allegato: « ...ieiunio cum lacrimis in confessione et oratione sancta se mundare unumquemque

.l sordibus cordis et corporis sui » (fol. 70-71-). Tempora sic quatuor anni quibus *annus vertitur* (Jahreszeiten, stagioni, saisons, évszakok) singula sanctificantur per fidelium *recollectionem* spiritualem his tribus diebus stationalibus, ieiuniis et bonis operibus.

2°. Alter finis a S. Gelasio I. Papa praefixus fuit: trium dierum servitium concludebatur per sollemnem vigiliam, Sabbatum ipsum aliturgicum fuit, nocte vero huius vigiliae inter Sabbatum et Dominicam *sollemnis ordinatio* intra Missarum sollemnia facienda erat; Ordinandi Fer. IV. et VI. populo praesentat! sunt.

3°. *Ipsa Fer. VI.* omnium Temporum semper stationem habebat in Basilica Duodecim Apostolorum, quae ecclesia fuit, ut Grisar ostendit, « poenitentialis », ibique reconciliatio habebatur poenitentium. Revera pericopae harum Fer. Viarum hanc indolem demonstrant.

4°. Finis peculiaris Temporum *aestatis* fuit post tempus paschale peractum, « si quid forte inter ipsa festivitatum gaudia negligens libertas licentia inordinata praesumpsit, hoc religiosae abstinentiae censura castiget » (Decret. Dist. 76).

5°. Peculiaris vero finis Temporum *Adventus* est, « ut fideles quique, hac religione instructi et medicamine sanctarum orationum simul cum sacro ieiunio confirmati, Nativitatem Redemptoris laeti exspectent » (Rhaban. Maurus, De instit. cleric. II, 24 PL 107, 338).

d) Leges cultuales Quatuor Temporum

1°. *Termini fixi* iam inde fere a millennio sunt: Fer. IV, sequens » Post Luciam — cineres — post Sanctum Pneuma — Crucemve », i.e. post 13. dec. seu Dom. III. Adv., post Pentecosten, post Dom. I. Quadr., post 14. sept. Exaltat S. Crucis.

2°. Lex *abstinentiae* et simul *ieiunii* servanda est iuxta can. 1252 § 2. tribus diebus Quatuor Temporum.

3°. Sabbata Quatuor Temporum hodiedum sunt *termini ordinationis in sacris* cum Sabbato « Sitientes » ante Dom. I. Passionis et Sabbato Sancto (can. 1006 § 2). Si his diebus fiat ordinatio, etsi occurrat festum cuiuscunque classis, Missa ordinationis dicenda est de Sabbato, cum oratione pro ordinandis sub una conclusione cum oratione prima diei (NCR 300).

4". Iuxta consuetudinem fere ubique vigentem *confessarii* religiosarum *extraordinarii* his diebus funguntur quater in anno suo officio iuxta can. 521 § 1).

5°. Feriae Quatuor Temporum iuxta NCR sunt *feriae II. cl.* (n. 24 b.), Pcntecostis autem I. cl. (n. 66). Ad *Laudes* — excepta Pentecoste — adhibendum est schema II. in Psalterio (n. 197 b.). Ad *Vesperas* Quatuor Temporum mensis septembris pro antiphonis ad Magnificat repetitur antiphona, quae in iisdem feriis habetur ad Benedictus (NCR Var. 37). In *Sabbatis* vero exceptis Missis conventualibus et in quibus s. ordines conferuntur, in ceteris sufficit e sex lectionibus primam dicere, dein dictis orationibus post « Dominus vobiscum » statim ultimam (epistolam) (NCR 468).

6°. In Feriis Quatuor Temp, dicuntur in Land, et Vcsp. *preces feriales* flexis genibus, excepta Pentec., in Sabbatis tantum ad Laudes (NCR n. 260 b.).

7°. Liturgia *antiquitatis* nota insignitur, sunt enim hae feriae antiquiores ipsa Quadragesima, imo festis Epiphaniae et Nativitatis Domini. — a. *Feriae IV.* habent systema lectionum triplex (duas prophetias e V. T-o, » apostolus » i.e.

lectio N. T-i deest, demum Evangelium); *Sabbata* vero habent ante Evangelium sex lectiones, quarum *quatuor* sunt e V. T-o; *quinta* semper eadem, lectio nempe Danielis de tribus pueris in camino ignis ardentis, cum cantico Trium puerorum, lectio communis vigiliis sollemnibus antiquae aetatis, qua lectione maiores nostri consolationem ceperunt tempore persecutionis; *sexta* est epistola e N. T-o. Archaica indoles huius vigiliae elucet etiam e demoninatione in fere omnibus codicibus medii aevi, in quibus inscribitur Sabbatum hoc: « duodecim lectionum », omnes enim vigiliae sollemnes duodecim habebant lectiones. — b. *Textus liturgici* et etiam pericopae videntur esse venerandae antiquitatis, momentum enim ordinationis vix occurrit in eis (Gelasius anno 494), sed *indolem resplendent temporis* Quadragesimae, Adventus et Pentecostes. Praecipue Tempora Pentecostalia dicuntur « ieiunia exultationis », genua non flectuntur. Alleluia et « Gloria in excelsis » dicuntur, laetitiaeque spiritu omnino imbuuntur. Tempora septembris vero comparantur cum festis Antiquae Legis mensis Tisri, pericopae harum feriarum sumptae sunt e V. T-o pro festo Expiationis (Jôm kippur), festi tabernaculorum et diei anni initialis (Rôs has sana, Neujahrstag, capo d'anno, nouvel an).

Litteratura.

Quoad Dominicam. //. *Dumaine,* Dimanche, *in:* DAL IV, 2 (1920) 858-994). — *Idem,* De dimanche chrétien, ses origines, ses principaux caractères, Bruxelles 1923. — W. *Thomas,* Der Sonntag im frühen Mittelalter, Gottingen 1929. — S. V. Λ/c *Casland,* The origin of Lords Day, *in:* Journal of theolog. Studies 1930, 65-82. — *P. Cotton,* From Sabbath to Sunday, Bethlehem Pa 1933. — C. *Callewaert,* Le synaxe à Jérusalem, berceaux du dimanche, *in:* Sacris erudiri, Steenbrugge 1940, 263-303. — *J. M. Nielen,* Das Zeichen des Hcrm. Sabbat und Sonntag in biblischer und urchristlicher Bezeugung, Freib. i. Br. 1940. — F. *J. Dolger,* Die Planetenwoche der griechisch-romischen Antikc u. der christliche Sonntag, *in:* Antike u. Christentum 1940-50, 202-238. — *J. Froger,* Origines et histoire du dimanche, in: Vie spirituelle 1947, 502-522. — Le jour du Seigneur (Relationes II. Congress. Nation. Gallici Liturg. Pastor.), Paris 1948. — *J. Ilild,* Dimanche et vie pascale. Thèmes bibliques et liturgiques, (Brcpols) Turnhout-Paris 1949. — *J. Wagner - D. Zahringer,* Eucharisticfeier am Sonntag. Reden und Verhandlungen des I. Deutschen Liturg. Kongresses, Trier 1951. — Af. *Schürr,* Der Sonntag, sein Sinn und seine Feier, *in:* Bened. Monatsschr. 1951, 20-30, 101-117. — *E. Donckel - J. Hild-A. Turpel,* Le dimanche ct sa célébration (Relationes II. Hebdom. Studiorum Liturg. Luxemburg.), Luxembourg 1952. — R. *Guardini,* Der Sonntag gestern, heute und immer, Würzburg 1957. — *Tag des Ilerrn.* Die Heiligung des Sonntags im Wandel der Zeit, Wien 1958. — *F. Steiner,* Wiedcrerweckung des christl. Sonntags, *in:* Seelsorger 1958-59, 390. — A. G. *Martimort,* Dimanche, assemblée et paroisse, *in:* Maison-Dieu cah. 57 (1959) 55-84. — *Th. Gunkel,* Vom osterlichen Sinn der dies dominica, *in:* Pasch. Sollemnia 1959, 292-297.

Quoad dies pocnitcntiales. A. *Magani,* I due giomi di digiuno nella Settimana dei Cristiani, *in:* Dottrina dei XII Apostoli, Roma 1891, 77-85. — *Th. Michels,* Montag, Mittwoch und Freitag in kirchlicher u. monastischer Ueberlieferung, *in:* JfLw 3 (1923) 102-105. — C. *Callewaert,* De weekelijschke Vastendagen in dc vroegste tijden dcr Kerk, *in:* Tijdschrift voor Liturg. 1924, 1-20, 267-276. — A. *Dold,* Das Donaueschinger Comesfragment B II 7, *in:* JfLw 1926, 16-53. — *J. Schiimmer,* Die altchristliche Fastenpraxis, Münster i. W. 1933. — *M. Righetti,* Storia liturgica II (1946' 24-28. — *E. Vogt.* De die ultimae coenae Romini, *in:* Biblica 1955, 408-413. — *G. Schreiber,* Die Wochentage im Erlebnis dcr Ostkirche und des christlichen Abendlandes, Koln 1959. — *J.* A. *Jungmann,* Der liturgische Wochenzyklus, *in:* Lit. Erbe 1960, 332-365.

Quoad Quatuor Tempora. *G. Morin,* L'origine des Quatre Temps, *in:* Revue Bénéd. 1897, 336-347. — A. *de Waal,* Geist und Geschichte dcr Quatember, in: Katholik 1911, I, 401-411; II, 37-55. — *L. Fischer,* Die kirchlichcn Quatember, München 1914. — *H. Rabotin,* Les Quatre-Temps, in: Vie ct les arts liturg. 1922, 490-497. — *J. Schiimmer,* Die altkirchlichc Fastenpraxis Münster i. W. 1933, 152-163. — *L. Eisenhofer,* Handbucb dcr Liturgik II. 1941, 482-485. — *M. Righetti,* Storia liturgica II (1946) 29-33. — *Th. A.*

Janini, S. Siricio y las cuatro temporas. Una investigation sobre las fuentes de la espirihialidad seglar y del sacramentario Leoniano, Valencia 1959,

C) De s. cyclo natalitio.

Sacer cyclus natalitius celebrat Incarnationem D.N.J. Christi, qua redemptionis conditionem eiusque initium, ortus saec. IV-o temporibus, quando externis periculis cessantibus Sancta Mater Ecclesia internis tempestatibus labefactata convulsaque fuit, quae ex impetu haereticorum circa christologiam errantium exortae sunt. Recta fides Incarnationis divinitatisque Christi ab Ecclesia professa in festis quibusdam Incarnationis suam expressionem liturgicam nacta est. Festa haec ad finem saec. V-i iam evoluta *ordinem hodiedum vigentem* habent: Adventus - Nativitas - Epiphania. Tempus praeparationis est *Adventus* Domini, celebratio Incarnationis protracta per hebdomadas; tempus hoc sequitur *Nativitas* Domini cum octava sollemni eiusque festis « Comitum Christi »; dein *Epiphania* Domini, eius apparitio et manifestatio gloriosa; festum cyclum natalitium claudens est quadragesimus dies post Nativitatem, die 2. febr. Purificatio BMV seu *Praesentatio* Domini. *Ordo* autem *historicus inversus est:* primo ortum est festum Epiphaniae et quidem *Alexandriae,* quâ fructus spiritualitatis christianae hellenisticae; dein orta est festivitas Natalis Domini *Romae,* quâ fructus ritus Romani; demum postremo orta est celebritas protracta Incarnationis Adventus, quâ fructus spiritualitatis christianae Celticae in liturgiis typi *Gallicani* semet manifestantis, non sine impulsione orientali.

Ordine tamen cycli liturgici tractamus singula elementa temporis natalitii: 1. De tempore Adventus, 2. De festis et tempore Nativitatis Domini, 3. De Epiphania Domini, — demum 4. De Purificatione BMV et Praesentatione Domini.

1. De tempore Adventus.

a) Origo Adventus.

Homines consueverunt liturgiam ut aliquid in sua praesenti forma iam omnino semper perfectum considerare, ut W. Croce, optimus indagator Adventus affirmat (ZfkTh 1954, 259). At praecise historia Adventus ostendit, quam multi influxus in evolutione alicuius instituti liturgici, ut tempus Adventus, partes habeant. Factum historicum est, quod tempus Adventus per plures hebdomadas celebratum in territorio liturgiae typi Gallicani ortum duxit, in liturgiam Romanam vero inde transsumptum est. Ex altera vero parte negari vix potest influxus orientalis in hac quoque institutione, ceterum in rebus liturgiarum typi Gallicani minime mirandus. Quia autem Adventus in ecclesiis orientalibus ulterius quâ tempus liturgicum evolutum non fuit, iure dici debet Adventum ortum habere in dicto territorio Gallicano, sc. in Gallia, Hispania, Italia septentrionali.

1°. Adventus primigenius ante festum Epiphaniae celebratus est, et verisimiliter in territorio Gallicano, quâ tempus praeparationis ad baptismum more orientalium hoc festo administratum. Verisimile est, quod iam secunda parte saec. IV-i vestigia huius praxis inveniuntur. Agitur de tempore trium hebdomada:um, iuxta antiquum usum enim per tres hebdomadas ante Pascha fuit praeparatio ultima ad baptismum catechumenorum. Argumenta pro hac hypo-

thesi afferri solita credimus — simul sumpta — etiam nunc valere, etsi recentiores quidam, ut cl. W. Croce, dubitent de eorum valore.

a. S. *Hilarii Pictaviensis* quidam textus citatur ex opere huius S. Patris deperdito, ut opinatur *Berno* abbas Augiae divitis (Reichenau † 1048), qui dicit: « ...apud Gallos positus ex libro officiorum S. Hilarii non inutiliter mihi corrasi », dein allegat effatum eius: « Sicut — inquiens — Pater ille familias in Evangelio trino adventu infructuosam ficulneam visitavit, sic sancta mater ecclesia Salvatoris (supplendum: adventum) annuo recursu per trium septimanarum spatium incitavit » (Berno, De officio Missae PL 142, 1086 et 1066). Duratio huius temporis, eius character liturgicus, etiam forte nomen haberi possunt ex hoc testimonio. *Quando* hoc fiebat, eruitur:

b. e textu aenigmatico *Cone. Caesaraugustani ex* anno 380: « Viginti et uno die a XVI. kal. januar. usque ad diem Epiphaniae, quae est VIII. idus januar., continuis diebus, nulli liceat de ecclesia se absentare, nec latere in domibus, nec secedere ad villam, nec montes petere, nec nudis pedibus incedere, sed concurrere ad ecclesiam » (Can. 4. Mansi III, 634).

c. Quod revera de baptismate agitur tempore hoc trium hebdomadarum, videri potest e *textibus liturgicis typi Gallicani,* qui quidem seriore tempore descripti sunt, tamen usus antiqui testes extant. Praecipue *tres pericopae euangelicae* harum liturgiarum de S. Joanne Baptista, correspondentes tribus Dominicis huius Protoadventus ante Epiphaniam, hoc demonstrant. Pericopae hae de Baptista etiam in ritum Romanum assumptae sunt, et quidem in Adventu ante Natalem Domini, ubi eorum lectio difficulter intelligi potest, facile vero, si hypothesis accipitur Protoadventus ante Epiphaniam, in quo ad baptismum catechumenos praeparabant. Quando vero Adventum e loco suo primigenio ante Epiphaniam transtulerunt ante Natalem Domini, pericopae hae simul cum aliis textibus liturgicis remanserunt, etsi iam sensu originario carebant. *Alii textus* liturgici de baptismo leguntur multi in Adventu ante Natalem Domini, sic. e.gr. *praefatio quaedam,* in qua dicitur: « ...propitiare supplicationibus nostris et ecclesiae tuae misericordiam tuam, quam confitentur, ostende, manifestans plebi tuae mirabile sacramentum, ut in universitate nationum perficiatur, quod per Verbi tui evangelium promisisti et habeat *plenitudo adoptionis,* quod pertulit *testificatio veritatis* » (Missale Gallic. Vetus et Bobiense PL 72, 344 et 459, Miss. Ambrosian. Doni. I. Adv. et etiam in Gelasiano Wilson p. 214). Adoptio in baptismate recipitur, de quo testificatus est Joannes Baptista. Uberius sed etiam clarius edicitur hoc *alia praefatione:* « V. D. per Chr. Dom. nostrum. Quem Johannes fidelis amicus praecessit nascendo, praecessit in desertis eremi praedicando, praecessit baptizando, viam quoque praeparans indicis ac redemptoris, convocavit peccatores ad poenitentiam, et populum salvatori acquirens, baptizavit in Jordane peccata propria confitentes. Non hominis innovandi plenam conferens gratiam, sed piissimi salvatoris admonens exspectare praesentiam... ut descendentes in aquam poenitentiae ab illo sperarent remedium indulgentiae, quem venturum audiebant plenum dono veritatis et gratiae » (Lib. Sacramentorum Mozarab. MEL VI, n. 5. et etiam Missale Mixtum PL 85, 116, Miss. Bobiense PL 72, 461). — In *hymnis Adventus* quoque saepius inveniri possunt allegationes ad baptismum, e. gr.: «A Patre Unigenite | ad nos venis per virginem [baptismi rore consecrans | cunctos fide regenerans » (Brev. Mozarab. Fer. II. post Dom. II. Adv. PL 86, 74). Vix potest ambigi tales allusiones ad baptismum esse reliquias vetustae praxis Adventus primigenii seu Protoad-

ventus, quae etiam in Adventu ante Natalem Domini translato remanserunt, etsi ibi iam sensu carent: testes ergo sunt existentiae talis Protoadventus.

2°. Adventus ante Nativitatem Domini certe iam saec. V-o in *territorio Gallicano* reperiri potest, lumen festi Nativitatis enim Epiphaniam sensim obscuravit. Celebritas vero trium hebdomadarum *in sex hebdomadas* dilatata est, Perpetuus enim Turonensis (t 490) instituit «a depositione domni Martini usque Natale Domini terna in septimana ieiunia », ergo sex hebdomadas a die 11. nov.-24. dec., ut Gregorius Turonensis narrat (Hist. Franc. X, 31, 6 PL 71, 566). Dies vero tres erant iuxta Cone. Matisconense anni 581: « ...a feria sancti Martini usque ad natale Domini *secunda, quarta et sexta* sabbati ieiunetur et sacrificia quadragesimal! ordine debeant celebrari » (Can. 9. Mansi IX, 933). Revera in Breviario Mozarabico quoque his diebus habetur officium proprium (cf. PL 86. tomum). In liturgia typi Gallicani inveniuntur ideo sex Dominicae Adventus (in liturgia Mozarabica et Ambrosiana), in ritu stricte Gallicano regni Merowingici, ob penuriam fontium saec. VII-o pauciores Dominicae inveniuntur.

3°. Dum in territorio Gallicano sub influxu orientali Epiphania dies baptismi effecta est, ante hoc festum vero — iam independenter ab Oriente — tempus praeparationis ad baptismum ortum est nomine « Adventus » designatum, quod dein ante Natalem Christi transpositum fuit, *Oriens etiam alibi influxum suum exercebat.*

a. In Oriente enim, ut M. Jugie ostendit, iamdudum, certe iam ante Cone. Ephesinum (431) in Dominica Natalem Christi antecedente unicum festum BMV. celebratum est, quod nomine *Euangelismos=Annuntiatio* insignitum est, cuiusve obiectum Incarnatio partusque virginalis erat. Ex hoc festo orientali evolutus est *Adventus diversi characteris* ab Adventu Gallicano, in quibusdam partibus Italiae.

b. Sic *Ravennae,* influxui orientali valde exposita certissime viguisse Adventum quendam trium hebdomadarum ante Natalem Domini commonstrant homiliae S. *Petri Chrysologi* (t 450), quibus fideles suos praeparavit ad recolendam nativitatem Domini. Tribus his Dominicis semper tres eaedem pericopae ab eo expositae sunt: Lc 1,5-25, 1,26-38 et 1,57-80 (cf. W. Croce p. 263-264), minime ergo tres pericopae de S. Joanne Baptista eiusve praedicatione legendae erant, sed pericopae de historia Incarnationis. — Etiam celeber *rotulus opistographus* 1883 editus, 40 orationes adventus continens, saec. V-i, magna cum probabilitate in regione Ravennati ortus est (textus: DAL XIV, 3028-3033 et C. *Mohlberg,* Sacrament. Veron. Romae 1956, p. 173-178), quae orationes mente incitata magnaque animi inflammatione (« mit glutvoller Begeisterung » Croce p. 270) celebrant qua thema Adventus Incarnationis laudem.

c. Talis Adventus praecipue Incarnationem celebrans etiam in *regione Neapolitana* invenitur. Sic systema pericoparum epistolarum Codicis Fuldensis, quem librum anno 546/7 Victor episcopus Capuanus possidebat, in quatuor epistolis Dominicarum Adventus Incarnationem celebrat. *I. Dom.* loquitur de Deo Filium suum mittente in similitudinem carnis peccati (Rom 8,3-17). *II. Dom.* legitur de mysterio caecitatis in parte Israel, donec plenitudo gentium intraret per Incarnationem Verbi Dei (Rom 11,25-36), *III. Dom.* celebrat promissiones Abrahac factas, ergo iterum Incarnationem. IV. Dom. demum motivum affertur * Semper gaudete » (1 Thes 5.14-23). (Cf. de hoc systemate G. Godu, Epitres, in: DAL V, 2, 297).

4°. Videtur ergo, quod Adventus e semine orientali *etiam in Italia coeptus est celebrari.*

a. *Roma* quidem semper repudiavit administrationem baptismi in die Epiphaniae, sic iam *Siricius Papa* (384-399), praecipue vero Gelasius I. (492-496), etsi hic mos in Oriente iam saec. IV-o invenitur; idcoque « Adventus primigenius » ante festum Epiphaniae Romae nunquam observatus est. Quando vero Adventus primigenius etiam in territorio liturgico typi Gallicani nativam sedem mutavit, Adventum transponendo ante Natalem Domini, liturgia Romana tamen accepit pericopas de Joanne Baptista in suum Adventum trium hebdomadarum ante Nativitatem Christi. Systema pericoparum *Romanum* enim *Dom. I.* legebat Mt 21,1-9 (sollemnis adventus seu introitus Christi in Jerusalem), *Dom. II.* Lc 21,25-33 (vaticinium Christi de fine mundi), *Dom. III.* Jo 11,2-10 (legatio Joannis ad Christum), *Dom. IV.* Jo 1,19-28 (Miserunt Judaei ab Jerosolymis: Tu quis es?). (Cf. Th. Klauser, Das romische Capitulare Evangeliorum, Münster i. W. 1935, in omnibus quatuor typis Romanis: p. 42-43, 89, 127,167-8). Talis *syncretismus* deprehenditur in liturgia Romana Adventus *Gelasiani* primigenii, cuius orationes quaedam et unica praefatio originem Gallicanam produnt; etiam numerus quinarius Dominicarum.

b. Liturgia vero Romana *Gregoriani* tres hebdomadas celebrat, tum in recensione « Paduana » Sacramentarii Gregoriani, tum in recensione « Hadriana » (cf. Mohlberg ed. Paduani n. CXCV-CCIII et Lietzmann ed. Hadriani n. 185-193); Dom. IV. erat Dom. « vacans », nam Sabbatum Quatuor Temporum ob vigiliam suam usque in diluculum Dominicae protractam talem Dominicam superfluam reddidit. Ideo iuxta morem Romanum IV. Dom. Adventus potuit omnino excidere, si Vigilia Nativitatis in eam inciderit.

c. *Quando* vero Romae Adventus introductus sit, certe non constat; S. Leo Magnus (440-461) eum nondum cognovit, saec. vero VI-o iam celebratus est; Gregorius Magnus in fine huius saeculi iam homilias habuit tempore Adventus. Hypothesis P. Siffrin non caret probabilitate introductionem Adventus factam esse sub Summo Pontefice Simplicio (471-483), qui ecclesiam S. Andreae ad praesepe dedicavit, haec enim ecclesia locus stationis fuit in Antiphonario s. VIII. in Dom. I. Adventus (cf. Siffrin *in:* JfLvv 1921, 128).

5°. Adventus *novo themate ditatus* est decursu saec VI-i, themate nempe *adventus Domini eschatologici,* ut Croce iure opinatur, e circulo monastico missionariorum Hibernicorum (irish monks). Columbanus lunior (530-615) suscepit missionem europaeam fundavitque monasteria praecipua: Luxoviense in Gallia et Bobiense in Italia superiore, prima vero vestigia ideae eschatologicae in textibus Adventus Missalls Bobiensis et Lectionarii Luxoviensis reperiuntur (Croce ZfkTh 1954, 289-291). — Quando ergo post reformationem liturgicam Carolingicam saec. IX-o evolutus est ritus *Franco-Romanus,* per interpolationes e Gelasiano et fontibus Gallicanis assumptas, liturgia *Romana universalis ditior evasit* et etiam in celebratione Adventus varias rationes thematagque complectebatur, quod non sine directione Spiritus Sancti effectum est. Varias has rationes singillatim volumus exponere.

b) Indoles Adventus.

Themata Adventus exponimus praecipue iuxta fontes primores, quibus idea optime illustrari potest, ideo praesertim fontes liturgiarum typi Gallicani a nobis allegantur.

Ie. Idea Incarnationis quasi fundamentum Adventus celebratur, ut iam dictum est, praesertim rotulo Ravennati.

a. In *Gelasiano* primigenio una vice tantum occurrit haec idea: « ...nec est nobis seminum desperanda fecunditas, quum pro supplicationibus nostris annua devotione venerandus etiam matris virginis fructus salutaris intervenit: Christus Dominus noster » (Wilson p. 220). Etiam liturgia *Ambrosiana* multoties celebrat Incarnationem, e.gr. « ...et cum tuae invocatione virtutis BMV-is festa celebrare. De cuius ventre fructus effloruit, qui panis angelici munere nos replevit. Quod Eva voravit in crimine, Maria restituit in salute » (Dom. VI. Adv. praef.), de qua Virgine eadem liturgia dicit: « ...quae parvo utero Dominum caeli portavit, et Redemptorem mundi, angelo praenuntiante Verbum carne mortali edidit Salvatorem, quem castis concepit visceribus, clausa ingrediens, et clausa relinquens » (Fer. de Exceptato, praef.).

b. Ipsa unio hypostatica celebratur quadam inlatione (= praefatione) Mozarabica: « Vere dignum et honorificum est, D. J. Christe Deus noster adventum gloriae tuae: *et* incarnationis *et* nativitatis mysterium solenni devotione recolere: nostraeque salutis insignia, quae tantis sunt prolata virtutibus, cum tripudio animi praedicare » (Sacramentar. Mozarab. MEL VI, n. 22. et Miss. Mixtum PL 85, 128-9). Gloria adventus est: mysterium incarnationis et nativitatis, simul etiam « *insignia* » seu *signa* sunt, quae « nostram salutem » significant et etiam efficiunt. *Signum* est nostrae salvationis *Incarnatio,* nam in iustificatione homines participes fiunt divinae naturae; ad analogiam qua Deus factus est homo in incarnatione, fit homo Deus in justificatione, quae initium est salvationis. Signum est etiam *Nativitas,* nova enim nativitas post aeternam generationem Verbi facta in tempore significat novam nativitatem hominis regenerati. *Signa haec,* Incarnatio et Nativitas, vero ideo sunt *credenda,* quia « *tantis virtutibus* » i.e. miraculis prolata sunt: conceptione et partu virginali, apparitionibus et cantu angelorum, stellaque mirabili. Haec miracula « nec enumerare possumus nec virtutes », ut eadem inlatio dicit.

c. Ideo textus praecipue orationis « Vere Sanctus » saepe extollit « *adventum olim mystice peractae incarnationis* » (MEL VI, n. 19), ut e.gr. « Vere sanctus, vere benedictus D.N.J. Chr. filius tuus... incarnatus in utero virginis, abscondens divinitatem suam, suscepit infirmitatem nostram, ipse dominus ac redemptor aeternus » (MEL VI, n. 15 et Mixtum PL 85,124).

2°. Incarnationis laus celebratur decursu Adventus *per memoriam* Annuntiationis Dominicae, praecipue Fer. IV. Temporum Adv. in liturgia Romana, aliisve diebus vel Dominicis in liturgiis typi Gallicani. Sic *Missale Bobiense* pulchro utens lusu verborum, dicit: « ...postquam saepius prophetica vox praedixit et Gabriel angelus Mariae iam praesentia nuntiat, mox puella credente in utero fidelis verbi mansit aspirata conceptio » (PL 72.483). — *Alia praefatio,* evidenter originis Gallicanae vero canit: « ...antiquae virginis facinus nova ct intemerata virgo Maria piavit, quae ab angelo salutata, a Spiritu Sancto obumbrata, illum gignere meruit, qui cuncta nasci suo nutu concessit. Quae mirabatur *et* corporis integritatem *et* conceptus fecunditatem, gaudebatque suum paritura parentem, Jesum Christum » (Gregorianum Muratorii p. 345).— \d hoc gaudium participandum *invitatur tota creatio:* « locundantur Domine coeli et tripudiat terra, quia Verbum caro factum habitat in sacrae virginis membra (!), in cuius adventu omnis de captivitate redimitur terra... Nunc moveatur mare et omnia que in eis sunt: montes exultent et omnia ligna silvarum,

quia Deus homo dignatur per uterum B. V. Mariae de coelo in mundum venire » (Sacr. Mozarab. MEL VI, n. 11 et Mixtum PL 85, 123).

3°. Idea soteriologica Adventus resultat *ex idea Incarnationis,* quae ideo extollenda celebrandaque est, quia initium est humanae redemptionis. Ideam hanc soteriologicam praesertim inculcat primum Sacramentarium officiosum Romanum, *Gregorianum* nempe etiam festum Nativitatis Domini « reparationis nostrae ventura sollemnia « appellans (ed. Lietzmann n. 185,3), ac loquens « de reparationis nostrae munimine » (n. 191,8). — *Oratio quaedam* stili Romani in liturgiam Gallicanam recepta ulteriusque explicata Redemptionem considerat qua regnum verae libertatis, ad quod suspirans ait: « ...huius participatione mysterii doceas nos terrena despicere et amare coelestia atque omni nexu mortiferae cupiditatis exutos regno perpetuae libertatis consortes efficias » (Missale Gallic. Vetus PL 72,344 coll. post, commun, et Gelasian., Wilson p. 214). — A quali iugo liberari petimus, declaratur per *Gelasianum:* « ...ut qui sub peccati iugo ex debito depremimur, expectata Unigeniti tui nova nativitate liberemur » (Wilson p. 219. inter, orat, de adventu).

4°. Idea haec soteriologica *dilatatur in praximque deducitur per* ideam Redemptionis applicatae, « ut cupiditatum refrenatione voluntariisque corporis castigationibus usi, ...vivido illo permoveamur desiderio redeundi ad Deum » (MDei n. 152 de Adventu).

a. Idea haec praesertim inculcatur *a contionatoribus,* ut e.gr. *Maximo Taurinensi* (t 465), qui Adventum quendam iam novit primitivum, ut Croce iure affirmat (ZfkTh 1954, 260 nota 14), *praeparat* enim fideles suos ad celebrandam Nativitatem Domini: « Ergo fratres, natalem Domini suscepturi, ab omni *conscientiam nostram* faece mundemus... Suscepturi nativitatem Domini repleamus thesauros eius diversorum munerum donis, ut in die sancta sit. unde peregrini accipiant, reficiantur viduae, pauperes vestiantur » (Horn. 4. et 1. PL 57, 224 et 234.; Horn. 2. et 3. « de adventu « spuriae sunt).

b. E textibus liturgicis allegari potest *Sacram. Mozarabicum:* « In proximo quidem est, Domine, dies adventus tui, sed quaesumus, ut, antequam venias, *expiari mereamur* ab omni contagione delicti. Prius dilue, rogamus, in nobis omne ...Cuius incarnatione salus facta est mundi, ipse carnem nostram a delictis emaculet, qui eam suscepit ex virgine » (MEL VI, n. 38. et n. 41, Mixtum PL 85, 138).

c. Haec redemptio applicata efficitur *exercitio bonorum operum:* « Unigenitum tuum ob nostrae infirmitatis redemptionem misisti ...nosque suae opitulationis advocatione tibi Deo nostro per sancti operis exercitia reconciliaret » (Mixtum PL 85,142). Haec reconciliatio fit in praesenti per adventum Christi in gratia: « Hilarescite quaeso dilectissimi fratres... quia iam in proximo est redemptio vestra. Parate illi viam in cordibus vestris, ut eo veniente remuneremini donariis sempiternis » (MEL VI, n. 30 et PL 85, 137).

5°. Idea expectationis Christi in V. Testamento una est e thematibus Adventus, quod mature iam invenitur, et forte etiam sub influxu Orientis recoli coepit.

a. In Oriente enim *liturgia Byzantina* celebrat memoriam sanctorum propatrum Christi in Dominica ante Nativitatem, qui comparantur choro stellarum, praelucenti et praenuntianti adventum Christi, solis iustitiae, ut in Menaeis legitur: « ...commemoratio omnium, qui ab initio mundi Deo placuerunt inci-

piendo ab Adamo usque ad sponsum Josephum sanctissimae Deiparae... similiter et prophetarum et prophetissarum » (Nilles, Kalend. manuale II, 539-543).

b. Haec expectatio *in liturgiis occidentalibus ulterius evoluta est,* praecipue in liturgiis typi Gallicani. Sacramentarium *Mozarabicum* e.gr. sic precatur: « Adventum Domini et Redemptoris nostri, quem ab antiquis patribus, patriarchis scilicet et prophetis vaticinantibus olim pronuntiatum ac pro salute nostra dudum constat impletum: omni quidem nos tempore condecet, fratres carissimi, cum gaudio commemorare, sed praecipue in his diebus annua vice recurrentibus, oportet nos votis sollemnibus celebrare » (MEL VI, n. 28 et Miss. Mixtum PL 85,133). In *inlatione* eiusdem Missae vero extollitur *motivum expectationis:* « ...qui Filium tuum quem pro nobis in carne missurus eras, ad terras venturum nasciturumque de virgine longe antea praedixisti... ut expectatus diu, qui fuerat repromissus, magnum mundo faceret gaudium in plenitudine temporum praesentatus » (MEL VI, n. 32. et PL 85,134).

c. Praecipue liturgia *Ambrosiana* memorat saepe *hos praecursores Vet. Testamenti* in canticis suis multoties allegans vaticinia prophetica, e.gr. Dom. III. Adv.: « Paratus esto Israel in occursum Domini Dei tui, quia ipse firmans montes et creans spiritus et annuntians hominibus Christum » (ant. post evang., Ratti-Magistretti, Miss. Ambros. duplex, Milano 1913, p. 69); vel: « Ecce veniet Dominus et omnes sancti eius cum eo, et erit in die illo lux magna » (Confractorium, l. c. p. 22, etiam Miss. Rom. Fer. VI. Tempor. Adv. communio). Praecipuum est, quod Dom. V. Adv. canitur in ritu Ambrosiano, Romano vero Fer. IV. Temp. Adv.: « Rorate coeli desuper et nubes pluant iustum, aperiatur terra et germinet Salvatorem », quia effatum hoc Isaiae (45,8) optime exprimit desiderium propatrum erga venturum Messiam.

6°. Idea adventus Christi eschatologici i.e. in fine mundi futuri adventus non est primigenia, uti vidimus, sed a monachis Hibernicis invectus, liturgiae vero typi Gallicani cum quadam praedilectione amplectebantur hanc ideam, quae praeprimis in his liturgiis expolita fuit.

a. In ritum *Romanum idea ultimi iudicii,* ut ingeniose ostendit W. Croce (ZfkTh 1954, 273-275) casu venit per assumptionem homiliae S. Gregorii Magni (in Lc 21, 25-33, PL 76, 1080), quae pericopa de ultimo indicio I. Dom. Adv. usque hodie legitur, etsi Gregorius eam non tempore Adventus protulit. Homilia haec et pericopa cius occasione cuiusdam terraemotus et tempestatis prolata fuit, ob ideam eschatologicam in liturgiis typi Gallicani excultam dein pericopa haec cum homilia Gregorii aptissima inventa est ad inchoandum Adventum.

b. Liturgiae typi *Gallicani* loquuntur de « *adventu secundo* », e.gr. « ...ut quos adventus primi gratia redemisti: in secundi adventus examinatione nulla exurantur poena supplicii » (Sacr. Mozarab. MEL VI, n. 21 et Mixtum PL 85, 128).

c. Homilctae medii aevi inde a S.Bcmardo distinguebant *triplicem adventum* Domini: « Triplicem eius adventum novimus: *ad* homines, *in* homines, *contra* homines » (Bernard. PL 183, 45), seu ut ait *Petrus Blo.sius* « adventus primus in carnem, secundus ad animam, tertius ad indicium » (PL 207, 569).

d. Expectatio adventus ad ultimum indicium tamen *saepius affectum gaudii et spei,* quam metus excitat: « ...qui eum iam venisse mundumque redemisse credimus, fatemur et praedicamus: rursumque venturum ad indicium speramus a (MEL VI, n. 29 PL 85, 133), imo etiam cxultationis: « Quos prospicis

adventum olim mystice peractae incarnationis tuae nunc promptissima devotione suscipere: hos facito in secundum iudicii tui adventum ad te exultantibus animis pervenire « (MEL VI, n. 19 et Mixtum PL 85, 128), Dom. « *Gaudete* » monumentum est huius exultationis.

7°. Practica conclusio *adventus eschatologici* est monitum: *Vigilate!* e Fac nos pervigiles atque sollicitos adventum expectare Christi Filii tui Domini nostri, ut dum venerit pulsans, non dormientes peccatis, sed vigilantes et in suis inveniat laudibus exultantes » (Bobiense PL 72, 459, Gallicanum Vetus ibid 314); vel: « Concede... adventum Unigeniti tui cum summa vigilantio expectare, ut sicut ipse auctor nostrae salutis docuit, velut fulgentes lampadas in eius occursum nostras animas praeparemus » (Bobiense PL 72, 462 et Gelasian. Wilson p. 217). Occursus hic cum Indice adventuro non potest fieri sine exercitio bonorum operum: « Da quaesumus omnipotens Deus, cunctae familiae tuae hanc voluntatem in Christo Filio tuo, Domino nostro venienti in operibus iustis aptos occurrere, ut eius dexterae sociati, regnum mereantur possidere coeleste » (Gallic. Vetus PL 72, 344 et Gelas. Wilson p. 218).

e) Leges cultuales Adventus.

1°. Ritus poenitentialis mitigatus. — a. Cantus *Alleluia* manet toto tempore Adventus, graduale in Missis ferialibus dicitur usque ad Alleluia. — b. « *Te Deum* » et « *Gloria in excelsis* » in Adventus Dominicis non dicuntur (NCR 238). — c. *Preces feriales* in Adventu dicuntur flexis genibus tantum in Vesperis et Laudibus officii Feriarum IV. et VI, in Quatuor Temporibus etiam in Laudibus Sabbati (NCR 260). — d. In Missis feriarum Adventus in choro semper *genuflectendum est* ad orationes, dein a « Sanctus » usque ad « Pater noster » exclusive (521 c.) et ad orationes post communionem. — e. *Color liturgicus* est violaceus. — f. *Ornatus altaris et ecclesiae* simplicior est, prorsus vero non vetatur (Caer. Ep. II, 13, 2, cf. Gatterer, Annus lit. p. 226 nota 4.) — g. *Pulsatio organi* in Missis Dominicae et feriarum Adventus stricte vetita est (Caer .Ep. I, 28, 2), quae ordinatio strictim servanda est non obstante consuetudine (CRit d 2959, 1), nam pulsare organa in Missis sollemnibus abusus est eliminandus (d 2965, 1, 3183, 3333, dub. I, 5). Sic quoque instr. SCR 3. sept. 1958 (η. 81. a.) licet vero organa pulsare in Missis votivis BMV. quae singulis Sabbatis sollemniter cantantur et in eiusdem Litaniis « et in amplius », ergo et in officiis liturgicis festivis (d 2424, 4). — h. Dominica III. Adv. « *Gaudete* » est festum gaudiosum in liturgia Romana, adhiberi possunt paramenta rosacea in Missis etiam privatis et in officio (d 4084, 3); organa pulsantur (Instr. 3. sept. 1958, η. 83 b.).

2°. Cultus specialis BMV. in Adventu. Cum hoc cyclo Incarnationis arctissime coniungitur Deipara, ideo decursu medii aevi variae devotiones populares exortae aliquo modo etiam legalizatae sunt. Praesertim Missa votiva BMV in Adventu, seu *Missa « Rorate »* favorem populi nacta est, quae Missa desumpta est a Fer. IV. Quatuor Temporum Adventus, excepto offertorio « Ave Maria » quod a Dom. Iv. recepta est, ct orationibus e festo Annuntiationis acceptis (in Gregoriano, tum Paduano, tum Hadriano; in Gelasiano desunt). Haec Missa est praecipua pars cultus adventualis BMV. et tribus modis adhiberi coepit.

a. Primo quidem colebatur BMV. per hanc Missam ante Nativitatem Domini per *spatium hebdomadae,* ut iam Ordo Rom. XV (iuxta Andrieu) saec.

λ'III-o scribit: « Deinde una Dominica ante natale Domini incipiunt canere de conceptione sanctae Mariae » (Andrieu, Les Ordines Romani, Louvain III. 1951. p. 95). Cl. auctor nostra opinione hunc textum perperam intellexit de festo quodam Incarnationis celebrato, putamus agi de hebdomada ante Nativitatem Domini, dicitur enim quod « incipiunt » canere, « Conceptio » intelligtur non passiva, sed activa BMVirginis. — Septem dies dein etiam *antiphonis maioribus* extollebantur, de quibus Amalarius Metensi (t 850) scribit: « ...quae canuntur per praesentem hebdomadam cum ymno sanctae Mariae / sc. « Magnificat » / et habent omnes O in capite, signum quoddam admirabile et investigabile ostendunt nobis in his diebus celebrari » (De ordine antiphonarii XIII, 1, ed. Hanssens III. 1950, p. *44).* Missa vero « Rorate » vocabatur per medium aevum « *Missa aurea* », varias enim promissiones adiungebant his Missis; vel « *Missa angelica* » quia eius Evangelium (« Missus est ») annuntiationem narrat Virgini Maria per angelum factam.

b. Hae Missae dein extendebantur et *novem continuis diebus* celebrari coeptae sunt, multis in regionibus etiam Antiphonae maiores « O » novem cantatae sunt. Celebratio *novendialis Missarum* « *aurearum* » a medio aevo usque ad aevum novissimum perduravit; post institutionem S. Congr. Rituum pluries expresse concessum est has Missas qua Missas votivas pro re gravi decantare, praecipue pro diocesibus Italiae (CRit d 1093 anno 1658, 2223 anno 1713, d 2257. 2259 anno 1718). De devotione publica novendiali cf. De Eccl. orante G. 2. b. 1°.

c. In Germania, Austria, Polonia, Bohemia, Hungaria inde a saeculis mos invaluit Missas votivas BMV per *integrum Adventus tempus cotidie* celebrare, et quidem sollemni modo cum Gloria et Credo. Quam vetusta consuetudo haec sit, ostenditur Sacramcntario Boldvensi (scriptum in Hungaria inter 1192-95). ubi duae Missae votivae pro Adventu leguntur, prima Missa cum oratione Missae « Rorate », quae propriam praefationem habet (« qui per BMV partum ecclesiae tuae tribuisti celebrare mirabile mysterium » Moratori II, 810), altera inscribitur « Communis » cum oratione « Conscientias nostras quaes. Domine visitando purifica » (e Gelasiano, Wilson p. 215), duae Missae hae videntur usum cotidianum commendare (cf. P. Radô, Libri liturg. mss Bibi. Hungar. 1947, I, p. 19). Usus hic Missas « Rorate » cotidie celebrandi extra Dominicas in regnis supradictis *adhuc hodie perdurat.* Anno 1744 concessus est dioecesibus *Poloniae* sine Gloria, Credo, quod tamen pluries iterum inculcari debuit (annis 1752 et adhuc 1906, cf. CRit d 2378, 7-8 et d 2417, 5 et d 4180, 1). Archipraesul Pragensis 1900 fassus est in tota *Bohemia* celebrari Missam « Rorate » per totum Adventum (CRit d 4055). Quaedam dioeceses *Austriae* et *Hungariae* simile indultum consecutae sunt, e.gr. Lincicnsis a. 1871 (CRit d 3583, 3) eodem anno Archiabbatia nullius S. Martini de S. Monte Pannoniae, dioecesis Vesprimiensis a. 1892., archidiocesis Strigoniensis a. 1958., ex antiquissima consuetudine ct vi concessionis 14 dec. 1960 CRit. Missa « Rorate » in universa Hungaria qua votiva II. cl. celebrari potest.

3°. Exercitia tempore Adventus. — a. *leiunium et abstinentia* hoc tempore in Ecclesia occidentali iam non sunt in usu, dum *Orientales* a die 15. nov. ieiunium quoddam observant. *Latini* quoque in territorio ritus typi Gallicani olim a die 11. nov. ieiunabant, ut vidimus, aliis in regionibus medio aevo solum abstinentiam tempore Adventus observabant, i.e. ab esu carnium et lacticiniorum. In *Regno Habsburgico* e decreto Clementis XIV. (1769-1774) Fer. IV.

VI. et Sabb. ieiunium erat observandum, quia vigiliis pro hoc regno abrogatis non iciunabant. Observantia haec desivit, quando anno 1918 CIO obligandi vim accepit, regnumque supradictum simul corruit. Fidelibus etiam nunc enixe commendanda sunt tempore Adventus « cupiditatum refrenationes et voluntariae castigationes » (MDei n. 152). — b. Iam valde mature tempore Adventus *sermones speciales* habiti sunt populo, ut se unusquisque fidelium praepararet conscientiamque suam emundaret in diem Natalis Domini (Righetti II, 42). *Cone Trident,* praescripsit, ut saltem tribus diebus in hebdomada « sacrae Scripturae divinaque lex annuntietur » (Sess. XXIV. de reform, c. 4.). *Hodiernum ius* hoc enixe commendat: « Curent locorum Ordinarii, ut tempore Quadragesimae, itemque si id expedire visum fuerit, tempore Adventus, in ecclesiis cathedralibus et paroecialibus sacrae conciones frequentius ad fideles habeantur » (can. 1346, § 1.). — c. Consuetudo popularis est « *quaerere hospitium* » *pro* S. *Familia* (Herbergsuchen, szallaskeresés). Per novem dies ante Nativitatem imaginem quandam S. Familiae in novem domos deportant diebus successivis, ibique imaginem sollemniter pieque excipiunt et per diem custodientes devotiones coram eam peragunt (Cf. II. Koren, Volksbrauch im Kirchenjahr, Salzburg 1934, 52; pro Hungaria: Bâlint, Népünk iinnepei = Festa nostra popularia, Budapest 1939, 109 s.). — d. Alia consuetudo popularis in Germania. Austria, Hungaria inde ab aliquibus decenniis est « *Corona Adventus* » (Adventskranz): corona seu sertum e ramis pineae suspenditur, in quam quatuor parvi cerei figuntur, singulis Dominicis una ex eis accenditur, in domibus et etiam in ecclesiis legitur Evangelium Dominicae, cum canticis et orationibus absolvitur devotio haec popularis (cf. H. Koren p. 36-38), optimum symbolum suppeditans lucis pedetentim crescentis, et in Nativitate Domini victoriam reportantis.

2. De festo et tempore Nativitatis Domini.

a) Origo huius festi Nativitatis.

1°. Tria priora saecula *non noverunt festum Nativitatis. Aevo* hoc diem natalem Christi non recolebant, nullibi inveniri potest talis festi vestigium, colebantur solummodo « dominicae, vel parasceve, vel pascha, vel pentecostes » (Origcnes, C. Celsum 8, 22 PG 11, 1550). Idenm Origenes etiam rationem dat versus 244: « Nemo ex omnibus sanctis invenitur diem festum vel convivium egisse in die natalis suae., soli peccatores super huiusmodi nativitate laetantur... sancti vero non solum non agunt festivitatem in die natalis sui. sed et Spiritu Sancto repleti exeerantur hunc diem » (In Levit. 8. 3 PG 12, 495). Iure provocatur ad morem gentilem quo deorum natalis colebatur, qui mos a christianis exsecrandus habebatur (Dolger, Sol salutis p. 144).

2°. Dies historice verus nativitatis Domini oblivioni datus est, etsi iam saec. IV-o Chrysostomus recipiens festum 25. dec. ambigue locutus sit de quadam traditione Romana huius diei, iuxta quam datum hoc in archivis Romanis inventum esset (PG 49, 351). Medio aevo utique nemo dubitavit diem hunc esse datum historicum nativitatis Domini, variasque venustas rationes adduxerunt convenientiae: « Hieme natus est, noctu natus est Christus. Numquid credimus casu factum, ut in tanta aëris inclementia et in tenebris nasceretur, cuius est hiems ct aestas, dies et nox? » (S. Bernard. PL 183, 123); vel Sicardus Cremonensis: « In fine anni Dominus voluit nasci, ut ostenderet se venire in

ultima mundi aetate » (Mitrale 5, 6 PL 213, 218). — Cur hoc factum oblivioni datum sit, eo declarari potest, quod integra spiritualitas Ecclesiae primaevae eiusque cultus praecipue passionem tam beatam gloriosamque resurrectionem Domini recoluit.

3°. Diem tamen natalem Domini etiam haec priora tria saecula investigabant, non quidem intentione eum *lilurgice* recolendi, inquisitiones tamen hae quoque *historicam veritatem* diei non evincunt, nituntur enim supputatione mystica vel aliquo festo gentilium.

a. Sic *Clemens Alexandrinus* narrat, quosdam haereticos « curiosius inquirentes, non solum annum nativitatis Salvatoris nostri, sed etiam diem addidisse, dicentes euin anno 28-o Augusti in 25. Pachon natum esse » (Strom. 1, 21, 145 Stàhlin II, 90). Dies ergo assignabatur versus 210 Alexandrine in secta Basilidis gnostici annus 3 a. Chr., dies vero *20. maii.* lidem haeretici baptismum Christi recolebant 6. jan. cum vigilia (pannychis); si et dies 20. maii vigiliam habuisse supponitur, habetur dies 19. maii, ortus heliacus Pleiadum, initium messis in Aegypto (K. Sethe, Die Zeitrechnung d. alten Agypter, Gottingen 1919, 292). Ecclesia Coptica praecise hunc diem recolet ab antiquissimis temporibus, quâ diem « adventus Christi in Aegyptum « (Nillcs, Kalend. man. II, 694).

b. Idem *Clemens* refert alios quoque e secta Basilidis (tines autôn) « dicere, quod natus est 24. vel 25. Pharmuthi » (Strom. 1, 21, 146 Stàhlin II, 90), i.e. die *18. vel 19. apr.* Hoc die colebatur festum paganum Cerealia; Ceres seu Dèmètêr, Korê dea erat fertilitatis (Wissowa, Religion d. Romer, p. 574 s.). Ut videtur, aevo antiquo cum quadam praedilectione dies vernus eligebatur qua dies natalis Domini.

c. S. *Hippolytus* Romanus versus 220 in sua Tabula paschali habet diem 2. *apr.* («genesis xps »: E. Schwartz, Christi, u. jiidische Ostertafeln, Berlin 1905, p. 34). Cur praecise hunc afferat diem, clarum non est, videtur eundem diem assignare pro nativitate, quam pro passione solent Orientales. In Commentario suo ad Danielem idem auctor affirmat Christum natum esse in Bethlehem VIII. Kai. Jan., i.e. 25. *dec.* (Bonwetsch-Achelis I, 242, in PG 10, 645 hic textus deest), sed verisimillimum est hunc textum interpolatum esse, pugnat enim cum dato Tabulae paschalis Hippolyti certe authenticae.

d. Liber anno 243 scriptus *De pascha computus* diem natalem Domini assignat *28. mart.,* sed statim videtur qua ratione ductus. Christus est sol iustitiae, sol vero Fer. IV. creatus est, mundus vero incoepit existere verno tempore, ergo aequinoctio veniali, secundum Kai. Julianum 25. mart., ut iam Philo opinatus est (cf. Schwartz l. c. p. 139), sic Fer. IV. est dies 28. mart. Textus est: « O quam praeclara est divina providentia! ut in illo die nasceretur Christus V. Kai. Apr. / = 28. mart. /, feria quarta... Hic est sol iustitiae, cuius in pennis curatio praeostendebatur... Ecce iterum iam vere credamus quod V. Kai. Apr. secundum carnem natus sit Christus: in quo die probavimus solem factum» (PL 4, 1011 s.). Putamus prima vice hic inveniri morem figendi Natalem Domini in die quodam cum sole cohaerente, dies 26. apr. haberi potest qua *primum Natale Solis iustitiae.*

e. S. *Epiphanius* saec. IV-o refert de quibusdam haereticis, quod affirmabant Christum conceptum esse (synelèphthê) XII. Kai. Jul. vel Jun., i.e. die 20. iun. vel 21 maii (Panarion 51, 29 ed. K. Holl II, 300). Certum haberi potest quosdam revera Christi nativitatem posuisse in diem *21. maii,* Epiphanius vero diem nativitatis reputans 6. ian., putavit agi de conceptione, ideo etiam adiun-

git quod « dicunt e traditione post septem menses natum fuisse » Dominum-Electio huius diei item optime explicatur, festum enim fuit Agonaliae Vedijovis (Wissowa l. c. p. 236), aequatio vero Zcus-Jupiter-Sol-Helios bene nota usitataque fuit; iterum ergo idea Cbristi-Solis iustitiae datum hoc nativitatis peperit. Iam vidimus datum diei 20. maii (supra a.), quaedam traditio etiam in ecclesia Hierosolymitana valde mature existebat de tali die, si credere possumus Ant. Baumstark, iuxta quem ibi aliquando nativitatem Christi die 16. maii celebrabant (cf. Oriens Christian. 1916, 226). Iterum inculcamus nisum diem natalem Domini in antiqua ecclesia verno tempori assignandi, ut S. *Ambrosius* dicit: « Ante adventum Christi hiems erat, venit Christus, fecit aestatem » (In Cant. 48, PL 15, 1980).

f. *Mense novembri* quidem non celebraverunt Christi natalem, tantum quidam textus episcopi cuiusdam e regione Danubii a celebri G. Morin perperam intellectus fecit confusionem: « ...usque ad mensem nonum, quo celebratur Christi natalis » (Opus imperf. in Matth. PG 56, 914), e quo conjiciebat, Nativitatem Domini forsan 25. nov. celebratam fuisse, addens quinque kalendarios mozarabicos saec. Vl-i quae ad 25. nov. notant: « Sancti Salvatoris » (Morin, Noël en novembre? in: Rev. Bénéd. 1909, 388-390, cui adstipulatur DAL 12, 931). — Etsi « mensis nonus » november haberi solet, supposito quod primus mensis anni martins est; in allegato libello vero clare dicitur martins « duodecimus mensis », « nonus mensis » ergo est december. Quod vero notam kalendariorum mozarabicorum attinet (in MEL V, 488), censemus agi de consuetudine orientali singulis mensibus celebrandi die 25. nativitatem Christi, sic penes Coptos (cf. F. Nau, Patr. Orient. 10, 191. 197), et quantum scio etiam apud Carmelitas discalceatos, ordinis ex Oriente oriundi.

4°. *Festum Nativitatis Christi* Romae inter 325-335 ortum est, quod recentiores inquisitiones fere certe evincunt. (Sic B. Botte 1932, 33-34, Leclercq DAL. XII (1935) 912 s., H. Lietzmann Gesch. d. alten Kirche, Bonn 1938, III, 323, O. Cullmann 1947, 20-29, H. Frank 1952, 4, cf. Litter, infra!).

a. *Demonstratio facti.* Romae festum Natalis Domini anno 336 verisimillime iam cognitum erat. Invenitur enim in Kalendario Filokaliano index quidam depositionis duodecim Summorum Pontificum, conscriptum ex annis 254-336, redactum in ordine chronologico dierum depositionis, index hic incipit die 27. dec., supponit ergo existentiam Natalis Domini, revera exinde usuvenit annum ecclesiasticum, libros liturgicos per multa saecula cum festo Natalis Christi incipere. Huic indici primigenio manus posterior (sane ipse Filokalus a. 354) adiunxit duas alias depositiones (Marci 336 et Julii 352), sed eas extra istum indicem reliquit, unde evidens fit eius origo ante annum 336; quia vero nomen Silvestri papae (t 335) in indice iam occurrit, clarum est eum ante 335 compositum non esse. Sic ergo habetur qua *terminus ad quem annus 336:* tunc Natalis Christi iam notus erat. — Opinamur festum hoc vix ortum esse *ante 325,* etsi hoc tam certum non est, quam terminus ad quem. Ante Nicaenum (325) Natalis Christi certe non fuit festum universale, Ariani enim, hoc anno separati ab Ecclesia universali festum hoc nunquam acceperunt, imo furore iraque repleti id aversati sunt, ut testatur Petrus Chrysologus: « Hodie enim Ecclesia in pace est, et haeretici in ira, hodie Ecclesiae navis in portu est et haereticorum furor iactatur in fluctibus » (Sermo 149. PL 52, 598). similiter S. Leo Magnus: « Hanc unitatem dilectissimi, qua Creatori creatura conseratur, intelligentiae oculis cernere caecitas Ariana non potuit » (Sermo 23. habitus in Na-

tali Domini PL 54, 200). Festum nativitatis corporalis Arianis favere potuit, idque vix reiecissent, si iam ante eorum separationem celebratum fuisset. Quia vero Romae arianismus tunc nondum multum valuit, ibidem festum Nativitatis ct non festum Epiphaniae fuit primaria celebratio huius eventus (II. Frank AfLw 1952, p. 5-11).

b. *Explicatio facti:* dies 25. dec. electus pro recolenda nativitate Christi praecipue inservivit *hello ideologico contra henotheismum solarem.* Verus et ultimus adversarius procul dubio fuit non religio Romana *status,* sed religio *Solis,* quae omnes alios deos superfluos recidens solum Solem visibilem quâ deitatem recoluit, ideoque vocari solet « henotheismus » (in oppositione cultus veri Dei unici « monotheismus « appellati). Huius *solis vero dies natalis* erat solstitium hiemale, eo tempore dies 25. dec., (1) cuius cultus in *Aegypto* ortus est una cum kalendario solari, cuius testis est Kalendarinm Canopianum e saec. II in finem vergente, in quo legitur 25. dee. « Solis natalis, augetur lux » (F. Boli, Griechisch. Kalcndarien, Heidelberg 1910, 16.40), et saec. IV-o adhuc Macrobius, iuxta quem in Aegypto die 2.5. dec. Sol « ut parvulus videatur hiemali solstitio, qualem Aegyptii proferunt ex adyto (i.e.e. secreta parte templi) die certa, quod tunc brevissimo die veluti parvus et infans videatur » (Conviv. primi diei Saturnalior. ed. F. Eyssenhardt 104). — (2) Idem cultus natalis solis etiam *Syriae* cognitus fuit iuxta Cosmam episcopum Maimonae in Palaestina (PG 38, 464). — (3) Festum hoc Natalis solis *Romam* quum tardissime per Caesarem Heliogabalum e Syria oriundum venit, dies vero 25. dec. quam maxime popularis frequentatusque evasit, quando Aurelianus, fervens cultor henotheismi solaris in Campo Agrippae templum splendidum anno 274 die « Brumae » seu solstitii (25. dec.) « Soli invicto » sollemniter dedicavit (F. Cumont, Les religions orientales dans le paganisme romain, 4. ed. Paris 1929, 106. 136). Per totum decursum saec. IV-V-i Patres et concinnatores multum sudarunt in debellando periculo huius cultus solaris; S. *Augustinus* e.gr. dixit: « Nec putetis fratres, ideo nonnullis solem esse adorandum, quia sol in Scripturis aliquando Christum significat.. Adora ergo et petram, quia Christum significat, adora et ovem... et leonem, quia Christum significat » (Enarr. in Ps 103, 20 PL 37, 1373). *Leo* autem *Magnus* adhuc medio saec. V-o in sermone quodam natalitio conquestus est, quod « nonnulli etiam christiani adeo se religiose facere putant, ut priusquam ad beati Petri apostoli... perveniant... ad nascentem se solem reflectant et curvatis cervicibus in honorem se splendidi orbis inclinent », imo affirmat, quod quibusdam christianis « haec dies sollemnitatis nostrae non tam de nativitate Christi ouam de novi, ut dicunt, solis ortu honorabilis videatur » (Sermo 27. PL 54, 218 et Sermo 22. PL 54, 198). — (4) Assignatio diei 25. dec. pro nativitate Christi recolenda ideo optima fuit, quia futurus Messias a Malachia propheta qua *Sol iustitiae* celebratur, ouod iam saec. III-o multoties extollebant, ut e.gr. *Cyprianus:* « Quod sol appellatus sit, Malachias propheta testatur dicens: Vobis autem, qui timetis nomen Domini, orietur Sol iustitiae et in alis eius curatio est » (De or. dom. 35. PL 4, 542, similiter opus De pascha computus, supra 3°. d.). Adversus popularem consuetudinem die 25. dec. colendi Solis invicti natalem opportunum duxerunt substituere natalem veri Solis iustitiae. *Maximus Taurinensis* versus 465 adhuc dicere potuit in sermone de nativitate Domini: « Solem novum vulgus appellat, et tanta auctoritate id confirmat, ut Judaei etiam atque Gentiles in hac voce consentiunt. Quod libenter nobis amplectendum est, quia oriente Salvatore non solum

humani generis salus, sed etiam solis ipsius claritas innovatur » (Sermo 4. de nativ. PL 57, 537). *Faustus* vero *Manichaeus* christianis obiicere potuit: « Solemnes Gentium dies cum ipsis celebratis, ut calendas et solstitia » (Augustin. Contra Faustum 20, 1, 4 PL 42, 369). *Prudentius* vero hymnum de 25. dec. sic incipit: « Quid est quod arctum circulum / Sol iam recurrens deserit? / Christusne terris nascitur / Qui lucis auget tramitem? » (Cathemerinon PL 59, 888).

c. *Explicatio electionis diei 25. dee.* sic invenitur in lucta adversus theologiam solarem paganismi; sufficiebat sola existentia novae festivitatis Christianae, qua substitui potuit festum summopere populare gentilitium, etsi subiectum festi seu *argumentum* (Inhalt, contenu, tartalom) *novum et unice cerum* fuit, nomine tantum metaphorico « Solis iustitiae » retento. (1) *Secundario* vero hoc novum festum etiam alias ideologias impugnavit, *ideas nempe haereticas;* cl. Baumstark iure affirmavit festum Natalis Christi esse « festum dogmatis Nicaeni » *de consubstantialitate Verbi.* — (2) Idea tamen principalis et primum celebrata fuit nativitas Christi *temporalis,* Incarnatio Verbi, ut recte monuit H. Frank (AfLw 1952, p. 20). Una cum nativitate temporali decursu saec. IV-V-i generatio *Verbi aeterna* quoque valde celebrata est; Evangelium Missae principalis et antiquissimae est Prologus Joanneus « In principio », cantus Psalmorum in Missa resonant hanc laudem generationis aetemae Verbi: « Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te », « ...in splendoribus sanctorum ex utero ante luciferum genui te ». Tendentiam hanc anti-arianam clare videmus in praefatione Gelasiana: « Cuius divinae nativitatis potentiam ingenita virtutis tuae genuit magnitudo, quem semper Filium et ante tempora aeterna generatum, quia tibi pleno atque perfecto aeterni Patris nomen non defuit, verum etiam honore, maiestate atque virtute aequalem tibi cum Sancto Spiritu confitemur » (Wilson p. 2). Haec praefatio verisimiliter in territorio Gallicanae liturgiae exorta est, legitur enim in Sacramentariis Gelasianis Rhenaugiensi, Sangallensi cod. 348 (ed. Mohlberg n. 12), in Sacram. Gregoriano francoromano ed. Ménard et Muratori; in hoc territorio vero pugna adversus Arianos diutius protrahi debebat ob Gothos huic professioni deditos. — (3) *Etiam alii haeretici* occasionem praestabant festo Nativitatis in eos invehendi, sic S. Leo Magnus Manichaeos reprehendit, quod « Christi Domini nativitatem secundum camem negant », et « doceant in sole et luna colere Christum ». ideo fidelibus inculcat, « Manichaeos ubique latentes vestris presbyteris publicetis » (Sermo 9. PL 54, 163 et Sermo 34, PL 54, 248).

5°. Divulgatio festi Nativitatis fere in omnibus partibus Imperii Romani iam decursu saec. IV. effecta est.

a. Primo *Africae,* quae arctas vicissitudines fovit cum Ecclesia Romana, ubi iam 362-363 Optatus Milevitanus sermonem habuit de « sacramento Christi nativitatis », in quo inter cetera dixit: « Nascitur dominus Christus, homo Deo mixtus, qui ecclesiam in semetipso Deo misceret » (A. Wilmart, Un sermon de St. Optat pour la fête de Noël, *in:* Rev. scienc. rel. 1922, 282, sermo hic primus est natalitius, qui nobis remansit: Frank 1952, p. 20).

b. *Mediolani* S. Ambrosius videtur introduxisse festum Nativitatis Domini, ut II. Frank demonstravit, qui novit hoc festum, et auctor est hymni natalitii « Qui regis Israel intende » (JfLw 1932, 145-155 et AfLw 1952, 11-13), opinioni vero eiusdem cl. auctoris, quod valde probabiliter festum Nativitatis iam ante eum celebratum fuit Mediolani, vix possumus assensum praebere, nam ante

Ambrosii episcopatum (374) per quinque lustra Auxentius Arianus fuit eius antecessor, Ariani vero hoc festum contempserunt.

c. Fere eodem tempore — versus 380 — tres magni viri amicitia coniuncti introduxerunt festum 25. dec. *in Oriente.* Chrysostomus *Antiochiae* sermone suo celebri festum ante decem fere annos introductum vehementer extollens commendavit fidelibus suis (Hom. de Nativ. PG 49, 351-362), vocans id « venerandissimum, tremendissimum et matrem omnium festorum, e quo sicut e fonte varia flumina effiunt, sicque nata sunt nobis festa » (PG 48, 752. 755). Sermo hic anno 386 habitus est, festum ergo circiter anno 378 Antiochiae celebrari coepit, quando S. Hieronymus in civitate ista presbyter ordinatus est, fortasse partes habuit in festo Nativitatis condendo. — *Constantinopoli* 380 S. Gregorius Nazianzenus festum primus celebravit in unica ecclesia orthodoxa urbis, et quidem 25. dec., nam loquens de nativitate Jesu, mentionem facit festi subsequentis baptismi Christi (Or. 38. PG 36, 311-334). — *Nyssae* amicus eius S. Gregorius Nyssenus eodem fere tempore festum celebravit, duo festa clare distinguens orationem suam protulit de nativitate Christi eo die, « quando tenebrae minuere, lux vero augeri coepit », ergo die solstitii 25. dec. (PG 46, 580. et 1129). Chrysostomus amicus fuit Basilii, Nazianzenus etiam conscholaris eius, Nyssenus frater minor Basilii, amicusque Nazianzeni, pronum est ergo introductionem festi in Oriente illorum meritum esse.

d. *Amasiae* in Ponto Asterius festum Nativitatis versus 390 instituit, homiliam suam de protomartyre Stephano enim sic exorditur: « Festum sequitur festum, celebritas (panêgyris) excipit celebritatem, theophaniam Domini servi veneratio », quod nullo modo de festo Epiphaniae agitur, ostendit eius distinctio inter theophaniam Christi in carne et festum Epiphaniae, quam celebritatem appellat lucis (PG 40, 337. 340. et 217).

e. *Ceterae partes Orientis tardius* induxerunt festum Nativitatis. In *Cypro* teste Epiphanio dies carnalis nativitatis Domini exeunte saec. IV-o dies 6. jan. habebatur (Panarion 51, 16, 24 PG 41, 932). — *Alexandriae* tribus prioribus decenniis nativitas Domini 6. jan. celebrata fuit iuxta Collationes Cassiani inter 418-427 scriptas: « Epiphaniorum die, quem provinciae illius sacerdotes vel dominici baptismi vel secundum carnem nativitatis esse definiunt, et idcirco utriusque sacramenti solemnitatem non bifarie, ut in occiduis provinciis, sed sub una die huius festivitatis concelebrant » (Coli. 10, 2 PL 49, 820 s). Paulus vero episcopus Emesinus anno 432 iam die 25. dec. sermonem habuit de nativitate Christi (PG 77, 1433-8).

f. In *Palestina* adhuc prima parte saec. V-i die 6. jan. celebraverunt nativitatem Domini; S. Hieronymus conquestus est die. 25. dec.: « Nos tractemus in corde nostro, quod hodierna die Christus nascitur... universus mundus contra huius provinciae opinionem loquitur » (G. Morin, Anecdota Maredsolana, III 2, Maredsous 1897, p. 396). A Basilio Seleucensi refertur, Hierosolymis festum Natix itatis Domini die 25. dec. a Juvenali episcopo inductum esesse (Hom. in S. Stephanum PG 85, 469), sermonem hunc habuit inter 455-458, sed tamen adhuc saec. VI-o Cosmas Indicopleustes versus 530 scribit solos Hierosolymitanos celebrare Domini natalem die 6. jan. (Topogr. christiana 5. PG 88, 197); fortasse conatus studiumque luvenalis successu caruit, sicut hoc factum est Constantinopoli, ubi tandem imperator Justinianus anno 542 festi Hypapante (Purificatio BM\r) sedein die 2. febr., consequenter forte etiam Nativitatis Domini

die 25. dec. fixit (iuxta Higgins, AfLw 1952, 82), etsi S. Gregorius Nazianzenus festum, ut iam dictum est, anno 380 die 25. dee. celebravit.

b) Indoles festi Nativitatis Domini.

1°. Triplex mysterium, a. *Primum* est « *singulare nativitatis mysterium* » (Gelasian. Wilson p. 1), quod a Sacramentario Leoniano sic laudatur: ▮ Vere dignum in die sollemnitatis hodiernae quo licet ineffabile, tamen utrumque conveniens editur sacramentum: quia ct mater Virgo non posset nisi subolem proferre divinam ct Deus homo nasci dignatus congruentius non deberet nisi virgine matre generari » (Fcltoe p. 164). — b. *Secundum* mysterium est *commercium magnificum reparationis nostrae,* cum Verbum formam servi a nobis mutuavit, similisque nobis effectus est excepto peccato, hoc facto autem incipiens redemptionem possibilitatem nobis dedit, ut simus divinae eius naturae consortes. Ideo dicit praefatio Leoniani: « ...magnificum nostrae commercium reparationis effulsit, cum de homine veteri homo novus exsisteret, curatus mortalitate, mortalitas cum humana, condicio de ipsius humanae condicione confecta, medicatione sanatur et de obnoxia generatione peccato totius peccati nescia proles exoritur, ac non solum nostra a Verbo tuo suscepta fragilitas perpetui fit honoris, sed nos quoque mirando consortio reddit aeternos » (Feltoe p. 162-3). — c. *Tertium* demum mysterium est *mirabilis reformatio conditionis humanae:* in mysterio Nativitatis secretum latet humanae reformationis, restitutionis in pristinum statum, ut oratio Nativitatis Domini in Leoniano dicit: « Deus qui humanae substantiae dignitatem *et* mirabiliter condidisti *et* mirabilius reformasti... » (Feltoe p. 159); vel alia imagine: « Deus qui humanum genus a suo principe letaliter sauciatum Christi tui nativitate salvare dignatus es. praesta quaesumus, ut non haereamus in perditionis auctore, sed ad Redemptoris nostri consortia transferamur » (p. 163). — d. Etiam Patres vehementer inculcant festo Nativitatis *instaurationem moralem* hominis, ut sermonibus S. *Leonis* demonstratur in Breviarium assumptis (« Agnosce o christiane dignitatem tuam et noli ad pristinam vilitatem degeneri conversatione redire »). Talem ideam expressit *Tertullianus* relate ad nativitatem Domini: «Nove nasci debebat novae nativitatis dedicator... haec est nativitas nova, dum homo nascitur in Deo, in quo homine Deus natus est ▯ (De came Christi 17. PL 2, 827).

2°. Nova lux Solis iustitiac tum textus liturgicos tum sermones Patrum ubique collustrat, quia duobus saeculis dimicabant contra henotheismum solarem. « Ubicunque evolvendo inspiciantur textus liturgici temporis natalitii. ubivis ardore micant mysterii christiani solis », dicit II. Rahner (Weihnachtssonne p. 198).

a. Revera praecipue *liturgia Romana* tali splendore nitere conspicitur, orationes Sacramentarii Gregoriani in liturgiam universalem Romanam assumptae hoc demonstrant: « Deus qui hanc sacratissimam noctem veri luminis fecisti inlustratione clarescere » (Paduanum, ed. Mohlberg ▯. II.. Hadrianum ed. Lietzmann n. 6). ubi ‹i verum lumen » in oppositione dicitur ad lumen inde a solstitio augescens; dein in praefatione eiusdem Missae: ▯ ...per incarnati verbi mysterium nova mentis nostrae oculis lux tuae claritatis infulsit », expressio « nova lux » adhuc clarius denotat oppositionem. Quis intelligatur sub hac luce vera, dicitur in Missa antiquiore de aurora in Gregoriano: « ...quia nostri Salvatoris hodie lux vera processit, quae clara nobis omnia et intellectu manifestavit et visu » (Paduan, n. III. Hadrian, n. 7, textus iam in Leoniano invenitur: Feltoe

p. 163). Innovationem moralem per hanc lucem « salutaris « seu Salvatoris precatur alia oratio Romana: « ...ut salutare tuum nova caelorum luce mirabile, quod ad salutem mundi hodierna festivitate processit, nostris semper innovandis cordibus oriatur » (Paduan, η. IV. Hadrian, n. 9).

b. Liturgici textus typi *Gallicani* eandem lucem Solis christiani celebrant, sic *Missale Gothicum:* « Ortus est nobis verus sol iustitiae, Jesu Christe » (ed. Bannister p. 3.). Praefatio quaedam *Celtica* dicit: « Hic namque ortus die splendidior, luce coruscantior, sole rutilantior est » (Cod. lat. monac. 14429. *in:* Rev. Bénéd. 1926, 282 A. Dold). Liturgia *wisigothica* quoque novam lucem extollit: « Hodie nobis inter noctem ignitam lux nova apparuit », et « ...ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis, lux a terra prodiit, exeamus a tenebris » (Miss. Mixtum PL 85, 183 et MEL VI, n. 110).

c. *Liturgiae Orientales* abunde suppeditant similes textus: Christus est « Sol gloriae », qui « ortus est in Bethlehem lux omnium, ex Virgine Matre resplendens lumen universo » (Menaia tou holou eniautou, Romae 1889, II, 603). « Sol splendens in nubila absconditus nasci venit in spelunca se manifestans « (ib.) Idem Christus natus saepissime vocatur « Sol intelligibilis » (noêtos), « Sol intelligibilis e Virgine ortus », « Sol ex Sole », ut eius consubstantialitas exprimeretur (ibid. p. 599. 655. 596).

d. *Patres* consimili emphasi celebrant festum novae lucis, Solem iustitiae: « Ortus est nobis sol iustitiae, testes sunt fines illuminati orbis terrarum » tessera haberi potest, dicta a quodam contionatore Graeco saec. V-i (PG 59, 687). Alius vero homileta eiusdem generis rationem reddit, (piam convenienter potest Christus sol appellari: « Sol oriens proprios radios in totum mundum diffundit: Domini Christi ortus natalitius secundum carnem discipulos suos, veluti quosdam radios in universum mundum emittit » (PG 61, 721). Haec lux appropriari debet, idcirco monemur: « Prehende (apolabe) Christum, prehende visum, prehende lucem! » (Clemens Alex. Protreptikos 11, 114 PG 8, 229). *Cur* Christo nascenti *optime conveniat* appellatio luminis et solis, declaratur a *Cyrillo Alexandrino:* « Nox vocari solita est a divina Scriptura tempus ante adventum (sc. Christi), in (pio adhuc Satan tyrannidem exercuit terramque tenebat obstrictam ignorantiae caligo. Econtra diem (vocat) tempus adventus Salvatoris nostri, quod illuminat nosque rectae cognitionis Dei radios recipimus ac solem iustitiae oculis cordis conspicimus » (De adorat, in spiritu et veritate 3. PG 68, 268).

e. Consuetudo quaedam popularis *ignes gaudiosos accendendi* orta est in Oriente, quibus Salvatoris natalem celebrant, etsi mos hic e more pagano oriundus erat. In *Syria* adhuc prima parte saec. Vl-i, ut refert *Thomas Edessenus,* « ethnici, adoratores elementorum, festum magnum hodie ubique celebrant quotannis, hac scilicet de causa, quia incipit sol vincere, regnumque eius magis se extendere... (cf. F. Cumont, La célébrationdu Natalis invicti en Orient, *in:* Rev. de Γ hist, des relig. 1920, 85-87). *Moses bar Kepha,* episcopus nestonantis in Mossul saec. IX-o in finem vergente narrat consuetudinem ignes accendendi penes Nestorianos tunc tempore adhuc viguisse (iuxta textum Rahmani, citatum Eph. liturg. 1927, 151-152).

3°. Festum veris supematuralis. Spiritualitas aetatis antiquae christianae mysterium natalitium restaurationis mundi sub imagine veris omnia innovantis solebat considerare, fortasse ideo conati sunt diem nativitatis Domini tribus prioribus saeculis venio tempore invenire.

a. Ideo dixit condonator quidam saec. V-i in Natali Domini: « Quando ex hieme glacido calidum ver effulsit, tunc etiam terra plantas virides germinat... Age nunc, etiam nobis *ver coeleste* Christus e virginalibus visceribus ortus est, nubesque ventosas ac frigidas diaboli dissipavit » (Ps. Chrys. In natale Dom. PG 61, 763). Similiter *Theodoretus* episcopus Cyri: « Flores et lilia veris sunt germina, *ver* autem *spirituale* est Salvatoris adventus, in quo laetata sunt iuxta Isaiae prophetiam quondam desertum et invium floruerunt que sicut lilium » (In Ps 44, 1 PG 80, 1188). « *Nostrum ver laetum* » vocatur Christus « sol iustitiae » a *Gregorio Thaumaturgo* (PG 10, 1145); homilia alia eidem attributa, forte a *Chrysippo* oriunda, relicta solum in versione armena, sic extollit Christi nativitatem: « Christus advenit nobis cum rosis ct liliis fragrantibusve coronis, *ver* nostrum *numquam interiturum,* amoenumque hortum ecclesiarum cumulavit floribus et cordium nostrorum aream replevit e Dei paradiso » (F. C. Conybeare, On an ante-nicene homily of Gregory Thaumat., *in:* The Expositor 1896, 170, cf. M. Jugie, Analecta Holland. 1925, 91-94). Etiam *poetae* celebrare consueverunt occasione Natalis Domini ver sacrum Ecclesiae, ut quidam poeta ignotus Galliae saec. V-o: « Hic Christus flos est, decor hic est, fonsque perennis - Hunc postquam verbo conceptum, numinis alti - Plena Dei. Virgo utero est enim pudico - Effulsitque novus terris gaudentibus infans - Protinus implevit totum lux clarior orbem. - At tellus ridens laetatur germine sacro, - Spargit humum violis alieno tempore natis, Aurea purpureos submittit caespite flores » (Pitra, Spicilegium Solesmense I, 167 et Pciper, *in:* CSEL 23, 271).

b. Optime convenit ergo ideae veris christiani simulque indoli luminosae Nativitatis Domini consuetudo popularis Europae centralis et septentrionalis statuendi abietem luminibus ornatam, seu « *arborem Natalis* » (Christmas-tree. Weihnachtsbaum, karacsonyfa). Abies enim est arbor regionum septentrionalium semper viridis remanens, symbolum itaque est veris; pan isque cereis in ea accensis vero apte exprimitur lux nova hoc festo mundo exorta. Mos arboris uatalitiae primo invenitur Argentorati (Strassbourg) 1605 (H. Koren op. cit. 59-60; item *L. Weiser,* Jul. Weihnachtsgeschenke u. Weihnachtsbaum, Stuttgart-Golha 1923). Per totum medium aevum mos fuit die Natalis ramos arboris virides collocandi in cubiculo, cuius consuetudinis partim idea Christiana veris supcrnaturalis, partim pervetus consuetudo popularis gentilis causa exstitit, ideo in Britannia regnisque septentrionalibus mos appendendi viscum (vischio, gui. mistletoe, Mistel, fagyongy) ortus est.

4°. Festum pacis ct caritatis habebatur Nativitas Domini, a. *Patres* saepe commemorant hanc indolem festi Natalis, e.gr. *Petrus Chrysologus:* « Hodie Christus... sicut coelum splendor solis, ita Ecclesiam fulgore pacis illuminat » (Sermo 149. PL 52,598). *Concionator ignotus* saec. V-i autem enuntiat: « Ideo vero Filius Dei, auctor pacis tempore pacis nascitur, ut omnes sequaces suos pacem amare doceret » (Ps. Ambros. Sermo 5. de Nat. Dom. PL 17,629). Pax haec vero sine lucta parari non potest, ideo saepe loquuntur de *Christo nato tamquam de leone e* tribu luda, sic *Severus Antiochenus* homilia sua de nativitate Christi habita anno 514.: « (Patriarcha Jacob) appellat Christum catulum leonis, quia possidet dignitatem regalem et inaccessibilitatem, e tribu Juda vero oriundum ideo dicit, quia exinde duxit idem genus (a race ») carnale et quia confessus est pro nobis qui non habemus ullam libertatem comparate ad Deum» (aucune liberté auprès de Dieu: Hom. 63. Patr. Orient. 8,297). Simili modo locutus est de Christo *Cyrillus Alexandrinus:* « Catulus leonis e Juda est

Christus, Filius Dei omnipotentis, cui simul est vincere et soli est perterrefacere adversarios verbo suo, sic enim ait propheta: Leo rugiet et quis non timebit? » (=Am 3, 8, Glaphyror. in Gen. 7. PG 69, 353). Gaudium de pace mundi e nativitate Christi exortum illuminat totum festum, ut dicit *Petrus Chrysologus:* « Revera fratres, congruit, quia totius anni metas temporum quadriga percurrit, ac nobis Domini nostri natalitia festa revocat et gaudia iam reducit » (Sermo 87. PL 52, *445),* ut M. Jugie ostendit, sermo hic habitus est ante Natalem Domini (cf. Échos d'Orient 1923, 146).

b. Gaudium istud consuetudine collustratur *dona largiendi occasione festi Nativitatis Domini,* quae consuetudo orta est iam in Imperio Romano. Christiani quidam iam munera sibi invicem donabant die 25. dee., die Brumae, quando nativitas Domini eo die nondum celebrata fuit, sic enim habebat consuetudo, ob quam *Tertullianus* eos arguebat: « ...feriae et lanuariae et Brumae et Matronalia frequentantur? Munera commeant? Strenae (1. mart) consonant? Lusus et convivia constrepunt? » (De idololatria 14. CSEL 20, 46). Post inductum festum Nativitatis pronum erat donorum significationem transmutare: die quo Deus maximum donum largitus est generi humano. Ideo Summi Pontifices post tertiam Missam Nativitatis in throno sedentes Cardinalibus, clero suo et officialibus Curiae nummos aureos largiti sunt (cf. Card. Schuster, Lib. sacram., ed. germanica II, 175), sicut etiam Imperatores et domini feudales, quae consuetudo transiit etiam ad patresfamilias. Versus 1400 monachus quidam Bohemus *Alsso* memorat « consuetudines quae fiunt in vigilia in die nativitatis Domini », affirmatque vesperum vigiliae appellatum fuisse « largum sero », quod nomen adhuc in Hungariae regionibus in usu est (« boved-este »); in Anglia largitio donorum die festo fit, vocato propterea « dies doni » (boxing day).

5°. « Stella puerpera Solis »: memoria Deiparae hoc titulo celebratur festo Nativitatis inde ab antiquitate christiana usque ad saeculum XII.

a. Aequum erat colere B. V. Mariam, matrem Domini festo, quo huic mundo edidit Salvatorem, ideo e.gr. S. *Eleutherius* (1532) dixit: « Stella solem dedit: Virgo Deum-IIominem absque homine » (Sermo de Nat. Dom. PL 65. 94). Tenera haec appellatio in Oriente exorta est, S. *Ephraem* in hymnis suis de nativitate Christi in carne sic cecinit: « Descendit ille luminarium dominus et sicut sol ex utero effulsit nobis ... Sol magnus sua contractione se condidit in nube lucida » (Th. J. Lamy, S. Ephraem Syri hymni et sermones II, 498. et 621). *Liturgia Byzantina* canit in Vesperis (hesperinon) Natalis Domini: « Stella parit Christum Solem iustitiae » (Menaia p. 659). Versus 630 *Sophronius,* patriarcha Hierosolymitanus canit in suo Triodio: « Sicut aurora protulisti. Virgo, Solem, in ulnis tuis oriri fecisti eum nobis qui in tenebris sedemus ... Largitorem lucis peperisti Dominum, quae porta es lucis... Lucis parens (phôtokvêtor) Virgo... O oriens. Virgo, protulisti, Immaculata, Solem iustitiae » (PG 87, 3. 3949. 3940. 3964).

b. Adhuc saec. X-XII. vivida mansit memoria Stellae solem parientis. In Codice *Vat. Regin. lat. 407.* saec. X-i legi: « Maria inluminatrix siue stella maris dicitur, quia mundi lumen genuit » (fol. 16. De nomine b. marie XIIII.). *In basilica* stilo normanno-romano aedificata Montis Realis prope civitatem Panormitanam (Palermo) in Sicilia legitur inscriptio musiva saec. XI-i: « Sponsa, sue. prolis, o. stella, puerpera, solis pro cunctis, ora. sed plus. pro. rege, labora ». *Poetae* huius saeculi celebrant idem thema, sic *Fulbertus Carnotensis* (t 1028): • Solem iustititae Regem paritura supremum ' Stella Maria maris hodie proces-

sit ad ortum: | Cernere divinum lumen gaudete fideles » (Hymni et carmina XI. PL 141, 345), simili modo *Hermannus Contractus* (t 1054): « Ave praeclara maris stella in lucem gentium, Maria, divinitus orta. Euge Dei porta, quae non aperta, veritatis lumen ipsum Solem iustitiae, indutum carne, ducis in orbem » (PL 143, 443); item *Philippus de Harveng* abbas O. Praem. (t 1182): « Flamine sic abluta sacro, subiectaque soli iustitiae, peperit integra Virgo Deum » (Carmina varia 19. PL 203, 1395).

c. Ut patet, *etiam alio titulo* Virgo Mater colitur festo Nativitatis Domini, in hymnis et innumeris sequentiis medii aevi, praecipue vero in responsoriis et antiphonis officii divini, quod iam *Amalarius Metensis* animadvertit: « ...responsorii multarum mentium cogitationes, vario colore et multiplici gratiarum actione depictas, offerunt regi Christo, agunt gratias laudando sanctam Mariam, quia quem caeli capere non possunt, suo gremio protulit, agunt gratias, quia dignatus est caelorum rex carnem assumere ex virgine, unde gaudet exercitus angelorum » (De ordine antiphonarii 15, 12 ed. Hanssens, III. Romae 1950, p. 51). Orientales ecclesiae vero altero die Nativitatem sequente proprio festo colunt Deiparam Virginem.

6°. Festum Jesu parvuli. Praedicta elementa plus minus evanuerunt e conscientia populi christiani, tanto magis praevaluit cultus Divini Infantis seu Jesu parvuli.

a. Cum hoc cultu arcte cohaeret consuetudo *Praesepis Bethlehemitici,* ortus ad imitationem S. Francisci Assisinati, cuius ordo religiosus cultum hunc divulgavit. Tamen etiam aetas antiqua cultum praesepis novit, sed primigenius cultus ipsum specum Bethlehemiticum voluit repraesentare. Sic primo in Occidente erecta fuit ° camera praesepis D.N. J. Christi quod basilicae S. Dei Genitricis connectitur », iuxta Liber Pontificalis, praesepe hoc nomen dedit Ecclesiae S. Mariae Maioris (« S. Mariae ad praesepe ») (cf. O. Marucchi, Basiliques et églises de Rome, 2. ed. Romae 1909, 152).

b. Ipse cultus quoque Jesu parvuli *in antiquitate radices possidet.* Sic *Liturgia Byzantina* tenerrimis verbis celebrat Divinum Infantem: « O dulcissimum puerum, quomodo nutriam te? Quomodo te apprehendam, qui omnia nutu tuo tenes? Quomodo te fasciis involvam, qui omnem terram involvis nebula? clamabat sancta Domina » (Guéranger, L'année liturg. ed. 22. I. 151).

c. *Poesis liturgica* praecipue Parvuli laudes cecinit, sic saec. XI-i legimus in collectione *Lemovicensi (Limoges):* « Quem quaeritis, in praesepe, pastores, dicite! Salvatorem Christum Dominum, infantem pannis involutum, secundum sermonem angelicum » (Analecta hymnica 49,8). Infimo medio aevo iam pulcherrimae sequentiae et hymni celebrant divinum parvulum Jesum, sic collectio quaedam *Sùblacensis* saec. XIV-XV.: « Vah, lacte pascitur cibus sanctorum, ' In foeno ponitur rex angelorum. | Dulces panniculi, dulce praesepe! ' Felix est anima, quae videt saepe. | O (piam mirabile, rex maiestatis, | Nasci de Virgine voluit gratis. | Matre paupercula pauper est natus, ' Nobis pauperculis, nobis est datus! j Jesum puerulum, putas, videbo? | Jesum dulcissimum quando tenebo? I Iam cum pastoribus volo transire, | Vult meus animus ad Jesum ire » (Anal. hymn. 45 b., p. 18. n. 2.

d. E talibus hymnis vix iam liturgicis, saepe extraliturgicis, nata sunt *carmina popularia,* quorum iam quidam versus lingua canebantur patria, ut gr. cantio saec. XVI-i Kirchheimensis: « Ex sinu matris parvulus. Est egressus

Jesulus, | Also die sonn durchscheint das glas. ! Hie iacet in praesepio, | Qui regnat sine termino, | Ohn end so ist die herrschaft sein » (Anal. hymn. 45. b., n. 32).

c) Leges cultuales Nativitatis.

Agendum est de Vigilia, de ordine Matutini, de polyliturgia et consuetudinibus Nativitatis.

1°. *Vigilia Nativitatis.* Est vigilia I. cl. (NCR 30 a.), sacratissima vigilia quae observatur adhuc in toto orbe terrarum catholico, in qua a. observandum est *ieiunium cum abstinentia* usque ad mediam noctem 24. dec. (can. 1252 § 2). Attamen S. P. Joannes XXIII. 3. dec. 1959. omnibus fidelibus concessit *anticipandi obligationem* abstinentiae et ieiunii ad diem 23. dec. (AAS 1959, 918). Si dies *23. dec. in Fer. VI.* cadat, abstinentia e duplici titulo obligat et accedit praeceptum ieiunii, quod secus non obligaret. Si *24. dec.* in *Dominicam* incideret, eo anno non habetur obligatio abstinentiae et ieiunii; num idem fiat, etiam si *dies 23. dec.* in Dominicam caderet, dependet ab ulteriore decisione Ecclesiae. — b. *Officium* ordinatur iuxta speciales rubricas quae in breviario inveniuntur (NCR 173). — c. Mane fit sollemnis *lectio martyrologii,* pluviali violaceo, adhibitis acolythis cum cereis accensis et thuriferario, ante lectionem thurificatur liber triplici ductu. Omnes stando auscultant, ad verba « In Bethlehem Judae » genua flectunt. — d. A Completorio huius diei mutatur versus et oratio *Ant. finalis.* — e. Si vigilia incidat in *Dominicam IV. Adv.,* locum tenet Dominicae, de qua nulla fit commemoratio. *Sabbato* praecedenti Vesp. ut in Sabb. ante Dom. IV. Adv., ad *Matutinum* unum Noct., invitatorium Vigiliae, hymnus Adventus, novem ant. et Psalmi de de Ordinario Adv., lectiones de Vig., ad Laudes et Horas de Vig. Missa de Vig., Gloria, Credo, praef. de Trinitate (NCR 30 a., Var. 19). — f. Ante Missam mediae noctis dicitur solum Matutinum, *Laudes* enim in choro et in communi primo mane dicuntur (NCR 145). — De *precibus novendialibus* ante festum Nativitatis Domini cf. superius De Eccl. orante G. 2. b. 1°.

2°. Ordo Matutini, a. Omnia de more absolvuntur (cf. superius De Eccl. orante D. 2. a). *Hymnum* vero intonat competenti voce Celebrans « ob reverentiam divinae Incarnationis », extendens, elevans et iungens manus caputque ad nomen « Jesu » versus altare inclinans. — b. Primae sex *lectiones* leguntur a lectoribus, septimam legit subdiaconus, octavam diaconus in Missa astans, nonam Celebrans. — c. Quod *usum pluvialis* attinet, notandum: Usus tantum in Matutinis sollemnioribus admittitur (CRit 1572, 1), optime ergo hac sacratissima nocte. Pluviale sumi nequit ab initio officii ab hebdomadario et assistentibus, nisi adsit legitima consuetudo (d 3975, 6), nec regulares possunt hoc facere (d 2515, 2). — (Ceterum cf. Caercm. episc. II. 6. et 14.). — d. Ps. 88 breviatur (NCR Var. 20).

3°. Polyliturgia Nativitatis, a. *Historia trium Missarum.* Nullum festum novit tres Missas celebrandas, solum hoc, quaestio vero de origine huius usus, sat obscura, iuxta inquisitiones II. Grisar, Baumstark (Litg. comparée, 3. ed. 170-173) praecipue vero A. Hodüin 1931. sic potest dilucidari. — (1) Primitus *Romae unica Missa* celebrabatur in Basilica Vaticana S. Petri ad Tertiam, textus est Missae » in dic » Missalis Romani. *Hierosolymis* exeunte saec. IV-o teste

Aetheria, iam occurrit statio et Missa *noctis,* et quidem in Basilica Nativitatis in Betlehem, ubi « est spelunca », sc. nativitatis Domini, in qua legebat episcopus Evangelium de nativitate Christi. Inde fideles reversi sunt in s. civitatem, millies cantando versus Ps. 117: « Benedictus qui venit in nomine Domini » et «Deus Dominus et illuxit nobis», adveneruntque diluculo, «quando incipit homo hominem cognoscere ». Dein in Basilica rotunda Anastaseos (=S. Sepulcri) fuit statio secunda, non liquet, num etiam Missa celebrata fuit, unum folium enim excidit e manuscripto; dein in Basilica principali, Martyrion nominata, fuit ad Tertiam Missa sollemnitatis (N. B. tunc nativitas Domini ibi 6. jan. celebrata fuit). — Missa *mediae noctis Romae* medio saec. V-o coepta est celebrari probabiliter in memoriam victoriae de Nestorio reportatae, quando Basilica Liberiana a Sixto III. (432-440) BMVirgini dedicata fuit. Officio Marianae indolis Missâque in « praesepe » coluerunt hanc stationem, Evangelium Missae tempore Leonis Magni adhuc fuit de annuntiatione BMV. (« Missus est »). — (2) *Secunda Missa « ad auroram »* seu pastorum vergente saec. IV-o in V-um iam celebrata fuit in Basilica Vaticana, est ergo antiquior Missa mediae noctis, mos erat enim terminato officio, summo mane Missam celebrare. Textus eius legitur in Gregoriano, et quidem secundo loco, ubi hanc Missam alia Missa, S. Anastasiae virginis et martyris paulatim submovit (cf. Paduanum: Mohlberg η. III. et Hadrianum n. 7. Lietzmann). Versus 550 enim stationis *locus et textus* huius Missae ad auroram mutata sunt, sub influxu Byzantino post victoriam super Ostrogothos reportatam (554) cultus S. Anastasiae etiam Romam pervenit locusque eius electus est fortasse ob nominis similitudinem seu aequivocationem « Titulus Anastasiae », aedificata ab Anastasia, sorore Constantini. Quia haec ecclesia ad clivum Palatini iacet, Summi Pontifices ad secundam Missam huc se recipiebant, celebraturi in honorem S. Anastasiae pro Curia Byzantina. Cessante influxu Byzantino, Missa S. *Anastasiae* ad meram commemorationem redacta est in textu primigeniae Missae « pastorum », quod ob venerandam aetatem etiam in instauratione Pii XII. et Joannis XXIII. sic manebit, qua exceptio e regula generali (NCR Cal.). In hac vero Missa procul dubio cernitur influxus Hierosolymitanus, nam *Graduate* huius Missae continet versus in processione Belhlehemitica cantatos, epistola autem est *Tit 3, 4-7* (« Apparuit benignitas »), quae epistola est *Epiphaniae* in omnibus liturgiis orientalibus, quo die tunc, saec. IV-o exeunte, Hierosolymis nativitas Domini adhuc celebrata fuit. — (3) Statio *tertiae Missae* a S. Petro translata fuit ob rationes practicas saec. XI-o. sub Gregorio VII. Omnes sacerdotes celebrare potuerunt tres Missas inde a saec. XII-o, teste Petro Clunyacensi (t 1156, cf. A. Grazioli, Riv. litg. 1926. 377-379).

b. *Leges cultuales harum Missarum* vero sunt sequentes. (1) « Nocte Nativitatis Domini inchoari *media nocte* potest sola Missa conventualis vel paroecialis, non autem alia sine apostolico indultu » (can. 821 § 2.). Vi *privilegii* iuris communis « in omnibus tamen religiosis seu piis domibus oratorium habentibus cum facultate SS. Eucharistiam habitualiter asservandi, nocte Nativitatis Domini unus sacerdos tres rituales Missas vel, servatis servandis, unam tantum, quae adstantibus omnibus ad praecepti quoque satisfactionem valeat, celebrare potest ct s. communionem petentibus ministrare » (ibid. § 3). Alias Missas privatas ergo media nocte celebrare non licet, nisi habeatur privilegium Apostolicum, vel immemorialis consuetudo. — (2) *Tempus Missarum:* «Prima post mediam noctem, finito « Te Deum » in Matutino, secunda in aurora, dictis

Laudibus et Prima, tertia vero die post Tertiam » (Rubr. gen. Miss. XV, 4). *Privatim* celebrans potest, non debet tres Missas absolvere; si tantum duas celebrat mane, dicit secundam et tertiam Missam; si unam solum, tunc Missam primam tantum « summo mane » liceret celebrare (CRit d 2676), secus Missam parti diei convenientem. — (3) *Stipendium* hoc die pro tribus Missis potest accipi, salva utique celebrandi pro populo (can. 824 § 2). — (4) In Missis, dum a choro cantatur « *Et incarnatus est... et homo factus est* », Celebrans et sacri ministri genuflectunt ante altare simulque caput inclinant (NCR 518 b.). — (5) Hoc dic *ablutio* fit iuxta rubricas, si quis tres Missas *sine intermissione* celebraret (Const, apost. 6 jan. 1953, Instr, n. 7), rubrica vero specialis habet: « In prima et secunda Missa sumpto divino sanguine non purificat, neque abstergit calicem, sed eum ponit super corporale et palla tegit, dein iunctis manibus, dicit in medio altaris: Quod ore sumpsimus etc. et subinde in vase cum aqua parato digitos abluit, dicens: Corpus tuum Domine etc. Hisce peractis, calicem super corporale adhuc manentem, deducta palla, iterum disponit et cooperit ut mos est. » Si *cum intermissione* celebret, tunc iam servanda est praescriptio praedictae Constitutionis, cum aqua facit ablutionem, eamque sumit, calicemque disponit more solito. Eodem modo observandum est die Commem. Omnium Fidelium defunctorum. — (6) Preces imperatae post Missas lectas, dictae « *Leonianae* », probabiliter a celebrante sine intermissione tres Missas tantum in fine ultimae Missae dicendae sunt.

4°. Consuetudines Nativitatis populares.

a. Consuetudo permultis in regionibus, praecipue in regnis Latinis, est *expositio Imaginis Divini Infantis* (Bambino divino), quae potest exponi « in principe loco super altari » (CRit d 3288), iuxte regulam generalem nunquam super tabernaculum quod abusus esset eliminandus (d 2613, 6); mos est per totum tempus natalitium hanc imaginem expositam habere. Si vero expositio fieret SS. Sacramenti, imago item iuxta generalem regulam amoveri debet, potestque collocari in alio altari (d 3320). Imago in altari exposita in Missa sollemni debet post incensationem Crucis triplici ductu thurificari, eodem prorsus modo, ac Crux cum imagine Crucifixi (d 3288). *Collocatio huius imaginis* solet fieri cum quadam sollemnitate, e.gr. in Statibus Foederatis Americae, de quo refert M. B. Hellriegel (Worship 1956, 145): (1) Dum clerus procedit ad altare, cantatur a populo hymnus (« O come, o come, o Emmanuel »). — (2) Dein cantatur hymnus « Maranatha Jesus ». — (3) Celebrans sollemniter cantat Martyrologium. — (4) Invitatorium Matutini Nativitatis cantatur a choro ct populo. — (5) Processio fit per ecclesiam, quatuor pueri portant in fcrulo imaginem Divini Infantis inter cantum hymni « Silent night. » — (6) Celebrans imaginem tenens manibus ostendit populo, inter cantum « Adeste fideles », dein collocat id in altari usque Epiphaniam.

b. Simili modo colitur in aliis regionibus « *Praesepe Domini* » eodem tempore, ubi Infans divinus in praesepi positus apparet, saepe etiam cum interdum iusto pluribus aliis simul figuris, non solum S. Familiae, sed etiam regum, animalium, pastorum, angelorum. Consuetudo haec « certe est laudabilis et retinenda, sed simul in catechesi et contione ratio primaria huius festivitatis proponenda et inculcanda est atque monendum, ut pueri et adulti caritatem suam erga divinum Infantem imitatione ostendant » (Gattcrer p. 228). Species *devotionis popularis* non stricte liturgicae e.gr. continetur in Litt. Circular. Strigo-

niens. (n. 3035. 24. oct. 1955). (1) In capella laterali vel altari habetur « Corona Adventus » cum quatuor candelis accensis, ibique imago Divini Infantis, velata velo violaceo. — (2) Celebrans procedit cum pluviali violaceo ad altare maius, ibique cantantur hymni adventuales (« Rorate coeli » etc.), et recitantur una cum populo responsoria congruentia. — (3) Celebrans indutus pluviali albo, cantat Martyrologium vigiliae, dein procedit cum ministrantibus ad locum ubi asservatur imago Divini Infantis. — (4) Inter cantum « hymnorum angelicorum », celebrans discooperit imaginem, accenduntur lampades ecclesiae, celebrans thurificat imaginem. — (5) In processione fertur a pueris imago ad altare maius, cantantur hymni natalitii. — (6) Ad altari maius legitur Evangelium Lc 2, 1-19, ad verba « et posuit eum in praesepio », imago collocatur in praesepi. Dein sequitur Missa mediae noctis.

c. *In multis regionibus Galliae* vetustis mos e medio aevo oriundus adhuc viget, ut refert L. Hébert (Leçons de liturgie 25. ed. III. 1952, 329): *cantus sollemnis « Genealogiae »* seu *Liber generationis* Jesu Christi see. Matthaeum. Paulo ante Missam Nativitatis mediae noctis Celebrans cum ministris procedit ad altare maius, ibique sollemniter legitur Liber generationis cum caeremoniis suetis. Consuetudo haec medio aevo valde divulgata fuit, ut notat Righetti (II, 62), uberiorque, ritus quod attinet, in *Cicidale,* ubi saec. XIV-o tres diaconi habebant partes in hoc ritu, vestiti dalmaticis albi, viridis et rubri coloris. Finito resp. IX. cantabatur Evangelium supradictum, melodiam sollemnem propriam habens, dein cantabatur ant. « O mundi domina », postea « Te Deum », et immediate post inchoabatur Missa noctis. Talem ritum inveni in multis libris liturgicis manuscriptis *Hungariae* (cf. Libri liturg. mss biblioth. Hungar I. 1947, p. 63. 182, ad quae addantur mss: *Bibl. Universit. Budapest, c. l. 36* saec. XIV. fol. 127., ibid. c. l. 67. ex anno 1459. fol. 137, *Mus. Nat. c. l. m. ae. 132* ex anno 1477 fol. 120, fragmentum *Archivi Cio. Sopron* saec. XIV. nr. 267, fol. 2, *Ordinarius Strigoniensis* saec. XV. ed J. Dankô, Vetus hymnar. Hungar. 1896, 496).

d) Octava Nativitatis.

1°. Leges cultuales octavae. Inde a saeculo V-o hoc festum octavam possidet. Ab a. 1961 *octaoa est II. cl.,* dies infra octavam sunt II. cl. et peculiari modo ordinantur: manent festa S. Stephani, Joannis evang., Innocentium (26. 27. 28 dee.); die 29. dec. S. Thomae Beckett mr. et 31. dec. S. Silvestri I. papae rediguntur in commemorationem, extra haec admittuntur solummodo I. cl. festa particularia (NCR 68). *Officium* autem sic ordinatur: extra festa Sanctorum Matutinum habet novem Psalmos cum tribus lectionibus. Invitator., hymnus, ant. Psalmi ut in Nativit., tres lectiones de Scriptura occurrenti, ut indicatur. Ad Laudes ut in Nativit., ad Horas ant. et Ps. ut in Psalterio, reliqua de Nativit. Ad Vesp. excepto die 31. dec., ant. et Ps. e II. Vesp. Nativit., a capitulo autem de octava, nisi faciendum sit de sequenti Dominica aut de sequenti festo (NCR 175.) in octava quoque breviatur Ps. SS. (NCR Var. 20).

2°. Si Dominica infra octavam occurrit a die 26. usque 31. dec., semper fit ab a. 1961 de Dominica cum commemoratione festi, nisi incidat in festum I. cl. (NCR 69). Officium fit: ut supra (1°.), lectiones vero, si fiat die 26. 27. 28. dec., prima et secunda lectio e I. noct. Nativit., tertia de homilia in evangelio diei (in breviario nunc I. lect. III-i Noct. n. 220). Si in aliis diebus occurrerit, lectio I. et II. de Script, occurrenti, tertia de homilia in evangelium diei, ut in officio dominicali (NCR 176).

3'. De festis « Comitum Christi » in genere, a. *Comites Christi* vocantur a Durando *festa Sanctorum* Nativitatem Domini sequentia: 26. dec. S. Stephani protomartyris, 27. dec. S. Joannis Evangelistae, 28. dec. S. Innocentium (Rat. div. *offic. VII, c. 42, 1).* Quorum rationem idem scriptor concinne sic dat: « Triplex est enim martyrium. Primum voluntate et opere et tale fuit martyrium beati Stephani, et hoc est dignissimum in genere. Secundum martyrium est voluntate et non opere, quale fuit martyrium Joannis Evangelistae, qui martyr fuit, sicut patet in antiphona. In ferventis olei dolium missus est Joannes Apostolus, divina se protegente gratia, illaesus exivit. Tertium martyrium est opere et non voluntate, quale fuit martyrium Innocentium, quod sicut tertium locum obtinet in dignitate, ita et inter festa martyrum » (ibid. n. 2. 6. 10). — b. Revera autem pedetentim et diversimode haec festa Nativitatem Domini comitantia evoluta sunt, ut Tabella a nobis concinnata inferiusque subiecta demonstrat.

TABELLA FESTORUM COMITUiM CHRISTI.

Dies	1. Persia a. 343	2 Cappad s. IV.	3. Syria a. 411	4. Africa a. 505	** o. RoXfA s. VI	6. Gallia s. VI-VIII	FT /. Byzant.	8. .Armen.	9. Copti
26	Steph.	Steph.	Steph.	Steph.	Steph.	Steph.	Deipara et Joseph	David et Jac. frater Domini	Dies 2. Nativ.
27.	Petri, Pauli	Petri, Joan., Jacob.	Jacob. Joan.	Joann. Bapt. et Jacob.	Joann. Evang.	Joann. Evang.	Steph.	Steph.	Steph.
28.	Jacob. Joann.	Pauli	Petri, Pauli	SS. Infaut.	Innocentium	Nat. Infant.	10 mil. mart.	Petri, Pauli	
29.							SS. Infant.	Jac. Joann, filii tonitrui	Caedes Infant.
30.									Joann. Apost

Notae *Ad 1.* cf. Afrahat hom. 21. — *Ad 2.* cf. Gregor. Nyssen. PG 46, 579. 725. 789. — *Ad 3.* cf. Martyrolog. e graeco syriace translatum (Wright) AA. Sanet. Nov. II, p. LII. — *Ad 4.* cf. Kalcnd. Carthag. PL 13,12. 28. — *Ad 5.* cf. Leonianum (ante 554) Feltoe p. 164-167. Stephanus quidem deest, sed ut merito notat Righetti in Missa Stephani die 3. aug. (Feltoe p. 89. Missa VII. praef.) vestigium reperiri potest celebrationis dic 26. dec.: « ...nativitatem Filii tui merito prae ceteris passionis suae festivitate subsequitur ». Die 26. dec. in Gregoriano primigenio anni 592 (Kl. Gamber p. 32. n. 6-8.). — *Ad 6.* E fontibus liturgicis saec. VI-VIIL, cf. P. Salmon, Le Lectionn. de Luxeuil I. (1944' p. CIV-CVII. — *Ad* 7. N. Nilles, Kalend. manual. I, 366-372. — *Ad 8.* Ibid. II, 629-630. — *Ad* 9. Ibid. II, 700.

c. Revera vix negari potest ideam centralem fuisse Nativitatem Christi digne celebrandi causa circumdare Sanctis, qui quodammodo cum Verbo Incarnato coniuncti sunt. Propinquitate enim *familiaritatis,* carnali vel spirituali, coniuncti colebantur in cyclo natalitio: BMV., S. Joseph, David, abavus Christi, Jacobus minor, « frater » Christi, Joannes Evangelista, sublimissime scribens de Verbo incarnato, simulque cum eo Jacobus Maior frater eius. *Propinquitate autem alia* colebantur principes Apostolorum, qui in Occidente cultu festorum 29. jun., 18. jan. et 22. febr. sufficienti gaudentes in cyclo natalitio nunquam festum peculiare possedere; dein flores martyrum, i. e. infantes innocentes propter Christum occisi; demum imprimis gloriosus protomartyr Stephanus. — In hodiema-liturgia Romana iure solent tria festa haec concipi quâ *latria quaedam primitialis,* cultu Sanctorum Divino Infanti exhibita; offeruntur enim Salvatori: primitiae martyrum Christum confessorum S. Stephanus, primitiae virginalis vitae S. Joannes, primitiaeque vero infantium Innocentes martyres.

4°. Festum S. Stephani. a. *Historica.* Festum procul dubio late propasatum fuit diffusione reliquiarum Protomartyris quae 3. dec. 415 in *Kafargamala* a presbytero Luciano inventae et in *Jerusalem* translatae sunt, ibique in Basilica Reliquiae venerunt in insulam *Minorca* per Orosium deportatae anno 416., imperatrix Eudoxia anno 431 quasdam partes reliquiarum condidit *Constantinopoli;* in multas *Africae* civitates quoque pervenerunt reliquiae Protomartyris, ut S. Augustinus testatur: « Stephani corpus usque ad ista tempora latuit, nuper autem apparuit, sicut solent apparere corpora Sanctorum martyrum, revelatione Dei, quando placuit Creatori. Praecedentibus signis locus demonstratus est, et quomodo fuerat revelatum, sic et inventum est; multi inde reliquias acceperunt, quia Deus voluit et huc venerunt » (Sermo 318, 1 PL 39. 1438). Cultus S. Stephani etiam *Romae* floruit; saec. V-o Papa Simplicius (468-482) coepit aedificare Basilicam in honorem protomartyris in Monte Caelio, quae locus stationis effectus est. Aliae ecclesiae aevo antiquo erant S. Stephani « kata Galla patricia, » item « kata Barbara patricia, » demum ecclesia Protomartyris in Via Latina, patrocinata a Demetriade virgine Romana, quae adhuc ab Augustino reliquias S. Stephani accepit in ecclesiam eas recondens. Medio aevo fere 35 ecclesiae in honorem Protomartyris dedicata exstiterunt.

b. *Indoles huius festi* colligitur e textibus liturgicis. (1) *Socius Christi* celebratur hoc die: « Omnipotens sempiterne Deus, qui gloriaris in conspectu Sanctorum tuorum... quos Unigenito tuo per adsumptionem carnis et Crucis redemptionem *sociasti* » (Miss. Mixtum contestatio). Haec ratio societatis pulchre explicatur a S. Patribus, e. gr. a S. Gregorio Nysseno: « Ecce diem festum pro die festo et gratiam pro gratia accipimus! Heri Dominus universi nos pavit, hodie Domini imitator. At quomodo hic, aut quomodo ille? Ille hominem pro nobis induens, hic pro illo hominem exuens » (PG 46, 701 s.). — (2) *Primus manipulus messis* celebratur S. Stephanus in liturgia Gallicana: « Deus omnipotens, qui Ecclesiae tuae sanctum Stephanum martyrem primum messis tuae manipulum dedisti et primitivam oblationem novellae confessionis ostendisti praeconem, quod fructus maturescentes exhibuit » (Miss. Bobiens, or.). — (3) *Exemplum caritatis* laudatur Stephanus a liturgia Romana: « Da nobis Domine, imitari quod colimus, ut discamus et inimicos diligere, quia eius natalitia celebramus, qui novit etiam pro persecutoribus exorare » (iam sic in Gregoriano primigenio, cf. Hadrian, n. 10 et Paduan, η. V.).

c. Consuetudines populares. (1) Festum hoc per multa saecula fuit festum *diaconorum,* qui medio aevo multis in locis praesidebant hoc die in choro. Fortasse quodammodo huius traditionis memoria est « dies iuvenum » (Junginannstag, legénynap) in quibusdam regionibus Germaniae, Tyroliae, Hungariae, in quo peculiaria exercitia devotionis pro juvenibus celebrantur, communio generalis habetur. — (2) Dies Nativitatem Domini sequentes iam in mythologia et consuetudinibus paganis (« folklore ») excellebant *ritibus fertilitatem exposcentibus,* Ecclesia autem more suo tales ritus suppressit substituendo alios loco paganorum. Talis quidam ritus paganus fuit ambire agros confinesque civitatis equitando ante ortum solis versus orientem in die S. Stephani, putantes, quod talis equitatio vel cursus prosit equis vel contra vermes (sic Thesaurus pauper. IV. sub voce Superstitio, Franz, Kirchl. Benedikt. II., 132). Ad transmutandum talem morem paganum invecta est *benedictio equorum* die 26. dec. (Rit. Rom. tit. IX. c. 5, 2), quae Romae in foro Basilicae S. Stephani hoc die peragi solebat. Benedictio *avenae* (Rit. Rom. tit. IX. c. 7, 9) vel *salis* ex eadem causa hoc die adhuc hodie in quibusdam regionibus Germaniae fit.

5°. Festum S. Joannis Evangelistae. a. *Statio* huius festi est Basilica maior S. Mariae, merito quidem, quia Joannes Beatae Virgini Matri loco Filii datus est a Domino, dein etiam quia opus musivum (Mosaik) huius ecclesiae a Sixto III. adornatum Concilii Ephesini memoriam suscitat, civitatis, ubi sepulchrum veneratur huius Apostoli. Basilica Lateranensis primitus Salvatori dedicata erat, oratoria S. Joannis Baptistae et Evangelistae Papa Hilarius (461-468) erexit prope Baptisterium huius Basilicae; ecclesia S. Joannis ante Portam Latinam posterioris est temporis, et solum exeunte medio aevo est facta titularis.

b. *Indoles huius festi* componitur e titulis quibus liturgia S. Joannem honorat. (1) Joannes est *discipulus dilectus* a Domino: « Iste est Joannes, qui supra pectus Domini in coena recubuit » (ant. ad Magn.), vel ut in Officio nocturno dicitur: « Hic est ...qui privilegio amoris praecipui ceteris altius a Domino meruit honorari » (Resp. III.). Idcirco beatus Joannes in liturgia Graeca saepe vocatur « epistethios » (pectorius), quia supra pectus Domini recubuit. — (2) Joannes celebratur ut « *Theologus* », praecipue ab orientalibus Patribus, sic e. gr. S. Athanasius vocans eum « theologos anêr d, virum theologum (C. gent. 42. PG 25, 83); S. Cyrillus Alexandrinus appellans eum « theologiae scriptorem 0 (In Jo II, 1 PG 73, 217); Theophylactus vero simpliciter « theologikôtaton », maximum theologum eum nuncupat (PG 123, 523). Ratio vero est, ut liturgia Ambrosiana dicit, quia « humanae dispensationis modum excedens, ipsam Verbi tui sine initio deitatem prae ceteris *et* conspiceret *et* voce proferret » (pracf. festi). Nomen theologi ita commune evasit, ut civitas Ephesina etiam nunc lingua turcica « Aiasuluk » (aios theologos) vocatur. — (3) *Evangelista* colitur e cuius Evangelio multa hauriri possunt, nam « fluenta Evangelii de ipso sacro dominici pectoris fonte potavit » (Resp. II.); ideo precatur in oratione diei: « ...ut beati Joannis Apostoli tui et Evangelistae illuminata doctrinis, ad dona perveniat sempiterna. » Qua Evangelista praecipuus fuit amoris praeco, in lectionibus I. Noct. initium legitur Ep. I. Joann, cum conclusione signante: « ...in hoc caritas Dei perfecta est. » — (4) Laudatur etiam *postolus et propheta* apocalypticus: « ...beatus Apostolus cui revelata sunt secreta coelestia » (Benedict.); a liturgia Byzantina appellatur « contemplator ineffabilium revelationum et interpres supernorum Dei mysteriorum » (26. sept.

Hesperinon mega), qui iuxta Leoniani verba « a piscium captione cessavit, ut animas mundanis gurgitibus immersas calamo doctrinae salutaris abstraheret, destitit pelagi profunda rimari, secretorum scrutator redditus divinorum » (Feltoe p. 165). — (5) *Virginitas* S. Joannis extollitur quâ ratio dilectionis dominicae: « Diligebat autem eum Jesus, quoniam specialis praerogativa castitatis ampliori dilectione fecerat dignum: quia virgo electus ab ipso, virgo in aevum permansit » (resp. V.). — (6) Honoratur deinde ut *filius BMVirginis* « cui Christus in Cruce Matrem Virginem virgini commendavit » (Resp. I.); vel ut pulchre canitur in praefatione Ambrosiana huius diei: « ...quem Dominus Jesus Christus non solum peculiari semper decore ornavit, sed et in Cruce positus, tamquam haereditario munere prosecutus, vicarium pro se Matri filium clementer attribuit ».

c. *Consuetudo popularis* huius festi est *benedictio vini,* quae multis in regionibus Europae adhuc in usu est, originemque ducit e nisu sanctificandi consuetudinem paganam bibendi in honorem deorum, qui ab Ecclesia suppressi substituti sunt Sanctis, praecipue S. Michael, Stephanus, Joannes Baptista, Martinus Turonensis, Ulricas, Leonardos, Sebastianus tali modo invocati sunt. Sacramentale vero potus in honorem S. Joannis Evangelistae evasit, S. Joannem enim considerabant ut *patronum viatorum,* ideo ante itinera suscipienda vinum biberunt in cius honorem, iuxta popularem expositionem verbi dominici: « Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? Dicunt ei: Possumus » (Mt 20, 22). Accedit ad hoc etiam *legendaria quaedam narratio* de S. Joanne, qui calicem potu venenoso plenum bibere coactus intactus remansit, sicque potus vini S. Joannis etiam finem apotropaeicum accepit. Consuetudo haec iam per saecula in usu fuit, quando Ecclesia etiam Sacramentale condidit *ad benedicendum vinum;* prima vestigia iuxta Ad. Franz iam saec. VIII-IX. occurrunt (Kirchl. Bened. I, 305, de tota consuetudine p. 286-334). Varietas fere infinita formularum iam a celebri investigatore antiquitatis Franz demonstrata facile augeri potest e codicibus manuscriptis; nil mirum, si etiam in hodierno ritu Romano benedictio vini in festo Joannis adhiberi potest (Rit. Rom. tit. IX. c. 3, 2 formula brevior et 3. longior). « Sacerdos, retentis omnibus paramentis, excepto manipulo, vinum a populo oblatum, in memoriam et honorem S. Joannis, qui venenum innocue sumpsit, benedicit » (Rit. Rom. ibid.).

6°. Festum S. Innocentium, a. *Historica. Sepulchrum* infantium ab Herode occisorum iam ab Antonino peregrino e Placentia oriundo visitatum fuit: in Bethlehem « habent monumentum et omnes in unum requiescunt et aperitur et videntur ossa ipsorum » (Geyer, Itinera Hierosol. p. 178). Festum tamen videtur primo in Occidente celebratum fuisse, saec. V-o certe iam habentur huius usus vestigia; Petrus Chrysologus secunda die Nativitatis homilias habuit de fuga in Aegyptum et nece puerorum (sermo 150. 151. 152); Kalendarium Cartilagineuse ex anno 505 quoque notat iam festum, quod in Sacramentariis liturgiae Romanae saec. VI-o occurrit. *Ecclesia stationis* est Basilica S. Paidi. quae iuxta antiquam traditionem reliquias Innocentium possidet, Sixtus V. (1585-1590) partes reliquiarum transtulit in S. Mariam Maiorem.

b. Festum hoc parvulorum inde ab matura aetate media *indolem* habuit *luctuosam,* « Te Deum » non fuit cantatum, nec Gloria in Missa, color fuit violaceus. Quod vario modo interpretatum fuit: feminarum dolore, cui condolet Ecclesia (Amalarius), post mortem non statim evolarunt ad gloriam (Micro-

logus Benialdi). Inde ab a. 1961 *cessavit hic luctus:* color est rubeus, dicitur «Te Deum », Gloria et Alleluia (NCR Var. 21).

c. *Consuetudines populares.* (1) Sicut festum S. Stephani festum fuit diaconorum, hic dies festum erat *puerorum choralium* in medio aevo; multis in locis eligebatur « episcopellus, » qui thronum occupavit episcopi, pueri alia quoque officia et dignitates hoc die sibi arripuerunt, abusus orti dein sunt per synodos ct decreta eliminati. Nunc vero motione liturgica crescente, saepe habentur hoc festo *devotiones pro pueris ministrantibus* (chierichetti, acolythes, Ministranten), alibi devotiones pro pueris, in quibus etiam *benedictio* datur *pro infantibus,* maximo cum successu. Benedictio haec optime adhiberi potest e Rit. Romano (Tit. IX. c. 4, n. 3. pro infantibus parvulis); dein benedici debent pueri qui conveniant in ecclesiam hora competenti, « quos ibi a parentibus vel magistris associari maxime deceret, ut in silentio et modestia facilius *se* componant. Quibus per ordinem dispositis, et pueris a puellis, si adsint, separatis, sacerdos ad ipsos accedat et brevissimo ac simplici sermone eos alloquatur, prout opportunum sibi visum fuerit, » dein peragat benedictionem « puerorum cum in ecclesia praesentantur » (Rit. Rom. tit. IX. c. 4, 5). — (2) Hodie adhuc in quibusdam regionibus Europae mos habetur popularis, quod adulti a pueris hoc die Infantium leviter *virgis percutiuntur,* quae praecipue sumi solent e salicibus (Weidenbaum, willow, osier, füzfa), brevibus versibus autem salutem precantur percussis (H. Koren, Volksbrauch p. 73 s.). Mos hic etiam per Ecclesiam *sanctificatus* est; medio aevo virgae benedicebantur, Ad. Franz non affert tales textus, qui tamen inveniri possunt, sic e. gr. in quodam textu a Praemonstratensibus scripto saec. XIV-o legitur: « Benedictio virgarum. Oremus. Benedic quesumus domine has virgas quas ex meatu terre interiora per spiracula profluente laticem mundare iussisti, ut fugata ab eis cuncta dyabolica machinacione, quicunque humiliter se inclinaverit ad percussionem virgarum istarum, tibi inmensas graciarum referat acciones » (Brev. monasterii Jasowiensis in SIowacia: cod. lat. 36. Univers. Budapest, fol. 60-60'). In alio codice praemonstratensi saec. XV-i vero inveni orationem: « D. J. Ch. Fili Dei vivi, benedicere et sanctificare digneris virgas istas, sicut benedixisti tres virgas Moysi prophète tui in terra Egipti, sic ct istas virgas bene t dicere et sancti f ficare digneris tua benediccione celesti, ut quicumque ex tuis famulis ab istis virgis signati fuerint, tua benediccione repleantur » (Univers. Budapest. cod. lat. 67. fol. 167).

7°. Octava Nativitatis: olim Circumcisio, a. *Historia festi* sat implicata videtur, sed quia e tribus vel quatuor elementis coaluit, simul totidem elementa suppeditat indolis festivae. Primo quidem observari potest quaedam celebratio antipagana *adversus strenas.* Strenae (gr. gallic, étrenne) sunt dona ct munuscula quae subditi superioribus suis iique subditis occasione initii anni civilis elargita sunt, annus vero civilis Imperii Romani inde ab anno 46 a. Chr. per Julium Caesarem Kalendis Januariis incepit. Praeter munuscula etiam conviviis ct compotationibus aliisve generibus luxuriae celebrabant hunc diem, iam *Tertullianus* vituperabat christianos, quod cum gentilibus talibus lasciviis indulgent: « Munera commeant? Strenae consonant? » (De idolol. 14. CSEI. 20. 46). Tamen adhuc *Augustinus* fideles suos admonet, ne gentilium Kalendis participent, est enim « sollemnitas gentium, quae fit hodierno die in laetitia saeculi atque carnali, in strepitu vanissimarum atque turpissimarum cantionum, in conviviis et saltationibus turpibus... in canticis vanitatis, nugatorio specta-

culo et turpitudinibus variis theatrorum, insania circi, crudelitate amphitheatri »; christifideles vero sic se gerant: « Dant illi strenas, date vos eleemosynas, ...inebriantur illi, vos ieiunate! Si hodie non potestis ieiunare, saltem cum sobrietate prandete! » (Sermo 198. PL 38, 1024-1026). Post scmisaeculum *Petrus Chrysologus* loquitur de processionibus, ut videtur iocosis, deorum, homines « portant idoli personam, » lusus fuerunt ergo quibus deorum historias reprae-sentabant, Chrysologus vituperat eos, dicens *a* qui iocari voluerit cum diabolo, non poterit gaudere cum Christo n; imo, ut videtur etiam personas animalium gerebant, fuerunt enim qui *α* se bestiis compararunt, exaequarunt iumentis, aptaverunt pecudibus, daemonibus formaverunt *n* (Sermo 155. PL 52, 609-611). Ad debellandas nequitias has gentilitias nefandasque in Deum iniurias ad «calcandam gentilium consuetudinem » Concilium Turoncnse II. (567) in Gallia, Concilium Toletanum IV. (633) in Hispania ieiunium indixit ritumque quadragesimalem pro 1. ian. In ritu vero Romano Missa celebrata est ad «prohibendum ab idolis», cuius orationes clare loquuntur de gentilibus consuetudinibus, sic iam in Leoniano, ut Cabrol monet (D.AL III. 1722): « Omnipotens sempiterne Deus, qui tuae mensae participes a diabolico iubes abstinere convivio, da quaesumus plebi tuae ut gustu mortiferae prophanitatis abiecto puris mentibus ad epulas aeternae salutis accedant » (Feltoe p. 9), quae oratio etiam in Gelasiano primigenio legitur (Wilson p. 9). In Sacramentario Gregoriano solum vestigium deprehenditur talis Missae in postcommunione huius diei: « Haec nos communio Domine purget a crimine... » (Lietzmann n. 14, 3, in Paduano iam alia legitur *η*. IX, 51). — Notandum, quod indoles haec poenitentialis huius diei hodie quoque inculcari potest, reviviscunt enim profanae lasciviae celebrandi annum novum.

b. In liturgia Romana octavo die cum praedilectione colebatur Virgo puerpera; Missa I, ian. inscribitur in quibusdam codicibus lectionarii « *Natale* S. *Mariae* », oratio iam in Gregoriano primigenio eadem est quam hodierna («Deus qui salutis aeternae»). Iuxta quosdam agitur fortasse de dedicatione ecclesiae S. Mariae antiquae in Foro, quae in loco templi Vestalium saec. IV-o aedificata est, ubi diem 1. ian. praecipua festivitate recolebant, a saec. V-o monachi graeci ibi habitabant, inde forsitan intelligi potest, quod in liturgia Octavae Nativitatis antiphonae textusque liturgici Graecae originis adhibentur (of. Righetti II, 68-69). Missa usus huius habet introitum « Vultum tuum », graduate « Diffusa est », et adhuc saec. XI-o « iuxta romanam auctoritatem » sic remansit, teste Bernoldo Constantiensi (Micrologus c. 39 PL 151, 1007).

c. Tamen etiam idea *octavae Nativitatis* evolvi coepit, Gelasianum primigenium et etiam Gregorianum primigenium anni 592 (Gamber p. 33, n. 10) habet Missam in « Octabas Domini,» oratio tamen legitur « Deus qui salutis.» In Gelasiano vero habetur oratio et praefatio propria octavae: « Deus qui nobis nati Salvatoris diem celebrare concedis octavum » et « ...cuius hodie octavas nati celebrantes » (Wilson p. 9). — Pronum erat, etiam *circumcisionem* Domini commemorare, quae praecise octavo die fuit post nativitatem, Evangelium etiam Romae lectum est circumcisionis, nomen vero « Circumcisio Domini » in Hispania et Gallia, et etiam in Capua saec. VI-o iam occurrit 1960, nomen mutatum est: « Octava Nativitatis Domini », et festi gradus elevatus in I. cl. (NCR Var. 12a et 6a.).

8°. Dc extensione temporis natalicii. Tempus *natalicium* vocatur tempus a Nativitate Domini usque ad diem 13. ian. inclusive. Huiusmodi temporis

spatium comprehendit dies 2-5. ian. quod vocatur tempus *Nativitatis,* dein dies 7-12. ian. quod vocatur tempus *Epiphaniae* (NCR 72 a. et b.). a. *Tempus ‹ Nativitatis* », dies ergo 2-5. ian. novitcr ordinati sunt. Fiunt feriae per annum i. e. feriae IV. cl., proin cedunt cuilibet officio, etiam officio BMV. in Sabbato, absque commemoratione feriae. — b. *In officio* antiphonae et Psalmi sumuntur ad omnes Horas et versus nocturni sumuntur dc currenti hebdomadae die, ut in Psalterio — antea semper recitari debuit ad Horas minores Ps. 118. Lectiones dicuntur de Scriptura occurrenti, conclusio hymnorum et versus in Resp. brevi ad Primam dicuntur de Nativitate Domini. Quibus servatur indoles gaudiosa huius temporis; ideo dicitur etiam Te Deum (NCR 237 e.), cetera fiunt ut in die 1. ian. (NCR Var. 22). — c. *Missa* dicenda est ut 1. ian., abolentur ergo Missae 2. 3. et 4. ian. de octavis olim S. Stephani, Joannis et Innocentium et 5. ian. olim vigiliae Epiphaniae, praefatio dicitur Nativ. ut praefatio de tempore (NCR 484 b.), sine Communicantes, Credo non dicitur (NCR Var. 22). — d. His diebus permittuntur *Missae votivae IV cl.* et si qua commemoratio occurrat, Missa huic commemorationi conformis (NCR 387). — e. Prohibentur autem Missae defunctorum cotidianae seu IV. cl. (NCR 423). — f. Si Dominica intra hos dies (2-5. ian.) occurrat, tunc semper in hac, secus die 2. ian. celebratur Festum SS. Nominis Jesu, quod iam antiquitus colebatur, nomen etenim ipsam personam designat. Ipsum monogramma IHC verisimiliter litterae initiales sunt huius sanctissimi nominis, occurrentes iam saec. II-o in inscriptionibus graecis (DAL VII, 2, 2468), dein etiam in manuscriptis latinis inde a saec. VI-o. Nomen ipsum semper veneratum est in Ecclesia *modo generali,* iuxta dictum Scripturae: « in nomine Jesu omne genu flectatur », (Phil 2, 10), specialis cultus tamen inde a S. *Bernardino Senensi* coepit divulgari medio saec. XV-o. Primum festum SS. Nominis vovit civitas Camaiore in Italia anno 1528, Clemens VII. Ordini Minorum concessit 1530 festum SS. Nominis Jesu, Innocentius XIII. 1721 extendit festum ad totam Ecclesiam latinam in Dom. II. post Epiph. celebrandum. Sanctus Pius X. 1913. ordinavit sedem festi: fit prima Dom. ianuarii, nisi venerit in die 1. 6. vel 7. ian., tunc enim fit de SS. Nomine die 2. ian. (NCR 17. a).

3. Dc Epiphania Domini.

a) Origo festi Epiphaniae.

1°. Origo Alexandrina. *Clemens Alexandrinus* inter 208-211 in suo Libro Stromatum refert de Gnosticis Alexandrinis: « Illi qui Basilidis sunt, etiam baptismi eius diem colunt noctem transigentes (prosdianyktcreuontes). Dicunt autem quod est annus decimus quintus Tiberii Caesaris, dies vero 15. Tybi mensis, iuxta quosdam autem 11. eiusdem mensis » (= annus p. Chr. 29, dies 10. vel 6. ian. Stromat. 1, 21, 145, ed. Slahlin II, 90). — a. Cur Gnostici Basilidis *baptismum* seu anniversarium putativum Christi celebrabant, pronum est: haeretice enim opinati sunt Jcsum fuisse merum hominem, quando autem in baptismo eius Spiritus in eum descendit, factum esse Unctum seu Christum, natalis ergo Dei-Hominis ponendus est in cius baptismo per Joannem facto (J. P. Steffes, Das Wesen des Gnostizismus 1922, 84-104). — b. Dies festi fuit 6. *mensis Ianuarii,* quia hoc dic Gentiles festum coluerunt solstitii hiemalis inde a Pharaone Aegypti Amenemhet I. (anno a. Chr. 1991), festum celebratum est Aevi, graece *Aiôn,* temporis personificati, (pii patronus fuit urbis (R. Reitzenstein. D. iranische Erlosungsmysterium 1921. 188 f.); festum hoc paga-

num cum sollemni vigilia celebratum fuit, quod Gnostici imitati sunt. Dies 11. jan. fuit ultimus dies festivus Gentilium. — c. *Obiectum* huius festi fuit tum cultus *Solis* — Helios, qui iuxta nisum hcllenisticum versus henotheismum identificatus fuit cum deo Aiôn; etiam *aquae* cultus invenitur hoc die: e Nilo sumebant aquam eamque sollemnibus caeremoniis effundebant; hoc die quidam affirmabant in aliquibus locis sacris aquam fontis « *vini* sapore fluere » sicut in insula Andro (Plinius, Natur, hist. II, 103).

2°. Evolutio in festum complexivum seu plures ideas complectens his elementis data fuit. a. Factum est historicum, quod Donatistae Epiphaniam nunquam « celebrare voluerunt, quia nec unitatem amant, nec orientali ecclesiae... communicant » (Aug. Sermo 202. PL 38, 1033), quia vero Donatistae 311-312 ab Ecclesia catholica discessi sunt, Ariani autem ex altera parte post 325 ab Ecclesia eiecti festum hoc servaverunt iuxta Gregorium Nazianzenum (Or. 43. PG 36, 561), festum Epiphaniae verisimiliter *inter 312-3'25* divulgari coepit. — b. Spiritu Sancto instigante festum primitus haereticum a catholicis castigatum et evolutum fuit *in festum complexivum.* Festum hoc 6. ian. sequentes ideas festivas comprehendebat. (1) *Nativitas* Christi corporalis, catholici enim rectam fidem amplexi tunc iam Salvatorem Deum-hominem professi sunt. — (2) Remansit idea *baptismi Christi,* privata sensu haeretico, — (3) accessit miraculum *Canaeum* transmutationis aquae in vinum, congruens ideae paganae de aqua fontis in saporem vini versa: Dominus Christianorum revera, non solum mythice, peregit hoc miraculum, — (4) ultimo adiectum fuit adventus *Magorum* orientalium, quia tunc iam festum novum vocitari coeptum est *Epiphaneia,* i. e. apparitio, manifestatio, ad tramitem « epiphaniarum » seu apparitionum mythicarum deorum paganorum. Ineunte saec. IV-o sic iam festum habebatur complexivum Epiphaniae.

3°. Diffusio festi Epiphaniae, a. In *Oriente* Epiphania semper magis evasit festum quasi-exclusivum *Baptismi Domini,* decursu iam saec. IV-i et ideo dies fixus administrationis Baptismi quoque evasit, in quo facta est benedictio aquae maior (hagiasmos megas), hodieque celebris in ecclesiis Orientis. Medio aevo haec benedictio aquae etiam in pluribus ecclesiis Occidentis viam invenit, una cum administratione Baptismi. Sic in Sacramentario Gellonensi (saec. VIII), in Ordine Rom. XV. (Andrieu III, p. 111 et 82) eiusdem saeculi, item in ms Paris, lat. 820 legitur « sanctificatio aquarum in die theophaniarum iuxta morem orientalium ecclesiarum »; imo in Hungaria habetur exeunte saec. XI-o in vigilia Epiphaniae « benedictio aquae more graecorum » in codice ms Bibi. Zagrebiensis MR 165. ad usum ecclesiae Jaurinensis (Gyor, Raab) scripto (cf. G. Morin, JfLw 1926, 55). — b. In *Occidente* idea visitationis *Magorum* insignis facta primo loco poni coepit, S. Augustinus quinquies locutus de Epiphania, solum Magos memorat, similiter S. Leo Magnus (PL 38, 1035 et PL 54, Sermo 31-38). — c. In territorio *liturgiae typi Gallicani accessit* etiam idea *multiplicationis panum* a Domino bis patratae; miraculum transmutationis aquae in vinum enim conceptum est qua typus Eucharistiae, pronum ergo erat adiungere etiam panum multiplicationem, quae semper ut typus Eucharistiae concepta fuit. — d. Epiphania, festum Ecclesiae universalis saec. XVII-o singulares sortes nacta est in *Scotia.* Presbyteriani seu « Puritani » huius regni enim anno 1644 post monarchiae destructionem reiecerunt festum 25. dec., locoque huius coeperunt celebrare diem 6. ian. ut « antiquum natalem » (old Christmas); hodie

iam etiam diem *25. dec.* observant (B. Steuart, The development of Christian worship, 1953, 240 s.).

b) Indoles Epiphaniae.

1°. Apparitio divinitatis in carne cum omnibus manifestationibus suis est idea centralis et complexiva huius festi (Baumstark). Nomina Epiphaniae hoc clare produnt; primo nomen hoc nativum, dein aliud nomen in Oriente praeprimis usitatum: *Theophania,* nomen iam poeticum. Nomen hoc latine versum raro occurrit penes Latinos, sic dicitur « Manifestatio » (Fulgent. Ruspens.), seu « declaratio » (Leo Magnus), aliquoties « Theophania » (Gelasianum), saepissime « Epiphania ». Orientales nomine « manifestationis » plerumque utuntur: slavice dicitur « *Bogojavlenije* », rumenice « *Aratarea* », armenice « *Hajdmithiun.* » Nomen usitatum in Oriente erat quoque a baptismo desumptum: « *Ta hagia phôta* » = sancta lumina, graece enim baptismus vocatur photismes = illuminatio. Inde derivatur aliud nomen slavicum « Prosvtitëenije » (illuminatio), vel etiam « *KreSÔenije* » (baptismus). Nomen hungaricum inde a medio aevo usitatissimum est « *Vizkereszt* » i. e. « baptismus aquae », benedictio aquae enim slavice vocatur « *Vodosojiastije* » = sanctificatio aquae. Nomina hodierna plerumque ab Epiphania originem ducunt: *épiphanie, epiphany, befana,* vocatur etiam a Magis: *Dreikonigstag, iri kralové* (bohem.), *haromkirdlyok* (hungarice).

2°. *Primum elementum* festi huius est apparitio Christi in came. Idea haec nativa festi penes catholicos pedetentim evanuit, festum enim Nativitatis abunde eam celebravit. Solum Hierosolymis colebatur Nativitas Christi usque ad medium saec. V., ut supra iam dictum est (2. a. 5°. f.). Apparitiones seu manifestationes ergo aliae excultae sunt.

3°. *Sic secundum elementum* festi evasit Christi manifestatio in Jordane, occasione cius baptismi aquarum fluenta sanctificata sunt. Christus-Sponsus aquam *fertilem reddidit* supernae gratiae; Matris Ecclesiae « uterus immaculatus » (praef. benedictionis fontis) est « divinus fons » baptismi. Iuxta liturgiain Byzantinam « hodie natura aquarum sanctificatur, Jordanus dividitur, Huentaque undarum retrahit videns Salvatorem aquis suis baptizandum ». — Epiphania proptcrca evasit festum Nuptiarum coelestium (Hieros gamos).

4°. *Tertium elementum* est festi *miraculum Christi* in Cana Galilcae patratum, ubi Dominus nuptiis adstans aquam mutavit in vinum sicque « hoc fecit initium signorum Jesus in Cana Galilaeae et *manifestavit* (ephanerosen, cf. epiphania) gloriam suam, et crediderunt in eum discipuli eius » (Jo 2, 11). In festivitate sanctarum nuptiarum Christi et Ecclesiae apte sic celebrantur nuptiae Canacae, ad quod apte coniungitur:

5°. *Quartum elementum* festi: manifestatio coram Magos, primitias mundi extra ludaeos, « ut Salvatoris mundi, stella famulante, manifestata nativitas mentibus eorum et reveletur semper et crescat » (Gelasian. Missa XL Wilson p. 11). Hanc manifestationem seu epiphaniam concinne extollit eadem praefatio, dicens: « Hanc enim festivitatem index puerperae virginalis stella praecessit, quae natum in terra coeli Dominum magis stupentibus nuntiaret, ut manifestandus mundo Deus et coelesti denuntiaretur indicio et temporaliter procreatus signo-

mm temporalium ministerio panderetur. » Quam apte adoratio Magorum ideae » *sacrarum nuptiarum* » iungitur, ostenditur antiphona ad Benedictus: » Hodie coelesti Sponso iuncta est Ecclesia, quia in Jordane lavit Christus eius crimina, currunt cum muneribus magi ad regales nuptias et ex aqua facto vino laetantur convivae. »

6°. Quâ *quintum elementum* ad haec accessit in territoriis liturgiae typi Gallicani multiplicatio panum. « Inlatio » quaedam mozarabica sic comprehendit diversa elementa festi: « Hodierna dies incarnationis tuae testimonia perhibet... terribile sidus apparuit. Additur his, quod Jordanis aquas sanctificaturus intrasti ad humilitatem exempli... Insuper infundisti aquas hydriis aquis vinum... Quinque quoque panibus et pisce geminato quinque virorum milia inter deserta pavisti » (Missale Mixtum PL 85, 235-237). In eadem Missa occurrit etiam idea sacrarum nuptiarum: « Alto et admirabili sacramento docens: quod a saeculis sponsae sibi iungendus Ecclesiae advenerat » (ibid. 234 s.).

c) Consuetudines liturgicae et populares.

1°. Benedictio aquae in pervigilio Epiphaniae, a. Iam dictum est benedictionem aquae hoc festo in Oriente celebrem fuisse et usque hodie usitatam. Qui mos etiam in Occidentis ecclesiis cognitus ortus videtur esse *in Palestina,* ubi teste Antonino peregrino e Placentia oriundo versus 570 hoc die Jordanis fluenta sanctificabant penes locum baptismi Christi, ibique episcopus catechumenos baptizavit (Itinerar, c. 11 CSEL 39, 166). — b. *In Italia meridionali* inter Italograecos nota erat haec benedictio aquae et etiain in Hungaria saec. XI-o (cf. supra a. 3°. a.). Medio aevo posteriore divulgari coepit benedictio sollemnis aquae in Occidente, sed formula eius fere eadem est ac benedictio communis maior aquae. Secunda formula invenitur in Sacerdotali Romano (anni 1537, p. 193): « Benedictio aquae in vigilia Epiphaniae, quae licet in Romana Curia non fiat, in multis tamen ecclesiis solemniter celebratur. » Textus ibi leguntur ad mysterium festivum relationem habentes, praesertim autem eminet immersio Crucis more orientalium in aquam cum versu « Qui aquam amaram immisso ligno dulcorasti, benedicere et sanctificare digneris... ℟ — c. Usus huius benedictionis a S. Cong. Rit. 6. dec. 1890 prohibitus fuit, simulque *nova prorsus benedictio* permissa (Rit. Rom. tit. IX. c. 9, 28). (1) Celebrans, tenens mitram, si sit episcopus, quam ad preces deponit, pluviali albi coloris indutus cum ministris indumentis eiusdem coloris vestitis procedit ad locum prope altare maius, ubi paratum est alveolus cum aqua et vasculum cum sale. — (2) Omnibus genuflectentibus dicuntur Litaniae Omnium Sanctorum, cum inserta invocatione: « Ut hanc aquam benedicere digneris » etc. — (3) Deinde canuntur Psalmi 28. 45. 146. — (4) et dicitur Exorcismus contra satanam et angelos apostaticos, quibus imperat Deus altissimus, maiestas Christi, sacramentum Crucis, excelsa Dei Genitrix, Virgo Maria, fides SS. Apostolorum Petri et Pauli et ceterorum Apostolorum, martyrum sanguis et pia Sanctorum omnium intercessio. — (5) Postea a cantoribus canitur cum ant. « Hodie caelesti Sponso iuncta est Ecclesia » Benedictus vel Magnificat cum oratione diei. — (6) Dein celebrans benedicit sal et aquam, adhibitis consuetis formulis exorcismi et benedictionis (Tit. IX. c. 2) et ter mittitur sal in aquam cum formula convenienti et oratione « Deus invictae virtutis auctor... ℟ — (7) Expleta benedictione populus aspergitur cum aqua recenter benedicta et solemniter dicitur ℣ Te Deum. »

2°. Lectio genealogiae Domini, Per totum medium aevum legebatur sollemni modo post Matutinum Evangelium *genealogiae iuxta Lucani* (3, 23-38), quae praecise post succinctam narrationem baptismi a Luca refertur. Generatio Christi secundum Matthaeum lecta fuit in nocte Nativitatis Domini, ut Durandus notat, « praemissa duo evangelia de generatione Christi de nocte dicuntur, quia utraque Christi generatio fuit in nocte i. e. obscura et priorum sensibus non intellecta » (Rat. Div. off. l. VI. c. 16, 13).

3°. Benedictio auri, thuris ct myrrhae, cretae et domorum. a. Evangelicum eventum imitati, morem iam diu servatum benedicendi *thus* in usum fidelium, clerici medii aevi exeuntis hanc benedictionem in diem Epiphaniae fixerunt, adiungentes benedictionem *auri et myrrhae,* etsi saepissime solum benedictum fuit. Thure enim usi sunt fideles post benedictionem Ecclesiae, « ut omnes languorum insidiae odorem ipsius sentientes effugiant, « et « ut omnes gestantes, tangentes, odorantes eam, virtutem et auxilium percipiant Spiritus Sancti, » (benedictio e fontibus Gallicanis, Λ. Franz, Benediktionen I, 425-6). — b. *Benedictio cretae* in usu medii aevi hucusque non est inventum (Franz I, 434). Creta usi sunt iam diu fideles, ut *nomina « trium regum »* in ianuis domorum inscribant; quae nomina nullo modo sunt historica, sed symbolica: iuxta Tabulam Gentium (Gen. c. 10.) tres familias gentium significant, *Casparus* fortasse a « Caspi » gentes Japhetiticas (indogermanos), *Baltasar* nomen hoc babylonicum, gentes semiticas, *Melchior* (= rex lucis) meridionales gentes Hamiticas. Nomina haec primo saec. XI-o occurrentia tamen iure significant Magos orientales, quorum nomina incognita sunt, sed iuxta convictionem Ecclesiae aeternam salutem consecuti merito invocari possunt a fidelibus. Benedictio cretae ab Ecclesia concessa (Rit. Rom. tit. IX. c. 3, 5) etiam usum inscriptionis supponit: « ...ut quicunque ex ea sumpserint, vel in ea domus suae *portis scripserint* nomina sanctorum tuorum Gasparis, Melchioris et Baltassar, per eorum intercessionem et merita, corporis sanitatem et animae tutelam percipiant. » — c. Benedictio domorum in festo Epiphaniae exeunte medio aevo in usum venit (Franz I, 610), et supponit benedictionem aquae (cf. supra n. 1°), post nuam ad analogiam Sabbati Sancti etiam domus benedici possunt. Quae benedictio in Rit. Rom. habetur (tit. IX, c. 3, 6); suscipi potest etiam si benedictio thuris, auri et myrrhae eiusdem Ritualis (tit. IX. c. 3, 4) locum non habuerit. Benedictio domus in festo Epiphaniae incipit (1) cum cantu « Magnificat » et ant. « Ab Oriente venerunt », — (2) inter cuius cantum aspergitur domus et incensatur, — (3) postea dicuntur versus cum oratione diei. — (4) Sequitur responsorium » Illuminare, illuminare Jerusalem, » et oratio benedictionis « Bene f dic Domine locum istum... »

4°. Publicatio festorum mobilium in Epiphania. Diem fixum pro Paschatis celebratione singulis annis publicum reddere debebant, in Aegypto hoc iam saec. lll-o factum est per epistolam festalcm episcopi Alexandriae. Quia festum Epiphaniae in Aegypto ortum duxit, hoc festo die consuevit annuntiari festum Paschatis, ut epistolae festivae S. Athanasii demonstrant. Mos annuntiandi in ecclesiis cathedralibus et praecipuis Pascha festaque tempora ab eo dependentia medio aevo multis in regionibus consuetus erat. Pontificale Romanum (Pars 111.) hodieque habet *ritum huius annuntiationis.* Archidiaconus, vestitus pluviali albo, cantato Evangelio Epiphaniae, ascendit ambonem, ibique cantat annuntiationem: « Noveritis, fratres carissimi, quod annuente Dei misericordia,

sicut de Nativitate DNJ Christi gavisi sumus, ita et de resurrectione eiusdem Salvatoris nostri gaudium vobis annuntiamus, ⁊ Dein publicantur dies Septuagesimae, dies Cinerum, Paschatis, Ascensionis, Pentecoste, demum Dominicae primae Adventus.

5°. Officium stellae. Drama quoddam liturgicum medio aevo usuvenit visitationem Magorum seu regum Orientalium repraesentans. Primi textus in monasteriis regni *Francorum septentrionalis,* seu Neustriae orti sunt saec. IX-X-o, inde autem diffusi in tota Europa. Sic exeunte saec. XI-o talis repraesentatio liturgica invenitur in Agenda pontificali episcopi Hartwick Jaurinensis in Hiingaria nomine « Tractus stellae ». Ludi similes Epiphaniae vocari solebant « *officium stellae,* » repraesentarique solebant post tertium nocturnum Matutini, vel etiam ante Missam sollemnem, e. gr. *Rotomagi* (Rouen): « Tertia cantata, tres clerici de maiori sede, cappis et coronis ornati, ex tribus partibus, cum suis famulis tunicis et amictis indutis, ante altare conveniant » (K. Young, The drama of the Medieval Church, Oxford 1933, II, 436). Alibi, ut in ecclesia *Bisontina* (Besançon) « in Missa, ante evangelium, fit processio trium regum, qui induuntur amictis, albis, paratis stolis et tunicis colore differentibus, apponuntur etiam humeris cappae, dantur capelli cum coronis et unicuique famuli, qui deferant phialas » (Young II, 37). In ecclesia autem *Lemovicensi* (Limoges) « cantato offertorio, antequam eant ad offerendam, tres chorarii induti vestibus sericis, habentes singuli coronam auream in capite suo et cyphum deauratum pretiosum in manibus suis, ad instar trium regum, qui venerunt adorare Dominum, ingrediuntur per portam maiorem chori incedentes cum gravitate » (Young II, 34). *Obiectum* huius dramatis fuit: adoratio Magorum, saepe auctum aliis elementis: pastoribus, rege Herode et scribis, infantibus innocentibus, vel etiam fuga in Aegyptum (de his cf. opus *Karsai* 1943 in Litt. cit. p. 37. 46-47. 50-51). — Ludus hi Epiphaniae tam commendati fuerunt in vulgus, quod gratia popularis eorum reliquias ad nostra usque tempora servavavit. Ethnographia religiosa testatur tales ludos hodie adhuc in multis regionibus existere (in Germania « Stcmsinger » vocati).

d) Tempus Epiphaniae.

1°. Vigilia Epiphaniae antiquissima abolita est inde ab anno 1956 sicque mansit (NCR 30-32. et Calend.). Benedictio aquae — ut videtur — tamen fieri potest (cf. supra c. 2°). Ritum diei 5. ian. cf. 2. d. 8°.

2°. Dies 7-12. ian. a. Octava Epiphaniae fuit quondam sollemnissima *Hierosolymis,* ut Aetheria refert; per octo dies omnis laetitia celebrabatur et idem ornatus ut in die festo, sed per varias ecclesias. In *Occidente* octava Epiphaniae vix invenitur ante saec. VIII., Gregorianum Hadriani et etiam Paduanum habet « orationes alias ⁊ post festum Epiphaniae (Lietzmann n. 18., Mohlberg ŋ. XII, 63-65), quae initium quoddam octavae repraesentant. *Octava* Epiphaniae usque 1956 fuit octava privilegiata II. ordinis, nunc suppressa est, *dies olim octavae 3-12. ian.* facti sunt feriae IV. cl., sed constituunt « tempus epiphaniae » quod est pars temporis « natalicii » (NCR 72). — b. In *officio feriali* antiphonae et Psalmi ad omnes Iloras et versus nocturni dicuntur de currenti hebdomadae die, ut in Psalterio, lectiones de Scriptura occurrenti cum responsoriis de epiphania, Te Deum dicitur, reliqua de epiphania, oratio de epiphania, post Dom. I. de ea. Antiphonae ad Magnif. et Bene-

diet, propriae, dic 12. ian. e II. Vesp. epiphaniae. In *festis* his diebus nulla *iit* commemoratio de feria, sed retinetur versus ad Primam dc epiphania (Var. 23). — c. *Missa* (coloris albi NCR 119 a.), cum Gloria, sine Credo, praefatio de epiphania ut de tempore (NCR 485 b.), sine Communicantes (Var. 23 a.). — d. Missae votiva ct pro defunctis cf. 2. d. 8°. d.-e.

3°. Festum S. Familiae. Quodam sensu iamdudum celebratum fuit hoc festum *Dominica in octava Epiphaniae,* Evangelium enim huius Dominicae narrat visitationem paschalem S. Familiae Hierosolymis peractam. *Leo Xlll.* 14. jul. 1892 per Litteras encyclicas familiis christianis exemplo proponens, optavit, ut familiae catholicae arctiori pietatis nexu eidem Familiae devincirentur, ideoque anno sequenti *novum* officii Missaeque propriae schema conficiens benigne induisit, ut festum S. Familiae a singulis dioecesibus et ordinibus religiosis id petentibus III. Dominica post Epiphaniam recoli possit (CRit d 3802 14. jul. 1893). Quia hoc festum ritui duplicis maioris gaudebat, *reformatio Sancti Pii X.* id prorsus abolevit (Rubr. ad Constit. « Divino aillatu » tit. IV, 3 AAS 1911, 644). Missale dein in editione typica (25. jul. 1920) *festum restituit* sedemque eius perpetuo in Dominicam I. post Epiphaniam fixit, quod etiam nunc contingit. Novus Cod. Rubric. (Var. 7 a.) festum evexit ad II. cl.

4°. Commemoratio Baptismatis Christi, a. Fit. die 13. ian. ut festum II. cl. (NCR Var. 24), antea fuit octava Epiphaniae et habuit gradum dupl. mai. — *Missa* dicitur, prouti in Missali Romano habetur hoc die 13. ian., praef. Epiphaniae est propria (485 a.). Optime *supplet* hoc festum mysterium Epiphaniae, celebratur enim hoc officio peculiari modo *idea Baptismi Domini,* quae manifestatio fuit eius divinitatis per theophaniam SS. Trinitatis accredita. Quod iam *Durandus* animadvertens dixit: « Parum agitur de baptismo Domini in nocturnali officio (sc. Epiphaniae) sed suppletur in octava, in qua agitur de apparitione facta in baptismo praesertim in antiphonis Laudum, quae ostendunt effectum baptismi in nobis, scilicet baptizemur, ut a peccatis per nostrum lavacrum abluamur » (Rat. div. off. l. VI. c. 16, 13). — b. Ad *Matutinum, Laudes, Vesp. et Completor,* omnia dicuntur ut in Epiphania, sed Matut. incipitur more solito, in III. noct. dicitur Ps. 86., lectiones trium nocturnorum ut in die 13. ian. z\d *Horas minores* antiphonae et Psalmi de currenti hebdomadae die, oratio propria, reliqua ut in Epiphania (NCR Var. 24). — c. Si occurrat hoc die *Dom. I. post Epiphaniam,* officium fit de S. Familia, sine commemoratione Baptismatis Domini et sine commemoratione Dominicae. Tunc initium Epist. I. ad Cor. legitur Sabbato praecedenti (ibid.).

5°. De Dominicis post Epiphaniam seu vagis cf. supra B. 3. f. Quodam modo lux mysterii natalitii resplendet in iis quoque, Dom. II. celebrantur in Evangelio nuptiae Canaeae ad Epiphaniam pertinentes, ceteris Dominicis per Introitum memorantur angeli adorantes.

4. De Purificatione BMVirginis et Praesentatione Domini.

a) Origo ct evolutio festi.

In Oriente saec. IV-o exeunte natum est festum hoc, quod a Graecis hodicdum saepissime vocatur *Hypapantê,* latine *Occursus* sc. Domini cum Simeone sene et Anna prophetissa. Nomen hoc usurpatur etiam a Slavis *(stretenyc Gospoda)* et Eumenis *(intempinarea Domnuluï);* cui propinqua est deno-

minatio Syrorum « Ingressus Domini in templum » *(ida cTmaeU'the dmaran l'haikla,* Nilles I, 91). Etiam nomen *Purificationis BMVirginis* ex Oriente profectum est, Hesychius presbyter (f 439) iam utitur hoc nomine *(heortê ton katharsiôn:* PG 93, 1468), quod in Occidente communior evasit, etsi « Occursus » vel « Ypapanti » quoque legitur. Alia nomina Occidentis sunt. *Praesentatio Domini,* aliquoties « *Dies* S. *Simeonis* »; nomen magis populare fuit « *Luminaria,* » e quo ortum duxerunt nomen germanicum « *Lichtmess,* » anglicum • *Candlemass* »; vel paulo aliter « *Candelaria,* » a qua denominatione profecta sunt nomina: italice « *Candelora,* » gallice « *Chandeleur,* » hungarice « *Gyertyaszentelo* » (= sanctificatio candelarum). — Origo huius festi satis intricata est coaluit enim e duobus festis sui iuris seu ab invicem indepentibus, festo sc. Hierosolymitano et festo Romano.

1°. Festum Hierosolymitanum saec. IV-o exeunte. a. *Idea nativa* huius festi e V. Testamento mutuata est, mulieres enim enixae masculum prolem septem diebus, dein adhuc triginta tribus diebus « immundae » habitae, die quadragesimo debebant offerre agnum anniculum in holocaustum, (pauperes loco agni turturem aut pullum columbae), et pro peccato turturem vel pullum columbarum (Lev 12, 1-8). Haec actio ritualis *Purificatio* vocata est, et differt ab ea alia: *redemptione sc. primogeniti.* Primogeniti enim Domini fuerunt: « Meum est omne primogenitum, ex quo percussi primogenitos in Terra .Aegypti» (Num 3, 13), sed ad ministerium liturgicum V. L. idem Dominus ordinavit: « Tolles Levitas mihi pro omni primogenito filiorum Israel » (Num 3, 41); primogeniti autem redimi debebant « siclis argenti quinque, pondere sanctuarii » (Num 18, 16). Duae hae actiones *distinctae simul peractae fuerunt* per Familiam sacram, teste Luca : « Et postquam impleti sunt dies *purgationis* (Mariae) secundum legem Moysi, tulerunt illum in Hierusalem, ut *sisterent eum* Domino » (2,22).

b. *Hierosolymis* saec. IV-o exeunte festum celebratum fuit in memoriam huius eventus evangelici, ut Aetheria admirans refert: « Sane quadragesimae de epiphania valde cum summo honore hic celebrantur, nam eadem die processio est in Anastase et omnes procedunt et ordine aguntur omnia summa laetitia, ac si per pascha. Praedicant etiam omnes presbyteri et sic episcopus semper de eo loco tractantes evangelii, ubi quadragesima die tulerunt Dominum in templo Joseph et Maria, et viderunt eum Symeon et Anna » (Peregrinatio c. 26, Geyer, Itinera p. 77).

c. Festum hoc die habitum fuit *14 febr.,* quia eo tempore Hierosolymis nativitas Christi adhuc in Epiphania celebrata fuit, ab hoc festo vero numeratis quadraginta diebus, habetur 14. febr. ut datum festi, quod, si nativitas Domini die 25. dec. celebrata fuerit, automatice in diem 2. febr. cadere debuit.

2°. Festum Urbis die 2. febr. Romae die 2. febr. festum a festo Hierosolymitano independens celebratum fuit, nostra opinione verisimiliter iam saec. IV-o, quando Ecclesia contra henotheismum solarem dimicare debuit (cf. supra 2. a. 4°. b.). Romae enim ineunte mense februario processio quaedam lustralis celebrari consuevit, ad quam reprimendam invecta videtur processio Christiana, quod cum magna probabilitate demonstrari potest.

a. Factum quidem *primo fontes tantum medii aevi* memorant, e quibus primus est sermo dubius *Ildephonsi Toletani* (f 717): «Agitur haec festivitas mense februario, quam Romani adhuc pagani a Februo, id est Plutone sic

vocaverunt, februare enim purgare dicimus, quo mense lustrabatur civitas... quam lustrandi consuetudinem... Christiana mutavit religio, quum... ecclesiarum loca cum cereis et diversis hymnis lustrantibus circumeunt » (PL 96, 277). Fontes memorati referunt quoque de processione gentilium, « *amburbale* » vocata, cuius memoriam recolunt: *Sermo codicis ms.* saec. X-i, a Dom de Bniync detectus (Rev. Bén. 1922, 15), *Jo Beleth* versus 1182, eiusque fere coaevus *Innocentius III.,* opinionem hanc clarissime exprimens: pagani « facibus accensis in principio mensis urbem de nocte lustrabant. Unde festum illud appellabatur amburbale. Cum autem sancti patres consuetudinem istam non possent penitus exstirpare, constituerunt, ut in honore B. Virginis Mariae cereos portarent accensos » (Sermo 12. de Sanctis PL 217, 510).

b. Secundo probari potest, tenuiter quidem, etiam e *fontibus antiquitatis.* Xomen « *amburbale* » occurrit penes grammaticum Servium: «Amburbale vel amburbium dicitur sacrificium, quod urbem circuit et ambit victima » (ad Vergil. 3. eclog. 77, cf. Forcellini I, 234). Talis lustratio seu expiatio mense februario fieri solebat, ut Macrobius testatur: « Lustrari autem eo mense civitatem neccsse erat, quo statuit (sc. Numa Pompilius), ut iusta diis manibus solverentur » (Satum. I, 13, 3). Verisimile est iuxta Usener (Weihnachtsfest 322 s.), quod amburbale per triduum celebratum fuit; processio talis lustralis ante Chr. anno 49 sic peracta est, primus dies fuit instar praeparationis, tertius dies vero dies « post festa »; revera fortasse datum benedictionis candelarum die 3. febr. inde ducit originem.

c. Tertio confirmatur hypothesis eo, quod Romae processio candelarum *e loco nativo processionis* paganae, a Curia senatus, transformata in ecclesiam S. Hadriani profecta est: Sergius (687-701) constituit, ut die « sancti Symeonis, quod Ypapanti Graeci appellant, letania exeat a Sancto Hadriano, et ad Sanctam Mariam populus occurrat » (Liber Pontif. ed. Duchesne I, 376). Processio vero haec ipsa multo antiquior est Sergio, ut E. Moreau ostendit (artic. in Litt. cit. Nouv. Rev. theol. 1935. 1-20).

3". Duo haec festa in unum coniuncta sunt, ut videtur iam saec. V-o. a. *Romae* S. Leo Magnus iam forsitan testis est obiecti cultualis e Hierosolymis transsumpti versus 447; inter festa enim, quibus « a Domino gesta honore colimus », numerat « aliud, quo hostia pro eo legalis offertur » (Ep. 16, 2 PL 54, 697).

b. *Hierosolymis* vero circa 450 festo Purificationis adiuncta fuit processio candelarum. Vidua enim officialis cuiusdam Romani, Vicellia, graece *Hikelia* nominata, construi iussit *basilicam* iuxta viam inter Jerusalem et Bethlehem, in (pia primo celebrata fuit « festum occursus Salvatoris nostri Dei cum candelis », teste sacerdote huius ecclesiae, Theodosio (Usener, Der hl. Theodosios, Leipzig 1890. 106). Quod hoc post Concilium Chalcedoncnse factum est, ostenditur eo, quod inonophysitae festum candelarum iam non celebrant (cf. H. W. Codrington, Downside Review 1941, 189-195).

l . Festum in ritu franco-romano e liturgiis typi Gallicani auctum fuit *benedictione candelarum.*

a. *Ritus romanus* non novit benedictionem hanc; iuxta Ord. Rom. XV. « colliguntur omnes, tam clerus Romanae ecclesiae, quam et omnes monachi monasteriorum cum omni populo suburbano et copiosa multitudo peregrino-

rum... aci ecclesiam b. Aclriani mane prima, et accipiunt de manu pontificis unusquis cereo (!) uno, omnes viri cum feminis et infantibus et accendunt eos portantes in manibus, omnes una voce canentes » (M. Andrieu III, 1951, 113).

b. *Benedictio peculiaris candelarum* in ritu *typi Gallicani* videtur exorta, quod stilus orationum ostendit Gallicanus; fontes autem primigenii usque nunc nondum cognoscuntur, textus varii benedictionum scripti sunt inde a saec. X-o (Franz, Benediktionen I, 445-458). Initio benedictio facta est unica oratione, dein numerus orationum multiplicatus est; verisimile est quod instauratio litur-gica etiam ritum Missalis Piani simplificabit. Ante benedictionem candelarum in *Gallia* etiam *novus ignis* benedictus est, quod in Germania deest. S. Ber-nardus refert de hac benedictione ignis: « Processuri sumus bini et bini cande-las habentes in manibus, ipsas quoque succensas, nec quolibet igne, sed qui prius in ecclesia sacerdotali benedictione fuerit consecratus » (Sermo 2. de Purif. PL 183, 368). Ritus hic etiam in Hungaria usitatus erat (Rado, Libri lit. mss I, 1947, 49. 118. 168., in Missalibus impressis ibid. p. 25).

b) Indoles festi.

Ie. Dies photophoriae. a. Cyclus natalitius est cyclus Incarnationis, duo festa praecedentia: Natale et Epiphania iam festa fuerunt novi luminis, simili modo etiam Purificatio est festum lucis. In die Nativitatis *colitur* lux nova, in festo « sanctorum luminum », seu Epiphaniae Ecclesia *iungitur* Sponso, qui est lux mundi, in Purificatione, in hodierna festivitate Ecclesia lampadem ferens *occurrit* Christo. *Sophronius* exhortatur fideles suos: « Nemo procul esto a ferendo lumine, ideo etenim lumen cereorum adhibemus, ut divinum lumen Venturi ostendamus, per quem omnia resplendent et pulsis malis tenebris illu-minantur lumine perpetuo, praesertim autem ut splendorem demonstremus ani-mae, quocum Christo occurrere debemus » (textus e manuscripto Parisino, Use-ner p. 343). — b. Idea luminis ferendi ad occursum *etiam medio aevo viguit,* ut Durandus demonstrat: « Prudentes virgines imitemur, quarum beata virgo est caput, ut accensa in nobis lampade castitatis, et bonorum operum cum eis in templum gloriae ad verum sponsum ingredi mereamur » (Rat. div. off. I. VII. c. 7, 16). Ideo iuxta vetustum morem, dum Christus inter nos moratur, cande-lae accensae in manibus tenentur, « dum legitur evangelium et iterum ab incepto Canone usque ad expletam communionem » (Ruhr. spec. diei). — c. Lumen candelae etiam *virtutem Sacramentalis possidet apotropaeicam.* Can-delae enim benedicuntur, ut « qui eam ad repellendas tenebras humano generi tribuisti, talem signaculo crucis tuae fortitudinem et benedictionem accipiat, ut in quibuscunque locis accensa sive imposita fuerit, discedat et contremiscat ille malignus diabolus et aufugiat... de cunctis habitationibus colentium Deum, de basilicis, de domibus, de angulis, de lectulis, de refectoriis, de cunctis locis, in quibuscunque Deo famulantes habitant, et requiescunt, dormiant, vigilant, ambulant, et consistunt » (Gerbert, Monum. Vet. Lit. Alemann, II, 71). — d. Lumen cerei etiam *monet* fideles *de igne Spiritus Sancti invisibili,* ut « sancto igne dulcissimae caritatis Dei succensi » esse possint, (Miss. Rom. 2. or.), sicque dicere queant: « ...ita corda nostra invisibili igne, id est Sancti Spiritus splendore illustrata, omnium vitiorum caecitate careant, ut, purgato mentis oculo, ea cer-nere possimus, quae tibi sunt placita, et nostrae saluti utilia » (3. oratio).

2°. Dies occursus quoque est festum hoc, sicut S. *Gregorius Nazianzenus* perspicue explanat: « Cum Simeone in ulnas accepimus, et cum Anna, illa, inquam, vetula et casta femina confessi sumus » (PG 36, 349). Hanc misericordiam incarnatam affirmat *Introitus* Missae nos in pectus nostrum suscepisse, sicut Simeon parvulum Infantem: « Suscepimus misericordiam tuam in medio templi tui. » Hunc occursum celebrat etiam *Invitatorium:* « Ecce venit ad templum sanctum suum dominator Dominus: Gaude et laetare Sion occurrens Deo tuo! » *Cantus vero processionalis,* e lingua graeca translata, extollit idem mysterium: «Adorna thalamum tuum Sion, et suscipe Regem Christum, amplectere Mariam, quae est caelestis porta... » Occursus hic eo fit, quod « Spiritus Sancti gratia illuminati atque edocti, Christum veraciter agnoscamus et fideliter diligamus » (5. oratio).

3°. Festum est etiam dies eventus, id est « alicuius exitus negotii, in quo quaeri solet, quid ex quaqua re evenerit » (Cicero De inv. I, 28, 42), seu dies quo *impletae sunt exspectationes,* a. Impletum enim est *praescriptum legis* mosaicae, etsi nec Dominum, nec Beatam Virginem obligavit, sed « subiecit se nobiscum legi, ut exemplum daret. Decuit enim, ut impleret omnem iustitiam... Qui in sinu est Patris et cum eo regnat et sempiternus est Filius, per quem omnia facta sunt, se subiicit humanis legibus et sacrificium offert ille, quem omnes adorantes venerantur et una cum Patre suo dilaudant » (S. Cyrill. Alex. PG 77, 1040). In adiempletione legis cerni potest exemplum oboedientiae, humilitatis et paupertatis divinitus datum. — b. Impletum dein est *exspectatio duorum senum* multa perpessorum; Simeonis, qui fuit « homo iustus et timoratus exspectans consolationem Israel, « et Annae prophetissae, quae « ipsa hora superveniens, confitebatur Domino, et loquebatur de illo omnibus qui exspectabant redemptionem Israel » (Lc 2, 25. 38).

c) Leges cultuales Purificationis.

1°. Gradus festi est II. cl., sed — etsi vocetur Purificatio B. Mariae V. — tamen rectissime deinceps haberi debet tamquam *festum Domini* (Var. 45 a.), proinde si nunc iam in Dominicam cadat, etsi Septuagesimae, festum celebrari debet etiam in Dominica, iuxta regulas praecedentiae, nam festum II. cl. si est Domini, celebrandum est (NCR. Tabella praecedentiae n. 91, 14. 15).

2°. Locus ubi fieri *debet* benedictio et processio: omnes ecclesiae parochiales et collegiatae, seu ubi adest obligatio Missae conventualis (CRit 3813, 1). Fieri *potest* in qualibet alia ecclesia vel oratorio nam « benedictiones et distributiones candelarum, cinerum et palmarum non sunt de iuribus mere parochialibus » (CRit d 2123, 5 cf. can. 462).

3°. Celebrari potest haec benedictio et processio a quocunque sacerdote, sed Missam ipse debet celebrans dicere (CRit d 1252), solus episcopus non obligatur post benedictionem ipse Missam celebrare (Caer. Ep. II. 16, 16).

1. Ritus *benedictionis, distributionis et processionis,* a. *Praeparanda.* Missale apertum in cornu Epistolae, in plano ibidem mensa cum candelis opertis linteamine mundo, vas aquae benedictae cum aspergilio. Celebrans vestitur

alba, stola sine manipulo et pluviali albi coloris, ministri sacri similiter incluti cum eo procedunt (NCR 120. b).

b. Celebrans stans versus altare in cornu Epistolae, manibus iunctis dicit *orationes quinque* in Missali praescriptas in tono orationis Missae ferialis. Finitis orationibus ponit incensum in thuribulum, id benedicit et dein ter *aspergit* candelas aqua benedicta, dicendo « Asperges me » sine cantu et sine Psalmo et ter *adolet* incenso.

c. Deinde fit *distributio candelarum.* Iuxta monitum Memorialis Rituum celebrans potest « sedere et congruo sermone *admonebit* populum de institutione huius sollemnitatis atque mysterii et utilitate candelarum benedictarum utque populus reverenter accedat ad distributionem ». *Distributio ipsa vero fit tali modo.* Dignior ex clero accedit ad altare indutus superpelliceo sine stola et dat candelam celebranti stanti versa facie ad populum (CRit 2148, 5), celebrans tantum candelam osculatur. Deinde celebrans stans in medio ante altare, versus populum distribuit candelas, primum digniori, a quo ipse acceperat, qui solum candelam osculatur, dein ministris sacris et aliis clericis in ordine, ultimo laicis. Omnes genuflectentes accipiunt candelam, quam prius osculantur dein manum celebrantis, exceptis praelatis, si adsint. — Si *celebrans solus sit,* in medio altaris facie ad Crucem versa accipit candelam et eam osculatur, dein deponit eam, vel tradit ministranti, ut liber sit ad distributionem candelarum. Inter distributionem canuntur: *antiphona* « Lumen ad revelationem gentium » et *canticum* « Nunc dimittis n, repetita semper antiphona post unumquemque versum, postea autem *ant.* « Exsurge Domine, cum versu Psalmi et Gloria Patri, necnon n Flectamus genua » omitti debent, sacerdos dicit tantum « Dominus vobiscum » et « Oremus » (NCR Var. 45. b.); oratio « Exaudi » dicitur manibus iunctis.

d. Postea fit *processio.* Celebrans primum ponit *incensum* in thuribulum, in cornu Epistolae (CRit d 4198, 1), dein diaconus vertens se ad populum, alioquin ipse celebrans, dicit: « *Procedamus in pace* ». Praecedit thuriferarius cum thuribulo fumigante, deinde subdiaconus vel ministrans cum Cruce, medius inter duos acolythos seu ministrantibus cum candelabris accensis, clerus, seu ministrantes per ordinem ultimo ipse celebrans cum diacono a sinistris. Omnes procedunt cum candelis accensis, quae exteriore manu portantur. Interim cantantur *antiphonae* « Adorna thalamum tuum Sion » et « Responsum accepit Simeon », iuxta necessitatem. Processio fit extra vel intra templum, secundum consuetudinem. *Ingrediendo* ecclesiam cantatur « Obtulerunt pro eo Domino \ar turturum... » Finita processione celebrans deponit pluviale, sumit manipu- um et planctam, dein incipit Missam.

Litteratura.

Quoad Adventum. F. *Cabrol,* Avent, *in:* DAL I (1907) 322-3-3230. — *P. Siffrin,* Zur Geschichte des Advents, *in:* JfLw 1921, 127-130. — *R. Pierret,* Le temps de l'Avent, *in:* Questions lit. paroiss. 1932, 263-284. — F. *Nougués,* L'Avent primitif et son concept. Paris 1934. — *Idem,* Où en est la question des origines de l'Avent? *ibid.* 1935, 221-232, 257-268. — *J.* A. *Jungmann.* Advent und Voradvent. Ueberreste des gallischen Advents in der romischen Liturgie, *in:* ZfkTh 1937, 341-390. — *Ph. Oppenheim, Die liturg. Feier des Advents in* Montecassino im 12. Jahrhundert, *in:* Studia Benedictina in memoriam gloriosi transitus S. Benedicti, Romae 1947. 315-339. — A. *Baumstark,* Advent, *in:* Reallex. f. Antike u. Christentum I (1950) 112-125. — A. *Chavasse,* L'Avent romain du Vl-e au VIII-e siècle, in; Eph. Lit 1953, 297-308. — *J. Daniélou,* Il mistero dell'Avvento, Brescia 1953. — W. *Croce,* Die Advcntsliturgie im Lichte ihrer geschichtlichen Entwicklung, *in:* ZfkTh 1954, 257-296,

440-472. — M. *R. Hellriegel,* Advent in the parish, *in:* Worship (Collegeville, Minnesota) 1955, 59-68. — *Kl. Gamber,* Die Orationen d. Rotulus von Ravenna, *in:* AfLw 1958, 354-361.

Quoad Nativitatem Domini. *II. Usener,* Das Weihnachtsfest, Bonn 1899. 2. cd. 1911. — *F. Bonaccorsi,* Il Natale. Appunti d'esegesi e di storia, Roma 1903. — A. *Gastoué,* Noel, 3. ed. Paris 1908. — *E. Vacandard,* Les fêtes de Noël ct Epiph., *in:* Études de critique et de l'histoire relig. 2. ed. III. Paris 1912, 3-56. — *Cl.* A. *Miles,* Christmas in Ritual and Tradition, Christian and Pagan, London, 1913. — A. *Meyer,* Das Weihnachtsfest, seine Entstehung und Entwicklung, Tübingen 1913. — A. *Hodiim,* De tribus Missis in Natali Domini, *in:* Collât. Brugens. 1913, 453-463. — *B. Botte,* Les origines de Noël et de l'Épiphanie, Louvain 1932. — A. *Hodiim,* De origine ac sensu Missarum in nocte Natalis Domini, *in:* Eph. Lit. 1933, 430-444. — *II. Frank,* Zur Geschichte von Weihnachten und Epiphanie, *in:* JfLw 1932, 145-155, 1933, 1-38. — *H. Leclercq,* Nativité de Jésus, *in:* DAL XII (1935) 905-958. — S. *Marsili,* I sacramentari e la questione del Natale e dell'Epifania a Roma, *in:* Riv. Liturg. 1935, 355-358; 1936, 10-17. — *O. Casel,* Das Weihnachtsmysterium, *in:* Bibel u. Lit. 1936, 123-135. — *Pol. Radô,* Az Ur születésének évszaka. Jahrcszeit der Geburt des Herm, Budapest 1939. — *K. Priimm,* Die Entstehung der Geburtsfeicr des Ilcrm in Ost u. West, *in:* Stimmen d. Zeit 1938-39, 207-225. — F. *J. Dolger,* Natalis Solis invicti und das christ). Weihnachtsfest, *in:* Antike u. Christentum 1940-50, 23-30. — *II. Rahner,* Die Weihnachtssonne, *in:* Griech. Mythcn in christ). Deutung, Zürich 1945, 172-199. — *J. Leclercq,* Aux origines du cycle de Noël, *in:* Eph. Lit. 1946, 7-26. — *O. Cullmann,* Weihnachten in der alten Kirche, Basel 1947. — *Ph. Oppenheim,* De quibusdam S. Leonis Magni sententiis de festo Nativitatis Domini, *in:* Eph. Lit. 1950, 345-349. — A. *Benedek,* Les jeux hongrois de Noël, *in:* Folia ethnogr. (Budapest) 1950, 55-94. — *L. Vargyas,* Les mélodies des jeux hongrois de Noel, *ibid.* 1950, 95-112. — *H. Frank,* Frühgeschichte u. Urspning des rômischen Wcihnachtsfestcs im Lichte neuerer Forschung, *in:* AfLw 1952, 1-24. — *H. Engberding,* Der 25. Dez. als Tag der Feier der Geburt des Ilerm, *in:* AfLw 1952, 25-43. — *M. Higgins,* Note of the Purification and the date of the Nativity in Constantinople, *in:* AfLw 1952, 80-83. — *B. Steuart,* The development of Christian worship, London 1953, 240-242. — *J. Fendt,* Der heutige Stand der Forschung über das Geburtsfest Jesu am 25. Dez. u. über Epiphanie, *in:* Theol. Lit. Zeit. 1953, 1-10. — *J. Lechner,* Liturgik d. rom. Ritus, 6. ed. Freiburg i. Br. 1953, 168-171. — *M. B. Hellriegel,* From Christmas to Epiphany, *in:* Worship 1956, 142-154. — A. M. *Avril,* The meaning of Christmas, Chicago 1957. — *J. Lemarié,* La manifestation du Seigneur, Paris 1957, optime disserens de mysteriis cycli natalicii. — *M. Herz,* Sacrum commercium. Eine begriffsgeschichtliche Studie zur Théologie der rornischen Liturgiesprache, München 1958. — *K. Onasch,* Das Weihnachtsfest im orthodoxen Kirchenjahr, Berlin 1958.

Quoad Epiphaniam. *II. Usener,* Das Weihnachtsfest, 2. ed. Bonn. 1911, 18-220. — *E. Vacandard,* Les fêtes de Noël et de l'Épiphanie, *in:* Études de critique et d'histoire relig. 2. ed. III (1912) 3-56. — *K. Holl,* Der Urspning des Epiphanienfestes 1917, *in:* Gesamm. Aufsatze II, 123-154. — *H. Leclercq,* Épiphanie, *in:* DAL V, 1 (1922) 197-201. — *O. Casel,* Die Epiphanie im Lichte der Religionsgeschichte, *in:* Sened. Monatsschr. 1922, 13-20. — *Nie. de Tolosa,* La Epifania, los Magos de Oriente, *in:* Estudios Francise. 1923, 9-31. — G. *Jerphanion,* Épiphanie et Théophanie. Le baptême de Jésus dans la liturgie et dans l'art, chrétien, *in:* Études 1925, 5-26. — *O. Heiming,* Die Entwicklung der Feier des 6. Januar zu Jerusalem im 5. und 6. Jahrhundert, *in:* JfLw 1929, 144-148. — *B. Botte,* Les origines de la Noël et de l'Épiphanie, Louvain 1932. — *L. Eisenhofer,* Handbuch d. kath. Liturgik, 1941, 2. cd. 575-582. — *Géza Karsai,* Kozépkori vizkereszti jâtékok. Liturgische Dreikünigsspiele des Mittelalters, *in:* Pannonhalmi Foiskola Évkonyve (= Annuarium Lycaei S. Montis Pannoniae), Pannonhalma 1943, 7-312. — *M. Righetti,* Storia liturgica II Milano 1946, 74-82. — *J. Lechner,* Lit. d. rom. Ritus 6. ed. 1953, 171-174. — *J. Lécuycr,* La fête de l'Épiphanie, *in:* Vie spirit. 1956, 31-44. — *O. Klesser,* De introductione argumenti baptismi Christi in vigiliam et festum epiphaniae in ecclesia Romana celebratum, in: Eph. Lit. 1959, 22-30. — *J. A. Jungmann,* Die Nachfeicr von Epiphanie im Missale Romanum, in: Lit. Erbe 1960, 283-294. — *H. Dolch,* Gedanken über die Verlegnng von Epiphanie an den Jahresanfang, *in:* Theol. u. Glaube 1960, 36-44.

Quoad Purificationem. *II. Usener,* Das Weihnachtsfest 2. ed. 1911, 310-328. — W. tan *de Kamp,* Lichtmis, *in: Tijdschr.* voor Lit 1920, 69-86. — *O. Casel,* Das Fest der Bkgegnung (Maria Lichtiness), *in* Bened. Monatsschrift 1921, 18-28. — *D. de Bruyne,* L'origine des processions de la Chandeleur et des Rogations, à propos d'un sermon inédit, in Rev. Bénéd. 1922, 14-26. — *St. Szureck,* Beneza y poezatki swicta M. B. Gromniczney (= Ongo festi Purificationis BMV), *in:* Przeglad Teologiczny 1927, 43-57. — *H. Thurston,* The ‹ Churching » of our Lady, in. The Month 1929, 516-525. — *E. Moreau,* L'Orient

et Home dans la fête du 2. février, *in: Nouv.* Rev. théol. 1935, 1-20. — *W. Codrington,* Some liturgical notes, *in:* The Downside Review 1941, 189-195. — *M. Righetti,* Storia liturgica II. 1946, 82-87. — *De Amicis,* Caeremoniale parochorum 4. ed. Roma 1948, 380-387. — *H. Leclercq,* Présentation de Jésus au temple (fête de la), DAL XIV, 2 1948. — *L. Hébert,* Manuel de liturgie à l'usage des Séminaires, 25. ed. III. Paris 1952, 198-212. — AL *Higgins,* Note of the Purification and date of the Nativity in Costantinople in 602, *in:* AfLw 1952, 80-83. — *M. H. Hellriegel,* Candlemass, *in:* Worship 1956, 203-206.

D) De temporc poenitentiali cycli paschalis.

Secundus et maximus cyclus anni liturgici est cyclus Redemptionis seu cyclus paschalis, qui cyclum primum Incarnationis seu natalitii mysteria operis redemptivi Christi repraesentando continuat et perficiendo ad culmen adducens absolvit. Mysterium Paschatis totale duobus elementis componitur: passione beata et gloriosa consummatione, aliis verbis Pascha Crucis et Pascha Resurrectionis. Duobus ergo etiam temporibus repraesentari voluit Mater Ecclesia populo suo ad aeternitatem vocato hoc mirabile foedus humanae reconciliationis: *tempore poenitentiali* et *tempore gaudioso* subsequent!, quibus duobus componitur « totius Ecclesiae mirabile sacramentum ».

.Agendo nunc primum de tempore poenitentiali cycli paschalis, praemittendum est hoc tempus poenitentiale componi tribus phasibus. *Prima phasis* est *praeparatio ipsius Quadragesimae* et vocatur tempus Septuagesimae seu praequadragesimale, complectens Dominicas Septuagesimae, Sexagesimae et Quinquagesimae. — *Secunda phasis* est *praeparatio* remota *Paschatis* nuncupata tempus Quadragesimae a Fer. IAZ. Cinerum usque Sabb. post Dom. IV. Quadr. — *Tertia phasis* est *praeparatio* proxima *Paschatis* seu tempus Passionis, complectens duas Dominicas Passionis I. et II. cum Hebdomada Sancta.

Materia absolvitur sequenti ordine:

1) De tempore Septuagesimae.
2) De Quadragesima in genere.
3) De capite ieiunii.
4) De tempore Passionis.
5) De Dom. II. Passionis seu in Palmis.
6) De Fer. V. in Coena Domini.
7) De Fer. VI. Passionis et Mortis Domini.
8) De Sabbato Sancto.

1. De tempore Septuagesimae.

a) Origo temporis pracquadragesimalis.

1°. Notio. Ritus Romanus inde a saec. VI-o anteponit Dominicae I. Quadr. tres hebdomadas, quae quasi propylaea constituunt temporis poenitentialis S. Quadragesimae, a. Dominicae hae vocantur: *Septuagesima, Sexagesima. Quinquagesima,* non eo sensu ac si istae septuagesimo etc. die caderent ante Pascha, nam e.gr. Dom. Sept. 63, Dom. Sex. 54 diebus praecedit Pascha, non autem 70 vel 50 diebus. Denominationes hae *mere analogicae* sunt, ad exemplum vocabuli « Quadragesima » formatae. Temporibus ineuntis medii aevi Dom. II. Quadr. saepius vocata est etiam Tricesima, Dom. III. Quadr. Vicesima, analogo modo ergo pronum erat loqui de Quinquagesima etc. — b. Nomenclatu-

ram hanc *retinuerunt* gentes christiani ritus Latini, ideo dicitur « Septuagesime » (gall.), « Scttuagesima » (ital.), « Septuagesima » (germ.), eandemque *verterunt* alii in idiomata propria, sic slavice dicitur « Nedelja sedamdesetnica » (Sept.), « sestdesetnica » (Sex.), « petdesetnica » (Quinqu.), hungarice « Hetvened-, Hatvanad-, Otvenedvasarnap ». — c. *Aliae* quoque *denominationes* exortae sunt, sic *Sloveni* in Yugoslavia eas nuncupant « Nedelja I. II. III. predpepelnicna » (= Dorn. I. II. III. ante Cineres), *Bohemi* vocant Dom. Sept. « Ned. devitnik » (= Dom. Nona sc. ante Pascha), consequenter duas alias Dom. I. II. post Nonam (« Ned. I. II. po dcvitniku ». *Poloni* Sept, vocant « Nedelja starozapustna » (= Dom. veteris carnisprivii), Sexagesimam « prcdzapustna » (= ante carnisprivium), et Quinquagesimam « zapustna » (= carnisprivium). — d. Ipsum *tempus liturgicum trium hebdomadarum* appellatur Tempus Septuagesimae, vel etiam « Tempus praequadragesimale », sic « Vorfasten » (germ.), « Settimane prequaresimali » (ital.), « Bojtelô (hung.). Denominationes populares huius temporis exortae sunt a dimissione carnium seu carnisprivio: « Carnevale » (ital.), « carnévale » (gall.), « carnival » (angi.). Germanice vocatur a populo etiam «Fasching»; « farsang » vel «hushagyo» (hung.), slavice « mjasopust ».

2°. Observatio duarum hebdomadarum praequadragesimalium incepit *in Oriente.*

a. Orientales omnes hodieque non per sex, sed per octo hebdomadas celebrant ieiunium; sex enim hebdomadae Quadragesimae praeceduntur *duabus hebdomadibus* penes Latinos Quinquagesima et Sexagesima nominatis. Duabus etenim hebdomadibus prius incipiunt abstinentiam a carnibus, i.e. 56 diebus ante Pascha, cuius *usus ratio* in eo invenitur quod iuxta antiquissimam consuetudinem non ieiunatur diebus Dominicis et Sabbatis. Sex ergo hebdomadibus Quadragesimae 12 dies excluduntur a ieiunio, sicque relicti sunt tantummodo 30 dies ieiunio dicati, quod minus aptum erat nisui se conformandi per 40 dies ieiunanti Salvatori.

b. Mature ideo duabus hebdomadibus praeieiunii anticipantes Quadragesimam, *decem diebus ieiunii* augebant 30 dies supradictos Quadragesimae, sicque *summam solidam 40 dierum* ieiunii compleverunt. Mos hic Quadragesimam duabus hebdomadibus praecedendi iam saec. IV-o in Oriente reperitur. Usum *Syriae* testatur anno 387 S. Chrysostomus, *Cappadociae* S. Basilius Magnus (I 379). *Hierosolymarum* Aetheria versus 390, *Cypri* S. Epiphanius (t 403). Cf. testimonia collecta ab. Λ. Baumstark (Or. christ. 1911, 53-59, 1915, 207). Etsi hic mos decursu saeculorum quibusdam in regionibus modificatus fuit, ieiunium per octo hebdomadas protractum demum universale evasit.

c. Ideo hodieque vocatur *Dom. VIJI. ante Pascha* (Latinis Sexagesima): » Kyriakè tes apokreô (= *Dom. carnisprivii),* i.e. ultimus dies quo adhuc carnibus vesci licet. Penes Orientales ideo vocatur haec Dominica « mesne poklade » (serb.), « hushagyo vasarnap » (hung.), « domenica ultima di camevale » (italograec.), « carne lega » (rumen.) — *Dom. VII. ante Pascha* (Latinorum Quinquagesima) autem nuncupatur « Kyriakê tes tyrinês » seu » apotyrôseôs » = Dom. caseiprivii), hac enim Dominica licet ultimo vesci lacticiniis ritus orientalis: « bele poklade» (serb.), « vajhagyô vasarnap» (hung.), «domenica di latticini » (italograec.), « domineca lasatului de brândia » (rumen.).

3°. In Occidente *prima vestigia* ieiunii *praequadragesimalis* inveniuntur in territorio *liturgiarum typi Gallicani,* praecise ergo ibi, ubi influxus Orientis procul dubio intensior fuit.

a. Conjecturae instar fortasse suspicari potest etiam *mediator* quidam huius usus, primus testis enim huius usus est *Cassianus,* e Syria oriundus, fundator monasteriorum Massiliensium, qui de ieiunio hoc praequadragesimali in suis Collationibus (inter 426-428) sic refert: « In quibusdam provinciis, religionis forsitan propensior cura adiecisse etiam hebdomadam septimam videtur d et affirmat « diverso more, id est, sex vel septem hebdomadibus per nonnullas provincias Quadragesimam celebrari » (Coll. 1. 21. c. 24 et 27. PL 49, 1200. 1203). Cassianus arctae necessitudinis vinculo iunctus erat monasterio Lerinensi, eius fundatori nempe S. Honorato partem Collationum dedicavit.

b. Revera *abbas Lerinensis* fuit (433-455) *Faustus* serius Rejensis episcopus, qui in sermone quodam celebrationem unius hebdomadae fidelibus commendavit: « Permotos esse vos credo, fratres dilectissimi, cur a superiore Dominica Quadragesimam percurremus et cum haec dies sit eius exordium, cur festivitatem eius *ante* unam hebdomadam celebrare coeperimus d (Sermo 3, 1 PL 54, 488). At idem Faustus testis est, disciplinam hanc nullo modo obligatoriam fuisse, dicit enim: « Audiant illi, ut ieiunare incipiant, et isti ut ieiunare non desinant... immo festinent amplus, ut castigatiores et puriores introeant n (ibid, col. 489).

c. Alterum quoque testimonium relationem habet cum coenobio Lerinensi et Gallia meridionali, S. *Caesarius* monachus quondam Lerinensis, dein abbas Arelatensis (499-502), dein episcopus ibidem, suis religiosis praescripsit non tantum unius sed *duarum hebdomadarum* celebrationem ante Quadragesimam: « Duas hebdomadas ante Quadragesimam quotidie ieiunandum est excepta Dominica n (Reg. ad monach. XXII PL 67, 1102). At in Regula ad virgines, conscripta anno 534 iam solum de Quadragesimae observatione loquitur.

d. *Huius rei ratio,* ut P. Siffrin monet (JfLw 1930, 21), invenitur in eo, quod praxis ieiunii praequadragesimalis Galliae meridionalis tunc Wisigothorum ditioni subiectae, in regno Francorum ignota fuit, immo episcopis Francorum displicuit. Postquam ergo Wisigothi e parte meridionali Galliae eiecti fuere (507), in prima synodo post hanc occupationem celebrata « id a sacerdotibus omnibus decretum est, ut ante paschae sollemnitatem *non quinquagesima,* sed *quadragesima* teneatur n (Cone. I. Aurelian, anno 511. can. 24.). Talis displicentiae testimonium nostra opinione conspici potest *in sermone cuiusdam homiletae anonymi saec. V-i,* qui sermo in duplici recensione occurrens perperam tribuitur *Maximo Taurinensi:* « Nonnulli Christianorum existimantes se divinitatis praecepta religiosius observare, praetermissa devotione Quadragesimae... quinquagesimam se facere mentiuntur, cum id neque divinis litteris iubeatur, neque traditum sit auctoritate maiorum... Dicit se observare Quinquagesimam, qui forte Quadragesimam observare vix possit » (Sermo 26. inter sermones Maximi Taur. PL 57, 583, idem sermo recurrit inter sermones supposititios S. Ambrosii sermo 23, PL 17, 670). Vetitum Synodi Aurelianensis non statim successum habuit, Cone. Aurelianense II. anno 541 iterum prohibere debuit celebrationem « Quinquagesimae vel Sexagesimae » (can. 2.). Postea vero in Gallia et in Hispania nec in libris liturgicis, nec in decretis synodalibus ieiunii cuiusdam praequadragesimalis vestigium amplius invenitur.

4°. Romae vero decursu saec. Vl-i *invaluit praxis praequadragesimalis* et quidem *trium* hebdomadarum.

a. Certum est quod ultimo decennio saeculi huius *tempore Gregorii Magni* (590-604) tres Dominicae pericopis evangelicis hodieque usitatis in iisdem stationibus celebratae inveniuntur ac nunc (S. Laurentii extra muros, S. Pauli, S. Petri) quod cum ex homiliis S. Gregorii (cf. Godu DAL V, 1, 897), tum e libris liturgicis Romanis certo eruitur. Sacramentarium enim primigenium Gregorianum continet has Dominicas (KI. Gamber, Wege zum Urgregorianum 1956, n. 24. 25. 26), antiquissimae quoque notationes pericoparum exacte eas epistolas et evangelia proferunt saec. VII-o, quae exinde usque hodie leguntur (cf. Comes et Lectionarium Wirceburgens., Godu DAL V, 1, 312 et 902).

b. *Terminus a quo* signatur a S. Benedicto, qui usum Romanae Ecclesiae secutus versus 526 nondum cognovit ullam Sexagesimam vel aliud tempus praequadragesimale (cf. Regula monaster, c. 15. 41. 48. 49). Inde ergo ab anno 530 circiter tres Dominicae praequadragesimales iam induci potuerunt, ceterum solum confecturae quaedam concipi possunt. *Unius hebdomadae* celebratio Romae forsan iam versus 530 incoepit, in Libro Pontificali enim eo tempore scripsit quidam notulam de Telesphoro papa (t 137): « Hic constituit, ut VII hebdomadas ante pascha ieiunium celebraretur » (Duchesne p. 129), novum usum specie affectatae antiquitatis sic commendans. Similiter etiam *sermo* quidam *Ps. Ambrosii* affirmat: « Adiecit Telcsphorus pontifex septimam hebdomadam » (PL 17, 654). Extensio autem temporis praequadragesinialis ad *duas hebdomadas* (Sexagesima), immo ad *tres,* quod usque ad secundam partem saec. Vl-i ignotum erat, rationem habere videtur *in tempore calamitoso post 568,* quando post brevem pacem ab 554-568 Longobardi in Italiam irruerunt vitamque iterum periculosam et molestam reddiderunt. Temporis huius pericula peculiaria indolem temporis praequadragesinialis specialiter modificabant, ut in sequentibus demonstratur (b. 3°).

b) Indoles temporis Septuagesimae.

1°. Nullo modo potest nunc tempus hoc eo sensu concipi, quasi *ieiunii simplex protractio* seu anticipatio in Ecclesia Latina. Ex illo tempore enim, (pio in Ecclesia Romana quatuor dies ad complendum numerum 40 dierum ante I. Dom. Quadr. adiecta fuere, *nulla fuit ratio* plus exigendi. Clerici utique inde a Fer. II. post Quinquagesimam ieiunabant, ut Decretales referunt epistolam S. Gregorii Magni falso ei adseriptam allegantes: «Sacerdotes et diaconi et reliqui omnes, quos dignitas ecclesiastici gradus exornat, a Quinquagesima ieiunabant, (pio et aliquid ad pensum sanctae institutionis adiicerent, et eorum, (pii in laicali ordine consistunt, observantiam, sicut loco, ita religione praecellerent » (PL 77, 1350 s.). Revera sic refert e prima parte saec. VHI-i Capitulare eceles. ordinis: « Graeci autem a LXma de carne levant ieiunium, monachi vero ct Romani devoti vel boni christiani a Lma levant, rustici autem et reliquum vulgus a quadragesima » (Ordo Rom. XV, 82 sec. Andrieu III. p. 115, vocatus etiam Ordo de Montpellier, Gerberti vel Joannis archicantoris). Inter fabulas ergo relegandum est, quod quidam antiquiores liturgistae narrant, Septuagesimam esse monumentum consuetudinis obsoletae, quod aliquando multi per 70 etc. dies ante Pascha ieiunium protraxerunt.

2°. Nec *symbolismus numeris expressus* quaeri debet, sicut medio aevo permulti fecerunt secuti *Amalarium,* qui nimio symbolismo obcoecatus, ad litteram premens numeros ordinales (septuagesima sc. dies) sensum liturgicuin cycli paschalis destruxit. Novem enim hebdomadae inde a Septuagesima 63 dies efficiunt; ideo ut accurate 70 dies eveniant Amalarius etiam hebdomadam Paschatis connumerat sicque cyclum poenitentialem confundit cum cyclo gaudioso Paschatis, dicens: «Agamus dies septuaginta, ut captivus in peregrinatione, luctus poenitentiae convertatur in gaudium in resurrectione Domini... in resurrectione perseveremus per sex sequentes dies usque ad plenam Septuagesimam, id est, ut non moriamur peccatis n (Lib. officialis I. c. 1, 1 et 11. ed. Hanssens II, 26. 30).

3°. Dum *Oriens* semper solum *duas* hebdomadas adiecit ieiunii antequadragesimalis, in *Occidente,* uti vidimus, solum *unam* adiecerunt, *Romae* autem etiam secundam *et tertiam,* sicque tribus hebdomadibus antecedebant tempus Quadragesimae, sed, ut iam dictum est, tres hae septimanae *minime fuerunt tempus ieiunii.* Intentione vero nativa Ecclesiae Romanae tamen tres illae Dominicae semper fuerunt *dies eximii poenitentiae publice exercitae,* cum Dominicis huius temporis tota plebs ad tres Sanctos maxime veneratos confluens, processione poenitentiali et coetu liturgico stationali misericordiam Omnipotentis supplicavit. Idcirco stationes indictae sunt *dignitate iugiter crescentes:* ad S. Laurentium extra muros (Sept.), ad S. Paulum (Sexag.) et ad S. Petrum (Quinqu.) et quidem cum *fine primario,* ut Deus sui populi vexationibus Barbarorum pessime afficti misereatur. *Finis secundarius* fuit, ut plebs sancta actibus poenitentiae se ad exercitationes quadragesimales laete subeundas quodammodo praepararet, ut Benedictus XIV. dicit: « Ecclesia praecipua redemptionis nostrae mysteria meditanda nobis proponit, nos ut efficiat ad quadragesimalis temporis severitatem alacriores n (« Inter cetera » 1. ian. 1748). Cunctis temporibus aptum mansit tempus hoc Septuagesimae, etsi Ecclesia quandoque pacifice vixerit, aliquas enim vexationes christiani semper pati debent, nam « qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patienturn. Inter vexationes numerari debent cum tentationes daemonum, tum actiones Dei purificationem passivam in singulis peragentis. Quandoque autem vera persecutione saeviente mirum est quantum consolationis textibus liturgicis huius temporis erui potest, quod sequentibus demonstramus.

a. Dom. Septuagesimae. *Ant. ad intr.* relucet adhuc timorem et anxietatem populi Romani a barbaris vexati: « Circumdederunt me gemitus mortis, dolores inferni circumdederunt me: et in tribulatione mea invocavi Dominum... » Ps. autem 17. Deum fortitudinem, refugium et firmamentum populi prae oculis ponit. *Oratio* diei motivum poenitentiae extollit: « ..Juste pro peccatis nostris affligimur», liberationemque unice ob Dei nominis gloriam petit. *Lectio Missae* (1 Cor 9, 24-10, 5 aliud elementum poenitentiae inculcat: abnegationem. Christiani enim sciunt quod regnum coelorum vim patitur et tantum arduis gressibus angusta via arripi potest. Vita haec terrestris adsimilatur certamini seu cursitationi, « sic currite, ut comprehendatis », qui vero victor vult esse in certamine « ab omnibus se abstinet », tessera ergo est Christianorum: « Castigo corpus meum et in servitutem redigo ». *Graduate* sancte affirmat securitatem miserationis Dei, qui est « adiutor in opportunitatibus, in tribulatione, « et asseverat quod Deus « non in finem » oblitus erit apparenter

pauperum. *Evangelium* quoque (Mt 20, 1-16) de operariis in vinea Domini bene applicari potest his ideis: omnes accipiunt denarium vitae aeternae, sed *laborare* tantum debent, *quantum* providentia Dei singulis tribuit.

b. Dom. Sexagesimae. *Ant. ad intr.* angorem populi exprimit verbis Ps. 43. quae si non essent inspirata, vix unquam ab alio tam acri acerbitate proferri potuissent: «Exsurge, quare obdormis Domine... quare faciem tuam avertis, obliviscéris tribulationem nostram, adhaesit ad terram venter noster, exsurge Domine, adiuva nos et libera nos! » *Oratio* a Deo protectionem petit contra adversa omnia, Ipse enim « conspicit quia ex nulla nostra actione confidimus » : actiones Romanorum Pontificum qui aevo migrationis populorum muris immensis circumdabant. Urbem, magnisque pecuniis elargitis publicae amicitiae rationes fovebant cum Longobardis. *Lectio* (2 Cor 11, 19-12, 9) est celebris gloriatio (kauchesis) S. Pauli, patroni stationis diei, quae aptissime accommodari potest tormentis populi Romani tempore illo remoto perpessis: sicut Apostolus, etiam illi versati sunt « in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum », dein « periculis latronum, periculis ex gentibus, periculis in civitate, periculis in mari », quando Saraceni saepe in mari venientes incursiones contra Urbem peregerunt, omniaque vastaverunt. Aetatis illius migrationis populorum effectus potuerunt conspici « in labore et aerumma, in fame et siti, in ieiuniis multis, in frigore et nuditate » S. Pauli. Simul etiam discere potuerunt quid facere debeant: nam etiam Paulus ter Dominum rogavit, ut tentatio discederet ab eo, sed responsum accepit: « Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur». *Graduale* iam cantus triumphalis haberi potest: «Sciant gentes, quoniam nomen tibi Deus, tu solus Altissimus super omnem terram ». In honorem S. Pauli legitur *Evangelium* (Lc 8, 4-15) parabolae seminantis, seminator omnium gentium est ipse Paulus in ecclesia stationis sepultus. Simul etiam institutionem acceperunt fideles de semine, quod est verbum Dei: attendere debent, ne semen inter spinas cadens a sollicitudinibus vitae suffocetur.

c. Dom. Quinquagesimae. *Ant. ad intr.* precatur Omnipotentem, ut sit populo eius « in Deum protectorem et in locum refugii ». *Oratio* implorat Deum, ut « ab omni nos adversitate custodiat ». *Lectio* (1 Cor 13, 1-13) rem magni momenti inculcat: poenitenti non sufficit abnegatio nuda, nam sicut S. Paulus dicit, « si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest». Ideo legitur hymnus eximius caritatis, ut praecise calamitatum publicarum tempore fideles insigniter summoque modo opera caritatis exerceant. *Graduale* iterum fiduciam spirat: « Tu es Deus, qui facis mirabilia solus, notam fecisti in gentibus virtutem tuam ». *Evangelium* miro modo fidelibus calamitatibus oppressis documento esse potest. Conspicere debent in Jesum, qui « tradetur gentibus et illudetur... ct postquam flagellaverint, occident eum et (« sed ») tertia die resurget n. Qui ad vitam volunt pervenire aeternam, pati debent, sed doctrina haec difficilis est, etiam discipuli Domini hoc non statirn intellexerunt, quod emphasi triplicis affirmationis extollitur: « Et ipsi nihil horum intellexerunt, ct erat verbum istud absconditum ab eis, et non intellegebant, quae dicebantur. » Inter tormenta aetatis migrationis quoque multi fideles non potuerunt intellegere, cur praecise *illi* homines, *ista* civitas, *illa* gens tam dire et insolita debeat perpeti. Idem edicitur per continuationem Evangelii: caecus quidam sedebat secus viam, mendicans, qui clamavit dicens: « Jesu fili David, miserere mei! » interrogatus autem, quid petat, respondit: Domine ut videam! » Dominus vero sanavit eum, dicens illi: « Respice, fides

tua te salvum fecit n. Sic debent etiam fideles inter tormenta passionum oculis animi videre finem supernaturalem passionum, quod solum per Crucem possunt pervenire ad lucem vitae aeternae.

c) Leges cultuales temporis Septuagesimae.

1°. Leges generales, a. Dominicae tres celebrande sunt ut et aliae, i.e. sub ritu *II. cl.,* cedunt ergo tantummodo festis I. cl. (NCR 12.). — b. *Feriae* sunt IV. classis, itaque non commemorantur, possunt dici Missae votivae IV. cl. et de Requiem cotidianae. — c. Color liturgicus est violaceus tum pro Officio, tum pro Missa de tempore. — d. *Alleluia deponitur* a Vesp. ante Sept., adiungendo duplex Alleluia ad « Benedicamus Domino » et « Deo gratias n (Rubr. spec. Brev.). Iuxta recentes indagationes, praecipue C. Callewaert, S. *Gregorius Magnus* instituit hanc suppressionem Alleluia iam inde a Sept., usque eum enim haec depositio solum I. Dom. Quadr. incoepit. Verisimiliter iam ipse dictus Pontifex *officium* (Vesp. Mat. Laud.) *Septuagesimae* ita disposuit, ut antiphonae et responsoria « in ista nocte magnificent Alleluia », nam « cum gloriosa frequentatione Alleluia comitetur angelus Domini bonus et bene disponat itinera tua et cum iterum advenerit tempore resurrectionis DNJ Christi et nativitas pulchra et clara et casta per baptismalia sacramenta, cum gaudio revertatur ad nos et ex ore nostro per omnes ecclesias audiatur Alleluia n, dicit Amalarius (De ord. antiphonarii c. 30, 8. 13, ed. Hanssens III, p. 66 s.). Officium hoc alleluiaticum *suppressum est a S. Gregorio VII.* (1073-1085), remanente sola adiunctione duorum Alleluia ad « Benedicamus Domino n, dum quibusdam in ecclesiis etiam dictum officium remansit, saepeque in medio aevo adhuc cantatum fuit: « Angelus Domini bonus comitetur tecum, .Alleluia, et bene disponat itinera tua, ut iterum cum gaudio revertaris ad nos, Alleluia, alleluia ». Immo haec « depositio » exeunte medio aevo, saec. XIV-XV. intellecta fuit ut depositio defuncti, ideo celebrata fuit ad Vesp. ante Sept, *sepultura Alleluiae. Ratio, cur Alleluia deponatur* inde a Sept., optime redditur a GuL Durando: « Hoc igitur tempore, laetitiae cantica subticentur... siquidem sponsus a nobis abiit. Cum igitur statum Ecclesiae nondum redemptae recolimus, et nostrum incolatum plangimus, merito alia deponimus, quod specialiter illam gloriam significat » (Rat. div. officior. 1. VI. c. 24, 15).

2°. Leges quoad Missam, a. In omnibus Missis de tempore etiam Dominicis, omittitur canticum laetitiae « *Gloria in excelsis* » (NCR 432). — b. Loco Alleluia post Graduale dicitur *Tractus,* usque ad Pascha, sed solummodo in Dominicis et festis, in Missis ferialibus dicitur tantum Graduale. — c. In Missis sollemnibus etiam ferialibus licitus est *ornatus* maior altarium, pulsatio organi permittitur, non alia instrumenta (Instr. 3. sept. 1958. η. 82).

3°. Leges quoad Officium divinum, a. Initio Horarum ad « Deus in adiutorium » loco Alleluia dicitur « *Laus tibi Domine rex aeternae gloriae* », quem versum saec. IX-o iam Amalarius notum supponit dicens: « Pauperem linguam in supradictis diebus frequentamus, dicentes: Laus tibi Domine, rex aeternae gloriae ». (Liber officialis I. c. 1, 17, ed. Hanssens II, 32). —b. In *Officio nocturno lectio* incipit S. Scripturae inde a primo libro Canonis scripturistici (Genesis). Leguntur ordine historiae creationis, peccati originalis, et promissionis Redemptionis (Septuagesima cum sequenti hebdomada), dein secunda hebdo-

mada (Sexagesimae) legitur historia diluvii et historia electionis Noe, tertia autem hebdomada (Quinquagesimae) recitatur historia electionis et sacrificii Abrahae. Per Quadragesimam continuo leguntur historiae Patriarcharum, Abraham, Isaac et Jacob. Initium lectionis scripturisticae primitus fuit in I. Doin. Quadr., verisimiliter S. Gregorio Magno debetur translatio huius initii in Septuagesimam (Righetti). — c. « *Te Deum* » utpote canticum laetitiae non dicitur, sed suppletur responsorio nono (NCR 238). — d. Antiphonae ad *Magnificat* habentur *propriae* tempore Septuagesimae, exceptis Feriis VI. et Fer. V. post Sexag.

2. De Quadragesima in genere.

a) Notio Quadragesimae.

1°. Quadragesima se. dies vocatur tempus liturgicum sex hebdomadas complectens ante festum Paschatis. Denominatio inde derivatur, quod Dom. I. huius temporis praecise 40 dierum spatio distat a biduo olim kat exochen « Pascha » nominato, Fer. VI. et Sabb. Hebdomadae sanctae, ideo iure vocatur dies quadragesimus. Saec. IV-o ineunte subito tempus hoc liturgicum perfectum invenitur, quin eius aetas et origo certe deprehendi possit. Fons scaturiens gaudii spiritualis per saecula multa fuit Quadragesima, in qua catechumeni ad Baptismum in nocte sancta suscipiendum praeparati fuere, poenitentes publici satisfactiones duras subeundo absolutionem Fer. V. in Coena Domini recipiendam exspectavere, fideles vero ceteri annua exercitia spiritualia per 40 dies protracta peregerunt certatim exercentes ascesim etiam corporalem. Gaudium testatur S. Basilius Magnus dicendo: « Per universum terrarum orbem undique denuntiatur ieiunii praeconium. Nec ulla est insula, nec ulla terra continens, non civitas, non gens ulla, non extremus mundi angulus, ubi non audiatur ieiunii edictum. Quin et exercitus et viatores et nautae et negotiatores, omnes pariter audiunt edictum et summo gaudio excipiunt. Ne quis igitur semet excludat a numero ieiunantium, in quo omne genus humanum, omnis aetas, omnes dignitatum ordines recensentur » (Hom. de ieiunio II, 2).

2°. *Nomina* huius temporis, ut dictum est a numero ordinali sumuntur, ut in Graeco « Tessarakostê », a quo « Quadragesima » derivatur, quod nomen linguis latinis placuit (Carême, Quaresima). Idem nomen in patrium idioma versum quoque usitatur: quadragesimum enim diem sonant slavicum « cetyridesjatnica », rumenicum « patrudiecime » seu « paresimi », hungaricum « szent negyvennap ». Aliae denominationes a ieiunio originem ducunt: « Heilige Fastenzeit » (germ.), « lent » (angi.), « nagybojt » (= magnum ieiunium hung.).

b) Origo Quadragesimae.

Duo instituta inter se differentia in unum coaluerunt: praeparatio ad Pascha digne celebrandum et imitatio Christi per dies 40 ieiunantis.

1°. Ieiunium praeparatorium Paschatis. a. Sicut Pascha iam tempore apostolico celebratum iure creditur, ita et ieiunium ante Pascha fere eidem aevo ascribendum videtur. Sequentes verbum Domini: « Numquid possunt filii sponsi lugere, quamdiu cum illis est sponsus? Venient autem dies, cum auferetur

ab cis sponsus, et tunc ieiunabunt » (Mt 9, 15) ieiunium strictum observabant fideles tempore quo celebratum fuit mors Domini.

b. *Praxis* Imius ieiunii praeparatorii varia fuit. S'. *Irenaeus* Lugdunensis refert versus 190 de praxi ecclesiarum Asiae una cum lite paschali circa ieiunium hoc, verba eius conservavit nobis Eusebius Caesar.: « Neque de die solum (sc. Paschatis) controversia est, sed etiam de *forma* ipsius *ieiunii.* Quidam enim existimant *unico die* sibi esse ieiunandum, alii *duobus,* alii *pluribus,* nonnulli etiam *quadraginta horis* diurnis ac nocturnis computatis diem suum metiuntur... Sed et presbyteri illi qui *ante Soterem* Ecclesiam cui tu nunc praees gubernarunt, Anicetum dico, et Pium et Hyginum cum Telesphoro ct Xysto, neque ipsi linquam observarunt, neque his qui cum ipsis erant, ut id observarent, permiserunt. Ipsi tamen cum hoc minime observarent, pacem nihilominus colebant cum iis qui ad se venissent ex ecclesiis in quibus id observabatur » (Ep. ad Victorem Papam, Euseb. Hist. ekkl. V, 24, 12 PG 20, 501). Romae ergo ante Soterem (166-174) ieiunium paschale ignotum fuit et inductum fuisse videtur eius Pontificis tempore. Revera testes ieiunii biduani (Fer. VI. et Sabb. Sancto) sunt in Africa *Tertullianus,* Romae vero versus 220 S. *Hippolytus* in sua Paradosi Apostolikê.

c. Decursu saec. ΠΙ-i ieiunium hoc antepaschale iam paulatim extensum fuit usque ad *unam hebdomadam,* sic in Syria primis decenniis huius saeculi teste Didascal. Apost.: « A secunda sabbati (= Fer. II. hebdomadae sanctae) diebus Paschae ieiunabitis atque pane et sale et aqua solum utemini... Parasceven tamen et sabbatum integre ieiunate, nihil gustantes » (c. 21). Dionysius Alexandr. (247-261) iam refert de ieiunio sex dierum ante Pascha, etsi multi solum Fer. VI. et Sabbato ieiunium strictum observabant (PG 10, 1277).

2°. Ieiunium per 40 dies protractum, a. Ideam ieiunii 40 dierum desiderium imitationis quantum potest accuratissimae Christi peperit. Dominus enim 10 diebus et 40 noctibus ieiunium observavit post baptismum suum in Jordane, antequam vitam suam publicam inchoasset. Judaeochristianis aevi apostolici clarum fuit hoc ieiunium Christi ad exemplum Moysis, legislatoris Veteris Legis susceptum fuisse ante promulgationem Foederis Novi, Moyses enim ascendens in montem « fuit ibi 40 diebus et 40 noctibus d (Ex 24, 18).

b. Imitatio ieiunii 40 dierum independens fuit a ieiunio antepaschali. Ecclesia Coptica huius nunquam oblita est, ut refert scriptor *Abul Barakat,* iuxta quem ieiunium 40 dierum statim post festum Baptismi Christi (6. jan.) incoeptum est (Lampas tenebrarum 18. Baumstark, Liturgie comparée 3. ed. p. 316). *Petrus Alexandrinus* anno 306 praescripsit, quod peccatoribus publicis n 40 dies iniungantur, quos cum ieiunassct DNJChristus postquam baptizatus fuerat, tentatus est a diabolo, in quibus et ipsi cum valde exercitati fuerint, et constantius ieiunaverint, vigilabunt in orationibus » (Epist. canon, can. 1.). Cognita ergo fuit poenitentibus impositio ieiunii 40 dierum, ut nobis videtur, Alexandriae iam saec. III-o: textus quidam *Origenis* forsitan de hoc ieiunio debet intelligi: « Habemus quadragesimae dies ieiunio consecratos » (Horn. 10. in Lev. PG 12, 528), qui textus a plurimis interpolatus habetur per Rufinum, at, si intelligitur de ieiunio poenitentium, potest esse genuinus.

c. *Patio* cur praecise *40 dies ieiunio consecrantur,* non solum in exemplo Domini inventa est, etiam aliae adiiciebantur. Sufficiat allegare S. *Petrum Chrysologum:* « Quadragenarius iste numerus efficiendis rebus divinis... lege inviolabili perscribatur ». Exempla quadragenarii sunt in historia salutis: 40

dies et 40 noctes *diluvii,* quadragenarius numerus « et tunc coelum terris aperuit abluendis, et nunc fonte baptismatis orbem totum pandit gentibus innovandis », dein 40 annis « populum Judaeorum panificiis *in eremo* pavit imber», 40 diebus *Moyses* « merito legem sancire meruit », et *Eliam* « ieiunium levavit ad coelum, sed ut ad hoc perveniat, quadragenarii numeri ante viam mysticam praecurrit, » per 40 dies *Ezechiel* in uno latere cubuit ad signandam hac actione symbolica *captivitatem,* « qui sacratus numerus iste suscipit iniquitatem, ut deleat; captivitates, ut absolvat, ingreditur, vincula patitur, ut relaxet » (Sermo 166 PL 52, 634 s.).

d. Quo tempore 40 dierum spatium *ante festum Paschatis* celebrari coepit, incertum est. Primis decenniis tamen saec. IV-i iam consuetudo fit ieiunium 10 dierum ante Pascha, hypothesis instar ergo coniici potest observationem Quadragesimae tempore ultimae persecutionis Diocletianae (303-313) ortam esse, ipiando torrentis instar profluxit sanguis martyrum, multa milia confessorum deportata sunt, ac per quatuor annos etiam Sedes Romana vacua mansit.

e. *Divulgatio* Quadragesimae enim factum est historicum: prima parte saec. IV-i ubique iam observatur. Athanasius scripsit 341 ex Urbe S. Serapioni episcopo Thmuidis in Aegypto, totum mundum iam ieiunare ante Pascha per 10 dies, Aegyptiiqne irridentur, quod nondum hanc praxim universalem observent (F. Larsow, Festbriefe d. Athanas. 127). *Praxis* quadragesimalis *Romana,* ut Callewaert ostendit, s. *IV-V. mitior fuit,* ieiunium enim rigorosum solum tribus hebdomadibus observandum fuit: prima hebdomada (hebdomada Quatuor Temporum), quarta hebdomada (« mediana » post Dom. IV.) et sexta seu Ilcbd. Sancta sicque ieiunium his tribus hebdomadis mitius fuit. Tres hebdomadae etiam nunc eminent eo, quod stationes Fer. IV. VI. Sabb. in ecclesiis eminentioribus locatae sunt, et quod inde a S. Gelasio ordines Sabbatis hebdomadarum illarum conferuntur.

c) Indfllcs Quadragesimae.

T. Tempus praeparatorium Baptismi, a. *Stricta praeparatio* catechumenorum non per totam Quadragesimam, sed *per tres hebdomadas* ante Hebdomadam maiorem, ergo Dom. III. Quadr. coepit. Hierosolymis iuxta Catecheses S. Cyrilli et secundum relationem Aetheriae per tres hebdomadas singulis diebus instituebantur, lectionarium Armenum et Canonarion Georgicum pro catechumenis lectiones peculiares proferunt e Veteri Testamento et Paulo, in liturgia Byzantina universali hodicque habentur orationes speciales pro « illuminandis ». i.e. baptizandis. Sic in liturgia Romana Gelasianum primigenium Dom. III. celebratur 0 pro scrutiniis electorum », quae superscriptio etiam Dom. IV. et V. legitur. Oratio Dom. II. petit, ut electi « digne atque sapienter ad confessionem tuae laudis accedere » valeant, infra Canonem habetur peculiaris Memento « famulorum famularumque tuarum, qui electos tuos suscepturi sunt ad sanctam gratiam baptismi, tui et omnium circumadstantium. Et recitantur nomina virorum et mulierum, qui ipsos infantes suscepturi sunt » i.e. patrinorum. Pro baptizandis electis autem specialis recitatur « Hanc igitur » « ...pro famulis et famulabas tuis, quos ad aeternam vitam et beatum gratiae tuae donum numerare, eligere atque vocare dignatus es. Et recitantur nomina electorum. Postquam autem recensita fuerint, dicis: IIos, Domine, fonte baptismatis innovandos, Spiritus tui munere ad sacramentorum tuorum plenitudinem poscimus praeparari » (Wilson p. 34).

b. Haec quidem non remanserunt in liturgia Romana universali, *vestigia* tamen *praeparationis* ad Baptismum electorum uberrime adhuc cognosci possunt in liturgia universali adhuc vigente *inde a Doni. III. Quadr.* Statio huius Dominicae ad S. Laurentium in memoriam revocat exorcismos, quos inde a hac Dominica frequenter habebant in electos, hos exorcismos diaconi peragebant, statio ideo diaconi Laurentii optime electa fuit, ubi ceterum frequentes fuerunt liberationes miraculosae ab obsessione. Etiam pericopa evangelica (Lc11, 14-28) de Jesu eiiciente daemonium eidem scopo inservit. *Fer. II* huius hebdomadae lectio prae oculis ponit Naaman, qui lotus in Jordane a lepra sua mundatus est sicque typus evasit catechumeni in unda purificante submergendi, « lavare et mundaberis » est enim tessera etiam baptizandi. *Fer. IV.* eiusdem hebdomadae miraculum refertur Moysis e petra aquam educentis, verba eius apte accommodari possunt catechumenis: « Domine Deus, audi clamorem huius populi, et aperi eis thesaurum tuum, fontem aquae vivae. » Evangelium huius diei (mulieris Samaritanae) de aqua loquitur, quam Christus dabit, in Baptismo et ceteris Sacramentis et quae fit fons aquae salientis in vitam aeternam. — *Fer. IV. post Dom. IV.* maxima fuit festivitas pro electis, Gelasianum fuse describit « Traditionem symboli», (Wilson p. 53-60), hoc die enim exponebatur eis Symbolum apostolicum et Oratio dominica. Missa huius diei usque hodie servat notas huius sollemnitatis, ant. ad intr. et lectio prima ex Ezechiele sumunt vaticinium de Baptismo: « ...et effundam super vos aquam mundam et mundabimini ad omnibus inquinamentis vestris », secunda lectio Isaiae idem motivum celebrat: « Lavamini, mundi estote! » Evangelium vero (Jo 9, 1-38) caeci nati optime repraesentat catechumenum, qui « illuminandus » est per fidem in Baptismo susceptam. — *Sabb.* eiusdem hebdomadae iterum de baptizandis agit, ant. ad intr. vocat electos: ° Sitientes venite ad aquas », Evangelium (Jo 8, 12-20) autem exhibet Dominum dicentem: « Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitae », lumen hoc primo accipitur in Baptismo. — c. *In praxi pastorali* valde inculcandum est *momentum Baptismi,* quam magna sit « sancta gratia baptismi », per quam « reformatio ». seu « innovatio » fit « conditionis humanae », « per beatum gratiae Dei donum » digni efficimur vitae aeternae, non quidem per nosmetipsos, sed per Deum, qui « numerare, eligere atque vocare dignatus est electos » quive « sacramentorum suorum plenitudine » in mysteria seu « sacramenta aeternitatis » eos initiavit. Regeneratio autem haec fit ope Ecclesiae, quam Deus « spiritali fecunditate multiplicat, ut qui sunt generatione terreni, fiant regeneratione coelestes » (Gelas. XXVII. Wilson p. 38).

2°. Tempus expiationi peccatorum destinatum, a. Alter scopus totius Quadragesimae fuit peccatores praeparare ad magnum diem expiationis, quando a peccatis suis absoluti sunt Fer. V. in Coena Domini. Peculiari ritu incipiebant hanc quadragesimalem exercitationem poenitentium, inde a saec. VI-o *sollemniter susceperunt poenitentiam,* ut in Gelasiano descriptum est: « Ordo agentibus publicam poenitentiam. Suscipis eum IV. feria mane in capite quadragesimae et cooperies eum cilicio, oras pro eo. et inclaudis usque ad Coenam Domini ». Quid vocabulum « inclaudis » dicit, incertum est, certum autem est, quod non potuerunt adstare Missae fidelium communionemve sanctam sumere. Peculiaris ritus descriptus vocatur « *eiectio poenitentium* », vel « *expulsio* », evolutusque est solum versus saec. VIII-IX. (cf. Jungmann, Lat. Bussriten p. 51-64).

Poenitentes sacco induti, nudis pedibus se prostraverunt in pavimento ecclesiae, septem Psalmi pocnitentiales recitati sunt super eos, cum versiculis et septem orationibus, dein manus eis imponebantur, aqua aspersi sunt benedicta, cineres accipiebant in capite, cilicio capita eorum cooperta sunt. Dein episcopus eis denuntiavit, quod sicut Adam proiectus est de paradiso, ita et ipsi ob peccata eorum eiiciuntur. Post opera poenitentia per Quadragesimam praestita absolutionem acceperunt Fer. V. in Coena Domini (cf. De poenit. A. 4. IV. d).

b. Quia poenitentes audire potuerunt Missam catechumenorum, omnes textus Missarum Quadragesimae *poenitentiam eiusque effectus Deique misericordiam* concinunt. Virtutem poenitentiae ceterum *omnes fideles* exercentes hoc tempore sacro peccatorum remedium quaesierunt, Deum obsecrantes, ut « ...qui inclinamur conscientia nostra, tua semper misericordia erigamur » (Gelasian. Wilson p. 41). *Idea poenitentiae* ideo saepissime invenitur *in textibus liturgicis.* (1) Sic *motiva* extolluntur rectae poenitentiae: misericordia Dei, e.gr. «Convertimini ad me in toto corde vestro... quia benignus et misericors est et patiens et multae misericordiae « (Fer. IV. Cin.), hoc motivum Fer. VI. post Cin. additur textui lectionis: « Quia misericors sum Dominus Deus tuus ». Qui poenitentiam agit, «vita vivet ct non morietur, omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor » (Fer. VI. Dom. I. lect.), qui vero nolunt poenitentiam agere, monentur verbis Salvatoris: « ...in peccato vestro moriemini n (Fer. II. Dom. II.). — (2) Celebrantur *exempla* poenitentium, inprimis *Ninivitae* conversi ad praedicationem Jonae, qui « surgent in indicio cum generatione ista et condemnabunt eam » (Fer. IV. Dom. L), idcirco « convertatur vir a via sua mala, ct ab iniquitate, quae est in manibus eorum » (Fer. IL Dom. V.). Exemplo sunt *mulier peccatrix,* cui a Domino dictum est: « Nec ego te condemnabo, vade et iam amplius noli peccare » (Sab. Dom. III.), dein *filius prodigus,* « qui mortuus erat et revixit, perierat et inventus est » (Sab. Dom. IL); imo ipse *Esau* est exemplar poenitentiae, nam cum « eiulatu magno fleret, motus Isaac » etiam illi benedixit (ibid.). — (3) Etiam *typi* crebro habentur poenitentiae: sicut *Moyses* iratum Dominum oratione sua placavit, « ne faceret malum, quod locutus fuerat adversus populum suum », sic etiam Ecclesiae actio deprecativa facit circa peccatores (Fer. III. Dom. IV.); sicut *Elias* propheta suscitavit mortuum puerum, Christus Dominus autem *Lazarum,* ita resurget etiam peccator (pii spiritualiter mortuus est (Fer. VI. Dom. IV.); sic intelligitur etiam lectio de *Joseph Aegyptiaco* (Fer. VI. Dom. IL): est enim typus Redemptoris, cuius captivitate praefigurata est actio Christi redemptiva. — (4) Abundant textus *contritionem spirantes* « peccavimus, iniquitatem fecimus, Domine, in omnem iustitiam tuam », (Fer. II. Dom. IL), vel: « Vide humilitatem meam et laborem meum, et dimitte omnia peccata mea » (Fer. VI. Dom. L), vel: « Fac nobiscum iuxta mansuetudinem tuam et secundum multitudinem misericordiae tuae » (Fer. V. Dom. V.).

c. In liturgia Byzantina *Magnus Canon poenitentialis* recitatur primis diebus Quadragesimae, concinnatus a S. Andrea Cretensi: « Peccavimus, inique egimus, iniuste fecimus coram te, nec servivimus aut fecimus quemadmodum nobis mandasti: verum ne nos, tu, Deus patrum, tradideris in finem... Obrui tuam imaginem, tuumque mandatum violavi: tota species obscurata est, exstinctaque lampas, o Salvator, vitiis: sed misertus ipse, redde mihi laetitiam, ut canit David. Convertere, poenitere, revela occulta! Dic Deo, qui novit omnia:

Tu solus Salvator, scis occulta, tu mei, ut psallit David, secundum misericordiam tuam miserere! ».

3°. Annua exercitia fidelium. Tertius finis est permagni momenti totius Quadragesimae: fideles qui omnia peragebant quibus Ecclesia filios suos in itinere huius temporis sacri dirigebat, annua quasi « exercitia spiritualia » nacti sunt, « annua quadragesimalis exercitia sacramenti » (Gelasian. Wilson p. 17). Fideles, ut S. Chrysostomus dicit, « ...per preces, per eleemosynas, per ieiunium, per vigilias, per confessionem ac per cetera omnia diligenter expurgati sunt » (Horn. 30, 1 in Genes.). Media horum exercitiorum spiritualium fuerunt et possunt esse etiam nunc: conventus fidelium, ieiunium pneumaticum, opera caritatis, exercitium virtutum.

a. Conventus fidelium. Aliquis conventus seu « statio » fidelium omnibus diebus habebatur, etsi non fuit conventus hic semper cum Missae celebratione coniuncta. In *Oriente* semper hodieque dies aliturgici sunt feriae Quadragesimae, Missarum sollemnia habentur solum Sabbatis et Dominicis, ceteris diebus agitur « leiturgia proêgiasmenôn » (« Missa praesanctificatorum » sc. donorum). *Mediolani* quoque usque ad exeuntem saec. VIII. feriae Quadragesimae *aliturgicae* fuerunt; iuxta coniecturam O. Heiming (1952) Odelbertus archiepiscopus Mediolanensis (803-813) induxit Missas pro feriis Quadragesimae (Fer. II-V.) ritum Romanum secutus, Fer. VI.-ae usque hodie aliturgicae sunt. *Romae* verisimiliter usque ad medium saec. VI. solum *Fer. II. Fer. IV. et Fer. VI.* celebrabant stationem cum Missa, fragmentum quoddam Sacramentarii archaici in Rhaetia vel Norico usitati solum his diebus notat Missas (A. Dold, D. Palimpsestsakr. im Cod. Aug. 112. Beuron 1925). Tempore S. *Gregorii Magni* iam Fer. III. et Sabb. quoque Missas habent, Fer. V. per Gregorium II. (715-731) Missas proprias accepit, ut iam relatum est (supra Typolog. sacr. F. 1. c.).

b. In his coetibus sive cum Missae celebratione coniunctis, sive « aliturgicis » versus horas vespertinas, opere diurno completo, S. Scriptura *lecta et* exposita est fidelibus, saepissime liber quidam integer per decursum Quadragesimae. Celeberrimae sunt e.gr. homiliae S. *Chrysostomi* de Genesi, de epistola ad Romanos habitae, qui praeterea fideles suos etiam hortatus est, ut domi quoque legant S. Scripturam, quod etiam alii sic fecerunt. *Concionator* quidam *ignotus* saec. V-i talem adiecit exhortationem: « Nec solum vobis sufficiat, quod in ecclesia divinas lectiones auditis, sed etiam in domibus vestris aut ipsi legite, aut alios legentes requirite et libenter audite... licet per totum annum, Deo propitio lectiones divinas frequenter et fideliter audiatis: in istis tamen diebus de pelago et fluctibus mundi huius quasi ad portum Quadragesimae confugientes debemus requiescere et lectiones divinas in exceptorio cordis nostri cum silentio et pace suscipere » (Sermo suppositititius Aug. 1-10.). Missae feriales quadragesimales lectiones Missarum *semper e Veteri Lege* electas habent inde a saec. VIII-o, finemque habent paedagogicum. Ante hoc tempus lectiones Missae erant e Novo Testamento, e.gr. in systemate Capuano saec. VI. (DAL V, 1, 298). Comes Wirceburgensis fere iam easdem habet lectiones, ac hodie, sed Feriae V-ae adhuc vacuae sunt, ergo ante Gregorium II. (t 731) iam adfuerunt. Comes Murbaccnsis saec. VIII-o autem easdem cum Missali Romano habet lectiones V.T. etiam Feriis V-is (DAL 302. 317). *Sensus* huius usus aperitur a Jungmann et J. Schildenberger (Anima 1957, 317-320). Vetus Test, bene concordebat indoli praeparatoriae Quadragesimae quae ad Pascha praeparat animas, sicut

V.T. praeparavit Novam Legem, ideo modo typico ostenduntur figurae grandes orantium et ieiunantium, semetipsos in viam Dei convertentium. Dein allegorice accommodantur textus V.T. ad repraesentandum baptismum, paenitentiam et Eucharistiam. Sat frequenter illustrant pericopae V.T. evangelium diei vel arcte cohaerent cum statione diei.

c. leiunium pneumaticum (graece « nesteia pneumatikê ») vocatur tempus Quadragesimae a Triodio (II. hebd. Fer. IL), quod significat *abstinentiam a peccatis* seu ieiunium a culpis, ut in s. liturgia saepius dicitur, e.gr. « ...sicut ab alimentis abstinemus in corpore, ita a vitiis ieiunemus in mente » (Fer. VI. Dom. III). « leiunium » hoc perpulchre extollitur a *Triodio* byzantinae liturgiae: « Pneumaticum ieiunium ieiunemus, tortuosos laqueos omnes abrumpamus, declinemus pariter malorum exemplorum nequitiam, dimittamusque fratribus debita, ut nobis quoque delicta nostra dimittantur, ita enim clamare poterimus: Dirigatur Domine, oratio nostra, sicut incensum in conspectu tuo. Purum ieiunium est fuga peccati, pravorum affectum abscessus, caritas erga Deum, orationis studium, lecryma cum compunctione, ct pauperum cura, quemadmodum Christus in Scripturis praecipit ». — Optime exponit *Origenes* ieiunii pneumatici rationem; «Vis tibi adhuc ostendam, quale te oportet ieiunare ieiunium? leiuna ab omni peccato, nullum cibum sumas malitiae, nullas capias epulas voluptatis, nullo vino luxuriae concalescas. leiuna a malis actibus, abstine a malis sermonibus, contine te a cogitationibus pessimis. Noli contingere panes furtivos perversae doctrinae. Non concupisces fallaces philosophiae cibos, qui te a veritate seducant. Tale ieiunium Deo placet » (Hom. 10. in Lev.).

d. Opera caritatis *fervidius* hoc sacro tempore *exercenda sunt,* « philanthropia » seu benignitas suavis erga proximum valde inculcata fuit. (1) *Condonator anonymus* saec. V-i reprehendit quosdam fideles *ob saevitiam erga servos*·. « Nonnulli divinorum immemores praeceptorum, ita circa servos suos et subditos potestatem dominationis exercent, ut in his diebus non dubitent flagris eos caedere, poenis afficere, compedibus praeparare, et si forte cum ad reficiendum venitur, tardius minister adfuerit, statim eum verberibus laniare, et prius se satiare servuli sanguine, quam convivii voluptate. Horum tale ieiunium est... Vides etiam in nonnullorum domibus nitidos et crassos canes discurrere, homines titubantes et pallentes incedere. Isti ergo miserebuntur pauperibus aliquando, qui minime servis suis miserentur? » (PL 39, 2030). — (2) lamvero vitae vere chrislianae est *caritas actuosa erga proximum,* praecipue tempore vitae spiritualis intensioris, tempore nempe Quadragesimae; ideo « ...sibi sine ieiunio, ieiunium vero sine eleemosyna omnino non sufficit, ...ieiunium sine eleemosyna nullum bonum est, nisi forte ita sit aliquis pauper, ut non habeat omnino quod tribuat... Tale est ieiunium sine eleemosyna, qualis lucerna sine oleo. Nam sicut lucerna, quae sine oleo accenditur, fumigare potest, lucem habere non potest: ita ieiunium sine eleemosyna carnem quidem cruciat, sed caritatis lumine animam non illustrat », dicit S. Caesarius Arelatensis (PL 39, 2023 s.). — (3) Tempore hoc acceptabili *plus faciendum est erga proximum,* dicit S. Augustinus: « Eleemosynas his diebus augere, quodammodo ex debito... quid iniquius quam ut quod minus erogat abstinentia, servet permanens avaritia... Quod detrahit temperantia voluptati, addat misericordia caritati » (PL 38, 1045).

e. Exercitium virtutum. Non sufficit mera abstinentia a peccatis, requiritur etiam exercitium virtutum. Ideo commendatur (1) a Patribus *humilitas:* « leiu-

nemus etiam humiliantes animas nostras, appropinquante die quo magister humilitatis humiliavit semetipsum, factus subditus usque ad mortem », dicit S. Augustinus (Sermo 207 PL 38, 1013). — (2) Suadetur *lenitas* erga proximum: « Sint ergo vestra ieiunia sine litibus, sine clamoribus, caedibus, ut etiam qui sub iugo vestro sunt, remissionem cautam sentiant et benignam, ut aspera severitas refrenatur, non ut salubris disciplina solvatur » (Aug. Sermo 208 PL 38, 1014). — (3) Commendata habetur fidelibus *fraterna concordia:* « Dies isti sancti, quos agimus in observatione Quadragesimae, commonent nos de fraterna concordia loqui vobis, ut quicunque habet adversus alium querelam, finiat, ne finiatur... Humanum est irasci: sed non debet iracundia tua, natus surculus brevis, suspicionibus irrigari, et ad trabem odii pervenire. Aliud enim est ira, aliud odium. Nam saepe pater irascitur filio, sed non odit filium: irascitur, ut corrigat » (PL 38, 1045). — (4) Suadetur *abstinentia ab occupationibus saeculi,* inquantum fieri potest: « Unde iterum rogo, ut occupationes saeculi huius in istis diebus sanctis Quadragesimae, si non potestis abscindere, studeatis vel ex parte aliqua temperare: ut... substrahatis aliquas horas occupationi terrenae, in quibus Deo vacare possitis » (Sermo Ps. Aug. 140 PL 39, 2020). *Finis* huius exercitii est, ut « terrenis affectibus mitigatis, facilius coelestia capiamus » (Gelasian., Wilson p. 35). — (5) Commendabatur semper quoque matrimonio iunctis abstinentia voluntaria *ab usu coniugii:* « Quicunque etiam estis coniugibus alligati, nunc maxime apostolica monita nolite contemnere, ut invicem abstineatis ad tempus, ut vacetis orationibus. Quod enim et aliis diebus utiliter fit. nimis inverecundum est, si modo non fit » (Aug. Sermo 208 PL 38, 1045). — (6) Haec omnia incredibili modo conferunt *ad meliorem purificationem animae,* ut s. liturgia frequenter inculcat: « ...ut sacro nos purificatos ieiunio sinceris quoque mentibus ad tua sancta ventura facias pervenire » (Gelasian Wilson p. 35). Idem dicit alia oratio, inculcans gaudium resultans e sacrificio: ° Adiuva nos Deus, salutaris noster, et in sacrificio ieiuniorum nostras mentes purifica, ut ad beneficia recolenda, quibus nos instaurare dignatus es, tribuas venire gaudentes » (ib. p. 42). Haec omnia, ut iam praedictae orationes enuntiaverunt, ad festa « sancta ventura », quando celebraturi sumus s. mysteria Redemptionis « beneficia recolendo », praeparant animas nostras: « Concede nobis quaesumus Domine, ut celebraturi sacra mysteria, non solum abstinentiam corporalem, sed quod est potius, habeamus mentium puritatem » (ib. p. 43).

f. His fit tempus Quadragesimae tempus sacratum, sollemnitas praemissa (proëorte) Paschatis, « sollemne tempus, quando de anima attentius cogitanda et corpore castigando vestram commoneam caritatem. Hi sunt enim quadraginta dies sacratissimi toto orbe terrarum, quod propinquante Pascha universus mundus quem Deus in Christo reconciliat sibi, praedicanda devotione concelebrat » (Aug. Sermo 209 PL 38, 1046). Haec *reconciliato* cum Deo facta de novo creat, re-creat mundum, reformat, reparat omnia: « ...ut dignitas conditionis humanae, per immoderantiam suaciata, medicinalis persimoniae studio reformetur » (Gelasian. Wilson p. 37). Plebs Dei sic « interius exteriusque restauratur » (ib. p. 41).

4°. Exercitationes corporales asceticae, seu castigatio corporis adiuvant et complent exercitia spiritualia fidelium. Inter opera haec poenitentiae eminet ieiunium, quod duplex est: unica comestio seu monophagia et abstinentia a quibusdam cibis seu xerophagia.

a. Monophagia sensu stricto et nativo est *comestio unica horâ legitima capta,* quae hora per multa saecula priora fuit versus vesperam. Haec monophagia in Occidente Dominicis, in Oriente autem Sabbatis quoque non servabatur, etsi altera species ieiunii, abstinentia scilicet, etiam his diebus servari debuit. — (1) Saec. IV-o hanc unicam comestionem memorat S. *Ambrosius* dicens: « Indictum est ieiunium, cave ne negligasl... statim meridianis horis adveniendum est in ecclesiam, canendi hymni, celebranda oblatio. Tunc utique paratus assiste, ut accipias munimentum, ut corpus edas Domini Jesu » (Expos, in Ps 118, Sermo 8, 48 PL 15, 1384). Quando Missa finita est, « non longe finis est diei », ita ut eam vocet « sacrificium vespertinum », et adiungit: « Non potes oblivisci cum lectum ascenderis eius Domini, cui in *occasu diei* precem fuderis » (ibid.). — (2) Unica haec comestio *ne sit luxuriosa,* nam, ut monet *Caesarius Arelat.* • nihil prodest tota die longum duxisse ieiunium, si postea ciborum suavitate vel nimietate anima obruatur. Illico mens repleta torpescit, et irrigata corporis nostri terra spinas libidinum germinabit. Sit ergo temperatus cibus, et nunquam nimium venter expletus et plus semper de cibo cordis, quam de cibo corporis cogitemus » (Sermo 141. suppos. August. PL 39, 2021). — (3) Finis huius ieiunii est, ut *malas consuetudines* ex anima expellat, fideles certatirn contendunt ergo ieiunare, ut *Chrysostomus* dicit: « Quae quaeso, ciborum abstinentiae utilitas, nisi improbas animi consuetudines expellamus? Ecce hodie totum diem sine cibo (asitoi) transegimus, et mensam in vespera apponemus... Et sicut quidam sunt inter se ciborum abstinentia aemulantes et mirabilem contentionem facientes: et hi quidem integros duos dies transigunt ieiunii, hi vero non vini tantum ct olei, sed et omnis ferculi usum a sua mensa reficientes, pane et aqua utentes dumtaxat Quadragesimam omnem expediunt: sic et nos mutuo contendamus, ut iuramentorum frequentiam tollamus » (Ad pop. Antioch. 4, 6 PG 49, 68). — (4) Finis ieiunii *non est autonomus,* Deus non laetatur in nuda mortificatione filiorum, parcimonia opus est, quia per intemperantiam saepissime peccatur; si semper temperantes essemus, non indigeremus ieiunii adiumento, ut apposite declarat *Chrysostomus:* « Dilecte, si ob corporis imbecillitatem non potes ieiunus diem producere, nullus sapiens propter hoc te arguere potest. Dominum enim habemus mansuetum ac benignum et nihil supra vires nostras a nobis exigentem. Neque enim abstinentiam a cibis et ieiunium simpliciter a nobis exigit, ...sed ut a vitae huius negotiis nos abdicantes, omne nostrum otium in spiritualibus consumamus. Nam si sobria mente vitam nostram instituerernus, ct quidquid otii datur, in spiritualia impenderemus et cibos ita sumeremus, ut tantum sumeremus, quantum solum necessitatem nostram expleret, et vitam totam in bonis operibus dispensaremus, iam nullo opus esset iciuniorum adiumento. Sed quia négligeas est humana natura et deliciis gaudet, et relaxationes quaerit, idcirco ad amorem prolis propensus pater, clemens Dominus hanc ex ieiunio medicinam excogitavit, ut et delicata e medio tollantur, et saecularium curam ad spiritualia opera transferamus » (PG 53, 82). — (5) Unica refectio usque ad saec. X. remansit ad tempus circa vesperam, dein paulatim *ad tempus circa nonam anticipata fuit.* Saec. XIII-o S. *Thomas Aquinas* comestionem circa nonam licitam dixit, immo etiam rationem invenit dicens: « Ut ieiunans aliquam afflictionem sentiat pro culpae satisfactione, conveniens hora comedendi taxatur ieiunantibus circa horam nonam. Convenit etiam ista hora mysterio passionis Christi, quae completa fuit hora nona... leiunantes enim, dum suam carnem affligunt, passioni Christi conformantur

(II-II q. 147. a. 7). Exeunte saec. XIII-o *Richardus a Mediavilla,* magister O.F.M. iam circa sextam licitam edixit refectionem, affirmans essentiam ieiunii constare in unica comestione (In IV Sent. dist. 15. a. 3. q. 7). Dolendum est, quod ratio cogitandi « legista » etiam *horam Vesperarum* ante meridiem ponens ordinem liturgicum horarum conturbavit. — (6) Quando unica refectio ad sextam sumi coepit, ad vesperam usuvenit *collatio,* ita nominata a lectione Collationum Cassiani in monasteriis, inter quam potus vini cum buccella panis vel electuariis concessus fuit. *Electuaria* (confiture, Pastete, pasticcini a base di miele) conceduntur a S. Thoma, quia « non principaliter assumuntur ad nutrimentum, sed ad digestionem ciborum, unde non solvunt ieiunium » (II-II q. 147 a. 6. ad 3). Post saec. XVI. etiam *mane* multi sumebant potum, vinum, coffeam, thé cum exigua quantitate panis, quod dein a S. Poenitentiaria 21. nov. 1843 expresse concessum est.

b. Xerophagia seu aridus victus sensu stricto et nativo est *esus comestibilium* « *aridorum* » (1) secundum *Epiphanium* est xerophagia vesci « pane et sale et aqua » (Panarion 22. PG 42, 828), see. Constit. /Vpostol. « pane, aqua, sale et oleribus » (1. V. c. 7), exclusus erat usus *carnium,* etiam *piscium et lacticiniorum* (casei, lactis, butyri, ovorum). S. *Augustinus* monet christianos quosdam nimium anxios, « qui se a carnibus abstinent, ne vasa in quibus sunt coctae, tamquam immunda devitent. Sic enim loquens apostolus ait: Omnia inunda mundis... Illi qui sic se a carnibus temperant, ut alias escas et difficilioris praeparationis et pretii maioris inquirant, multum errant, non enim est hoc suscipere abstinentiam, sel mutare luxuriam » (Sermo 209 PL 38, 1047). — (2) Sat mature quaedam *laxior praxis abstinentiae* usuvenit, *Julianus Pomerius* (t 498) magister Caesarii Arelat. iam increpat eos, qui « a quadrupedibus abstinentes, phasianis altilibus vel aliis avibus pretiosis aut piscibus perfruuntur » (De vita contemplativa 2, 23 PL 59, 469 s.). Esus piscium in Occidente pedetentim omnino libera evasit. — (3) *Usus lacticiniorum* saec. VII-IX. in quibusdam regionibus Occidentis licita habebatur, Photius ideo Occidentales reprehendit, cui *Aeneas Parisinus* respondens refert, quod in parte quadam Italiae « tribus diebus per totam Quadragesimam a cibis igne decoctis abstinent, et olera manducant et fruges, dum « Germania etiam a lactis et butyri ac casei et ovorum usu per totam Quadragesimam generaliter non abstinet » (Lib. adv. Graecos c. 175 PL 121, 742). Saec. X-XIII. usus lacticiniorum iterum omnino illicitus factus est. S. Thomas hoc vetitum « communem fidelium consuetudinem » vocat (II-II q. 147). a. 8).

c. Usus vini et liquorum (1) aevo antiquo omnino illicitus habebatur, reprobabant quidam etiam « sorbitiunculas delicatas et contrita olera betarumque (carota, bietola, Rübe, carotte, betterave, beet-root, cékla) succum » (Hieron. Ep. 52, 12 PL 22, 537), quod S. *Augustinus* luculentius declarat: « Videas enim quosdam pro usitato vino inusitatos liquores exquirere, et aliorum expressione pomorum, quod ex uva sibi denegant, multo suavius compensare... ut videlicet observatio Quadragesimae non sit veterum concupiscentiarum repressio, sed novarum deliciarum occasio » (PL 38, 1043). — (2) Usum vini *clunijacenses* licitum putabant, S. Thomas iam secundum consuetudinem sui temporis declarat: « Non intendit Ecclesia interdicere sumptionem potus, quia magis sumitur ad alterationcm corporis et digestionem ciborum assumptorum, quam ad nutritionem, licet aliquo modo nutriat » (II-II q. 147. a. 6 ad 2.).

d. Immunitas Quadragesimae (1) *a forensibus:* omnibus diebus vetitae sunt

lites forenses per legem 27. mart. 380 Gratiani et Theodosii, — (2) *spectacula* prohibita fuisse testatur Nicolaus I. saec. IX-o (Responsa ad Bulgar, c. 47.). — (3) *Officiis* de tempore servandis in Quadragesima servivit *Sanctorum festivitatum totalis repressio* in Ecclesia Orientali, excepto festo Annuntiationis 25. mart, (iuxta Trullanum 692), quod festum ecclesia Wisigothica (Syn. II. Tolet. 656) Quadragesimae tempore repudiavit, nullum celebrans festum hoc tempore, sicut nec Gallicana. Ecclesia autem Romana principium quidem initio servavit, sed tamen pedetentim etiam festa quorundam Sanctorum celebrare coepit, saec. VIII-o duo festa solum erant in Quadragesima, saec. XII-o 13, sed decursu saec. XIII-i festa multiplicari coeperunt. Instauratio Sancti Pii X. permisit — exceptis festis I. et II. cl. — loco Sanctorum Missam de tempore celebrandi, ut Missis pervetustis quadragesimalibus vetus honor restitueretur, pietasque textibus his magis foveretur. — *Orientales* saec. IX-o iam reprehendebant Occidentales, quod tempore Quadragesimae festa Sanctorum celebrent, Ratramnus ideo contra has accusationes scripsit: « Martyrum sollemnitates novem ante Pascha septimanis occidentalis Ecclesia nequaquam sollemni more frequentat, sed ab omni celebri glorificatione, quam per totius anni spatium frequentare consuevit, sese continet » (Contra Graecorum opposita PL 121, 320).

e. Spontaneitas horum exercitiorum. (1) Omnia haec exercitia saec. IV-o quodammodo *adhuc libera* erant, quod clare videri potest e.gr. ex homilia S. *Chrysostomi:* «Consuetudinem omnes habent per Quadragesimam interrogandi, quot quisque septimanas Quadragesimae ieiunavit: et dicentes audire licet, hos quidem quod duas, hos vero quod tres, illos autem quod omnes ieiunaverint septimanas. Et quid lucrum, si recte factis carentes, ieiunium transegerimus? » (Ad pop. Antioch. 16, 6 PG 49, 169). — Omnino simili modo loquitur S. *Augustinus:* « 40 diebus ieiunavit Moyses, legis administrator, 40 Elias, excellentissimus prophetarum, 40 ipse Dominus, testimonium habens a lege et prophetis. Inde cum his duobus in monte se ostendit. Nos autem, qui tam longum ieiunium perpetuare non possumus, ut per tot dies et nocte nihil alimentorum sicut et illi, accipiamus, saltem quantum possumus, faciamus, ut exceptis diebus, per quos certis de causis mos Ecclesiae prohibet ieiunare. Domino nostro *vel quotidiano, vel crebro* ieiunio placeamus » (Sermo 210 PL 38, 1052). Spiritus ergo aperte declaratur spontaneitatis, dominica quidem prohibetur ieiunare, aliis diebus iuxta possibilitatem uniuscuiusque faciat. — (2) Idem spiritus suggessit Augustino exhortare fideles, ut sponte *quemvis cibum* abnegent semetipsis: « Non utique de solis carnibus, sed etiam de quibusdam pomis et agriculturae alimentis Israelitarum concupiscentia divina voce damnata est... quapropter carissimi, a quibuscunque cibis *vobis placuerit* abstinere, mementote, ut propositum vestrum pia temperantia conservetis » (Sermo 208 PL 38, 1015). — (3) S. *Caesarius Arelatensis* (t 542) ieiunium quadragesimale iam *obligatorium* reputavit: « ...exceptis diebus dominicis nullus prandere *praesumat,* nisi forte ille, quem ieiunare infirmitas non permittit, quia aliis diebus ieiunare aut remedium, aut praemium est, in Quadragesima non ieiunare: peccatum est » (Sermo suppositions Aug. 141 PL 39, 2022). — Concionator anonymus saec. V-i autem candide enuntiat: « ...in totum non observare sacrilegum est, ex parte autem violare: peccatum est » (PL 39, 2031).

5°. Idea Passionis Domini. Hodiernis diebus passio Domini in devotionibus popularibus tota Quadragesima celebratur, liturgia solummodo inde a Dom. V.

seu I. Passionis, immo propius solum a Dom. II. Passionis seu Palmarum passionem recolit.

a. Idea tamen passionis iam ab antiquitate *qua motivum partiale* Quadragesimae nota fuit. Sic e. gr. S. *Augustinus* in sermone I. Quadragesimae, quando adhuc « celebraturi » sunt passionem Christi sic locutus est: « Congruit nostrae devotioni, ut qui Domini crucufixi passionem iam propinquantem celebraturi sumus, reprimendarum carnalium voluptatum crucem nobis ipsi etiam laciamus, sicut dicit apostolus: Qui autem Jesu Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum passionibus ct concupiscentiis » (Gal 5, 24) (Sermo 205 PL 38, 1039). Motivum ergo exercitationum quadragcsimalium sit: Jesu Christi sumus, ideo cum Crucifixo etiam nos corpus nostrum cruci affigere debemus per abnegationes. — Consimili modo locutus est S. *Epiphanias:* « Neque vero ut ei gratias agamus, qui nostri causa passus est, instituta sunt ieiunia, sed ut salutis nostrae causa passionem illam profiteamur, quam pro nobis Dominus ipse suscepit, atque ut haec ieiunia sceleribus Deo propitia fiant... Ante septem Paschae dies Quadragesimam observare atque in ieiuniis perseverare eadem consuevit Ecclesia, Dominicis vero nullis omnino, adeoque nec ipsius Quadragesimae ieiunare solet » (Panarion 22. PG 42, 828). — S. *Augustinus* ideo rationem Quadragesimae ante festum Paschatis invenire dicit, quia congruit passioni Christi: « Cur autem nos ante sollemnitatem passionis dominicae ieiunemus, et illa ratio est... quia iam sponsus ablatus est, utique nobis, filiis pulchri sponsi, lugendum est » (Sermo 210 PL 38, 1049).

b. Eodem modo *liturgia byzantina* iam I. Hebd. Quadragesimae passionem Domini celebrat: « Qui passionibus tuis tradidisti omnibus vacuitatem a passionibus, effice Domine, ut divina cruce carnis meae affectionibus extinctis, sanctam pariter resurrectionem tuam conspiciam. Puritatis fons, conserva nos, misericors, ieiunii ope, respice ad nos ante te procidentes, attende elevationi manuum nostrarum, qui manus tuas in ligno, quo mortalibus omnibus crucifixus expandisti, angelorum unus Dominus... Salvator, instar vitis e ligno pendens, incomiptionis vino fines terrae irrigasti, o Christe! Unde exclamo: Mihi temulentia peccatorum miserum in modum semper obcaecato dulcem verae compunctionis succum largitus, praebe nunc vires, ut ieiunare a voluptatibus valeam, utpote bonus atque misericors » (Triodion Fer. VI. Hebd. I. leiuniomm).

c. Christus passus per totam Quadragesimam *consiliorum factorumque exempla* praebet bonis christianis: « Quod enim (sc. Redemptio) semel in toto tempore factum est, ut vita nostra novaretur, celebratur annis omnibus, ut in memoriam revocetur... Humiles esse nos docuit humilitas Christi, quia impiis moriendo cessit, excelsos nos facit celsitudo Christi, quia pios resurgendo praecessit... *Unum* horum modo tamquam eius propinquante passione (sc. humilitatis exemplum in Quadragesima), *alterum* (sc. celsitudinis post Pascha) post Pascha, tamquam eius resurrectione completa, devotione debita celebremus » (Sermo 206. Quadr. II. PL 38, 1041).

d. Minus recte agunt ergo, qui populo nimis exacte exponerent, in Quadragesima non debere celebrari Christi passionem, solum post Dom. I. Pass., relinquenda sunt sapienter exercitia passionis per totum decursum Quadragesimae, sed inculcanda sunt etiam alia motiva, modo exposita, magna ex parte nunc oblita.

d) Leges cultualcs Quadragesimae.

1°. In officiis *de tempore* adhibendus est color violaceus, ornatus altaris simplex, « Te Deum » et » Gloria in excelsis » omittuntur, pulsus organorum cessat. Haec non valent in officiis festivis et non stricte liturgicis.

2°. Feriae Quadragesimae sunt *feriae III. cl.,* Missae *votivae IV. cl.* ideo per totum tempus prohibentur, item Missae de Requiem *cotidianae.*

3°. *In choro* genuilectendum est ab omnibus ad orationem, postcommunionem et orationem super populum, et a « Te igitur » usque ad « Pater noste » exclusive (NCR 521 c.).

4°. *Indoli lugubri* convenienter abstinetur ab *Alleluia,* inde a Septuagesima deposito. *Tractus* dicitur in Missis Dominicarum et Missis festivis, secus solum Graduate. Excipiuntur Fer. IL IV. et VI., « *feriae legitimae* » excellentes tractu eodem « Domine non secundum peccata nostra », in quo ad versum « Adiuva nos » genuflectendum est. Si tractus hic a choro cantatur, non genuflectitur a celebrante, quando ipse hunc versum recitat, sed ad cantum chori in ora suppedanei cum ministris utrumque flectit genu.

5°. *Oratio super populum* dicitur in Missis ferialibus, celebrans dicto « Oremus, » statim iunctis manibus capite versus Crucem profunde inclinato dicit « *Humiliate capita vestra Deo »,* in Missa sollemni, dicto a celebrante ▮ Oremus », diaconus versus ad populum cantat « Humiliate... », quo dicto vertit se versus altare a tergo celebrantis (Miss. Rit. cel. XI, 3). *Chorus* dicto « Humiliate » genuflexus caput inclinat, sicque manet intra orationem (cf. Eph. Lit. Ius et prax. 1942, 55).

6°. *Preces feriales,* ut in Breviario, dicuntur ab anno 1956 solum in Vesp. et Laud. Feriarum IV. et VI. et Sabb. quat. temp. (NCR 260).

7°. *Ut valor restituatur feriarum* quadragesimarum de tempore, decr. de Rubricis ad simpliciorem formam redigendis 1955. concessit facultatem in recitatione privata dicendi *officium feriale,* exceptis festis I. et IL cl. (tit. II. n. 22). Hoc nunc ab 1961. iam non valet (cf. De Eccl. sacrifie. E. 4. c. 4°. b.).

8°. *Dom. IV. Quadragesimae* ab Ant. ad intr. clamatur « *Laetare* », indolemque gaudiosam prae se fert, quia Dominica in medio constituta est Quadragesimae. *Externa signa* huius sancti gaudii sunt: color rosaceus paramentorum ad libitum adhibitus, permissio ornatus altaris et pulsus organorum. Idem gaudium resonat in textibus Missae et officii; causae tanti gaudii enuntiantur a liturgia: a. Consolatio *e gratiis* decursu Quadragesimae accepta (a tuae gratiae consolatione respiremus » : oratio), laudandus ergo et extollendus Deus est, quia « benignus est, psallendum nomini eius, quoniam suavis est » (ant. ad offert.). — b. Conscientia facti, quod *matrem habemus Ecclesiam:* aquae sursum est Jerusalem, libera est, quae est mater nostra », de hac Ecclesia scriptum est « Lactare... erumpe et clama, quia multi filii desertae, magis quam eius quae habet virum », filii hi sunt baptizandi, reconciliandi peccatores, fidelesque omnes purificandi, quibus Ecclesia augenda est, idcirco hoc gaudium annuntiatur in cantibus chori huius Dominicae, in ant. ad intr.: « Laetare Jerusalem.. gaudete cum laetitia, qui in tristitia (peccatorum etc.) fuistis », ideo quia non commovebitur in aeternum, qui habitat in Jerusalem » (tractus). — c. Tertia causa gaudii est, quod ut Evangelium diei annuntiat, *multiplicatio pa-*

num, typus Eucharistiae frequentiore modo fit in Quadragesima, quando est «proximum Pascha, dies festus»; ad hanc mensam supernae civitatis Jerusalem vocat fideles *ant. ad commun.* « illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini n, ascendentes ad gradus altaris, s. corpus Christi sumpturi, gratiaeque aguntur, quod mira hac multiplicatione panum Eucharistiae, « quibus incessanter explemur » iure laetari possumus, enimvero « dicta sunt mihi: In domum Domini ibimus » (postcom. et grad.). — d. Hoc die Summus Pontifex *rosam cx auro conflatam* consecrat, interius repletam balsamo et moscho. Primum documentum huius moris hucusque cognitum emanavit a Leone IX. anno 1049. Eodem saeculo iam hanc rosam auream Summus Pontifex dono dedit personae cuidam in re politica bene merenti.

9°. Iuxta can. 1252 § 2. 3. lex *abstinentiae et simul ieiunii* Fer. IV. Cinerum, Feriis VI. et Sabbatis Quadragesimae, lex *solius ieiunii* est servanda reliquis diebus huius temporis sacri.

10°. Iuxta can. 1346 § 1: « curent locorum ordinarii, ut tempore Quadragesimae... in ecclesiis cathedralibus et paroecialibus *sacrae conciones* frequentius ad fideles habeantur ».

11°. Can. 1108 § 2: *a* Sollemnis tantum nuptiarum benedictio vetatur... a Fer. IV. Cinerum usque ad Dominicam Paschatis inclusive ».

3. De capite ieiunii.

a) Origo ct indoles huius diei.

1°. Origo Fer. IV. Cinerum. Caput Quadragesimae seu « quadragesimale initium » vocatur primus dies huius temporis sacri, qui fuit usque ad saec. VII. Dom. I. Quadragesimae. Iam enarratum est, quomodo orientales christiani ob obtendendum numerum exactum 40 dierum ieiunii duas hebdomadas addidere ad Dom. I-am (superius 1. a. 2°.).

a. Eadem ratio addidit etiam *quatuor dies ieiunii* ante eandem Dominicam in Occidente, solummodo quatuor dies enim defuerunt ad numerum exactum 40 dierum, in Occidente enim Sabbato quoque ieiunabant, sicque e sex hebdomadibus (= 42 diebus) tantum 6 dies dominicales abstrahi debebant, remanserunt enim 36 dies stricti ieiunii (monophagiae et xerophagiae). Adhuc tempore S. *Gregarii Magni* (t 604) non multum curabant hunc defectum, ipse dictus Pontifex Summus etiam *rationem* adiecit dicens: « Λ praesenti enim die (intelligit Dom. I. Quadr.) usque ad paschalis sollemnitatis gaudia sex hebdomadae veniunt, quarum videlicet dies 42 sunt: ex quibus dum sex dies Dominici abstinentiae subtrahuntur, non plus in abstinentia, quam 36 dies remanent. Dum vero per trecentos et sexaginta quinque dies annus ducitur, nos autem per triginta sex affligimur, quasi anni nostri decimas Deo damus » (Horn. 16. PL 76, 1137). Similia leguntur penes S. Isidorum Hispalcnsem et Dorothaeum et alios (cf. DAL II, 2, 2134). Huius initii memoria hodie usque in Missali legitur, in secreta enim Dom. I. Quadr. offertur Deo sacrificium « quadragesimalis initii.»

b. Non multum post Gregorium, *decursu saec. VH-i* iam coeperunt quatuor dies addere, Gelasianum primigenium enim iam ordinat poenitentem suscipi debere » IV. feria mane in capite quadragesimae » (Wilson p. 15). *Finem*

vero huius instituti revelat nobis *Amalarius:* « *S.* Gregorius tantummodo triginta sex dies abstinentiae nobis insinuat quadragesimalis temporis: forsan quia nondum erant additi quatuor dies a supradicta feria quarta usque ad dominicam quadragesimae « (Lib. off. I, 7, 2 Haussons II (1948) p. 48). Prolongatio tamen haec quadragesimalis temporis in liturgiis typi Gallicani nunquam inducta fuit, sic liturgia Ambrosiana etiam hodie Dom. I. incipit Quadragesimam.

2°. Origo ritus specialis Fer. IV. Cinerum, a. *Usus cinerum* in signum poenitentiae et moeroris antiquissimus est, bene notus in *Vetere Testamento.* Cineres enim symbolum fuere fragilitatis brevitatisque vitae: « Comparatus sum luto et assimilatus sum favillae et cineri » (Job 30, 19). Caducae vitae recordatio ergo excitans moerorem et poenitentiam optime exprimi potuit *symbolo impositionis cinerum* in capite, sic fecit ludith quae « induens se cilicio cineres super caput suum et prosternens se Domino, clamabat ad Dominum » (9, 1), sic exhortatus est Jeremias optimates populi: « Ululate pastores et clamate, et aspergite vos cinere optimates gregis » (25, 34), immo ritus hic praecise cum ieiunio iunctus apparet: « Posui faciem meam ad Dominum meum rogare ct deprecari in ieiuniis, sacco et cinere » (Dan 9, 3, cf. adhuc Is 58, 5), semper in signum poenitentiae: « Ago poenitentiam in favilla et cinere » (Job 42, 6). Quoniam autem Dominus meminit Tyri et Sidonis, ubi si « factae fuissent virtutes, quae factae sunt in vobis, olim in cilicio et cinere sedentes poeniterent » (Lc 10, 13 ct Mt 11, 21), pronum erat talem ritum etiam a Christianis usitatum esse, quod a Patribus abunde demonstratur (Tertullianus, S. Cyprianus, Ambrosius, Hieronymus etc.).

b. *Ritus incinerationis poenitentium* iam occurrit in ordine poenitentiae S. *Gregarii Magni,* poenitentes acceperunt cilicium et cineres, prostrati in terra, ct quidem *Fer. II. post Dom. I. Quadr.* in ecclesia S. Petri ad vincula, quae hodieque stationis locus est. Quia vestis poenitentium e pilis *caprinis* confectum fuit (cilicium), ideo iam iuxta S. Augustinum « in cilicio recordatio est peccatorum propter *haedos* ad sinistram futuros » (De civ. Dei 15, 20, 4), et idcirco Evangelium huius dici legitur de indicio novissimo, ubi peccatores ad sinistram Indicis statuuntur, sicque monentur ad accipiendam poenitentiam. — Ut vidimus, Gelasianum Primigenium iam Fer. IV. Cinerum habet susceptionem poenitentiae, Gelasiana iuniora saec. VIII-X-i iam multiplicant orationes huius ritus (cf. Jungmann, Lat. Bussriten p. 44-51). De ritu hoc cf. 2. c. 2°. a. ad cineres recipiendos.

c. Saec. X-o cineres imponendi *etiam benedici* coeperunt, Pontificale Romano-Germanicum saec. X-i affert primum ordinem benedictionis, quatuor orationes ritus hucusque usitati ibi iam inveniuntur, eadem est etiam formula impositionis (a Memento... »). Inde ergo iam per millennium cineres per hanc benedictionem evadunt *Sacramentale Ecclesiae,* cuius usus symbolicus non solum modo naturali psychologico, sed etiam supernatural! sacramentali adiuvare potest fideles gratiis actualibus per cineres benedictos largitis ad rectam compunctionem sibi procurandam.

d. *Processio.* Quando exordium publicae poenitentiae translatum fuit in Fer. IV-am, statio electa est S. Sabinae in Aventino. Ecclesia, ubi « *collecta* » fiebat, i. e. unde processionaliter in stationem se recipiebant, fuit S. Anastasiae, ubi cineres impositi sunt. In memoriam huius processionis per decursum medii aevi multis in locis processio in usu remansit, cuius *sensum Durandus* sic expli-

cat: · Processionem quidem facimus, quia tunc ad bellum contra hostes incedimus, quia quasi in expeditione, a Septuagesima tunc fuimus. Procedentes ergo contra hostes armis nostris armamur, quae sunt humiliatio, oratio, afflictio, et eleemosynarum largitio » (Rat. div. officior. l. VI. c. 28, 17). *Cantica* demum huius processionis assumpta sunt in ipsum ritum benedictionis Cinerum.

b) Ritus Fer. IV. Cinerum.

1°. Ubi et a quibus benedictio et impositio cinerum fieri debet vel potest, eadem lege regitur, ac benedictio et distributio candelarum (cf. superius C. 4. c. 2°.).

2°. *Praeparanda* sunt: a. *In altari maiore* (si ibi expositio fiat Sanctissimi adoratio in alio altari fit NCR nr. 352): Missale apertum — vas (argenteum vel cx alia materia nobili) cum cineribus paratis e ramibus benedictis in superiore Dominica II. Passionis, bene cribratis et aridis, cum operculo vel velo violaceo coopertum, inter cornu epistolae et Missale collocatum. — b. *In credentia:* Calix Missae paratus — pelvis cum aqua et vino — casula et manipulus violaceus — vas aquae benedictae cum aspergilio — pelvis ad lavandas manus, medulla panis et manutergium.

3°. *Ritus benedictionis cinerum,* a. Celebrans cum assistentia ad altare vadit eique reverentiam debitam exhibet, choro interea cantante ant. « Exaudi nos Domine », celebrans intra cantum in medio suppedanei stat. Si non adsint cantores, statim vadit ad Missale, et clara voce legit antiphonam praedictam, secus non. Cineres discooperiuntur, Celebrans cantat « Dominus vobiscum » versus ad librum, et manibus innetis legit quatuor orationes. — b. Dein imponit thus, cineres ter aspergit aqua benedicta, dicendo ant. « Asperges me » sine Psalmo et sine cantu, dein ter adolet incenso. Vas cinerum benedictorum dein ponitur in medio altaris.

4°. *Impositio cinerum,* a. De consilio (Memoriale rituum) haberi potest *sermo ad populum* de benedictione et impositione cinerum, « quam religiosa animi pietate, quam humili contritoque corde, quam humili demissoque vestitu ad eam actionem conveniant, quamque serio secum statuant illos ieiunii dies in amaritudine animae suae traducere ad peccatorum satisfactionem », ut S. Carolus Borromaeus monet (Nilles II, 90). Sermo hic, valde suadendus, habendus est in latere Evangelii, sedendo in scabello, tecto capite (De Amicis n. 294, 13). — b. Si adsint alii sacerdotes, *dignior e* clero accedit, *sine* stola (CRit d 2148, 5), imponit cineres capiti celebrantis, qui in medio suppedanei *stat* versus populum, *chorus* interea incipit ant. « Immutemur » et alias, quas celebrans non legit, sed statim clero genuflectenti in ora suppedanei imponit cineres. — Si non adsint alii sacerdotes, celebrans in medio suppedanei stans versus altare *sibimetipsi* imponit cineres nihil dicendo (CRit d 1. nov. 1931). — Si *nec cantores* adsint, qui antiphonas cantent, post impositionem cinerum sibi factam, ipse celebrans legit eas in cornu epistolae voce clara, secus non (Gatterer p. 265 z., De Amicis n. 295, 3, Hébert p. 221 note 3). — c. Exinde populus genuflexus prope cancellos recipit cineres, et quidem « *in modum Crucis in capite* » (Missale et Caer. Episc., de Cruce: Memor. Rituum). Qualis sit *pars capitis* non dicitur, standum est ergo consuetudini loci, si talis habetur. Lesage commendat impositionem cinerum fidelibus in fronte, clericis in tonsura, religiosis

feminis super velum (Diet lit. col. 189), dum De Amicis magis placet mulieribus non supra velum, sod supra crines aut in fronte cineres imponendi (η. 295, 6). *Singulis* (memoriter) *dicendum* est: « Memento homo, quia pulvis es, et in pulverem reverteris », non autem pluribus simul, quod indecorum est. — d. Post impositionem cinerum celebrans altari reverentiam exhibet et in plano cornus epistolae manus lavat, cum medulla panis extergendo digitos, clericis seu ministrantibus manutergium porrigentibus, dein ascendit per gradus laterales, ibique tono feriali simplici cantat orationem « Concede ».

5°. *Missa Fer. IV. Cinerum.* Celebrans terminata oratione supradicta, in comu epistolae caput Cruci inclinat, et recta via descendit ad credcntiam, ibique accipit casulam et manipulum violacei coloris, deide vadit ad altare et incipit Missam. Calicem, dum vestitur, ministri (saltem tonsurati) ad altare portant, secus ipse secumfert calicem, calixque super corporali expanso more consueto collocatur. Ps. Indica, confessio etc. omittuntur in Missa post benedictionem (NCR 424 b.).

6°. *Privilegia circa cineres,* a. Permittitur summo mane benedictio cinerum *a privata* », omnia legendo etiam ant. « Immutemur habitu », sed aspersio et thurificatio fieri debet, dein quilibet sacerdos expleta Missa privata, cineres imponere potest, non vero sibimetipsi. Supponitur, quod benedictio sollemnis cinerum non omittitur (CRit d. 2704, 5). — b. Permittitur *Dom. I. Quadr.* « post expletam Missam, aut extra Missam » *cineres imponere* fidelibus, « sic enim omnes fideles facilius recipiunt cineres, potius die dominicali, quam feriali ecclesiam adeuntes », cum cineribus Fer. IV. Cinerum benedictis (CRit d 4373). Inde etiam a fortiori sequitur talem impositionem extra Missam *etiam Fer. IV.* fieri posse per totum diem. — c. Impositio cinerum *in domibus,* puta aegrotis, non videtur illicita, iuxta R. Lesage; decr. CRit 1367. (ex anno 1668). nec absolute condemnat, nec approbat talem usum (Diet. Lit. col. 189 s.). — d. Ordinarii permittere possunt *iterationem* benedictionis ante Missam vespertinam (CRit d 5. feb. 1958. AAS 1958, 104).

4. De tempore Passionis.

a) Origo et indoles temporis Passionis.

Temporis Passionis nomine veniunt *duae ultimae hebdomadae Quadragesimae,* seu iuxta nomenclaturam recentiorem (1956) *Dom. I. Passionis* eiusque hebdomada, et *Dom. II. Passionis* seu in Palmis cum sequenti Hebdomada Sancta.

1°. *Primitus hoc nomine* appellata est *Dom. VI. Quadr.* seu ultima ante Pascha sive Palmarum, sic in Gelasiano primigenio « De Passione Domini » (Wilson p. 60) et in Sacramentario de Angoulême (p. 32), haec denominatio supponitur etiam a S. Leone Magno qui Dominicam hanc « festivitatem dominicae passionis » vocitare solitus est (e. gr. Sermo 60, 1). *Dom. V.* eodem tempore *nondum* accepit hoc nomen, aliquoties etiam « Dominica in Mediana » vocata fuit (saec. VII. Icctionnar. Wirceburg.), quia hebdomadam « Mediana » concludit. Libri et fontes liturgiarum typi Gallicani eam appellant seu Dom. V. Quadr. seu Dom. II. ante Pascha, mozarabes et ambrosiani etiam Dom. de

Lazaro n ob perieopain cie resurrectione Lazari eadem Dominica legi solitam. « Dom. Passionis » pro Dorn. V. Quadr. dein decursu saec. VIII-i usuvenit. Passio beata Salvatoris revera tantummodo inde a Dom. VI. seu Palmarum celebrari coepta est, dum hebdomada post Dom. V-am indolem generalem retinuit Quadragesimae.

2°. Prima hebdomada Passionis seu hebdomada post Dom. I. Passionis, a. Nomina huius Dominicae sunt: ob omissiones quasdam liturgicas (Judica. Gloria Patri) « *Dom. surda* n seu a *tranquilla* », slav. «Nedelja gluha » seu « tilia », hung. saec. XV-XVI. « Siket vasarnap», dein a *Dom. nigra»,* slav. «Nedelja cerna», hung, nunc quoque (« Fekete vasarnap»), propter velationem Crucis et imaginum olim non velis violaceis, sed nigri coloris factam, dein « *Dom. mortis* » (slav. « Nedeja smrtelna ») verisimiliter hoc vocabulo passionem Christi significare voluerunt. Denominationes *obsoletae* medii aevi sunt: « Dom. Judica » ab introitu Missae, « Dom. Isti sunt dies » a I. Rep. Matutini « Dom. Repus » a repositione seu contectione Crucium sumpta (« repositio »).

b. Textus liturgici adhuc ostendunt, olim huius Dominicae et hebdomadis subsequentis indolem fuisse *generalem Quadragesimae,* omnes orationes de sanctificatione ieiunii tractant, poenitentia inculcatur Ninivitarum (Fer. II. lectio).

c. Idea tamen *passionis Domini* pedetentim etiam hac hebdomada I. anticipari celebrarique coepit, sed caute tantum et solum quasi a longinquo (a con sordino n). — (1) Evidenter huc pertinet *frequens mentio « inimicorum »* clarum est enim per accommodationem liturgicam sub cis intelligendos esse inimicos *Christi persecuti* usque ad mortem, querelas quoque contra eos prolatas esse dictas nomine Christi patientis. Sic inimici Domini depinguntur adversariis *Danielis,* typi Christi, qui dixerunt: « Trade nobis Danielem, » *Pilatus* cui hoc dictum fuit, repraesentatur persona regis Babylonis, « qui necessitate compulsus tradidit eis Danielem, » resurrectio autem Domini figuratur extractione Danielis e lacu leonum (Fer. III.). In lectione Fer. VI. *Jeremias,* typus Christi, eius nomine orat: « Confundantur qui me persequuntur », et ideo, quoniam « foderunt foveam, ut caperent me, et laqueos absconderunt pedibus meis » (Sabb. lectio). — (2) *Cantus* autem *chorales* huius hebdomadae saepe invocant Deum loquendo in persona Christi contra inimicos: « Miserere mihi Domine, quoniam conculcavit me homo... inimici mei tota die » (Fer. IL intr.). « Miserere mihi Domine, quoniam tribulor, libera me de manibus inimicorum meorum » (Fer. VI. et Sabb. intr.); « Domine convertere et eripe animam meam » (Fer. II. offert.); « ab homine iniquo et doloso erue me » (Fer. III. grad.); « a viro iniquo eripias me Domine » (Fer. IV. intr.). — (3) Praecipue *Euangelia* praeparant animas fidelium ad recolendam passionem Christi eius nempe *effata* referuntur, quibus passionem suam praedixit, eiusque *facta* narrantur, quando *se « abscondidit* », quibus absconsionibus quasi per metaphoram liturgicam non obscure innuitur Eius divinitas abscondita sub velo humanae passionis. *Effata* talia sunt: ministris principum et pharisaeorum missis ad Jesum apprehendum respondetur: « Adhuc modicum tempus vobiscum sum et vado ad exim, qui me misit » (Fer. II.); « tempus meum nondum advenit » (For. III.); passio Christi est sicut granum frumenti cadens in terram: in humo abscondi debet, ibique moritur, « si autem mortuum fuerit, multum fructum affert » (Sabb.), quod tunc fit, si « exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum, hoc autem dicebat, significans qua morte esset moriturus » (ibid.). *Facta* vero seu absconsiones Christi referuntur in pericopis cvangelicis multoties hac hebdo-

mada: « non enim volebat in Judaea ambulare, quia quarebant eum Judaei interficere», dicitur Fer. Ill.; «ascendit ad diem festum, non manifeste, sed quasi in occulto », refertur Fer. eadem; in festo Encaeniarum dictum est Domino; « Quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam » (Fer. IV.); quando pontifices et pharisaei concilium collegerunt adversus Jesum et « cogitaverunt ut interficerent eum », tunc « Jesus iam non palam ambulabat apud Judaeos, sed abiit in regionem iuxta desertum » (Fer. VI); Evangelium Sabbati clauditur verbis: « Haec locutus est Jesus et abiit et abscondit se ab eis ».

d. Apertissime excellit Dom. V. Quadr. seu *I. Passionis* indole passionis Christi. Adversus *inimicos* conqueritur Dominus celebri Ps. 42: « Judica me Deus... ab homine iniquo et doloso eripe me », sacrificium redemptivum passionis celebrat epistola (« Christus assistens pontifex futurorum bonorum »); graduale verbis Ps. 142 et 17 resplendet orationem Christi *in horto:* « Eripe me Domine de inimicis meis, doce me facere voluntatem tuam »; tractus verbis propheticis quasi depingit passionem *flagellationis:* « ...supra dorsum meum fabricaverunt peccatores »; Evangelium autem narrans revelationem divinitatis Christi refert, quomodo « tulerunt lapides, ut iacerent in eum: Jésus autem *abscondit* se et exivit de templo ». *Applicatio* vero passionis salutiferae fit in sacrificio *Missae,* quod celebratur cantu communionis: « Hoc corpus quod pro vobis tradetur, hic calix Novi Testamenti est in meo sanguine... ».

e. *Fer. V. huius hebdomadae* indolem *stricte et exclusive poenitentialem* prae se fert in textu Missae, quae eo intelligitur iuxta Callewaert, quod textus ille textus est Missae cuiusdam antiquissimae primitus in Fer. V. in Coena Domini usitata ad reconciliandum peccatores publica poenitentia functos. Quod revera clare demonstrari potest: *ant. ad intr.* evidenter peccatoribus applicari debet (« Omnia in vero iudicio fecisti, quia peccavimus tibi... sed da gloriam nomini tuo et fac nobiscum secundum multitudinem misericordiarum tuarum »). *Duae* personae *poenitentes* exemplo dantur: *Azarias* orans Dominum:: «Ne dissipes testamentum tuum, neque auferas misericordiam tuam a nobis... sed fac nobiscum iuxta mansuetudinem tuam » et mulier in civitate *peccatrix anonyme,* cui dictum est a Domino: « Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum ». *Graduale* iam praeparat peccatores ad sacrificium prima vice de novo celebrandum et participandum: «Tollite hostias et introite in atria cius ». Etiam antiphonae ad *Benedictus et Magnificat* contra usum non sumuntur de Evangelio diei, sed signanter produnt propinquitatem *Paschatis* quod melius congruit Fer. V. in Coena Domini: «Magister dicit: Tempus meum prope est, apud te facio Pascha cum discipulis meis » et « Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum antequam patiar ». *Orationes* quidem primigeniae Missae in Miss. Rom. non leguntur, inveniuntur vero in Gelasiano saec. VIII-i: «Tribue quaesumus, Domine, indulgentiam peccatorum, ut instituta paschalia tibi placitis sensibus operemur n (Sangallense 348. ed. Mohlberg n. 448).

f. *Sabbato hebdomadae L* fuit dies *primitus vacans,* iuxta Sacramentarium Gregorianum : « Sabbato ad Sanctum Petrum quando helemosyna datur » (ed. I.iet/mann n. 72), in Gregoriano primigenio: « Sabbato vacat. Domnus papa eleemosynas dat » (Kl. Gamber, Wege zum Urgregorianum 1956, 38). Ps. Alcuinus hoc sic declarat: « Inde apostolicus vir, in memoriam devotissimae mulieris. membris Christi hodie facit, quod ipsa fecit Capiti: et ideo a statione

publica vacat, non tamen a celebratione Missae, quia huic negotio insistit » (De div. offic. 13 PL 101, 1200). Primitus nec Missa habebatur seriore autem tempore *textum* quoque Missae composuerunt, cantus chorales iidem sunt ac Fer. VI. — Alius mos fuit hoc Sabbato « *fermentum* » mittendi, i.e. particulam consecratam, quam S. Innocentius adhuc singulis Dominicis presbyteris titulorum misit per acolythos, ut « se a pontificis communione non judicarent separatos » (PL 20, 556 s.). Fermentum ideo vocabatur haec particula consecrata, quia commiscebatur cum speciebus consecratis in titulis, ut unitas ecclesiastica significaretur, sicut enim fermentum totam massam farinae conglutinat, ita etiam Eucharistia est vinculum caritatis. Seriore tempore solum in maioribus festivitatibus haec missio « fermenti » in usu remansit, Sabbato hoc ut videtur, missa est Eucharistia ad Missas in titulis Hebdomadae sanctae. In multis codicibus systematis romani pericoparum evangelicarum versus 740 notatur: « Sabb. datur fermentum in consistorio Lateranensi » (Th. Klauser, Rom, Kapit. Evang. p. 69 n. 98 et 110, 94). Mos mittendi fermentum post saec. XI-um iam in desuetudinem abiit, dum largitio eleemosynae medio quoque aevo adhuc viguit, ut testatur Belethus et Durandus: « In hoc sabbato dominus Papa intendere consuevit pauperibus Christi dando eleemosynam » (Rat. div. off. l. VI. c. 66, 1).

3°. Secunda Hebdomada Passionis incipit Dom. Palmarum et est ut praecedentibus dictum est, tempus primigenium sacrae dominicae passionis. Idcirco restauratio liturgica Hebdomadae Sanctae (decr. 16. nov. 1955) merito denominavit Dominicam in Palmis antiquiore nomine « *Dom. II. Passionis* », hac denominatione etiam totam hebdomadam sanctam intimiore ratione coniungens tempori Passionis.

a. *Nomina Hebdomadae Sanctae.* (1) Nomen primigenium videtur fuisse « septimana *paschalis* », adhuc saec. IV-o ortum est nomen « Hebdomas inégalé » « *septimana maior* » seu magna (Chrysostomus PG 55, 519 et Aetheriae Peregrinatio c. 30. et 46). Haec denominatio in usu est penes Slavos: « velikaja sedmica », rumenos: « septemana mare» et hungaros: «nagyhét». — (2) Alia appellatio eodem tempore fuit: « Hebdomas hagia », *septimana sancta,* quae latinis idiomatibus magis placuit, italis « settimana santa », gallis «semaine sainte», et etiam anglis: «holy week». — (3) «Hebdomas tou sôteriou pathous », *septimana dominicae passionis* quoque vocatur a liturgia byzantina hacc hebdomada, verisimiliter inde derivanda est consuetudo denominandi hanc hebdomadam « *authenticam* », ut hodie adhuc in liturgia ambrosiana, « authentes » (inde « effendi ») significabat « dominum ». — (4) A poenitentibus qui hac hebdomada absolutionem receperunt, vocata est etiam « Hebdomada indulgentiae », vel « *Hebdomada poenalis* », unde gallicum nomen ortum duxit « semaine peineuse », et etiam germanicum nomen « Karwoche » (iuxta philologos recentiores a vocabulo antiquo « kara » = fletus, luctus »). — (5) « *Hebdomada muta* » quoque vocata est haec septimana ob vacationem causarum forensium, graece « hebdomas apraktos ». — De Dom. II. Passionis seu in Palmis cf. infra sub 5).

b. *Origo Hebdomadae Sanctae.* Observatio per ieiunium hebdomadae ante Pascha iam saec. HI-o ineunte deprehendi potest: in Syria et Alexandria multi inde a Fer. II. ieiunaverunt (cf. superius 2. b. 1°. c.). His tamen non innuitur liturgica celebratio, praesertim Missae his omnibus diebus, dies tamen sacrae habebantur, ut S. *Athanasius* in epistola festali anni 329 scribit: « Sanctum

ieiunium exordientes die V. Pharmuthi et huic consequenter adiungentes sex illos dies sanctos atque magnificos, qui creationis mundi huius symbola sunt » (PG 26, 1366). *Hierosolymis* certe omnes dies huius hebdomadae « magnae » conventu *aliturgico* i.e. sine Missae celebratione vigiliisque nocturnis festive prosecuti sunt, ut ultimo decennio saec. IV-i Aetheria refert: « Secunda feria... ad nona omnes in ecclesia maiore, id est ad Martyrium, colligent se, et ibi usque ad horam primam noctis semper ymni et antiphonae dicuntur, lectiones etiam aptae diei et loco leguntur, interpositae semper orationes. Lucernarium etiam agitur ibi, cum coeperit hora esse, sic est ergo ut nocte etiam fiat missa (= dimissio!) ad Martyrium, ubi cum facta fuerit missa, inde cum ymnis ad Anastase deducitur episcopus. In quo autem ingressus fuerit in Anastase, dicitur unus ymnus, fit oratio, benedicuntur catecumini, item fideles et fit missa... Item *tertia feria* similiter omnia fiunt sicut secunda feria. Illud solum additur tertia feria quod nocte sera... omnes illa hora noctu vadent in ecclesia, quae est in monte Eleeona (= Olivarum)... *Item quarta feria...* » (c. 32-34) — *Romae* tempore S. Leonis Magni (440-461) Missarum sollemniis colebatur solum Fer. V. in memoriam Coenae Domini, reconciliatio quoque poenitentium hoc die fiebat, alii dies erant aliturgici. Papa Hilarius adiecit celebrationem Missae Fer. II-ae et III-ae Hebdomadae Sanctae, Fer. VI. Parasceves et Sabbatum erant aliturgici, etsi conventus sine Missa coactus fuit. Ad melius celebrandam passionis memoriam iam Valentinianus II. (375-392) « lustitium » i.e. silentium indixit omnibus publicis negotiis forensibus, servi tota hebdomada liberi erant ab operibus, « quia illa passionis est, haec (= octava Paschae) resurrectionis, et opus est doceri, quis passus est et resurrexit » (Const. Apost. l. VIII. c. 33). Aliqua relaxatio otii semper coniuncta abhinc fuit cum hebdomada sancta. Urbanus VIII. a. 1642 dein omnes dies huius hebdomadae ferias declaravit.

c.. *Indoles Hebdomadae Sanctae.* Aptissime elucidatur a S. *Joanne Chrysostomo:* « Magnam illam vocamus, quod in illa a Domino res praeclare gestae sint. In hac quippe hebdomada, quae magna dicitur, diuturna diaboli tyrannis soluta est, mors exstincta, fortis ille vinctus est, eiusque vasa direpta sunt, peccatum sublatum, maledictum solutum, paradisus apertus est, caelum pervium factum, homines angelis commixti sunt » (Hom. in Magnam Hebd. (P 55, 519). Idem sic exhortatus est fideles suos ad digne recolendam sanctam hebdomadam: « ...quia in magnam hanc hebdomadam Dei gratia pervenimus, nunc maxime ieiunii cursus intendendus, et ferventiores fundendae preces, faciendaque diligens et pura peccatorum confessio, et in bonis operibus sedulitas exhibenda, eleemosyna larga, aequitas, mansuetudo, aliaeque virtutes, ut talibus ornati virtutibus, ubi in diem Dominicam Paschatis venerimus, Domini liberalitate fruamur » (Horn. 30. 1 in Gen. PG 53, 273). — Tota haec hebdomada *in duas partes* inde ab aetate antiqua dispescitur: *prima pars* est quaedam introductio in Domini passionem, constat primis tribus diebus, in his passio in genere celebratur, at ultimi tres dies, seu *Triduum sacrum,* singula recolit momenta redemptivae passionis. Fer. V. nempe, ultimam coenam passionemque in horto, Fer. VI. passionem et mortem Domini, Sabbatum Sanctum autem quietem Christi in sepulcro, cuius nox sanctissima dein in gloriosae resurrectionis celebrationem illucescit. De his ultimis tribus sacris diebus cf. singillatim inferius (sub 6. 7. 8). Agendum ergo restat solum de:

d. *Fer. II., III et IV. Hebdomadae Sanctae.* Passionis dominicae idea pervadit hos dies. *Fer II.* lectione sua (Is 50, 5-10) oboedientiam Christi celebrat

in passionis susceptione, dicentis: « Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico, retrorsum non abii. Corpus meum dedi percudentibus, genas meas vellentibus... » Evangelium huius diei memorat tempus § ante sex dies Paschae n, coenamque Bethaniae factam, quando Dominus unctus a Maria dixit: « Sinite ut in diem sepulturae meae servet illud ». — *Fer. III.* lectione sua (Jcr 11, 18-20) persecutionem Domini praefiguratam dicit in historia Jeremiae, cui dictum est: « Mittamus lignum in panem eius et eradamus eum de terra viventium et nomen eius non memoretur amplius ». Loco Evangelii legitur Passio see. Marcum. — *Fer. IV.* ut antiquissimus dies stationalis duas habet lectiones, prima recolit passionem redemptivam prophetatam per Isaiam (62, 11; 63, 1-7), de seipso dicit Redemptor futurus: « Torcular calcavi solus et de gentibus non est vir mecum ». Secunda lectio (Is 53, 1-12) instrumentum huius redemptionis, sc. passionem celebrat, ideoque Messiam patientem depingit, « virum dolorum et scientem infirmitatem..., vere languores nostros ipse tulit et dolores nostros ipse portavit ». Hoc die Passio recitatur secundum S. Lucam. *Cantica choralia* harum Missarum uno ore passionem Domini celebrant: ant. ad intr. Fer. III-ac contra morem antiquum sumitur e Gal 6, 14: « Nos autem gloriari oportet in cruce DNJChristi... », item Fer. IV-ae ex epistola ad Philip.: « In nomine Jesu omne genu flectatur... quia Dominus factus est oboediens usque ad mortem » Praecipue duo Psalmi praevalent his tribus diebus, Ps. 34. qui orationem cuiusdam iniuste persecuti continet ideoque iam ab antiquo Messiae patienti applicatus est (cf. Fer. II. intr., grad., communio, et Fer. III. grad.), et Ps 68. indirecte saltem messianicus, a Novo Testamento et Patribus saepe Christo applicatus, precationem fundens iusti ob persecutionem gravem vehementer afflicti (Fer. III. communio, Fer. IV. grad.).

b) Leges cultuales temporis Passionis.

1°. Velatio Crucium et imaginum, a. *Sabbato ante Doni. I. Passionis* ‖ expleta Missa ante Vesperas, cooperiuntur cruces et imagines, per ecclesiam, quae coopertae manent, cruces quidem usque ad expletam per celebrantem crucis adorationem in Fer. VI. Parascev., imagines vero usque ad intonatum hymnum angelicum in Sabbato Sancto » (Ruhr. spec. Miss.). Hoc ultimum inculcatur quoque ab Ord. Hebd. S. instaurato (Missa sol. Vig. pasch. n. 2). Quando ritus hic symbolicus celebrari coepit, certe non constat, vix ante saec. IX.

b. *Halio velationis* nondum plene inventa esse videtur. (1) Antiquiores liturgistae rationem invenerunt in eo, quod ad passionem Christi magis celebrandam cooperiuntur repraesentationes passionis, ut *melius ipsa passio* considerari possit. At ratione hac magis suaderetur expositio intensior Crucis et Crucifixi, non velatio, nec inveniri potest, cur debeant contegi omnes aliae imagines, revera etiam Fer. VI. Pass ct Mortis Domini, quando passio maxime celebratur, Crux eousque cooperta detegi debet. — (2) Alii auctores rationem inveniebant *in historia artium:* Crucifixi aevo romanistico repraesentabant regem aeternae gloriae, non nudum, sed tunica vestitum, loco spineae coronae diademate aureo gemmis lapillisve indicis ornato: quando ergo passionis tempore servus Domini patiens, « in quo non est species neque decor et non erat aspectus » (Is 53, 2), recoli coepit, tunc Christi gloriosi imago velari decuit. — (3) Aliam rationem historicam invenit Thurston, coniecturam proferens, quod

haec velatio reliquia est *separationis poenitentitun* in ecclesia, poenitentes enim velamento quodam circumtecti sunt, nc conspicerentur, ncc ipsi Missam videant. Ex eo tempore autem, quando iam omnes fideles loco poenitentium cineres sumpserunt, velamento grandi totum altare maius, seriore aevo vero solum Crux et imagines cooperiebantur. Velamentum hoc grande vocatum est « velum famis » (Hungertuch, Smachtlappen), multisque in locis medio aevo iam initio Quadragesimae appositum est coloremque saepe habuit nigrum.

c. *Praescriptiones liturgicae velationis.* (1) Non solum Cruces, sed etiam *omnes imagines* contegi debent velo, imagines ergo depictae vel statuae altarium, imagines et statuae per ecclesiam extra altaria, per totum tempus Passionis, etsi festum titulare vel patrocinii celebretur, nec Sancti imago detegi potest occasione eius festi (CRit d 926, 2 et 3396). — (2) Omnia vela *violacei coloris* sint oportet, nec sint in eis imagines depictae vel intextae, quia praecise imagines debent cooperiri (d 2524, 4; 3110, 12 cf. 3108, 11). Crux altaris maioris Fer. V. Coenae Domini ad tempus Missae cooperitur velo *albi* coloris. — (3) Imagines *Viae Crucis* per totum tempus Passionis possunt remanere sine velo (d 3638, 2).

2°. Omissiones liturgicae. Omittuntur: a. *Ps 42. Judica* initio Missae, verisimiliter ideo, quia Intriotus Dominicae Passionis hoc Psalmo constat, liturgia autem repetitionem vitare conatur. Per analogiam tunc toto tempore Passionis in Missis de tempore Ps Judica omitti debet. — b. Omittitur etiam « *Gloria Patri* » ad Introitum et ad Lavabo, item ad « Asperges me », ante Missam sollemnem conventualem vel parochialem, in officio divino autem ad Invitatorium et in omnibus responsoriis. Certo non constat, num haec omissio memoria sit moris antiquioris Psalmos sine « Gloria Patri » recitare. *Durandus* sequentem rationem spiritualem assignat: « Ideo Gloria Patri dimittitur, quia ille versus ad laudem pertinet Trinitatis, quae fuit in passione Domini, quam ab hac die repraesentat, dehonestata. Constat enim, quod Christus, qui est secunda in Trinitate persona, fuit dehonestatus » (1. VI. c. 60, 4).

3°. In Missis etiam festivis dicenda est *praefatio de* S. *Cruce,* nisi Missa propriam habeat, in officio divino dicuntur hymni Passionis a Venantio Fortunato compositi «Vexilla regis» et «Pange lingua».

4e. Fer. IL, III. et IV. Hebd. Sanctae: sunt *feriae l. classis* per totam Hebd. Sanctam, ergo etiam his diebus nulla admittitur commemoratio, et in Missa prohibentur quoque collectae imperatae (NCR 23 b. coll, cum 109. 457). Si Missa sollemnis dicitur, sc. cum ministris sacris, ea omnia, quae diaconus vel subdiaconus vel lector, vi proprii officii cantant vel legunt (epistola, prophetia. passio, evangelium), a celebrante omittuntur (OHS 1956. Instr, n. 6). — *Fer. III.* ante passionem dicitur « Munda cor meum », « lube Domne (Domine) benedicere » et « Dominus sit in cordibus vestris (in corde meo) » deinde dicitur Passio abbreviata (Mc II. 32-72. 15. 1-46: Jesus et discipuli eius veniunt in praedium... et advolvit lapidem ad ostium monumenti »). Sacerdos, si solus celebrat, lecto graduali ct tractu, dicit more solito in medio altaris « Munda cor meum » etc. et in latere Evangelii legit vel cantat clara voce passionem. Lectio Evangelii in fine passionis, ut usque 1956 in usu fuit, deinceps omittitur — *Fer IV.* Noviter praescriptus est antiquus ritus genuflexionis. Post

» Kyrie cloison », celebrans stans in latere epistolae, elicit « Oremus » eliaconus «Flectamus genua», et omnes, (ergo etiam celebrans, cf. Sabb. S. rubr. spec, n. 16 « una cum celebrante ») flexis genibus per aliquod temporis spatium orant in silentio, dicto a diacono (non ergo ut usque 1956 a subdiacono!) « Levate » omnes surgunt et celebrans dicit orationem (OHS 1956. Fer. IV. n. 2.). Similiter in Missis lectis vel cantatis: « Post Kyrie eleison » celebrans, stans in latere epistolae, dicit « Oremus. Flectamus genua » et, brevi interposita precatione flexis genibus et in silentio, dicit (ergo ipse sacerdos, non ministrans!) « Levate », surgit et dicit orationem. Quod observatur etiam in missis lectis (n. 2. a.). Sic observandus ritus ab a. 1961. in aliis quoque Missis (NCR 440).

5°. Monita pastoralia pro Hebdomada Sancta, a. Fideles apto quo potest modo *instrui debent:* (1) *Finis* est instructionis « ad instauratum hebdomadae sanctae Ordinem rite intelligendum, ita ut eiusdem celebrationis mente et animo participes fiant », idcirco locorum Ordinarii curent, « ut etiam fideles, sacro quadragesimali tempore, aptius instruantur » (OHS 1956. Instr, n. L). Valde iuvat animo mentique mandare monitum Bugnini-Braga: « Tota ratio instaurationis est fructuosior participatio fidelium sacris ritibus, sed horum efficacia sanctificans pendet praesertim ex dispositione animi et ex fervore caritatis participantium. Necesse est ergo illos convenienter praeparare per praedicationem, instructiones, hebdomadas liturgicas, ut sensus renovationis vitae christianae, quae paschalibus mysteriis completur, intelligant fideles, et conscii illa celebrent, intimiusque adhaereant per ferventiorem Sacramentorum susceptionem. In hoc sistere deberet fundamentum primum praedicationis quadragesimalis » (p. 13 nota 18). — *Praecipua capita* huius instructionis sint: (2) « Invitentur fideles, ut frequentius ad sollemnem processionem palmarum conveniant, Christo Regi *publicum testimonium* amoris et gratitudinis reddituri » (OHS 1956 Instr, n. 2. a.). — (3) « Erudiantur fideles *de amore,* quo Christus Dominus pridie quam pateretur sacrosanctam *instituit Eucharistiam,* sacrificium et sacramentum, passionis suae memoriale perpetuum, sacerdotum ministerio celebrandum » (ibid. n. 2b). — « Invitentur quoque fideles, ut post missam in Coena Domini, debitam augustissimo Sacramento *adorationem* reddant » (n. 2 b). Ut hoc revera contingat, oportet, ut parochi et rectores ecclesiarum « tempestive moneant fideles de hac adoratione publica post expletam Missam vespertinam instituendam et protrahendam saltem usque ad mediam noctem, quando scilicet liturgicae recordationi institutionis SS. Eucharistiae succedit memoria passionis et mortis Domini » (ibid. n. 10). — « Ubi demum *pedum lotio* ad mandatum Domini de amore fraterno demonstrandum, secundum Ordinis instaurati rubricas in ecclesia peragitur, edoceantur fideles de profunda sacri ritus huius significatione, ac de opportunitate, ut ipsi hoc die christianae caritatis operibus abundent » (n. 2. b). — (4) *Fer. VI. Passionis et Mortis Domini* praesertim bene praeparari debet, quo die recens « singularis actio liturgica ». iam non vocanda » Missa praesanctificatorum », habetur, fideles ergo disponendi sunt ad rectam intelligentiam huius actionis, ut postremo ad s. communionem accedere possint, « ea potissimum mente, ut corpus Domini, pro omnibus hoc die traditum, devote sumentes, uberiores redemptionis fructus percipiant » (n. 2 c). — (5) Munus pensumque haud leve erit fideles edocere de peculiari natura *Sabbati Sancti,* abhinc enim dies hic erit vere dies *aliturgicus,* noctuque solum erit vigilia Paschatis celebranda. Ideo instituendi sunt, quod Sabbatum

est « *dies* summi luctus, quo Ecclesia ad sepulcrum Domini immoratur, passionem eius et mortem meditando, a sacrificio Missae, sacra mensa denudata, abstinendo » (ibid. n. 2 d), hoc enim rudibus fidelibus prorsus nova sunt; item suaviter instruendi sunt, quod hoc die non possunt communicare, solum in vigilia nocturna. Alterum munus est institutio de *Vigilia sacra,* ubi edoceantur fideles de proposito et fine in eo sito, « ut liturgica actione demonstretur et recoletur, quomodo ex morte Domini nostra promanaverit vita et gratia: *Singula* quoque accurate explicanda sunt: cereus paschalis, sub cuius signo « ipse Dominus lux mundi proponitur, qui peccatorum nostrorum tenebras, gratia suae lucis profligavit », item praeconium paschale, « quo splendor sanctae noctis Resurrectionis decantatur, memorantur Dei magnalia in antiquo foedere peracta, mirabilium Novi Testamenti pallentes imagines », — dein explicanda est benedictio aquae, « in qua conscpulti cum Christo in mortem peccati, cum eodem Christo resurgimus, ut in novitate vitae ambulemus », accurate praeparanda est renovatio promissionum baptismalium sicque gratiam in baptismo acceptam « vita moribusque coramomnibus testificari pollicemur » (ibid. n. 2 d).

b. Alterum monitum pastorale datur ab Ecclesia quoad *praeparationem ritualem* Hebdomadae Sanctae: « Nec minus necessaria est praeparatio ritualis sacrarum caeremoniarum hebdomadae sanctae » (OHS 1956. Instr, n. 3). Ratio est, quod hi ritus semel in anno solum occurrunt, dein populo diu novitatis nota insignientur, sine praeparatione facile possunt ideo magis scandalo quam aedificationi inservire. Praeparanda ergo sunt tum res, tum personae. *Res necessariae* itaque, « quae ad piam ac decoram celebrationem liturgicam huius sanctissimae hebdomadae occurrunt, sollicite paranda et ordinanda sunt », quod autem *personas* attinet, « sacri praeterea *ministri,* ceterique ministrantes, sive clerici sive laici, potissimum si pueri sint, iis quae ab ipsis peragenda erunt, sedulo instituantur » (ibid. n. 3.). Addenda est etiam praeparatio *fidelium* opportuno adhuc tempore de ritibus praesertim ad ipsos spectantibus: dc processione Dominicae II. Passionis, et Fer. V. in Coena Domini post Missam, de ritu « Flectamus genua », quod omnes genua flectant et in silentio orent, dein de genuflexione ad verba Passionis « emisit spiritum », docendi sunt de cantu « Venite adoremus » in adoratione Crucis, verbis « Pater noster » latine recitandis, ut Ecclesiae unitas resplendeat toto orbe terrarum, de cantu item « Alleluia » in Vigilia Paschatis. Apposite Bugnini-Braga: « Efficacia paedagogica et actio psychologica celebrationis, proindeque fructus spirituales, obtinentur solummodo, ubi ritus ordine ac decore peraguntur » (p. 16 nota 21). — Notandum, quod ubi ob defectum ministrorum sacrorum sacri ritus non possunt cum omni splendore peragi, hucusque speciale privilegium petendum fuit ad ritum iuxta Memoriale rituum Benedicti XIII. Nunc omnibus in locis, ubi sacri ministri desint, praescribitur « *ritus simplex,* servatis rubricis peculiaribus, ut suis locis notatur »: prima enim vice in omnibus ritibus Hebdomadae Sanctae supponuntur etiam hae ecclesiae, ubique praecise praescribitur quid debeat fieri (cf. de libro « Ritus simplicis » infra 6°. d.).

c. Monitum habetur etiam de *confessione peragenda:* « Moneantur porro fideles, ut tempestive, currente sancta hebdomada, ad sacramentum poenitentiae accedant, quae quidem monitio praesertim urgenda est, ubi consuetudo invaluit, ut fideles vespere Sabbati Sancti et mane dominicae Resurrectionis quasi catervatim ad sacrum tribunal conveniant. Studeant igitur animarum curatores, ut per totam sanctam hebdomadam, praesertim vero sacro triduo, fidelibus facilis

occasio praebeatur ad sacramentum poenitentiae accedendi » (Instr, n. 2. a.), quod eo magis inculcandum est, quia diu opinio falsa vigebat, Fer. VI. et Sabb. Tridui sancti non licere confiteri, quod SCRit « omnino reprobandum » censuit (d 3383 anno 1875).

d. Monita dantur etiam quoad quasdam *populares consuetudines*·. « Cum pro diversitate locorum et gentium plures numerantur populares consuetudines hebdomadae sanctae celebrationi connexae, studeant locorum Ordinarii et sacerdotes curam animarum gerentes, ut consuetudines huiusmodi, quae solidam pietatem fovere videantur, cum instaurato Ordine hebdomadae sanctae prudenter componantur. Edoceantur porro fideles de summo valore sacrae liturgiae, quae semper et his praesertim diebus, ceteras devotionis species et consuetudines, quamvis optimas, natura sua longe praecellit » (OHS 1956. Instr, n. 23.), quibus principium enuntiatum est fundamentale. Non sunt necessario supprimendae tales consuetudines, praesertim si solidam foveant pietatem, sed *componendae sunt* ut recte monet Bugnini-Braga, « *consuetudines Ordini,* non Ordo consuetudinibus aptari debent. Compositio prudenter fieri debet, seu pedetentim, singulis annis maiore gressu erga liturgiam, patienti opera et studio sacerdotum curam animarum habentium, ita ut populi animus non offendatur et usus probandi ad suam germanam significationem religiosam et piam revocantur. Aliquando sufficit ab hora vel loco traditional! illas amovere » (p. 19 nota 25). — *Exempla* quaedam talis compositionis: Quibusdam in regionibus Germaniae et Austriae vespere et noctu Fer. V. Coenae Domini habentur devotiones in honorem *Christi agonizantis in horto,* haec devotio optime conciliari potest cum adoratione publica nunc usque ad mediam noctem praescripta. — Fer. VI. in Germania, Austria, Polonia, Hungaria, Bohemia habetur « *locatio sepulcri* ». Iuxta consuetudinem immemorabilem post liturgiam Fer. VI-ae Sanctissimum in altari laterali exponitur velo albo pellucido contectum. Hoc fieri posset eodem altari, quo iam a Fer. V. Sanctissimum repositum est. — Eadem magna et sancta Feria VI. his regionibus frequenter habentur *processiones* seu in coemeterium ,seu ad aliam ecclesiam vel capellam in honorem Christi mortui, imago solet portari Salvatoris patientis et Virginis Dolorosae, saepe etiam instrumenta passionis, aliquoties reliquia S. Crucis, quae deinde ad deosculandum porrigitur, quod licere SCRit declaravit (d 4350 anno 1918). Talis processio apte haberi potest post sollemnem actionem liturgicam Fer. VI-ae. — In Hungaria Nocte Fer. V-ae, vel Fer. VI-ae aliquibus in locis fideles *circumeunt oppidum,* omnes Cruces visitando, Rosariumque precando, Viam Crucis peragendo, consuetudo haec popularis non perturbans ordinem liturgiae verisimiliter c ritu Byzantino oriunda est, ubi celebratur « agrypnia ton hagion pathôn » = Vigilia sacrarum passionum nocte interiacente inter Fer. V. et Fer. VI-am. — Sabbato Sancto remansit multis in locis Europae « *accensio ignis* », reliquia ignis vernalis, cuius usus ab Ecclesia transmutatus in liturgiam Sabbati Sancti symbolum evasit Christi resurgentis. Talis ignis exemplum sunt « combustio Judae » (= Judasverbrennen); Florentiae autem « currus ignei conflammatio, cui ingens multitudo adstare consuevit fieri solita in foro ante ecclesiam cathedralem in sacro sollemni Sabbati Sancti, nunc fit deinceps post sollemnem Missam pontificalem vigiliae Paschalis horis anticipatis celebratae » (Bugnini-Braga p. 19 nota 25). — Maxime accepta consuetudo popularis est *sollemnitas resurrectionis (a* Aufcrstehungsfeier », feltamadas) in Germania, Austria, Hungaria, Cechoslovakia, Polonia, quae nil aliud est quam elevatio SS. Sacramenti

a Fer. VI. expositi e « sepulcro » ritibus e medio aevo oriundis circumdata, processioneque theophorica triumphali per oppidum celebrata. Cereus paschalis et statua Salvatoris suscitati secumferuntur in hac processione, cuius prudens compositio difficultates quasdam patitur. Variis modis conabantur componere hanc sollemnitatem cum vigilia instaurata revera pugnantem; celebratio eius ante vigiliam procul dubio antiliturgica haberi debet, insertio eius in vigiliam (sicut in Hungaria facta est anno 1956) post benedictionem cerei et ante prophetias vix excusari potest respectu rubricarum; optimum esset sollemnitate « *resurrectionis* » concludere vigiliam paschalem horis legitime anticipatis celebratam. — *Benedictio domorum* Sabbato Sancto vix celebrari potest abhinc, ubi moris est, praesertim in regnis Latinis; nocte enim non potest incipi, ante vigiliam autem nondum habetur aqua lustralis. Instructio ideo OHS 1956. monitum dat: ° Ubi mos hucusque viguit domos benedicendi ipso sabbati sancti die, locorum Ordinarii congruas edant dispositiones, ut haec benedictio opportuniore tempore, ante vel post Paschatis festum, a parochis, vel ab aliis sacerdotibus animarum curam gerentibus peragatur, qui hanc nacti occasionem, fideles sibi commissos paterne invisent, ac de eorum statu spirituali certiores se reddant ¤ (n. 24).

6°. Leges generales Tridui Sacri, a. *Obligatio* Tridui Sacri. Functiones Tridui celebrari *debent:* In omnibus ecclesiis cathedralibus, conventualibus, collegiatis et paroecialibus iuxta Ordinem Hebd. Sanctae Instauratum.

b. Functiones *possunt,* non debent celebrari iuxta *Ordinationes et Declarationes circa Ordinem Hebd. Sanctae Instauratum* (CRit deer. 1. febr. 1957, η. I. = OD 1957, I, 1. 2): « In *omnibus* ecclesiis et oratoriis publicis et *semipublicis* sacri ritus Dom. II. Passionis seu in Palmis, Fer. V. in Coena Domini, Fer. VI. in passione et morte Domin et vigilia paschalis in forma sollemni celebrari possunt. In ecclesiis autem et in oratoriis publicis et semipublicis, ubi sacri ministri desunt, ritus simplex adhiberi potest ».

c. *Quid est celebrandum* : (1) In aliis ecclesiis celebrari possunt *vel Triduum* integrum, *vel Fer. V.* et *Fer. VI.:* « Ubi Fer. V. Hebd. Sanctae post Missam in Coena Domini etiam in forma simplici celebratam, translatio et repositio habeatur SS. Sacramenti, stricte requiritur, ut in eadem ecclesia vel oratorio actio quoque liturgica postmeridiana Fer. VI. in passione et morte Domini locum habeat» (OD 1957. η. III, 14). *Vel: Vigilia paschalis sola:* «Vigilia paschalis celebrari potest etiam in ecclesiis vel oratoriis, ubi functiones Fer. V. et VI. Hebd. Sanctae locum non habuerint, vel omitti in ecclesiis et oratoriis, in quibus praedictae functiones celebratae sunt » (OD 1957, η. V, 20). Notandum autem quod numquam licet Sabbato Sancto solum Missarum sollemnia celebrare sine benedictione ignis et cerei et prophetiis (CRit d 2436, 4). — (2). E quibus per sc resultat *non licere* celebrare functiones *tali selectione: vel Fer. V sola* (« in ecclesiis ubi functiones maioris hebdomadae fieri nequeunt, Fer. V. in Coena Domini celebrari non potest Missa lecta » CRit d 2799, 1). *vel: Fer. VI. sola* (CRit d 4049, 1 « in ecclesiis non-parochialibus omitti potest functio Sabbati Sancti, non tamen illa Fer. VI. »), *vel: Fer. V. et Vigilia, vel: Fer. VI. et Vigilia.*

d. De *rituum diversitate* Dom. II. Passionis et Triduo Sacro (iuxta OD 1957, n. 1-3) distinguendus est ritus sollemnis, simplex et diaconalis. (1) *Ritus*

sollemnis habetur, si adsint ministri sacri, i.e. diaconus et subdiaconus. — (2) Ritus *simplex* habetur, si sacri ministri desint. Duae condiciones requiruntur ut ritus simplex adhiberi possit: numerus sufficiens ministrantium, sive clericorum sive saltem puerorum, trium saltem in Dom. II. Pass, et Fer. V., et quattuor saltem Fer. VI. et in Vigilia Paschali. Altera condicio est, ut sedulo instruantur, duplici huic conditioni ordinarii advigilare debent. — (3) Ritus *diaconalis:* alter sacerdos vel saltem diaconus diaconali more indutus potest cantare Evangelium, quando occurrit, aut historiam passionis, ipsi celebranti parte Christi reservata, vel praeconium paschale, lectiones quoque et invitationes, ut sunt « Flectamus genua » et « Levate », aut « Benedicamus Domino » vel « Ite missa est ». Uno verbo partes diaconi congrue absolvat (OD 1957. η. I, 3). Multis in locis haec innovatio ritum sollemniorem efficere potest. S. Rit. Congr. decreto 5 febr. 1957. edidit libellum: « *Ritus simplex Ordinis Hebdomadae Sanctae instaurati* », ed. typica 1957., ubi describitur ritus absque ministris sacris peragendus, liber numeratur inter libros liturgicos, substituitur enim capitibus ΠΙ-VL Memorialis Rituum. In hoc optimo libello accurate describuntur omnes ritus tum celebrantis, tum 3-4 ministrantium.

c. *Ritus reverentiarum in Triduo Sacro.* (1) Coram SS. Sacramento reposito a fine Missae Fer. V-ae usque ad finem sollemnis actionis liturgicae Fer. VI. in passione et morte Domini *utrumque genu* flectendum est. etsi in arca inclusum sit (Rit. simpl. Fer. V. c. III, 16 Fer. VI. c. II, 39). — (2) Ante *Crucem altaris maioris* ab initio adorationis Crucis usque ad Nonam Sabbati Sancti genuflectendum est ab omnibus etiam canonicis et celebrante (CRit d 3059, 4). — (3) *Oscula liturgica* Fer. VI. omittenda sunt, non autem Fer. V. et Sabbato (CRit d 4193, 3). Eodem die non sunt dandae benedictiones personarum et rerum (incensi) (d 1342, 3), immo episcopus abstinere debet a danda benedictione et a manu ad osculandum praebenda per *totam* diem (Caer. Ep. l. II. c. 26, 2, CRit d 1342, 2). — (4) « *Salutatio chori* a quocunque adveniente, a celebrante in accessu et recessu, a quocunque cantaturo lectionem et subdiacono epistolam cantaturo » Fer. VI. ab adoratione Crucis usque ad Nonam Sabbati Sancti omitti debent (CRit d 3059, 27).

f. *Campanarum pulsatio* cessat a « Gloria in excelsis » Fer. V. usque ad « Gloria » Missae Vigiliae paschalis, campanae omnes pulsantur et organum iuxta morem antiquissimum (OHS 1956 rubr. spec. Fer. VI. n. 7 et Missa vig. pasch. n. 2), ut hoc uniforme fiat praescriptum est: « In locis, ubi plures ecclesiae exstant, sive in omnibus eodem tempore sacrae caeremoniae peragantur, sive tempore diverso, campanae omnium ecclesiarum eiusdem loci pulsentur una cum campanis ecclesiae cathedralis vel matricis aut principalis. In dubio, quaenam ecclesia in loco sit matrix aut principalis, adeatur Ordinarius loci » (Instr, n. 25). Cl. Alvarez-Menandez opinatur (Angelicum 1956, 58) hanc legem sc extendi etiam ad pulsationem campanarum in Fer. V., at lex clare solum pro « Missa vigiliae paschalis » data esse videtur.

g. *Aqua benedicta* removenda est Triduo sacro a denudatione altarium usque ad benedictionem aquae « a vasis ecclesiae removenda est », ac « retinenda consuetudo illam amovendi » (CRit d 2682, 54, cf. Suifrag. tom. IV. Decr. authent. p. 317-321). In ecclesiis ubi non fit fontis benedictio, aqua lustralis communi benedictione fit, si unus habetur sacerdos, ante functionem, si alius adsit, ille benedicat aquam in sacristia post prophetias (CRit d 4198, 6).

h. *De officio divino Tridui Sacri.* Officium hoc archaitatis notas prae se

fert, non habetur sueta introductio « Deus in adiutorium », non dicitur « Gloria Patri », non habetur Invitatorium, non canuntur hymni, non dantur benedictiones ad lectiones. (1) Matutinum quod inde a medio aevo vocabatur « *Matutinum tenebrarum* », quia semper versus vesperam antecedentis diei recitatum fuit, una cum « Lamentationibus Jeremiae prophetae », inde ab 1956 iam non licet anticipare, sed dicuntur mane, hora competenti. In ecclesia autem ubi Fer. V. in Coena Domini Missa chrismatis mane celebratur, matutinum et Laudes eiusdem Fer. V. anticipari possunt de sero (Decr. n. 5). *Matutinum dominicae Resurrectionis* omittitur, tum in choro, tum in privata recitatione, pro *Laudibus* canitur id quod intra Missam propositum est « qui vero sollemni vigiliae paschali non interfuerint, tenentur dicere Matutinum et Laudes, dominicae Resurrectionis, prout in Brev. Romano continetur » (Ruhr. spec. OHS Sabb. Sancti, De off. div. η. 4). — (2) *Horae minores* dicuntur hora competenti (Decr. n. 5). Notandum est: In Laudibus et Horis minoribus et Vesperis (pro iis, qui Fer. V. et Fer. VI. non interfuerint Missae vel actioni liturgicae): post ant: « Christus factus est » dicto sub silentio « Pater noster » omittitur Ps. 50 Miserere, etiam Sabb. Sancto (Rubr. spec. Fer. V. n. 2 et Fer. VI. De off. div. et Sabb. Sancto n. 2). — (3) *Vesperae Fer. V. et VI.* in choro omittuntur et etiam ab iis qui Missae vespertinae seu actioni liturgicae interfuerint, « cum earum locum teneant functiones liturgicae principales horum dierum » (Decr. n. 5. Ruhr. spec. Fer. V. η. 2. ct Fer. VI. De off. div.), *Sabbato Sancto* autem abhinc dicuntur, nam vigilia horis nocturnis celebranda venit (cf. Rubr. spec. Sabb. n. 3.). Si Vesperae ab iis qui non interfuerint functionibus e quacunque causa, dicendae sunt, dicuntur Fer. V. et Fer. VI. ut in Brev. Romano, sed « Miserere » etiam tunc omittitur. — (4) *Completorium Fer. V. et VI.* dicitur post functiones liturgicas vespertinas, sed Ps. « Miserere » etiam hic omittitur (Decr. n. 5. Ruhr, spec. Fer. V. η. 2.). Sabb. *Sancto* in *choro* omittitur Completorium, sed in recitatione *a solo* dicendum est, ut videtur etiam ab iis, qui vigiliae interfuerint (Ruhr. spec. Sabb. Sancti n. 3), hoc modo: « Facta confessione et absolutione statim inchoantur psalmi de dominica, quibus finitis dicitur canticum Simeonis « Nunc dimittis », « Pater noster » et oratio « Visita quaesumus », reliquis omnibus omissis » (ibid.).

i. *Ieiunium et abstinentia* « quod hucusque iuxta can. 1252 § 4, Sabbato Sancto cessabat post meridiem, in posterum cessabit media nocte eiusdem Sabbati Sancti » (Decr. n. 10).

Tractatis nunc sciendis de tempore Passionis, quibus absoluta sunt etiam ea quae dicenda veniunt de Hebdomada Sancta in communi, nunc singillatim agendum est adhuc de Dominica II. Passionis seu in ramis palmarum, de Fer. V. in Coena Domini, de Fer. VI. Passionis et Mortis Domini, et de Sabbato Sancto. Quia Vigilia Paschatis sollemnis ad cyclum gaudiosum pertinet, de ea agitur quaestione sequenti (E. 2.).

5. De Dominica II. Passionis seu in Palmis.

Tractanda sunt hoc articulo: a) Nomina Dom. II. Passionis — dein b) Origo rituum huius Dominicae, — c) Descriptio ritus — demum d) Leges cultuales Dom. II. Passionis.

a) Nomina Dom. II. Passionis.

1°. Nomen longe usitatissimum evasit « *Kyriakê ton baton* », « baion » derivatur a voce aegyptiaca « *ban* » quod ramum significat palmae. Hoc nomen etiam in liturgia latina frequens est « Dom. Palmarum, in Palmis, ad Palmas, in ramis Palmarum, Dies Palmarum » ct talia. Slavice quoque dicitur « *Nedelja vaij* ».

2°. Alterum nomen nacta est haec Dominica in regionibus palmis carentibus, ubi aliis ramis usi sunt, praesertim salicum et etiam floribus, inde nomen: «*Kyriakê anthophoros* » (= Dom. florifera). Inde derivatur nomen armenicum: « *Zaghkasart* » vel « *Zar-sartar* n (= floribus ornata, arboribus ornata), slavice « *Nedelja evetna* » (vel cvjetna, cvetnaja etc.), quod item Dominicam florum sonat, sicut etiam rumenicum « *Domenica florilu* » et hungaricum « Virdgoa-*sdrnap* n. Etiam Germani libenter hoc nomine usi sunt: « *Plumostertag,* Bluoinoster » (= Pascha florum) « Blumensonntag », « Blumentag » (Dom. vel Dies florum). Etiam Hispanis placet hoc nomen: « *Pascua florida* », quia Dom. Palmarum a Hispanis detecta anno 1513 est regio Americae septentrionalis versus sinum Mexicanum sita, ideo nomen « Florida » inde accepit (cf. Pasquet, Hist, polit, et sociale du peuple américain, Paris 1924, p. 22). Gallice quoque vocata est haec Dom. « *Pâques fleuries* ».

3°. *Nomina Graeca* minus usitata sunt: « Euangelismos tou hosanna » (= annuntiatio hosanna) seu breviter « Eulogcmenê » (= benedicta), — dein « Kyriakê tou Lazarou » (= Dom. Lazari) a Sabbato praecedente, qua memoria Lazari resuscitari agitur.

4°. *Nomina Latina,* semel iterumque usitata sunt: « *Dom. indulgentia* ». quia hac hebdomada fuerunt reconciliati poenitentes Fer. V. in Coena Domini, sic e.gr. in Sacramentario Pragensi (ed. Dold-Eizenhofer p. 45 °), — dein «*Pascha competentium,* vel « Pascha petitum », quia in liturgiis typi Gallicani hac Dominica sollemnis traditio symboli locum habuit, unde etiam appellata fuit « In symboli traditione », — demum « *Capitilavium* », quia in Hispania mozarabica capita lavabantur catechumenorum hac Dominica (Isidor. Etvmolog. 1. VI. c. 18, 15).

5°. De nomine « *Dom. Passionis* » iam locuti sumus (cf. superius 4. a. I0.). Instauratio OHS 1956 feliciter renovavit usum huius antiquissimae denominationis Romanae, simul adiiciens nomen serius usitatum «in Palmis ».

b) Origo rituum Dom. II. Passionis seu in Palmis.

1°. Adhuc vir eruditissimus, Edm. Martène (t 1739) opinatus est, celebritatem huius Dominicae ante saec. VIH-IX. non inveniri, nunc iam a. scimus eam oriundam esse ex Hierosolymis exeunte saec. IV-o, teste *Peregrinatione Aetheriae* sollemnitatem rituum simplici rectoque sermone describentis: « Dominica qua intratur in septimana paschale... cum coeperit se facere *hora nona* (= hora 15.) subitur cum ymnis in *Inbomon,* id est in eo loco, de quo ascendit Dominus in caelis, et ibi seditur... Dicuntur ct ibi ymni vel antiphonae aptae loco et diei: similiter et lectiones interpositae ct orationes. Et iam cum coerit esse *hora undecima* (= hora 17.), legitur ille locus de Evangelio, ubi infan

tes cum armis vel palmis occurrerunt Domino dicentes: Benedictus qui venit in nomine Domini. Et statim levat se episcopus et omnis populus, porro inde de summo monte Oliveti totum pedibus itur. Nam totus populus ante ipsum cum ymnis vel antiphonis respondentes semper: Benedictus qui venit in nomine Domini. Et quotquot sunt infantes in hisdem locis, usque etiam qui pedibus ambulare non possunt, quia teneri sunt, in collo illos parentes sui tenent, omnes ramos tenentes alii palmarum, alii olivarum, et sic deducetur episcopus in eo typo, quo tunc Dominus deductus est. Et de summo monte usque ad civitatem et inde ad Anastasen per totam civitatem totum pedibus omnes, sed et si quae matronae sunt aut si qui domini, sic deducunt episcopum respondentes et sic lente et lente, ne lassetur populus, porro iam sera pervenitur ad Anastase. Ubi cum ventum fuerit, quamlibet sero sit, tamen fit lucernare, fit denuo oratio ad Crucem et dimittitur populus » (Peregrinatio c. 30. 31).

b. In *Oriente* celebritatem hanc testatur Cyrillus Scytopolitanus (t 473 « baiôn heorte », Vita Euthymii n. 11 ASS Jan. II, 668). Hoc saeculo coepit divulgari ritus processionis palmarum, Christum repraesentavit *episcopus,* ut Hierosolymis, vel *Liber Euangeliorum* in Oriente tantum veneratus, vel *Crux magna,* inde a turbis cum Monophysitis etiam *imaginem* exhibens Crucifixi.

c. In *Occidente* primum vestigium saec. VI-o occurrit, sed *Isidor. Hispalensis* festivitatem iam ut notissimam supponit, in territorio enim liturgiarum typi Gallicani celebritas palmarum longe lateque propagata est ob frequentes cius necessitudines cum Oriente, *prima* quoque *benedictio* ° Palmae et olivae super altario » legitur in Missali Bobiensi saec. VH-i (PL 72, 572). *Textus* eius clarissime supponit etiam processionem, ritus dein initio simplex ulterius ordinatus ritibusque recentibus ditatus est decursu saec. VII-IX., ut hymno magnifico *Theodulphi Aurelianensis* (760-821) « Gloria, laus et honor ». *Rituum* horum *scopus* fuit quam exactissime imitari ingressum triumphalem Domini in Jerusalem, ideo electus fuit mons vel locus elatior extra civitatem, ubi in capella quadam vel ecclesia fiebat *statio,* lecta est pericopa de *Exodo* (15, 27-16, 7), in qua 12 fontes et 70 palmae occurrentes iuxta allegoricam interpretationem 12 /Vpostolos et 70 discipulos praefigurabant Christum in monte Olivarum honore gaudioso deducentes. Inter *cantum antiphonarum* pueri chorales cappas suas proiecerunt ante symbolum Domini: Crucem vel Evangelium, ramosque postquam eorum benedictio perfecta fuit. In ingressu civitatis diaconi « in portatorio quodam honestissime deferentes » Evangelium (Ps. Alcuin. PL 101, 1201) vel Crucem, hoc deposuerunt *iuxta portam civitatis* ibique omnes inter cantum ▮ Gloria, laus et honor » orationesque prolixas a celebrante recitatas adorationem Cruci exhibuerunt. Demum cum cantu ant. « Ingrediente Domino » intrabant in civitatem ibique in ecclesia principali Missarum sollemniis adstabant.

2°. *Roma* autem interea adhuc ritum antiquum purum retinens nondum celebravit hac Dominica ingressum triumphalem Christi, haec Dominica enim *festivitas fuit Passionis,* Officium et Missa penitus omnino de passione dominica agunt, sed lectio Passionis incipiebat cum relatione ingressus in civitatem sanctam. Etsi multis *in civitatibus Italiae* (Venetiis, Aquilegiae, in ecclesiis Mutinensi. Bononiensi etc.) ritus Gallicanus benedictionis et processionis palmarum optime divulgatus fuit, ipsa Urbs iuxta rccentiores indagationes *usque ad saec. XI-uni* fidelis remansit ritui antiquo solamque Passionem Domini celebravit. Hoc saeculo una cum aliis ritibus etiam celebritas palmarum assumpta est ab Urbe ea forma, ut iam inde a saec. IX-o in ritu Franco-romano viguit.

3°. In *ritu* hoc *Franco-romano* (saec. VII1-X) cernitur quaedam divergentia semper magis crescens secundum nisus populares variarum gentium. Ubique celebrata fuit *Missa* huius Dominicae Passionem see. Matthaeum continens, sed ei praemissa est *benedictio processioque* liturgiae Gallicani typi, sicque varietates permultae exortae sunt. In ecclesiis *Galliae* praecipue *Crux* portata fuit, qua repraesentatio Domini ingredientis, e.gr. in ecclesia Bisuntina (Martène 1. VI. c. 20. ordo III), Baiocensi. In *Anglia* vero, ubi primum Eucharistia reposita extra Missam adorari coepta est, processio Palmarum evasit *theophorica,* Sanctissimoque Sacramento exhibitae sunt plures stationes adorationis causa peragendae. (cf. Thurston p. 217, Bishop, Lit. hist. p. 286). In *Germania* autem inultis in ecclesiis *asinus ligneus* (« Palmescl ») rotis praeditus statuam ligneam deferens Domini fune deductus est, fortasse iam a tempore S. Udalrici episcopi Augustani (| 973). In Cruce processionali ubique mos erat, in quibusdam locis adhuc vigens, ut in Hungaria, a Durando interpretata: « In Cruce rami virides infiguntur ad notandum, (prod omnem virtutum virorem a Crucifixo habemus, Christus enim ramus viridis fuit ⁊ (1. VI. c. 67, 8).

4°. *Ulterior evolutio* effecta est *saec. XI-XV.* quando ritus benedictionis palmarum transformata fuit in « *Missam siccam* ⁊ seu completam excepto Canone. — a. Missa talis iam legitur in *Pontificali Romano-Germanico* saec. X-i (Hittorpii, Ordo Rom. antiquus in Bibl. Max. Patr. XIII, 678-682), habens iam *ant. ad intr.* « Hosanna », *lectiones* ex Ex 15, 27-16, 7 et Mt 21, 1-9 cum *Graduait* interposito, *benedictionem* palmarum cum *octo* orationibus et *praefationem* consecratoriam magnificam (o Te Domine inter cetera mirabilium tuorum praecepta laudare ») ex aevo Carolingico, palmarum olivarumque laudem concinens, quae dein in Pontificali Curiae saec. XH-i per praefationem Gallicanam (« Qui gloriaris in concilio sanctorum tuorum ») e Communi martyrum deprompta supplebatur. Frustra quidam auctores opinati sunt, hanc Missam siccam esse *reliquiam* quandam Missae cuiusdam stationalis, nil aliud enim est, quam *amplificatio ritus nativi* benedictionis palmarum, qui dein aevo Gothico (saec. XI1I-XIV.) evolutionis culmen attigit in Missali Romano-Franciscano. b. Ritus iam omnino identicus est cum *ritu Missalis Piani 1570.* excepto ritu pulsationis ad portam cum hasta Crucis processionalis, solum in revisione Clementis VIII. (1604) e ritibus mediaevalibus assumpto. Sic inde ab 1570 usque 1956, per quatuor fere saecula *ritus uniformis* Missalis Romani fuit talis: (1) » Ant. Hosanna ». — (2) Oratio « Deus quem diligere ». — (3) Lectio Ex. 15, 27, 16, 1-7). — (4) Grad. « Collegerunt vel « In monte Oliveti ». — (5) Evang. Mt 21, 1-9 de ingressu Domini. — (6) Oratio introductoria « Auge fidem » transiens in praefationem — (7) « Qui gloriaris in concilio sanctorum tuorum » — (8) quam excepit « Sanctus ». — (9) Deinde cantabantur quinque orationes ad benedicendos ramos (Petimus Domine, Deus qui dispersa congregas, Deus qui miro dispositionis ordine, Deus qui per olivae ramum, Benedic quaesumus Domine). — (10) Sequebatur aspersio cum aqua benedicta et incensatio, — dein (11) ultima dicta est oratio ⁊ Deus qui Filium tuum ». — (12) Facta est distributio ramorum inter cantum ant. « Pueri Hebraeorum ⁊ et oratione « Omnipotens sempiterne Deus qui DNJChristum super pullum asinae », — (13) sequebaturque processio cum sex antiphonis iuxta necessitatem decantandis. — (14) Ante valvas ecclesiae cantatus fuit hymnus « Gloria, laus et honor », percussaque porta cum hasta Crucis aperiebatur et — (15) factus est ingressus in ecclesiam cum ant. « Ingrediente Domino ».

Ritus hic prolixus, productum minus felix medii aevi exeuntis, dein multo breviore suppletus est ab OHS 1956.

5°. *Missa* vero *nativa* huius dici, ut iam dictum fuit, retenta est, omnino passionem Domini celebrans. Huius Missae culmen attingitur in Passione legenda *see.* Matthaeum, dum textus Missae apprime exprimunt finem Passionis tam beatae: Redemptionem videlicet obiectivam. *Lectio Passionis* hac Dominica est usus Romanus antiquissimus, saltem iam a saec. *V-o* existons, dum ecclesia Gallicana Passionem solum Fer. VI. recitare solita est. In ecclesiis typi Gallicani diatessaron, i.e. Passio e quatuor Evangcliis concinnata prolata fuit, (sic in Lcct. WolfenbiitteLWeissenbach saec. V-VL, Lect. Paris. Bibi. Nat. lat. 10863 saec. VI-VIL, Evangel. Kiliani saec. VII-VIII. cf. Salmon, Lect. Luxeuil, Roma 1944, p. CX-CXI). Ad vitandum taedium e prolixitate lectionis ortum, iam inde a saec. V-o (Evangeliar. Vercellense) idem lector *alia voce* proferebat quosdam textus e Passione qui dein signis notata fuere. Primum signum, iam in dicto Evangeliario Vercellensi occurrens est *aT»,* i.e. « *trahe* », seu lentius pronuntia, quod dein in signum *Crucis* « **t** » mutatum etiam nunc ante verba Salvatoris ponitur. E variis signis hoc signum T remansit in Missali Piano, dein signum *«C»,* i.e. « *citius* » vel « *celeriter* », quod ante verba Evangelistae seu Chronistae legitur. Dein habetur signum «S» i.e. « *sursum* », vel « *sonoriter* », significans verba diversarum personarum in Evangelio occurrentium legenda esse voce elata. Littera haec etiam interpretata est « *Synagoga* ». Quia uni eidemque lectori modus talis lectionis valde molestus debuit esse, pedententim usuvenit in regionibus septentrionalibus lectio Passionis a tribus diaconis peracta, quod demum ubique receptum est. Ex Italia autem vicissim mos iste diffusus est verba populi per chorum cantorum cantandi (« *turba* »).

6°. Medio aevo exeunte talis usus celebrandi totam liturgiam huius Dominicae in Missali Romano sat uniformis fuit et per Missale Pii V. totum terrarum orbem occupavit. Inde autem iam a decem fere annis voces multiplicabantur *instaurationem* liturgicam etiam benedictionis palmarum a Sancta Sede enixe efflagitantes (e.gr. Atti del III. Convegno internaz. di studii lit. Lugano 1953, 193-208). Ut Bugnini-Braga merito refert, Missa haec sicca exeuntis medii aevi est compositio artificiosa, lectio Exodi inepta, nullam habens rationem ad diei celebrationem, quinque orationes benedictionis primitus fuerunt ad libitum eligendae, dein aevo Gothico « multiplicationis nisui » sine fine favente omnes orationes obligatoriae evaserunt, » quibus in rebus omnino ignoratur relatio ad verum ritus characterem, i.e. ad sollemnem honorem Christo Regi reddendum per processionem » (p. 99). Processio autem iam a saeculis sine participatione populi facta est, fideles ad partes spectatoris inertis remissi sunt. Instauratio ergo Hebd. Sanctae mediam viam tenens inter radicalem abolitionem et rigidum conservativismum, per OILS 1956 inde ab anno 1956 optimos fructus ubique gentium actuosae participationis fidelium protulit.

c) Descriptio ritus Dom. II. Passionis.

Ritus primum anno 1956 toto orbe celebratus componitur e « Sollemni palmarum processione in honorem Christi Regis » et Missa. Ipsa palmarum processio constat e benedictione ramorum, distributione eorum, lectione evangelica ct processione cum ramis benedictis. *Numeri* citantur sec. OHS 1956.

1°. De benedictione ramorum. (1) Omissa aspersione aquae, proceditur statim *ad benedicendum* ramos palmarum seu olivarum, sive aliarum arborum. In regionibus septentrionalibus rami salicum solent adhiberi, quia primi sunt nuntii veris. — (2) *Color* paramentorum est rubeus (violaceus in Missa), quo restituitur color tota media aetate usurpatus, vividius enim exprimit sanguinem redemptivum. — (3) Celebrans *induitur* amictu, alba, cingulo, stola et pluviali, ministri sacri amictu, alba, cingulo, subdiaconus insuper tunicella, diaconus stola et dalmatica. Si non habeatur pluviale rubei coloris, manet sine casula. — (4) *Rami* nisi ab ipsis fidelibus iam in manibus teneantur, parentur super *abacum,* tobalea alba coopertum, et positum in opportuniore loco presbyterii seu sanctuarii, ita tamen, ut maneat *in conspectu populi.* Quo innuitur nisus OHS 1956. omnia in conspectu fidelium peragendi. — (5) Omnibus rite dispositis, celebrans, cum ministris sacris, seu ministrantibus, facta altari debita reverentia, sistit retro abacum, versus populum, non ascendit ergo altare. « Ritus benedictionis peragi potest etiam in plano, ad cancellos, ad balaustrium (= balustrade), iuxta loca et consuetudines, hoc unum attendatur, quod caeremonia peragatur in conspectu populi, ita sc. ut fideles ritum videre et sequi possint » (p. 49 nota 5). Haec benedictio etiam in suppedaneo altaris fieri potest, si sat latum sit, ita ut abacus in eo poni possit, tunc celebrans osculatur altare iuxta generales leges et versus populum, in latere epistolae, si Sanctissimum in tabernaculo asservetur, peragit benedictionem. Interim vero cantatur ant. « Hosanna ». — (6) Benedictio incipit cum *salutatione* populi « Dominus vobiscum », « *cui omnes respondent* », et dicit orationem *unicam* benedictionis (a Bene t dic quaesumus Domine »), quae ultima est e quinque olim orationibus, et cuius textus primum occurrit in Missali Curiae Romanae saec. XIV. — (7) Celebrans dicat *prout qualitati ramorum* congruit, « hos palmarum ramos », vel « hos olivarum ramos », vel » hos arborum ramos », vel « hos palmarum et olivarum ramos », aut « hos palmarum (olivarum) et aliarum arborum ramos ». — (8) Tunc celebrans *ter aspergit* aqua benedicta ramos, super abacum positos, postea ad cancellos ramos fidelium, nisi placuerit horum aspersionem facere transeundo per aulam ecclesiae. — (9) Deinde ponitur incensum more solito, et *incensantur* rami super abacum et rami fidelium eodem modo ut supra. Ministri sacri vel ministrantes celebrantem comitantur, tam in aspersione, quam in incensatione ramorum, fimbriam pluvialis tenentes.

2°. De distributione ramorum. (10) Completa benedictione, fit ramorum distributio see. locorum *consuetudinem.* Putamus retineri tamen posse consuetudinem, quod celebrans *a digniore* in clero accipiat stans ramum palmae, si solus est, ipse accipit de abaco (ad analogiam supra C. 4. c. 4°. c.). — (11) Itaque, celebrans, stans in predella (i. e. suppedaneo) altaris versus populum, adiuvantibus ministris sacris vel ministrantibus, *dat ramos* benedictos primum omnibus clericis per ordinem, deinde ministrantibus, denique, ad cancellos fidelibus. — (12) Et cum inceperit distribuere, cantantur sequentes *antiphonae et Psalmi:* Ant. I ». « Pueri hebraeorum portantes » cum Ps 23 et Ant. 2. « Pueri hebraeorum vestimenta n cum Ps 46. Novitas est. quod *Psalmi intercalantur* his antiphonis iamdudum cantatis, « maxime convenit, ut populus partem activam habeat in cantu, quod absque magna difficultate obtineri potest, cum melodia harum antiphonarum sit facilis et festiva » (Bugnini-Braga p. 51 nota 12).

3'. Lectio evangclica e Missa sicca sola remansit in instauratione. (13) Ramorum distributione peracta, et abaco remoto, celebrans *lavat manus,* nihil dicens, deinde, ascendens altare illud osculatur, in medio, et ponit incensum in thuribulo, more solito. Diaconus defert librum Evangeliorum ad altare, cumque deponit super illud et fiunt omnia, ut in Missa. Si celebrans solus est, omnia peragat ut alias de more, quando solus Missam cum cantu celebrat. — (14) Textus Mt 21, 1-9. — (15) Evangelio finito subdiaconus defert librum celebranti qui librum osculatur sed postea non incensatur.

4°. De processione cum ramis benedictis. — (16) His peractis, celebrans ponit incensum in thuribulum, more solito. Deinde diaconus, vertens se ad populum, dicit: « Procedamus in pace » Respondent *omnes:* « In nomine Christi. Arnen » In Missali habetur « chorus respondet », notandus est ergo spiritus pastoralis huius recentis instaurationis, studendum ergo ut haec rubrica et supra n. (6) revera effectui perducatur. In processione praecedit thurifcrarius cum thuribulo fumigante, deinde alter subdiaconus, paratus vel acolythus, aut unus e ministrantibus, deferens Crucem *non velatam,* quae ordinatio convenit characteri triumphanti huius processionis; Crux enim Christum Regem repraesentat, idcirco portatur inter duos acolythos vel ministrantes cum candelis accensis, dein sequitur clerus per ordinem, ultimo celebrans cum diacono et subdiacono, post eos fideles, ramos benedictos manibus gestantes. — (17) Processio dirigatur, si fieri potest, *extra ecclesiam,* per aliquam viam longiorem. Sicubi vero habeatur *altera ecclesia,* in qua ramorum benedictio commode peragi possit, nihil impedit, quominus benedictio eorum ibi fiat, et deinde processio pergat ad ecclesiam principalem. — (18) Incipiente processione, cantari possunt antiphonae, omnes vel aliquae pro opportunitate: 1. « Occurrunt turbae » (= 4. Missalis). 2. « Cum angelis » (= 5. Missalis). 3. « Turba multa » (= 6. Missalis). 4. « Coeperunt omnes turbae descendentium » (nova). — (19) Progrediente processione cantatur hymnus « *Gloria, laus et honor,* » populo si fieri potest, duos primos versus continuo repetente. Iure notat Bugnini-Braga: « Patet intentio instaurationis, ut populus partem habeat activam in tota hac liturgia. Melodia versus repetitionis « Gloria laus » est captu facilis et populus (omnes) illam addiscere potest absque difficultate » (p. 54 nota 19). Addi potest *ant. 5.* « Omnes collaudant » (nova) cum Ps. 147. dein *ant. 6.* « Fulgentibus palmis » (nova) et *ant. 7.* « Ave rex noster » (nova). — (20) Nihil impedit, quominus cantetur a fidelibus *hymnus* « Christus vincit, » vel alius canius in honorem Christi Regis. — (21) Intrante processione in ecclesiam, dum celebrans per valvas transit, incipitur *ultima ant.* « Ingrediente Domino ». — (22) Novum est, quod celebrans, cum ad altare advenerit, facta debita reverentia, illud ascendit cum ministris sacris et stans in medio inter illos, versus populum, clerico librum tenente, dicit, in tono orationis ferialis, *Orationem ad complendam* processionem, manibus iunctis: « Domine Jesu Christe Rex ac Redemptor noster » (nova). — (23) Oratione dicta celebrans et ministri. facta altari debita reverentia, deponunt paramenta rubea, assumentes, pro Missa, violacea (ad sedile Rit. simpl. c. II, 35). — (24) Rami *non tenentur in manibus,* dum in Missa historia passionis Domini cantatur vel legitur.

d) Leges cultuales Dom. II. Passionis Palmarum.

1 . *Pallium altaris,* si adhibetur, est rubri coloris, facile amovibile, aptatum super aliud violacei coloris RSimpl 1957. I. 1). Item super tabernaculum, si in

altari asservatur Sacramentum, *conopeum* quoque rubri est coloris, aptatum super aliud violaceum (I, 2). « Dum fit processio, auferatur pallium rubrum de altari et conopeum rubrum de tabernaculo » (RS 1957, II, 31).

2°. Si Missa in cantu celebratur, sed ritu simplici, id est absque ministris sacris, vel tantum cum diacono, *fiunt incensationes* uti moris est in Missa sollemni, excepta tantum incensatione ante Evangelium passionis Domini (RS 1957. Ill, 1).

3°. Ubi ante Missam facta fuerit benedictio et processio ramorum, *omittitur* non solum Ps. Judica, sed *etiam confessio etc.* ct celebrans statim ascendit ad altare, illud osculatur in medio et incensat more solito (OHS 1956. Rubr. spec. De Missa n. 2 et NCR 424. c.).

4°. In Missa post verba Epistolae « donavit illi nomen quod est super omne nomen » *genuflectitur,* si subdiaconus ea cantet, non solum ipse, sed omnes, etiam celebrans (CRit d 4057, 6). In Missa sollemni celebrans *non legit* Epistolam.

5°. *Leges quoad Passionem,* a. Dicendum est Munda cor » a tribus diaconis, (vel a celebrante si solus legat Passionem), « ante altare, super infimum gradum genufle.xi, profunde inclinati, submissa voce... ac petunt a celebrante benedictionem » qui dicit: « Dominus sit in cordibus vestris etc. » (OHS rubr. spec. Missae n. 8). Cantantes vel legentes debent esse saltem in diaconatus ordine constituti (ibid). — b. *In fine Passionis* non habetur, ut in Missali, lectio ad modum Evangelii, sed contra rubricas Missalis celebrans non osculatur librum nec incensatur, quod servatur etiam Fer. III. IV. et VI. quando historia passionis Domini cantatur vel legitur (OHS n. 10.). — c. « Qui hodie aliam, vel tertiam Missam lectam celebrat, *non tenetur iterare lectionem passionis Domini,* sed eius loco legit sequens Evangelium, more consueto » (Mt 27, 45-52), ad quod apposite Bugnini-Braga: « Sed si vult, potest. Favor est in bonum potius sacerdotis, quam fidelium, qui per se eo non indigerent, cum ordinarie sint alii in diversis Missis » (p. 59 nota 37).

6°. *In fine Missae* celebrans data benedictione more solito, omittit ultimum Evangelium, et omnes revertuntur in sacristiam. *In ceteris Missis* sine benedictione ramorum, legitur in fine Evangelium « Cum appropinquasset Jesus » ut supra in benedictione ramorum (OHS Rubr. spec. Missae n. 18).

7°. *Tempus* celebrationis Missae Dom. II. Passionis seu in Palmis est per se: « ...sollemnis benedictio et processio ramorum fiunt mane, hora consueta, in choro post Tertiam » (OHS 1956. Decr. n. 6). — Haec praescriptio ampliata fuit per decr. S. C. Rit. 1. febr. 1957. « *Ordinationes et declarationes circa Ordinem Hebd. Sanctae* », citandum abhinc « *OD 1957.* »), in hoc decr. assumptum est declaratio anterior CRit 15. mart. 1956, generale decr. autem (i. e. OHS 1956) cum adnexa Instructione vim suam habere pergunt iis exceptis, quae ibi innovantur. Pro Dom. II. Pass, additur: « In ecclesiis autem, ubi Missae vespertinae cum magno populi concursu celebrari solent, ordinarius loci ramorum benedictionem et processionem cum subsequent! Missa *horis vespertinis,* si vera pastoralis ratio intercedat, permittere poterit, eo tamen modo, ut benedictio et processio matutinis horis in iisdem ecclesiis locum *non habeant.* » Attamen statim *abusus* cavetur per restrictionem: « *Sola* ramorum benedictio absque sub-

sequenti processione et Missa celebrari non licet, » hoc enim ritum totalem disrumperet.

8. Alia quoque innovatio notetur: iam concessum fuit (Ruhr. spec. OHS 1956 η. 17.), quod benedictio ramorum fieri potest *in altera ecclesia,* unde deinde processio ad ecclesiam principalem pergat, nunc haec concessio *extenditur:* « Ubi vero haec altera ecclesia non habeatur, ramorum benedictio in aliquo convenienti loco fieri potest, immo etiam sub divo, ante aediculam sacram, vel ante ipsam Crucem processionalcm, dummodo processio inde sequatur ad ecclesiam pro Missae celebratione » (OD 1957. II, 6).

9°. « Cum vix omnes fideles benedictioni intéressé possint, curent ecclesiarum rectores, ut rami benedicti in sacristia vel alio apto loco *praesto sint* fidelibus, qui processioni non interfuerint, distribuendi » (OD 1957. η. II, 7).

6. De Fer. V. in Coena Domini.

a) Nomina.

1r. *Nomina* ab institutione SS. Eucharistiae *desumpta* sunt penes Latinos; a. « *Coena Domini n,* vel « *Fer. V. in coena Domini* », iam inde a saec. IV-V, sic penes Augustinum (Ep. 54, 9, 10 PL 33, 204) et fere in omnibus liturgicis libris. Hispani quoque tali vocabulo usi sunt (« El jueves de la cena n). — b. Aliud nomen ex hac felicissima institutione est « *Natale calicis* » vel « *Dies calicis* », sic penes Avitum Viennensem (f 518), Eligium Noviomcnscm (f 656), iam occurrens in Kalendario ex anno 148 Annaei Polemaei Sylvii (« natalis calices » PL 13, 678).

2°. *Nomina* a sanctitate indita sunt a. In liturgia Byzantina « *Ile hagia kai megalc pempté* » (= sancta et magna Fer. V.) frequentissime occurrit, inde slavi tale nomen in suam linguam verterunt (« Velikij ëctvertak » = magna Fer. V.), item Rumeni « Marea Joi ») ct Hungari (« nagycsiitortok »). Nomen hoc etiam Germaniae meridionali non ignotum fuit saec. XIV-XV (« groze donrstag, hoher donnerstag » cf. Browe JfLw 1930, 57). — b. Haec nomina *magnitudinem* festi extollunt, alii magis *sanctitatem* proprie inculcant, ut italicum « Giovedi santo», gallicum «Jeudi saint», hispan. «EI jueves santo », anglicum « Holy thursday». — c. Sanctitas diei exprimebatur etiam per *bonitatem,* inde « *Mona Fer. V.* », quo nomine praecipue in Germania septentrionali usi sunt medio aevo (« gude donrstag » Browe p. 57 s.).

3°. *Nomina* a ritibus diei *exorta* varia sunt. a. A *mandato* seu pedilavio Fer. V. appellata est etiam « *Dies mandati* » vel « *Mandatum* », inde gallicum « Lc mande » vel « Le mandé », anglicum « Maundy thursday ».

b. Quoniam dies hic celebris erat a poenitentium *reconciliatione,* ansam dedit denominationibus exinde sumptis, ut « *Dies absolutionis, dies indulgentiae* ». gallicc «Jeudi absolu », in Germania meridionali medii ac\i « Ablasstag», vel « Antlasstag » (Ablass = remissio, Antlass = dimissio, Entlassung) quod nomen in Baiuvaria adhuc in usu est (« Antlasspiinsta »: J. Lechner, Lit. rom Ritus p 118). — A *puritate* pocnitentibus restituta vocatus est dies etiam *Pura 1er. V* », sic penes Danos (« skaclorsdag » et apud anglos (« Sheerc thursday »).

c. Λ *colore liturgico ortae* sunt denominationes (1) « *Fer. V. alba* », sic in Neerlandia saec. XIV. (« Witten dondcrdach », vel « donresdach »). — (2) A colore viridi derivabatur olim etiam nomen latissime usitatum in Germania *t Griindonuerstag n* (= Fer. V. viridis), hungarice quoque aliquoties (« zold-esiitortok »). Per exceptionem quidem hinc inde color viridis paramentorum occurrebat, sed in Gallia, non in Germania (II. Kellner, Hcortol. 3. ed. 51 s.), recentioribus ideo magis arridet etymologia philologica huius vocis, palaco-gennan. « grinen » enim significat « flere », optime ideo denominatio a recon-ciliatione poenitentium derivari potest.

b) Origo celebritatis Fer. V. in Coena Domini.

1°. Ante saec. IV. nullum invenitur vestigium festi Fer. V-ae Ilebd. sanc-tae, immo multi fuere qui Coenam novissimam Fer. III-ae assignabant (cf. superius B. 4. b.). Excunle autem saec. IV-o *Hierosolymis* iam prolixum ritum localem Fer. V-ae invenimus, relatione testante Aetheriae; quae limpida sim-plicivc narratione describit in Civitate Sancta *duas* esse celebratas « *obla-tiones* » seu Missas, habitamque esse illam «Vigiliam sacrarum passionum n, tam celebrem in ritu byzantino. « Item quinta feria » — refert Aetheria — « octava hora (= hora 11.) iuxta consuetudinem ad Martyrium colliget se omnis populus... fit ipsa die *oblatio ad Martyrium* (i.e. in ecclesia principali Civitatis)... Facta ergo missa (= dimissione liturgica) Martyrii venitur post *Crucem* (= in atrio stabat petra Calvariae sub divo)... et offeret ibi episcopus *oblationem* ct *communicant omnes.* Excepta enim ipsa die una per totum annum numquam offeritur (!) post Crucem nisi ipsa die tantum... Statim ut manducaverint, omnes vadent in *Eleona* (=n Monte Olivarum) in ecclesia ea, in qua est spelunca, in qua ipse die Dominus cum apostolis fuit... Et inde iam hora noctis forsitan sexta (=hora 24.) itur sursum in *Imbomon* (= ca-pella in loco ascensionis) cum yinnis in eo loco, unde ascendit Dominus in caelis... Ac sic ergo cum coeperit esse pullorum cantus, descenditur de Imbo-mon cum ymnis ct acceditur eo loco, ubi oravit Dominus et in eo loco est ecclesia elegans (= basilica Gethsemani)... Candelae autem ecclcsticae super ducentae paratae sunt propter lumen omni populo, ...fit primum oratio apta, sic dicitur ymnus, item legitur ille locus de Evangelio, ubi com-prehensus est Dominus. Qui locus ad quod lectus fuerit, tantus rugitus et mugi-tus totius populi est cum fletu, ut forsitan porro ad civitatem gemitus populi omnis auditus sit ...Specialiter illa die nullus recedit a vigiliis usque in mane n (Itinerar, c. 35. 36).

2°. Eliam in *Africa duabus Missis* celebrata fuit Fer. V. Rationem S. *Au-gustinus* in eo invenit, quod hoc die « plures et prope omnes in plerisque locis lavare consueverunt. Et quia nonnulli etiam ieiunium custodiunt, mane offertur propter prandentes quia ieiunia simul et lavacra tolerare non pos-sunt, ad vesperam vero propter iciunantcs » (PL 33, 204). Ratio haec a sancto Doctorc allata magis popularis est, vestigium invenitur in eodem textu antiquioris praxeos in memoriam Coenac ultimae vespere SS. Eucharistiam)ost coenam sumendi, (piam Augustinus minus honestam putat: « ... nonnul-os probabilis quaedam ratio delectavit, ut uno certo dic per annum, quo ipsam cenam Dominus dedit, tamquam ad *insigniorem commemorationem* post cibos afferri et accipi liceat corpus ct sanguinem Domini » (ibid.), Praxim

hanc revera Con. Carthagin. fere eodem tempore (anno 397) licitam enuntiavit: « Ut sacramenta altaris nonnisi a ieiunis hominibus celebrentur, excepto uno die anniversario quo Cena Domini celebratur » (can. 29).

3°. *Romae* quoque *duas Missas* celebratas esse nunc certo haberi potest ex Ordine Romano a *Chavasse* edito (1955. cf. Liter.) e saec. VII-o. Una fuit *hora sexta* (= hora 12.) ab « Apostolico » celebrata, altera Missa fuit *Coneae Domini versus vesperam* et celebrata est in « titulis », i.e. paroeciis romanis. Ordo enim hucusque ignotus memorat presbyteros « pergentes ad omnes titulos sibi adsignatos missam celebrare » (n. 21). In *Missa papali* fuerunt benedicta *olea,* haec Missa incipit cum « Oremus » offertorii, non habebat ergo Missam catechumenorum, loco eius habita est reconciliatio poenitentiam. In *Missis vespertinis « titulorum »* quoque defuit Missa catechumenorum. In Sacramentario primigenio Gregoriano et etiam in recensione eius *Hadriana unica* tantum Missa legitur (KI. Camber p. 11-12), quia hoc Sacramentarium liturgiam « papalem » continet, ibique revera unica fuit Missa. Redactio Gregoriani « *Paduana* » (i.e. in codice Pad. D. 47. descripta) *duas* notat Missas (« In Cena Domini. Ipsa die missa sero n, ed Mohlberg n. LXXI-LXXII.), quia non exclusive Curiae ritum refert. — In *Gelasiano primigenio* vero iam *tres* Missae habentur, una celebrata fuit pro reconciliatione poenitentium, secunda erat « Missa chrismatis », tertia autem « Missa ad vesperum » (Wilson p. 63-69, 69-72, 72-74). At inde a Sacramentario (Gregoriano) Hadriani I. i.e. exeunte saec. VIII., *unica Missa remansit in usu,* cum reconciliatione poenitentium. eadem simul fuit Missa chrismatis. Quia Missa catechumenorum defuit, *suppleta est per varia elementa:* Intr. e Fer. III. (« Nos autem gloriari oportet»), Oratio c Fer. VI. (« Deus a quo et Judas »), Evangelium ab eadem Fer. III. olim lectum mutuatum est (de pedilavio et traditione Judae), offertorium autem optime congruit reconciliationi poenitentium mox factae: « Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me, non moriar, sed vivam, et narrabo opera Domini n. — Missa haec ceterum memoria quoque est *institutionis* SS. *Eucharistiae,* etsi non multa in textibus liturgicis hoc produnt. In Missa refertur Coena dominica in Epistola (1 Cor 11, 20-32), quod etiam secreta facit; Deum rogans, ut « sacrificium nostrum reddat acceptum, qui discipulis suis in sui commemorationem hoc fieri hodierna traditione monstravit, Jesus Christus ». Idem memoratur a «Communicantes, Hanc igitur, Qui pridie» proprio, inde iam a Gregoriano recensionis Paduanae. — At etiam *proditio Judae* partes habet in liturgia: saepius memoratur in officio, oratio quoque Missae de eo loquitur. In Gelasiano sublimis praefatio celebrat bonitatem mitemque clementiam Salvatoris erga traditorem : « Pascit igitur mitis Deus barbarum Judam, et sustinet in mensam crudelem convivam, donec se suo laqueo perderet, qui de magistro sanguine cogitarat. O Dominum per omnia patientem! O Agnum inter suas epulas mitem! Adhuc cibum eius Judas in ore ferebat et ad lanianda membra eius ludaeos carnifices advocabat. Sed Filius tuus Dominus noster, tamquam pia hostia, et immolari se tibi pr nobis patienter permisit, et peccatum quod mundus commiserat relaxavit » (Wilson p. 73).

4°. Ritus romanus in Regno Carolingico paulatim assumpsit *alias quoque consuetudines* Fer. V-ae sacras e ritibus typi gallicani, quae dein Missae Fer. V unicae adhaeserunt. Ritus hi peculiares in ordine chronologico originis suae a nobis referuntur. (Cf. n. 4”. — 10°.).

a. lain saec. VI-o occurrit *lotio pedum* seu « Mandatum », sic denominatum a prima aut. « Mandatum novum do vobis », in *liturgia mozarahica* post Missam Fer. V.-ae: « Vadit episcopus cum presbyteris et diaconibus vel omni clero ad atrium et... succingit se episcopus linteo ...Qui vero pedes lavent, episcopus aut abba, extergit eos atque deosculatur. Similiter et cui pedes lavantur, caput lavaturis osculatur. Ad ultimum vero qui post priorem fuerit, prioris ipsius, qui aliorum pedes lavit, diligenter lavet. Et tunc omnes osculantur manus et pedes eius et ille omnium capita » (Liber. Ord. MEL V, coi. 192 s.). Opus quoddam caritatis proximi, exemplo Domini et S. Scripturae exhortatione commendatum (a ...vidua habeat in operibus bonis testimonium... si sanctorum pedes lavit » 1 Tim 5, 10), per monachos saepe frequentatum (Reg. S. Benedicti c. 35. et 53). sic ritus liturgicus proprius Coenae Domini evasit.

b. Ritus hic per totum medium aevum usque *ad nostra tempora permansit,* sed solum a praelatis et superioribus exercitus fuit iuxta praescriptum Caer Ep. (1. II. c. 24, 2) et Missalls Romani (Ruhr. spec.). Instauratio Hebdomadae Sanctae nunc permittit lotionem pedum *in qualibet ecclesia,* « ubi ratio pastoralis id suadeat » (Ruhr. spec. Fer. V. OHS η. 15). Mandati locus proprius est in Missa vespertina post Evangelium seu homiliam, haberi potest etiam extra Missarum sollemnia, ergo si placuerit etiam horis antemeridianis, sed tunc initio legendum est Evangelium Missae (ibici, n. 21).

5°. *Benedictio s. oleorum,* quibus Ecclesia in ministratione Sacramentorum uti consuevit, praecise in territorio liturgiarum *typi Gallicani* Fer. V. Coenae Domini celebrari coepit, a. Saec. VII-o iam in his regnis mos universalis fuit Fer V. Coenae Domini s. olea benedicere et chrisma conficere, ut testatur S. Eligius Noviomensis (t 656) et plures libri liturgici eiusdem aetatis. Praxis antiqua erat chrisma et oleum catechumenorum immediate ante baptismum consecrare, ut videri potest e Canonibus Hippolyti (can. 19). Cum vero inde a saec. IV-o coepit reservari ubique consecratio chrismatis episcopo, oleisque ad baptismum etiam in aliis ecclesiis opus erat, pronum fuit hanc benedictionem non Sabbato Sancto peragere, sed « ante Pascha ». Iuxta quandam narrationem Coptonim legendariam Theophilus Alexandrinus sibi reservans hanc benedictionem versus 390 coepit olea Fer. VI. Hebd. Sanctae consecrare (DAL VI, 2, 2789). Eodem tempore Concilium Toletanum (circa 398-400) decretum emisit: « ...placuit ex hac die nullum alium nisi episcopum chrisma conficere, et per dioeceses destinare, ita ut de singulis ecclesiis ad episcopum ante diem Paschae diaconi destinentur aut subdiaconi, ut confectum chrisma ab episcopo destinatum ad diem Paschae possit occurrere » (can. 20). Verisimile est inde a hoc Concilio chrisma in Hispania Fer. V. consecratum fuisse, Fer. VI. enim Occidentalibus aliturgica erat, etsi in Gallia ubi hoc decretum non vigebat, S. Caesarius Arelatensis (f 542) Sabbato Sancto olea benedixit. Opinamur post hoc tempus benedictionem oleorum ubique paulatim Fer. V. celebrari coepisse.

b. Haec benedictio per *concelebrationem presbyterorum* facta est: « Mos est romanac ecclesiae, ut in confectione immolationis Christi (= in celebratione Missae Fer. V.) assint presbyteri, et simul cum pontifice verbis et manibus conficiant. At quia in ipsa periocha (= ambitu, circumscriptione) concluditur consecratio huius olei, oportet, ut, simili modo sicut et cetera, cum pontifice presbyteri oleum conficiant », refert Amalarius (Lib. off. 1. I. c. 12, 26 ed. Hanssens II, 75). Aliis verbis dicitur: quia concelebratio presbyterorum saec. IX-o

Romae adhuc in usu erat, presbyteri qui in confectione Eucharistiae concelebrabant episcopo, etiam in benedictione oleorum hoc fecerunt.

c. Dum concelebratio eucharistica obsoleta est, remansit saltem vestigium concelebrationis in benedictione oleorum, qui utique nunc iam solummodo ad triplicem halationem in modum Crucis super chrisma et oleum catechumenorum concurrunt, salutatio liturgica oleorum horum minus recte potest dici concelebratio.

d. Instauratio liturgiae Hcbd. Sanctae restituit *Missam chrismatis* in cathedralibus ecclesiis, cum liturgia in Gelasiano descripta, ritus benedictionis oleorum immutatus manet.

6°. *Lotio altarium* saec. VII-o *in territoriis typi gallicani* in usu fuit, prius solum ut quaedam praeparatio ad festum Paschae; S. *Isidorus Hispalensis* sic refert de hac consuetudine: Fer. V. « altaria, templi parietes et pavimenta lavantur, vasaque purificantur, quae sunt Domino consecrata « (De eccl. officii I, 36 PL 83, 764). E simplici actu mundationis ritus factus est liturgicus, cuius *symbolismus* nobis iam paululum arcessitus quaesitusve sapit: « In plerisque locis lavantur altaria vino et aqua et ramis fricantur praesertim cum ramis de savina. Lavantur ergo aqua et vino, ad notandum, quod corpus Christi, quod est verum altare, sanguine et aqua in Cruce aspersum fuit... aqua significat lacrymas Mariae, vinum, unguentum, rami eius capillos. Et scias, quod quidam hac feria quinta, hora iam advesperascente denudant altaria et lavant, alii vero solum denudant, sed in parasceve lavant, quod magis congruit rationi » (Durandus, Rat. div. offic. VI. c. 76, 5 s.). In *Basilica S. Petri* hodieque lavatur altare papale Fer. V., Cardinalis archipresbyter cum sex canonicis ascendit altare, et cum armis hyssopi super mensam altaris effundit saptem phialas vini et aquae, recitando Ps. 21., spongiis et velamentis linteis dein detergitur altare (Bugnini-Braga p. 83).

7°. *Denudatio ritualis altarium,* a. Primitus denudatio *nondum fuit ritus peculiaris* Fer. V-ae, sicut videtur ex Appendice Ordinis I. (see. Andrieu Ordo XXVIII, n. 28): « A vespera huius dici nuda sint altaria usque ad mane sabbati ». Evidenter nondum habetur hic ritus quidam peculiaris, quia Triduo Sacro non legebantur Missae, ideo altaria sine tobaleis manserunt.

b. Sat cito accessit interpretatio *symbolico-allegorica* in regionibus *extra Urbem,* ut legi potest penes *Amalarium*: «Nuda sint altaria, quod aliud non significat, nisi fugam apostolorum... altare Christum significat... vestimenta altarium Christi Sancti sunt, de quibus dictum est: Et relicto eo, omnes fugerunt» (Lib. offic. I. 12, 53 Hanssens II, 89-90).

e. *Durandus* alias quoque explicationes allegoricas adiunxit mox dictae: « Secundo, denudatio altarium designat, quod Christus fuit nudatus in Cruce... Tertio significat Christum divinitatis gloria nudatum... Quarto designat, quod velum templi scissum est et liber, qui signatus erat, apertus est » (1. VI. c. 76, 2-4).

8°. Saec. IX-o coeperunt *presbyteri in Missa Fer. V. s. communionem sumere* una cum fidelibus.

a. Mos nativus erat *concelebratio* presbyterorum cum episcopo in ritu romano puro, quod valde probabile redditur iam per Ordines Romanos, hi enim dc communione fidelium loquentes nil dicunt de communione sacerdotum, quia

concelebratio supponitur, quae Amalarii testimonio fere certa redditur (cf. superius 5°. b.).

b. In territoriis liturgiarum *typi gallicani* concelebratio iam saec. VIII-o *obsolevit,* ideo praecise documenta his in regionibus compositis praebent prima vestigia communionis sacerdotum in Fer. V., sic Ordo Rom. XXX. B. (see. Andrieu n. 24., III, 470), a clerico francico saec. VIII-o exeunte compositu et Ordo XXXI. (see. Andrieu n. 28., III, 495) saec. IX. in regionibus septentrionalibus concinnatus: « Communicat cunctus clerus seu et populi ». Sicque mansit in plerisque ecclesiis, concelebratione ubique obsoleta.

c. At non ubique sumpta est s. communio a sacerdotibus, multis in locis enim sacerdotes Fer. V. *Missas privatas legerunt,* individualismus ergo nimius aevo gothico proprius superavit collectivismum Romanum. Sic Ordini Minorum in capitulo generali Pisano 1263 facultas data fuit: « Communicant et sacerdotes, qui voluerint, et non decreverunt celebrare » (Archiv. Francise, hist. 1911, 72), sic fuit etiam penes Gilbertinos, in monasterio S. Germani Pratensis (S. Germain de Pres), Corbiae, Monteserrati (Bugnini-Braga p. 77).

d. *Sensus communionis sacerdotum* est imitatio quam perfectissima Coenae novissimae, ubi Dominus celebrans communionis dape pascebat Apostolos, quod nec concelebratio, nec a fortiori Missae privatae tam concinne exprimere possunt. Annis elapsis disputatum fuit circa Fer. V-am, num instauratio concelebrationis, vel concessio celebrationis privatae melior foret, plurimis autem procul dubio gaudio fuit resolutio sapiens Sanctae Sedis communionem sacerdotum Coenae Domini per usum mille fere saeculorum sancitam retinendam esse.

9°. *Sollemnis repositio* SS. *Sacramenti,* a. Repositio simplex Sanctissimi Sacramenti Fer. V. necessaria erat ob indolem aliturgicam Fer. VI-ae, in qua tamen s. communio fidelibus distribui solebat. At repositio haec *sine ulla sollemnitate* facta est, quod Ordines Romani clare demonstrant, dicentes « sanctum sacrificium », seu « Sancta » reservanda esse in VI. Feriam seu « in crastinum, unde possit populus communicari » (cf. Ord. Rom. XXIII, S XXIX. 25, XXX. B, 24, XXXI, 28 = Andrieu III, 270. 441. 470. 495 e saec. VIII-IX.), quomodo autem hoc factum est, prodit rubrica sequens: « Statim illud quod remanet super altare cooperietur a duobus diaconibus utrumque sindone munda et de illa alia iuxta altare facit confractionem et post confractionem redeant ad sacerdotem... ipsa vero oblata, quae super altare cooperta remanserant, serventur in crastinum iuxta consuetudinem » (Ordo XXIX).

b. *Peculiaris ritus* repositionis sollemnis saec. XI-o solum ortus esse videtur, testis primus hucusque cognitus est *Joannes Abrincensis* (d'Avranches) archiepiscopus Rotomagensis (t 1079), referens repositionem factam cum ministris ad altare quoddam, ubi continuo ardent luminaria usque ad exstinctionem ultimae candelae in Matutino tenebrarum Fer. VI-ae (Dc eccl. off. 27. PL 147, 50).

c. Haec repositio ansam praebuit altare hoc repositionis « *sepulchrum* » *Christi* nominandi, quae appellatio magis congruit spiritualitati serioris medii aevi, etiam basilicam a Resurrectione denominatam « ecclesiam Sancti Scpulchri » clamantis; nunc autem iure recentioribus liturgistis minus placet. Vetita tamen non est, S. Congr. Rit. enim declaravit « in altari, in quo Fer. V. et VI. Maioris Ilcbd. publicae adorationi exponitur et asservatur SS. Eucharistiae Sacramentum », repraesentari *cum sepulturam Domini, tum institutionem eiusdem augustissimi Sacramenti* (d 3939, 1). Dicendum est Fer. V-am magis insti-

tutionem Eucharistiae celebrare, quod commendari videtur etiam per adorationem recens praescriptam post Missam vespertinam Fer. V., quae « saltem ad mediam noctem protrahenda est ».

10n. *Matutinum Tridui Sacri* hucusque saepe vocatum « Tenebrarum », a. excellit *archaica sua indole.* Desunt formulae exordii (« Domine labia mea aperies ». « Deus in adiutorium »), hymni, non dicitur « Gloria Patri », benedictiones lectionum omittuntur, « Te Deum » non dicitur. Electio quoque lectionum pro tribus nocturnis est archaica, pro I. noct. e Veteri Testamento, pro II. noct. e sermonibus Patrum, pro III. noct. ex epistolis S. Pauli (cf. Reg. S. Benedicti c. 9). Forma officii respondet illi quae ante S. Gregorium Magnum (t 604) in usu erat, pronum fuit hanc differentiam omissionesque ut signa tristitiae ob passionem Salvatoris interpretari, vel ut dicit Durandus: « His diebus fit officium humilius solito, propter Domini humiliationem et triduanam eius sepulturam, quam celebramus » (1. VI. c. 72, 7). Ut ratio congruentiae etiam hodie acceptari potest haec interpretatio.

b. Characteristicum est pro Matutino Tridui Sacri *usus trianguli* seu candelabri triangularis, in quo quindecim cerei cerae communis i.e. non purificatae collocati sunt. Usus hic alienus erat ab ecclesia Romana, quod comperit Amalarius, quando 832 Romae versatus est: « Mos ecclesiae nostrae obtinet per tres noctes... ut extinguantur luminaria ecclesiae in nocte... », de more ecclesiae Romanae vero dicit: « Nihil autem ibi in eadem nocte observatur de extinctione luminum » (De ord. antiph. 44, 1. 2 Hanssens III, 79 s.). Eodem loco etiam sensum huius ritus symbolic! pandit, dicens: « Per praesentem e.xtinctionem designatur extinctio laetititae, quae recolitur facta esse in sordibus discipulorum Christi, quamdiu Christus iacuit in sepulchro, sive illa extinctio laetitiae quae facta est in cordibus apostolorum post traditionem Domini » (ibid. n. 4).

c. *Numerus cereorum accensorum* diversus erat; in Gallia tempore Amalarii accensae sunt 24 candelae, per tres dies ergo 72, quod significat totidem horas quibus Christus in sepulchro iacuit (Lib. off. IV. c. 22, 1 Hanssens II, 472). In aliis ecclesiis accendebantur 15, 14, 12, 9, 7 cerei, usus exstinguendi etiam candelas altaris item iam saec. XIII. notus erat. *Exstinctio luminum* fit nunc iuxta Caer. Ep. sequenti modo: In fine cuiuslibet Psalmi Nocturnorum (3 + 3 + 3) et Laudum (5) exstinguitur unus cereus, incipiendo in ima extremitate trianguli a latere Evangclii, successive ab alio latere alternatim, ita ut cereus 15. in summitate trianguli remaneat. Dum ℟ Benedictus » canitur, a versu ▮ Ut sine timore » ad quemlibet versum exstinguntur eodem modo ac supra sex cerei altaris. Nunc iam *non absconditur* retro altare cereus in summitate trianguli positus (Officium Hebdomadae Sanctae cum cantu, ed. typica 1959).

d. Cantus *Ps. Miserere* c devotione populari intravit in Matutinos et etiam horas, decursu saec. XTI-i, iacentes in terra hunc Psalmum in silentio recitabant. Aevo illo, quo turgida illa artis ratio (piae Baroca audit invaluit, coeptum est Ps. « Miserere » magna cum pompa cani, optimi magistri musicae artis peritissimi modos fecere cantui polyphonico « Miserere ». ut Palestrina. Relatus tamen talium carminum minus congruebat asperae sobrietati Tridui Sacri, ideo cantus Ps. 50. tum e recitatione privata, tum chorali ab instauratione OHS eliminatus est.

e. Finita oratione « Respice » nunc iam *non* fit « *fragor et strepitus* aliquantulum » (Ruhr, olim Brev. Rom.), qui na ive nil aliud fuit quam signum praesidis chori ad officium finiendum, medioque aevo coepit significationem sym-

bolicam accipere (ex tumultu cohortis vel terraemotus). Iuxta editionem typicam abhinc strepitus omittendus est (01 IS cum cantu 1959).

c) Descriptio ritus instaurati Fer. V.

Tres sunt ritus huius festivitatis: Γ. Missa chrismatis — 2°. Missa solemnis vespertina — 3°. cum Mandato — demum 4°. Sollemnis translatio ac repositio Sacramenti et altarium denudatio.

1°. *Missa chrismatis* vocatur Missa nova instaurata in qua peraguntur benedictio olei catechumenorum et infirmorum et s. chrisma conficitur intra Missam iuxta Pontificale Romanum. Haec Missa celebratur post Tertiam, (n. 2. OHS Ruhr, spec.), *more festivo,* pulsantur organa, altare festivo modo parandum est, color paramentorum est albus, partes quae a schola canuntur, more solito a celebrante quoque recitantur, dicitur enim solummodo ea omittenda esse ab eo, ת quae diaconus, subdiaconus aut lector vi proprii officii cantant vel legunt » (Instr, n. 6. sic see. Novum Cod. Rubric. 513. f). — b. Notanda est *praefatio Gelasiani* (p. 69) chrismatis sacri laudem celebrans, haec pulchra praefatio tunc solum praefationi consecrationis chrismatis in Pontificali adiuncta fuit, quando Missa chrismatis desiit celebrari, ideo nunc versus finem praefationis consecrationis chrismatis omittenda et *expungenda est e* textu Pontificalis, ne bis dicatur (n. 13). — *c.* ת *Communicantes, Hanc igitur et Qui pridie* » dicuntur *modo ordinario,* haec Missa enim non est sollemnis commemoratio Coenae novissimae, quae fit in Missa vespertina (n. 12). — d. In hac Missa *non licet* distribuere 5. *communionem* (n. 14). Pontifex in hac Missa faciat purificationem more solito, etiamsi Missam sollemnem vespertinam litaturus sit (n. 15), ergo etiam vino se purificat, calicemque vino et aqua. — e. *In fine* Missae benedictio (pontificalis) datur more solito, sed ultimum Evangelium omittitur (n. 18).

2°. *Missa sollemnis vespertina in Coena Domini,* a. *Praeparatio s. communionis* cum hostiis in hac Missa consecratis. Iuxta MDei (n. 119) « ii dilaudandi sunt, qui, Sacro adstantes, hostias *in eodem* Sacrificio consecratas accipiunt. ita quidem ut reapse contingat, ut quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum Filii tui corpus et sanguinem sumpserimus, omni benedictione caelesti et gratia repleamur ת. Mater Ecclesia semel in anno hoc votum suum *obligatorium* esse enuntiat: « *Tabernaculum,* quod exstat in altari maiore, *omnino vacuum sit,* pro communicando vero clero et populo hodie et crastino dic, ponatur super altare pyxis (vel pyxides) cum particulis in hac ipsa Missa consecrandis ת (Ruhr. spec. η. 1.). Celebrans ergo iam *non* consecrat *duas hostias* sicut usque 1956., quia Fer. VI. Passionis et Mortis Domini etiam ipse cum hostia parva communicabit. Ubi vero iuxta ritum particularem immemorabilem Sanctissimum Fer. VI. exponenda erit, duae hostiae maiores consecrantur. — b. « Si Missa in cantu celebratur, *fiunt incensationes* uti moris est in Missa sollemni » (RS 1957. II. 3. 10), ergo ante *Kyrie* ct ad *offertorium.* Incensatio haec iam praescripta esse videtur, textus iam non est directivus sicut in OHS 1956. n. 2. Ad *elevationem* fit incensatio SS. Sacramenti ut in Missa sollemni moris est; si Missa absque sacris ministris celebratur, incensant acolythi seu ministrantes (OHS Fer. V. n. 27). — c. *Vestitus choralis cleri:* Maxime *convenit,* ut clerus in forma assistentiac choralis Missae sollemni vespertinae intersit (n. 3), unusquisque clericus suis choralibus vestimentis indui-

tur, sacerdotes insuper accipiunt stolam (n. 4), ergo non tantum ad communionem, ut antea, sed statim ab initio, sicque quodammodo « sacerdotaliter » adsunt Missae Coenae Domini. — d. Quod permittitur in omnibus Missis sollemnibus, nunc *praescribitur* pro hac Missa universim: «Omnibus sic paratis, incipit *processio per ecclesiam* ad altare, et interim cantatur a schola antiphona ad introitum ℟ (n. 5), non ergo a sacristia ad altare, sed per viam longiorem per ecclesiam proceditur ad altare. — e. Ad « *Gloria in excelsis* » pulsantur campanae et organum (n. 7), sed non uniformiter in pluribus ecclesiis, quod sollum Sabbato Sancto praescribitur. — f. *Post Evangelium* valde convenit, ut « habeatur *brevis homilia* ad illustranda mysteria potissima, quae hac Missa recoluntur, institutio sc. s. Eucharistiae et ordinis sacerdotalis necnon et mandatum Domini de caritate fraterna » (n. 13). *Credo,* etsi duplex sit I. cl., hodie iuxta morem antiquum tamen *non* dicitur (n. 14).

3°. Dein interponitur *Mandatum* seu lotio pedum, ubi ratio pastoralis id suadeat (n. 15). Apposite Bugnini-Braga: « Lotio pedum non amplius maneat formalistica et nuda caeremonia, sed alte loquatur plebi sanctae Dei de mutua caritate habenda, de amore fraternitatis exercendo, sit ergo *vere ritus sacer,* qui in veritate et caritate non ficta animos urgeat ardenter ad amorem proximi veluti necessaria praeparatio ad Dei intimam dilectionem, in communione eucharistica manifestatam » (p. 89).

a. In *medio presbyterii* seu sanctuarii vel in *ipsa aula ecclesiae,* parata sint sedilia hinc inde pro duodecim viris, quorum lavantur pedes; quae occurrunt (pelvis, cantharus cum aqua, manutergium, liber Evangeliorum extra Missam, bacile et ampulla aquae ad lavandas manus celebrantis, linteum ad praecingendum) parentur in mensula quadam ibi apposita (n. 16).

b. Diaconus et subdiaconus (seu duo maiores e ministrantibus) inducunt duodecim viros selectos, binos et binos, ad locum paratum, schola vel ipse clerus assistens incipit decantare antiphonas, psalmos et versus infrascriptos. (n.]7). Duodecim viri interim facta reverentia altari et celebranti, in presbyterio sedenti, disponuntur per sedilia, tunc ministri seu ministrantes, adibunt celebrantem. Omnes deponunt manipulum, celebrans vero etiam planetam (n. 17).

c. *Textus liturgici* omnino iidem sunt ac in Miss. Romano, excepta omissione antiphonae 8. (« Benedicta sit s. Trinitas »). Ex antiphonis cantantur vel recitantur tot quot necessariae sunt, ant. ultima « *Ubi caritas et amor, Deus ibi est* » quasi culmen est cantus liturgici, textus eius perpulcher saec. IX-o in regione civitatis Veronae compositus aptissime exprimit spiritum caritatis fraternae inter christianos. *Numquam potest omitti,* incipitur vero omissis, si opus est, praecedentibus, lotione pedum ad finem vergente (n. 18, 8).

d. *Ipsa lotio pedum* sic fit: Celebrans praecingit se linteo et per ordinem dispositis iis, qui lavandi sunt, acolythis pelvim et aquam ministrantibus, subdiacono pedem dextrum tenente, *genuflectens singulis,* illorum pedem lavat et extergit, diacono praebente linteum ad abstergendum, (n. 19). Abhinc ergo *omittenda est osculatio pedis* a Rubricis Missalis praescripta, quippe quae iam minus congruit temporibus nostris.

e. *Ritus completivus* est: *lotio manuum* celebrantis, nihil dicendo, reassumptio manipuli ab omnibus, celebrans etiam planetam assumit, dein redeunt omnes ante *medium altaris,* ubi celebrans dicit *versiculos* praescriptos et *orationem* n. 20). ad altare conversus, haec est enim regula generalis, nisi aliter ordinetur ut patet, *manibus iunctis,* etiam orationem, sicut in omnibus Sacra-

mentalibus. Oratione finita, *duodecim viri* facta reverentia altari et celebranti, eunt si sint *clerici,* in presbyterium, ut « commode ritibus assistant et primi Sacrificio participent: cum fiat coram tota christiana plebe, hoc de visu praedicat mutuam dilectionem in corde sincero » (Bugnini-Braga p. 92 nota 22).

f. Deinde prosequuntur *Missam,* in Canone dicuntur huic diei peculiares orationes (« Communicantes, Hanc igitur, Qui pridie »); innovatio notetur in « *Agnus Dein,* quia hodie etiam tertio «miserere nobis» respondendum est quod consequenter fit, Pax enim hodie omittitur, ne ritus nimie protrahatur; etiam oratio pacis (« Domine Jesu Christe, qui dixisti ») omittenda est. Si episcopus distribuerit s. communionem, fideles ante communionem *non osculantur eius annulum,* quod hodie *prohibetur,* secus prudenti indicio episcopi relinquitur (Rit. pont. 21. CRit d 4395). « Si vero multitudo fidelium ad s. mensam accedentium magna sit, alii quoque sacerdotes, *vel* una cum celebrante ad cancellos, *vel* alio loco apto, communionem distribuere possunt, cauto tamen, ut bono ordini et devotioni fidelium sedulo provideatur » (n. 29).

g. *Praecedentia s. communionis* tali modo ordinatur: « Praecedunt ministri sacri, post eos clerici per ordinem, deinde ministrantes », hi omnes bini et bini, vel quaterni et quaterni accedunt, facta genuflexione — ut patet unico genu — ascendunt gradus altaris et in suppedaneo genuflexi reverenter accipiunt corpus Domini, fideles autem ad cancellos accipiunt Sacramentum (n. 29).

h. Abhinc celebrans *genuflectere debet,* si accedit, vel recedit, vel transit in medio altaris, ante Sanctissimum, ad « Dominus vobiscum » ad populum se vertit a latere Evangelii, ne terga vertat Sacramento (n. 33). Loco « Ite missa est » hodie dicitur « *Benedicamus Domino* » iuxta ritum antiquum instauratum, quo fideles per hanc invocationem ad ulterius in ecclesia manendum moniti sunt, nunc vero invitantur ad manendum, ut participare queant sollemni translationi SS. Eucharistiae, (n. 35).

j. *Benedictio et ultimum Evangelium S. Joannis* hodie *omittuntur,* benedictio quia ad dimissionem pertinet fidelium; ultimum Evangelium autem Dom. II. Passionis et Triduo Sacro omittitur (n. 36 et NCR 507. a, 510).

k. Ministri sacri una cum celebrante deponunt manipulum, celebrans etiam planetam et accipit pluviale albi coloris.

4°. Sollemnis *translatio ac repositio Sacramenti et altarium denudatio.* Translatio necessaria est ad reponendas particulas ad s. communionem Fer. VI. necessarias, simul autem sollemnis instituitur processio in gloriam SS. Sacramenti hodierna nocte a Domino generi humano dono concessi. — a. Celebrans, stans ante altare, *imponit incensum* in duobus thuribulis, absque benedictione, et in medio genuflexus, incensat ter Sacramentum. Tunc assumit velum albi coloris, ascendit in suppedaneum et in medio facta genuflexione, *stans accipit pyxidem* (seu ciborium) quem diaconus ei porrigit, et extremitatibus veli (adhuc stanti) cooperit. *Intortitia* adhiberi debent, praecedit alius subdiaconus (vel ministrans) cum Cruce, iuxta generales rubricas velata, celebrans procedit sub baldachino, duobus acolythis (vel ministrantibus) continuo incensantibus Sacramentum, ministri sacri (vel ministrantes) a dextris et a sinistris celebrantis procedentes cum comitantur. — b. Intra processionem canitur hymnus « *Pange lingua* » usque ad verba « Tantum ergo » *exclusive,* si opus sit, hymnus repetitur (n. 3). — c. Cum ventum fuerit ad *altare paratum,* celebrans, adiuvante, si opus sit, diacono, deponit pyxidem super altare, genuflectit, et *incensat,* thure iterum imposito, interim canitur « Tantum ergo ». Deinde diaconus, secus

ipse celebrans, *reponit* pyxidem in tabernaculo (η. 4). — d. Postea omnes, per aliquod temporis spatium, *in silentio* Sacramentum adorant. Signo dato, surgitur, iterum genibus flexis adorant, i.e. faciunt prostrationem, et revertuntur in sacristiam (n. 5). — e. Si *plures pyxides* transferendae sint, idem celebrans, vel alius sacerdos aut diaconus, indutus superpclliceo, stola alba et velo albo eas transfert *forma simplici:* sc. duobus acolythis comitantibus vel ministrantibus, cum cereis accensis (n. 6). — f. In sacristia celebrans et ministri sacri deponunt paramenta coloris albi, et assumunt stolam violaceam. — (1) Facta reverentia altari maiori, ante cum stantes incipiunt *denudationem altarium* celebrante intonante ant. « Dividunt sibi vestimenta mea et dc veste mea mittunt sortem », initium Ps 21. « Deus, Deus meus, quare me dereliquisti? ». Clerici, si adsunt, prosequuntur recitationem usque dum altarium denudatio peracta est, aliquin ipse celebrans Psalmum recitare tenetur. Incipiendo in *altari maiore, removentur* tobaleae a ministris seu ministrantibus, qui amovent etiam ab altari vasa florum, pallium, tapete etc., adeo ut in altari non remaneant nisi Crux et candelabra cum candelis exstinctis. Si tamen haec statim commode fieri nequeunt, fient postea, denudata saltem in caerimonia, maiore parte altaris. (RSimpl. c. III, 22). — (2) Celebrans, denudato altari maiore, procedat ad denudationem reliquorum altarium, excepto altari repositionis (RSimpl. 23), incipiendo ab altari laterali proximiore in latere Evangelii, dein cetera per ordinem, usque dum finiatur cum altari proximiore altari maiori a latere Epistolae. Ante altare maius repetitur ant. « Dividunt sibi », et revertuntur in sacristiam. Cruci altaris maioris iterum velum violaceum applicatur. — g. In choro mox dicitur *Completorium.* candelis exstinctis et absque cantu. — h. Postea ad locum repositionis SS. Eucharistiae fit *publica adoratio Sanctissimi:* cf. supra 4. b. 5°. a. (3).

5 . Appendix de consecratione chrismatis et benedictione s. oleorum, a. *Praeparanda.* (1) *In sacristia:* Tres ampullae mundissimo oleo olivarum plenae, chrismatis velo serico albo, aliae velo alterius coloris coopertae — duo vela ad portandas ampullas — vasculum cum balsamo. — (2) *Personae:* Extra assistendam Missae pontificalis: duo ceroferarii — thurifer — septem subdiaconi — septem diaconi — duodecim presbyteri. — (3) In *presbyterio:* Ab opposito altaris iuxta gradus circa finem presbyterii mensa mappis ornata inter sedem (consueta aliam) pro episcopo et altare. Pro 12 presbyteris parentur scamna hinc inde a sede dicta, ita ut ibidem sedentes facies vertant ad altare.

b. *Missa chrismatis* (de qua iam supra 1°. dictum est). Proceditur ad altare sequenti ordine: thuriferarius, duo ceroferarii, post hos 7 subdiaconi, bini et bini, tertio loco tres simul vadunt, dein 7 diaconi, simili modo procedentes, post hos 12 sacerdotes, demum assistentia pontificalis. Duodecim presbyteri suo ordine iuxta sedilia in fine presbyterii collocata se sistunt, post cos stant septem diaconi, post hos autem septem subdiaconi. Ordine fit Missa pontificalis, cum vero perventum est in Canone ad verba « Per (piem haec omnia » exclusive, sequitur:

c. *Benedictio olei infirmorum.* (1) *Pontifex* reverentiam exhibens SS. Sacramento, in cornu Epistolae digitos lavat super calicem vacuum in purificatione consumendum, digitos extergit, et se recipit cum mitra et baculo ad sedem iuxta dictam mensam et facie versa ad altare *ibi sedet. Archidiaconus* cantat: ▮ Oleoum infirmorum », ad quae verba unus e septem *subdiaconis* cum duobus ceroferariis hinc inde vadit in sacristiam et revertitur secumferens ampullam

olei ad oleum infirmorum, quam sinistro brachio circumdatam portat. — (2) Ampullam *porrigit archidiacono,* qui eam pontifici ostendit, dein collocat in mensa. *Pontifex* surgens cum mitra stat et *exorcizat* oleum (« Exorcizo te immunde spiritus »). — (3) Deinde deposita mitra dicit *orationem* benedictionis super oleum, quae fere verbotenus identica est cum oratione in Paradosi Apostolike S. Hippolyti. Preces effunduntur in hac oratione, ut oleum sit in « tutamen mentis et corporis ad evacuandos omnes dolores et infirmitates, ornnemque aegritudinem, mentis et corporis ». — (4) Oleum sic benedictum *reportatur* in sacrarium eo modo (pio apportatus fuit. *Pontifex* reassumpta mitra lavat manus et prosequitur Missam usque dum fecerit purificationem. Postea sequitur:

d. *Benedictio chrismatis.* Pontifex iterum sc recipit ad mensam una cum suis ministris et in sede praedicta mitratus sedet. — (1) *Archidiaconus* cantat: t Oleum ad sanctum chrisma », dein: « *Oleum catechumenorum* ». dein imponitur a pontifice incensum in thuribulo. — (2) Presbyteri, diaconi, subdiaconi eodem ordine, (pio in ecclesiam venerunt, pergunt ad sacristiam et *processionaliter portant olea* hoc ordine: thurifer, subdiaconus Crucem ferens, medius inter duos ceroferarios cum candelabris accensis, duo cantores hymnum cantantes « *Audi index mortuorum* » (saec. X-i) cum versu intercalari a schola cantato « *O Redemptor sume carmen* », dein subdiaconi, item diaconi, post eos unus subdiaconus portans vasculum cum balsamo, dein duo diaconi ampullas oleorum portantes pro chrisma (a dexteris) et pro oleo catechumenorum manibus velatis velamenti serico e collo dependente, ita tamen, ut ampulla videri possit, postremo 12 sacerdotes. — (3) Crux cum candelabris et incenso ponitur iuxta cornu Epistolae, archidiaconus, diaconus et subdiaconus ministri sacri sint circa pontificem hinc inde, 12 *sacerdotes* iuxta eos, *duo cornua facientes,* sex hinc sex illinc, vertentes faciem ad altare, a lateribus assistunt enim pontifici, « tamquam eius testes et ministerii sacri chrismatis cooperatores ». *Diaconi* stant post terga pontificis, post eos vero *subdiaconi,* « tamquam ministri et inspectores ». — (4) Omnibus ita dispositis, *diaconus* ampullam olei ad chrisma porrigit *archidiacono,* qui eam pontifici ostendit et super mensam ante episcopum collocat. *Alius diaconus* interim oleum pro oleo catechumenorum assidue inter brachia tenet. — (5) Tunc *subdiaconus* vasculum *balsami* portans tradit supradicto modo archidiacono, qui vasculum quoque ostendens pontifici, ipsum super mensam *collocat.* — (6) *Pontifex* mitra deposita surgit et benedicit *balsamum duabus orationibus* (° Deus mysteriorum caelestium » et « Creaturarum omnium Domine procreator »). — (7) Deinde accepta mitra, adhuc stans super patenam vel quodam parvo vasculo balsamum cum modico olet de ampullo chrismali desumpto *miscet,* dicens *tertiam orationem* (« Oremus Dominum Deum nostrum omnipotentem ». — (8) Pontifex dein retenta mitra sedens *ter halat* in modum Crucis super os ampullae chrismatis, post cum *12 sacerdotes* singuli, reverentiam exhibentes altari et pontifici. — (9) Deinde pontifex surgit et stans cum mitra legendo dicit *exorcismum chrismatis* Ça Exorcizo te creatura olei »). ut omnis virtus adversarii ab eo oleo eradicetur. — (10) Hic exorcismus dein transit *in praefationem consecratoriam* chrismatis celebrem iam in Gelasiano primigenio descriptam, quam deposita mitra, extensis manibus cantat. Praefatio haec incipit cum laude olivae, cuius fructus sacro chrismati deservit; dein memoratur columba post diluvium ramum olivae portans; commemoratur typus diluvii: Baptismus «aquis omnium criminum commissa» delens; memorantur Moyses et Aaron in sacerdotum consecratione oleo utentes. Sed oleo

adhuc maior honor accessit: Jesus in Jordane undis lavari voluit subsequensque vox Patrix ostendit, quod Eum « oleo laetitiae prae consortibus suis » unxit. Orat ergo Deum, ut per eundem Dominum nostrum huic creaturae olei admisceatur virtus Spiritus Sancti, coopérante Christo, « a cuius nomine sancto chrisma nomen accepit ». E fine praefationis huius *expungenda sunt* dicta a verbis « ut spiritualis lavacri baptismo » usque « numeris induantur » inclusive (OHS Ruhr. spec. Missae chrismatis η. 13). — (11) Finita praefatione pontifex balsamum commiscet chrismati, dein capite inclinato ter semper altius cantando salutat s. chrisma dicens: « Ave sanctum chrisma » quod tertio dictus labium ampullae osculatur. Quo facto sedet pontifex et accipit mitram. — (12) Tunc singuli sacerdotes successive ter in varia distantia genuflectunt coram ampullam chrismatis eandem salutationem dicta gradatione liturgica proferentes labiumque ampullae reverenter osculantes. Post salutationem presbyterorum ampulla chrismatis collocatur in uno latere mensae.

e. *Benedictio olei catechumenorum.* (1) Modo supradicto ostenditur et *collocatur* in mensa oleum ad conficiendum oleum catechumenorum destinatum. — (2) Stiper quam ampullam statim cum ipse pontifex sedens, quum 12 presbyteri *ter halant* modo quo supra. — (3) Dein pontifex surgens cum mitra legit exorcismum olei (« Exorcizo te creatura olei »), — (4) Mitra deposita stans benedicit oleum (« Deus incrementorum omnium ») unica *oratione,* ut per huius olei unctionem venturi « ad beatae regenerationis lavacrum » accipere queant « purgationem mentis et coqioris » et sic tandem « nulla insidiantibus malis latendi licentia relinquatur », sed eis sit « unctionis huius praeparatio utilis ad salutem » quam in Baptismate adepturi sunt. — (5) Tunc pontifex et successive 12 sacerdotes dicto modo *salutant* s. oleum dicentes ter: « Ave sanctum oleum ». — (6) Demum eodem ordine cantum dicti hymni « Audi index mortuorum » prosequentes *reportantur sacra olea* in sacristiam, pontifex interdum sedens lavat manus (cum mitra), dein complet Missarum sollemnia.

b) Dc legibus cultualibus Fer. V. in Coena Domini.

1°. *Missae privatae* vetitae sunt, ut toto Triduo Sacro iuxta: « sacerdotes ea die a sacro litando abstinent » (can. 862), nec canonici possunt privatim celebrare, sed debent de manu episcopi vel alterius celebrantis s. communionem sumere (CRit d 970, 1; 2079, 16; 2240; 2489; 2769, 1).

2°. *Plures Missae* quoque celebrari possunt iuxta legem OD 1. febr. 1957: a. « Ubi ratio pastoralis id postulet, loci ordinarius praeter Missam principalem in Coena Domini, unam vel etiam alteram Missam lectam permittere poterit in singulis ecclesiis vel oratoriis publicis, in oratoriis autem semipublicis unam tantum », ergo e licentia ordinarii tres, resp. duae Missae possunt celebrari. Sed *conditio* est Missa principalis sollemniter celebrata i.e. cum ministris sacris, ut e sequentibus statim palet. — b. « Si autem quacunque de causa Missa principalis in Coena Domini in ritu quidem *simplici* celebrari possit, ordinarius loci, ratione pastorali binas Missas lectas permittere poterit, in ecclesiis vel oratoriis publicis litandas, unam vero tantum in oratoriis semipublicis » (OD 1957. η. III, 9). Ergo ubi simplici ritu celebratur Fer. V. Missa principalis, duae, resp. (in oratoriis semipublicis) una tantum Missa litari potest.

3 *Binationis lex Fer. V-ae est:* « Sacerdotibus, qui curam duarum vel plurium habeant paroeciarum, ordinarius loci permittere potest binationem Missae

in Coena Domini » (OD 1957. η. III, 13). Huic praescripto addendum est binationis facultas *ordinariis* locorum data: « Locorum Ordinarii, qui Fer. V. in Coena Domini, Missam chrismatis mane celebraverint, possunt vespere quoque Missam sollemnem in Coena Domini litare » (OHS 1956. Instr, n. 21), etsi seipsnm et calicem more solito (i.e. eum vino et aqua) purificaverint (Ruhr, spec. Fer. V. Missa chrism, η. 15).

4°. *Tempus seu hora praefixa* celebrationis Fer. V-ae. a. Missa chrismatis celebranda est mane post Tertiam (OHS 1956. Decr. n. 7). — b. *Missa vespertina in Coena Domini* « litanda est vespere, hora magis opportuna, non autem ante horam quartam post meridiem, nec post horam nonam » (ergo incipi potest hora 16 usque ad horam 21.), ut e lege (OD 1957. η. III, 8) videri potest, ipsi curatores possunt tempus celebrationis intra hos limites determinare, quod utique non derogat iuri Ordinarii statutum quoddam edendi circa horam celebrationis intra praedictos limites. — c. *Missae lectae* « intra idem temporis spatium celebrari debent, quod supra pro Missa in Coena Domini assignatum est. Valde convenit, ut in Missis quoque lectis supra recensitis celebrans post Evangelium fideles breviter *alloquatur* de potissimis huius diei mysteriis » (OD 1957. η. III, 9, ct 10).

5°. *De s. communione die Fer. V. Coenae Domini,* a. S. Communio sumenda *a sacerdotibus:* hoc die « expedit, ut omnes clerici, etiam sacerdotes... SS. corpore Christi in Missa sollemni seu conventual! reficiantur » (can. 862). — b. *Fidelibus* hoc die s. communionem « distribuere tantum licet in Missa principali in Coena Domini et in omnibus aliis Missis lectis, quas Ordinarius loci permiserit, vel continuo ac statim ab iis expictis » (OD 1957. η. III. 11). — *Ratio est,* « ut omnes fideles hoc sacro die Missae sacrificio intéressé et corpus Christi sumere possint. Hae autem Missae inter easdem dici horas permittuntur, quae pro Missa sollemni in Coena Domini assignatae sunt » (OHS 1956. Instr, n. 17), ideoque nunc iam s. communio *horis matutinis* usque ad horam « quartam » (= hora 16.) fidelibus sanis omnino exclusa est, ut saltem unico die in anno, die festo institutionis Eucharistiae Sacrificii-Sacramenti corpus Christi in Missae sacrificio sumere debeant. Ut memoriae commendetur Coena novissima, etiam in Missa chrismatis mane celebranda « sacram communionem distribuere *non licet* » (Ruhr. spec. Missae chrism, η. 14). Fideles itaque bene instruendi ct suaviter inducendi sunt ut assuescant et acquiescant his decretis ipsis insuetis ct tamen adeo salutaribus. — c. Aliter agit Mater Ecclesia cum *infirmis,* enimvero « infirmis sacra communio hoc die deferri licet horis *ante et postmeridianis* » sic iuxta novas ordinationes et declarationes (OD 1957. η. III. 12), quod hactenus non fuit tam certum, infirmi enim intelligendi sunt indiscriminatim, nullo verbo enim indicatur periculum mortis: curatores ergo possunt hoc die, quando functiones horis tantum post-meridianis incipiunt, aegrotis paroeciarum suarum diem s. communioni dicatum constituere.

6°. *Locus repositionis* SS. Sacramenti debet esse talis, cui « commendatur *severitas* quae liturgiae horum dierum convenit » (OHS 1956. Instr, n. 9). In genere ibidem inculcantur decreta S. Rit. Congregationis, quorum praecipua sunt: Hic locus debet esse *distinctus* ab altari maiore (d 4077, 10), decenter debet *ornari* velis pretiosis, nullo modo nigri vel atri coloris, nec intra nec extra cappcllam vel altare repositionis (d 1223), ornetur etiam *luminaribus* (OHS 1956 Instr, n. 8), *flores* non videntur esse prohibiti. *Non* licet « apponere

velum album, quod e magna Cruce descendens cooperiat Eucharistiam » (d 2734, 1). Eliminanda declarata est etiam consuetudo saeculo elapso in multis ecclesiis Hispaniae vigens, quod SS. Sacramentum exponebatur « in tabernaculo seu capsula, quae etsi clave obseretur, sed *ostiolum crystallo munitum* habet, ita ut calix velo coopertus adorantium oculis appareat » (d 3660, 1). Praecipue non licet *imagines et statuas* Passionis dominicae scaenas repraesentantes dc novo absque episcopi approbatione apponere, quales e.gr. sunt: imago Domini in horto orantis cum angelo Eum confortante, immo cum statua etiam Judac proditoris, vel quod Sanctissimum « sub talibus statuis et arborum picturis in quadam parvae speluncae specie collocatum sit », non parva inconvenientia enim invenitur in eo, quod « populus magis ad statuas et picturas, quam ad SS. Sacramentum attendit », talia ergo episcopus curet eliminari (d 3178, 1). Tolerari non potest « in ipso altari Sepulcri ostensoria. calices ct ciboria ornati causa exponere » (d 4077, 10). Exemplificative vetatur ad praedictum altare repositionis « adhibere statuas aut picturas, nempe B. Virginis, S. Joannis Evangelistae, S. Maria Magdalenae et militum custodum, aliaque huiusmodi n, sed additur: « poterunt tamen episcopi ubi antiqua consuetudo vigeat huiusmodi repraesentationes tolerare, caveant autem ne novae consuetudines hac in re introducantur » (d 3939, 2).

7. De Fer. VI. Passionis ct Mortis Domini.

a) Nomina.

1°. Nomen evangelicum diei mortis Christi a. est « *paraskeuê* » (= praeparatio) seu dies praeparationis (Riisttag) quo omnia necessaria, ut cibi, praeparata sunt ad diem requietionis laboribus cotidianis vacuum, 'falis dies fuit quo mortem subiit Dominus, altero enim die festum Paschatis coincidit cum Sabbato sicque duplici lege quietis oneratus fuit (Mt27, 62; Lc 23, 54; Jo 19, 31. 42) Dies hic ideo vocatus est etiam « prosabbaton » (=ante sabbatum Me 15, 42), vel « parasceve Paschae » (Jo 19, 14). Nomen hoc evangelicum assumpserunt Orientales sicque dies mortis Christi evasit « hê hagia kai megalê paraskeuê » (= sanctum et magnum parasceve). — b. Liturgiae *romanae* primitus ignota fuit denominatio « Parasceve ». Dies vocatus fuit « *Sexta feria* », vel « *Feria sexta* », sic in Ordinibus genuinis Romanis (Ordo XXIII, 9 et XXIV, 22 e saec. VIII-o, Andrieu III, 270. 291) et in Capitularibus evangeliorum, (piae idem nomen adhibent cum additamento stationis: « Fer. VI. ad Hierusalem », vel « Fer. VI. in Suxorio quod est in basilica Hierusalem », (ed. Klauser p. 150. 69). Usitatum fuit addere adiectivum dignitatem diei demonstrans: « *Sexta feria maior* », sic in Sacramcntario Gregoriano primigenio (Kl. Gamber n. 63), et recensione Paduana et Hadriana (ed. Mohlberg n. LXIH. et Lietzmann n. 79), item in Gelasiano « iuniore » saec. VHI-i (ed. Mohlberg n. 96). Singulare nomen occurrit in Gelasiano primigenio: « De *Feria VI. Passione Domini* » (Wilson p. 74). — e. Nomen graecum « Parasceve » ex Oriente advenit in Galliam et in liturgias typi Gallicani, « *VI. Feria in parasceve* » vocatur in liturgia mozarabica (Lib. Ordinum MEL V, 193), « *Parasceve* » in libris gallicanis (Leet. Luxoviensi, Miss. Bobiensi. notationibus pericoparum Evang. S. Kiliani, et Evangeliarii Trevirensis e saec. VII-VIH. cf. Salmon I, p. CX-CXI). — d. In liturgia *franco-romana* exinde nomen « *Parasceve* » e libris liturgicis gallicanis transivit *in libros romanos.* Huius eventus vestigium deprehendi potest in Ordinibus Romanis qui in Gallia

compositi interpolationes iam gallicanas monstrant, ubique « Fer. VI. in parasceve » habentes (Ordo Rorn. XXX. B, 26; XXVIII, 29; XXXI, 34; XXXII, 6; XXXXIII, 4, Andrieu III, 470. 397. 496. 518. 531). *Amalarius* ideo iam loquitur de « sexta feria, quam paraseheven *vocamus*... quo nomine Judaei qui inter graecos conversabantur, sextam sabbati, quae nunc a nobis sexta feria vocatur, appellabant, quod eo videlicet die quae in sabbato fuerint necessaria, praeparent (Lib. off. I. c. 13, 1 ed. Hanssens II, 90 s.). Exinde fere omnes libri liturgiae universalis romanae nomen « Parasceve » adhibuerunt usque ad nostra tempora. — e. Mox dicta necessaria fuerunt, ut ostendatur instaurationem Ilebd. Sanctae merito abolere potuisse denominationem « Parasceve », nomen novum ab anno 1956 usitatum « *Fer. VI. in Passione et Morte Domini* » melius exprimit ideam centralem huius diei, prima eius pars est e Gelasiano, mors autem addita est ad plenius intelligendum obiectum celebrationis festivae.

2°. Nomina a dignitate diei indita. Dignitas diei huius ut supra dictum est exprimi potuit duplici adiectivo « sanctum et magnum ». a. Retinendo utrumque habetur e graeco nomen slavicum « *sojatij i velikij pjatok* » et rumenicum « Santa si marea vincri » (= sancta et magna fer. VI.). — b. *Sanctitas* diei extollitur nominibus linguarum Latinarum: *Venerdi santo, Vendredi saint* occurrens iam in Lectionnario gallicano Schletstadiensi saec. VII. (a die sancto Veneris in authentica »), — c. *magnitudo* autem Redemptionis celebratur nomine « Magna Fer. VI. », ut medio aevo in gallica denominatione « Le jour du grant vendredy » seu « grant divenres », et nomine hungarico « *nagypéntek* ».

3°. Nomina popularia, a. A longitudine nominatur « *Longa Fer. VI.* », veri-similiter a ieiunio diutius protracto a Danis hodie quoque, etiam anglice sic dictum est ab Aelfrico (993-1001) « lanza frizeday». — b. « *Bona Fer. VI.* » quoque quandoque appellata fuit ob Redemptionem hoc die factam, Angli sic vocant hunc diem (« Good friday »), quae denominatio cognita fuit etiam Flandris (« boen devenres ») et medio aevo Germanis (« Guden vridach »). — c. « *Silens Fer. VI.* », « Stiller Freitag » vocatus est dies exeunte medio aevo quibusdam in regionibus Germaniae, sed — d. praecipua denominatio inde a saec. XII-XIII-o evasit nomen « *Karfreitag* » a luctu vel fletu desumpta (cf. supra 4. a. 3°. a.). (Cf. JfLw 1930, 62.).

b) Origo liturgicae actionis Fer. VI.

1°. Conventus aliturgicus mere euchologicus. a. *Romae* usque ad saec. VI. hoc die servitium euchologicum seu ministerium verbale tantummodo habebatur, lectiones, cantus psalmodicus, interpositae orationes fidelium, eadem « statio » qualis celebrata fuit Fer. IV. et VI. cuiusvis hebdomadae. Sic fuit etiam in *Africa,* huiusque conventus reliquia est prima pars actionis liturgicae hodierni diei. *Nota antiquitatis* excellit servitium hoc, iam silens processio ad altare hoc ostendit, salutatio altaris per *prostrationem* est summe archaica, tempus revocans quando nondum cantatus est ad ingressum Introitus. *Tres leguntur lectiones,* sicut olim semper fiebat, interponuntur *cantilenae e* Psalmis desumptae, dicuntur orationes *ritu orationis* in silentio genibus flexis dictae, dein voce sacerdotis quasi in unum collectae. Tertia lectio est lectio *historiae passionis* secundum Joannem, ut iam temporibus S. Gregorii Magni factum est. — b. Secunda pars conventus euchologici item summae antiquitatis splendore nitet:

« *orationes sollemnes* » recitantur, quae primis saeculis partem didacticam conventus vigiliae concludere solebant. Nominabantur etiam « *orationes fidelium* » seu « *preces communes* », vel « *prex universalis* », communia enim vota omnium fidelium ad Deum delegabant, pro Ecclesia universa, omnibus fidelium coetibus, et pro iis quoque qui non pertinebant ad Ecclesiam, inde etiam nomen « *intercessio universalis* ». Orationes venerandae sunt aetatis, sicut nunc leguntur tardissime saeculum S. Leonis Magni produnt. Per se non sunt peculiares orationes huius Fer. VI. Parasceves, omnibus synaxibus prolatae sunt, et hebdomada sancta testibus Ordinibus Romanis *etiam Fer. IV.* adhuc recitate sunt, ut de hoc die refert Amalarius: « ...ex romana consuetudine debere eadem die ante publicum officium orationes quas solemus in feria sexta agere recitare » (Lib. off. I. c. 11, 1 Hanssens II, 60). (Cf. Andrieu, Ordines Romani III, 287 nota 1.). — c. Origo huius primae partis commendabat, ut suo statu remaneat, *exiguae mutationes* solum induxit instauratio Ecclesiae inde ab 1956: initio statim oratio dicitur, celebrans in ritu sollemni non legit lectiones sed eas auscultat, restituitur precatio fidelium in silentio ad invitationem « Flectamus genua », orationes intactae manserunt, solum loco orationis pro Imperatore concinnata est nova pro res publicas moderantibus.

2°. Adoratio Crucis. Conventus euchologicus mox descriptus ubique terrarum celebratissimus fuit, ei adiunctus est novus usus, et quidem in Civitate Sancta Jerusalem, decursu iam saec. IV. quae ideo vocatus est ritus « *hagiopolîtes* ».

a. Sat fuse narratur adoratio verae Crucis ultimo decennio saec. IV-i ab *Aetheria:* sub divo in atrio habita est ad pedem Calvariae: « Ponitur cathedra episcopo in Golgotha post Crucem, quae stat nunc, residet episcopus in cathedra, ponitur ante eum mensa sublinteata, stant in giro mensa diacones et affertur loculus argenteus deauratus, in quo est lignum sanctum crucis, aperitur et profertur, ponitur in mensa tam lignum crucis quam titulus. Cum ergo positum fuerit in mensa, episcopus sedens de manibus suis summitates de ligno sancti premet, diacones autem, qui in giro stant, custodent. ...Ac sic ergo omnis populus transit unus et unus toti inclinantes se, primum de fronte, sic de oculis tangentes crucem et titulum, et sic osculantes crucem pertranseunt, manum autem nemo mittit ad tangendum... Usque ad horam sextam (= hora 12.) omnis populus transit, per unum ostium intrans, per alterum exiens » (c. 37). *Adoratio Crucis* Hierosolymis orta in ipsa Civitate tamen post 614 in desuetudinem abiit, quando venerabilis reliquia Crucis a Persis capta fuit, etsi imperator Heraclius Crucem recuperaverit (cf. Baumstark, JfLw 1922, 16).

b. Sat mature simplex haec osculatio reliquiae S. Crucis evoluta est *in ritum liturgicum* qui iam decursu saec. V-i fere totum Orientem occupavit. Ubi reliquiam verae Crucis possidebant, adoratio huic exhibita est, ubi autem talis reliquia deerat, Crucifixi imago, Crux lignea vel imago Christi sepulti (« epitaphios ») fuit venerata. Adoratio sic praestita fere *in omnibus ecclesiis Orientis* inde a medio saec. V. (Lection. Annenicum) celebrata fuit, ritus eorum sal cognati oricinem Hierosolymitanam produnt (cf. A. Rücker *in:* Mise. Lit. Mohlberg I. 1918. 379-106). Adorationem Cnicis habent *Arment,* Crucem ab aurora usque ad Tertiam osculantur fideles, clero interea cantilenas cantante, ut e.gr. hunc hymnum (sarakan): » Crucem tuam Christe adoramus, et obsequium tuum laudamus et resurrectionem tuam glorificamus... « et triplici genuflcxione can-

tant etiam Trisagion, cuius cantu utuntur (« Hagios o Theos ») in adoratione Crucis etiam *Coptae, Maronitae, Syri* orientales et occidentales. Hi *Syri occidentales* (Jacobitae) Crucem (cum Crucifixo) adportant in ecclesiam, Crux haec cooperta est ct detegitur a celebrante, qui eam incensat et prostratus in terra adorat, quod etiam secundo facit. Tertio autem coram clero se sistit et Crux adoratur et incensatur a singulis clericis. Ubique in ritibus orientalibus adoratio Crucis finitur cum sepultura Crucis, quae saepe lavatur aqua rosacea, alicubi unguentis et aromatibus conditur, dein cum processione defertur ad sepulchrum. ibique locatur Crux, sindone involvitur, sepulchrum vero ter sigillo munitur. Quidam, ut Coptae, totum Psalterium ad sepulchrum persolvebant. Pronum est, omnes hos ritus influxum suum exercuisse in Occidente quoque, praecipue in territoriis liturgiarum typi Gallicani.

c. At *etiam Urbs* accepit saltem adorationem Crucis, ut opinamur decursu saec. VI. praesertim secunda parte huius saeculi, quando Ostrogothis devictis afflatu et impulsu Byzantino paulatim orientales usus in Urbe ius civitatis sibi acquisierunt. Ordo Romanus XXIII (Andrieu III, 270 s.) ineunte saec. VIII. conscriptus ritum *adorationis Urbanum* accurate refert: « Feria VL, hora quasi octava (= hora 14.) descendit domnus apostolicus de Lateranis in sanctum Joannem verumtamen discalciatus, tam ipse, quam reliqui ministri sanctae ecclesiae, et veniunt ante altare... Et procedent de sancto Johanne psallendo: Beati immaculati (= Ps. 118), archidiacono tenente sinistram manum domni apostolici et ipso pontifice in dextera sua portante turibulum cum incenso et alio diacono post dorsum domni apostolici portante lignum pretiosae Crucis in capsa de auro cum gemma ornata... Et dum perveniunt ad Hierusalem intrant ecclesiam et ponit diaconus ipsam capsam ubi est crux super altare et sic aperit eam domnus apostolicus. Deinde prosternit se ante altare ad orationem, et postquam surgit, osculatur eam et vadit et stat circa sedem. Et per eius iussionem osculantur episcopi, presbiteri, diaconi, subdiaconi super altare ipsam crucem. Deinde ponunt eam super arcellam ad rugas et ibi osculatur illam reliquus populus » (n. 9. 11-15). — Ut vidimus, vix adoratio haec ritus liturgicus vocari potest, nam post adorationem Papae ⁊ statim ascendit subdiaconus in ambonem et incipit legere lectionem Oseae prophetae » (n. 17), i.e. ceteris adorantibus iam conventus euchologicus celebrari coepit.

d. *Exornatio adorationis Crucis.* (1) In Urbe ipsa solum unicus ritus auxit sollemnitate sua adorationem, aliquibus decenniis post Ord. Rom. XXIII., exeunte saec. VIII-o adoratio sui iuris erat et durante adoratione cantabant Ps. 118. proprium processionum Romanarum, (piae antea in via a Laterano ad Basilicam S. Crucis cantatus fuit; Ps. longissimus intercalatus est ant. « *Ecce lignum Crucis.* » Omnes aliae consuetudines liturgicac e liturgiis typi Gallicani oriundae sunt, indirecte vero ex Oriente. — (2) Sic. saec. IX-o accessit ad adorationem Crucis usque hodie ant. « *Crucem tuam adoramus Domine* » cuius integer textus a Graeco fuit translatus (Baumstark JfLvv 1922, 4 s.), qua ant. Ps. 66. cantatus fuit, et altera cantilena longa, nunc iam extra usum, item c liturgia Byzantina assumpta (« Vadis propitiator », cf. Ps. Alcuin. De div. off. 18 PL 101, 1210). — (3) Triplex adoratio in Oriente diu nota verisimiliter ex usu Gallicano viam invenit in *Pontificale Romano-Germanicum* saec. X-i, tribus orationibus aucta, (piae dein expunctae sunt. — (4) idem Pontificale iam *cantus* hodie quoque usitatos continet adorationi Crucis accommodatos: Improperia et Trisagion. *Improperia* (= rimproveri, Vorwiirfe, szemrehanyas) textus sunt poe-

tici, quibus Salvator populo suo obiicit crimina contra se commissa, iam Missale Bobien.se (saec. VII.) habet talia Improperia (PL 72, 496 s.), etsi quoad textum toto caelo alia. Textus Improperiorum e tropariis Fer. VI. liturgiae orientalis saltem partialiter profectos esse Baumstark demonstravit (JfLw 1922, 10 s.). Cantum *Trisagii* orientalem esse usum iam meminimus, cantus hymni magnifici « *Pange lingua gloriosi lauream certaminis* » cum versu intercalari « Crux fidelis » prima vice in eodem Pont. Romano-Germanico invenitur, auctor huius hymni (Venantius Fortunatus f 600) carmen hoc non in usum liturgicum compo-suit. sed felici electione Pontificale dictum hoc carmen substituit pro hymno « abecedario n liturgiae mozarabicae « Ab ore verbum prolatum », compositum ad exemplum orientale, sicque adoratio Crucis occidentalis etiam opere insigni genii latini exornata apparet. — (5) *Aevo praegothico* (saec. XII.) spiritus *realismi* ditavit adorationem *ostensione et denudatione Crucis* ad cantum « Ecce lignum, » (Ordo Rom. X. iuxta Mabillon PL 78, 1014); nisus autem gothicus *multiplicationis* (Multiplikationsdrang) hanc ostensionem Crucis formavit in triplicem et progressivam ostensionem et denudationem (Pont. Curiae saec. XII, Andrieu, Le Pontif. Rom. I, 236). — (6) *Aetate gothica* saec. XIV triplex haec ostensio Crucis *magis dramatica* efformata est: triplex enim loci mutatio cantusquc elevatio triplex in semper altiorem sonum invecta est, sicque « *gradatio liturgico* » aevo gothico tam accepta ad culmen adducta est (Cf. Ord. Rom. XI\ see. Mabillon PL 78, 1215).

e. Instauratio Hebd. Sanctae adorationem Crucis fere intactam relinquens innovando praescripsit *sollemnem delationem Crucis ad altare* (OHS 1956. Ruhr. spec. η. 15), Crux denudata adoratur abhinc in medio altaris in suppedaneo a celebrante et clero, ad augendam pompam reverentiae duo acolythi cum candelabris accensis genuflexi manent in suppedaneo a dextris et a sinistris Crucis (ibid. n. 17), fideles solum simplicem genuflexionem praemittunt deosculationi (n. 18). Ordines et declarationes 1. febr. 1957. permittunt *facultativam ostensionem* Crucis loco adorationis nimis protractae: «Si parochus vel ecclesiae rector praevideat adorationem s. Crucis prout in Ordine Hebd. Sanctae praescribitur, oh ingentem populi concursum, vix, aut non sine boni ordinis ct devotionis detrimenti peragi posse, tum caerimonia hoc modo peragatur. Celebrans postquam clerus, si adsit, et ministrantes adorationem expleverint, s. Crucem de manibus ministrantium sumat ct in summitate graduum altaris consistens, paucis verbis populum ad hanc s. Crucis adorationem invitet, eamque altius elevatam teneat, per breve tempus a fidelibus in silentio adorandam » (OO η. IV, 17).

3'. De s. communione Fer. VI. Passionis ct Mortis Domini. Instauratio Hebd Sanctae feliciter iterum permisit contra ius hucusque vigens s. communionis susceptionem, quia vero iam inde a multis saeculis hoc vetitum fuit, iuvat brevi intuitu collustrare vicissitudines s. communionis hoc die susceptae.

a. *Usus s. communionis facultativae* usque ad sacc. VII. invenitur in Ordine Romano XXIII. incunte saec. VIII-o scripto, usum praecedentis saeculi referente (Andrieu III. 272. hic Ordo saepe vocatur « Ordo Einsiedlensis », quia in codice Einsicdlensi descriptus est). Fer. VI. post adorationem Crucis iterum proceditur in Lateranum, « attamen apostolicus ibi non communicat nec diaconi. Qui vero communicare voluerit, communicat de capsis, de sacrificio quod fer. V. servatum est. Et qui noluerit ibi communicare, vadit per alias ecclesias Romae seu per titulos et communicat ». Usus hic facultativus Romae permansit in

liturgia papali, Amalarius anno 832 Romae sic comperit ab archidiacono: « In ea statione, ubi apostolicus salutat Crucem, nemo ibi communicat, » et rationem quoque quaerit addens sententiam: « Quod superfluum esse compertum est. In isto enim die consummatur agnus typicus, consummaturque modus communicationis, qui ea die celebratus est pransis discipulis,... cum Dominus dicat: Xon bibam amodo de hoc genimine vitis... n (Lib. off. I. c. 15, 1; 12, 34 Hanssens II, 107. 79). Attamen etiam Romae in titulis i. e. in ecclesiis parochialibus et suburbicariis, dein fere ubique s. communio Fer. Vl-ae remansit, imo:

b. *Obligatoria* evasit (saec. VIII-XL). Horis utique matutinis non communicabant in conventu euchologico, postmeridianis autem horis alter fuit conventus, ubi s. communio ab omnibus suscepta est, ut dicit Ordo XXIV. (suburbicarius Andrieu III, 294): « Et communicant *omnes* cum silentio », Saec. IX. sic fuit etiam *in Gallia* iuxta Theodulphum Aurelianensem: « In coena Domini, et in parasceve, in vigilia paschae et in die resurrectionis Domini penitus ab omnibus communicandum » (Capit, ad presbyteros 41. PL 105, 204). Pontif. Rom. - Germanicum saec. X-i rubricam de communione omnium immutatam conservavit. Eodem saeculo Dunstanus Cantuarensis archiepiscopus (f 988) ordinavit Fer. V. et sequenti die s. communionem fratribus et omnibus fidelibus porrigendam esse (PL 137, 491). Saec. XI. Joannes Abrincensis, archiepiscopus Rotomagensis (t 1079) scripsit post adorationem Crucis Crucifixum lavari debere cum aqua et vino, a de quo post communionem chorus bibat et populus... Postea omnes a maiore ad minorem omnes communicentur » (PL 147, 52).

c. S. *Communio paulatim illicita fit* (saec. XII-XVIL). Saec. XII-o primum s. communio Fer. Vl-ae iterum enuntiatur facultativam esse, sed usum sequentes Curiae Romanae, ubi « communicat solus pontifex sine ministris » (Ordo Rom. X. iuxta Mabillon PL 78, 1014), s. communionis distributio Fer. VI. rapide coepit in desuetudinem abire, ita, ut S. Albertus Magnus (t 1280) scribere potuit: a Sacerdos sumit de calice, sed nulli sumendum porrigit... Ecclesia... nec conficit nec porrigit illo die corpus et sanguinem ad sumptionem alicuius n (De Euch. III, 2. cap. 4.). Quia tamen districtum vetitum non intercessit:

d. S. Communionis distributio Fer. VI. *superstes mansit multis in regionibus* (saec. XII-XVIL). Libri liturgici permulti loquuntur adhuc de s. communione Fer. VI. accepta, sic in *Gallia,* provincia Arverniae (Auvergne), Claromontana (Clairmont) et St. Flour usque ad saec. XVIII., in dioecesibus *Germaniae et Hispaniae* usque ad saec. XVI. in usu remansit s. communio hoc die (T. dc Mendijur 1945. cf. Litter, p. 235-252). In *Hungaria* Sacramentarium Boldvense Z1192-1195) habet rubricam Fer. VI. a deinde communicantes in sua redeunt loca », quae variis aliis libris liturgicis manuscriptis legitur usque ad Missalia impressa, quae usque ad annum 1632 in usu fuere, quando Card. Pazmanv ritum introduxit Romanum (cf. Radd, Libri lit. miss bibi. Hungariae 1947. I. p. 47. 68. 122. 158. 27).

e. *Missale* S. *Pii V.* districte non habet vetitum s. communionis, sed supponit solum celebrantem communicare, sicut ct Caerem. Episc. et Memoriale Rituum, ita ut saec. XVII-o agitari coepit quaestio, utrum licitum sit communicare Fer. VI. Parasceves. S. *Congr. Rituum* 9. maii 1602., dein 19. febr. 1632 prohibuit s. communionem Fer. VI., etsi illo die occurrerit festum Annuntiationis BMVirginis, quae tamen decreta in Collectione authentica desunt. Tandem decretum emanavit S. *Congr. Concilii* 15. febr. 1679, quod « circa communionem feria sexta parasceve Missalis rubricae ct Ecclesiae Romanae usus serven-

tur » (Bugnini-Braga p. 107). Haec dein *CIC can. 867* J *2.* sancita sunt, dum instauratio liccitatem s. communionis 1955. permisit, imino commendavit, quod « sicut mos fuit per mulla saecula, omnes qui id cupiunt et rite parati sunt, ad sacram quoque communionem accedere possunt » (OHS 1956. instr, n. 19 et 2. c.).

4°. De ritu praesanctificatorum Fer. VI. Hebd. Sanctae. Putamus nomen hoc retinere posse, excluso utique nomine « *Missae* siccae » vel « praesanctificatorum », ritus enim Ordinis instaurati non est simplex ritus s. communionis, sicut extra Missam per annum servari debet, sed est ritus *peculiaris* huius sancti diei, qui teste historiae revera ex hoc ritu profectus est.

a. Ritus praesanctificatorum *in Oriente* verisimiliter in ecclesia *Syriaca* ortus est, videtur eum induxisse Severus patriarcha inter 511-518, ut fideles diebus aliturgicis Quadragesimae communicare possint, qui ritus in omnes ecclesias Orientis receptus a Cone. Trullano approbatus est anno 692 (can. 52). Etiam Fer. VI. Hebd. Sanctae celebratus est hic ritus (« leitourgia ton proègiasmeηόη »), sed paulatim praecise hoc die obsolevit. Ecclesia *Byzantina* saec. XV-o adhuc exercuit hunc ritum Fer. VI. dicta, *Graecoslavi* adhuc saec. XIII-o, *Georgiae* fideles vero saec. XII-o servaverunt ritum praesanctificatorum (georgice « ganachleba » = renovatio), sed nunc iam non noscunt hanc consuetudinem in Oriente natam (cf. M. Tarchnasvili, AfLw 1952, 75-80).

b. Urbs usum s. communionis distribuendae initio sine peculiaribus ritibus celebravit, Ordo XXIII. saec. VIII-o ineunte, ut iam vidimus, ieiunis verbis meminit communionis facultativae.

c. Sed cito *exornari coepit* haec s. communio Fer. Vl-ae: Ordo XXIV. secunda parte saec. VHI-i sic describit ritum: «Descendit pontifex ante altare et dicit: Oremus. Praeceptis salutaribus. Pater noster. Sequitur Libera nos. Cum dixerint Arnen, sumit de Sancta et ponit in calicem nihil dicens. Et communicant omnes cum silentio » (n. 36-38). Tunc ergo iam sine vino consecrato distributa est s. communio, vinum in calice non fuit consecratum, particula immissa ex hostia consecrata supposita est vinum consecrare.

d. Sed hoc non indicabatur sufficiens, saec. XII-o incoepit *mutatio ritus communionis in Missam siccam.* Pontificale Curiae saec. XII-i ante orationem dominicam praescripsit (1) *incensationem* oblatorum et recitari iussit orationem « In spiritu humilitatis », (2) saec. XIII-o Pontificale iam « *Orate fratres»* quoque introduxit (Andricu, Le Pont. Romain I, 237; II, 468). — (3) Saec. XIV-o etiam *manuum lotio* praescribitur (Ordo Rom. XV. PL 78, 1320), et *elevatio* iuxta usum Curiae Avenione residentis ad verba « sicut in caelo ct in terra ». Omnes hos ritus retinuit Missale Pianum, mutans elevationis locum (piae facienda erat post orationem » Libera nos. »

c. Ritus ergo « *Missae praesanctificatorum* » *inter a. 1570-1955* Missalis Romani talis fuit: (1) Sollemnis processio ad deferendam SS. Hostiam e loco repositionis cum intorticiis, baldachino et incensationibus, inter cantum hymni « Vexilla regis. » — (2) Hostia sacra ponitur super corporale, in calicem infunditur \inum ct aqua, ct fit incensatio oblatorum more solito Crucis et altaris. — (3) Deinde lavabantur manus, — (4) dicta est oratio « In spiritu humilitatis, — 5) versus ad cornu Evangelii dicendum erat « Orate fratres. » — (6) Omissis aliis cantandum erat «Pater noster»; tono orationis ferialis embolismus («Libera nos »), — (7) dein facta est elevatio Hostiae dextera manu, — (8) quae statim divisa est in tres partes. — (9) unica oratio praeparatoria recitata est

(« Perceptio corporis »), — (10) facta est communio celebrantis solius more solito, sumptum est vinum cum particula consecrata, — (11) et post purificationem in medio altaris manibus iunctis, inclinatus dixit orationem « Quod ore sumpsimus, Domine, » — (12) ct facta reverentia altari sacerdos cum ministris discessit. — Haec omnia *abolita* sunt, quia *Missae speciem gerebant,* remansit solum « Pater noster », facienda est confessio, ad gratiarum actionem tres dicendae sunt orationes.

5°. Consuetudo non stricte liturgica: locatio scpulchri. a. Saec. IX-o iam invenitur in *liturgia Franco-romana* ritus Fer. VI. post Missam praesanctificatorum *recondendi Eucharistiam seu Crucem sepeliendi,* qui mos indirecte ex Oriente, directe e liturgia Gallicana, nostra convictione, ortus est, etsi assignari non possint omnes fontes. Fuerunt qui SS. Sacramentum post communionem remanens reposuerunt, quod semper factum est; Fer. VI. autem Hebd. Sanctae facile symbolicam significationem nacta est sepulturae Christi, sic S. Ulricus '973) Fer. VI. Parasceves « populo sacro corpore Christi saginato et consuetudinario modo, quod remanserat, sepulto,... intravit ecclesiam S. Ambrosii, ubi die parasceve corpus Christi superposito lapide collocavit » (Vita: Acta SS. jul. II. 103). Heic habetur primum testimonium locationis sepulchri, et quidem eiusmodi, ubi *solum* SS. *Sacramentum* repositum fuit. — b. Alii enim Cruce lota cum vino aqua mixta, *solam Crucem* sepeliverunt, sicut in Oriente factum est. Speciminis instar legatur textus talis repositionis e Missali saec. XIV. *Hungariae* quondam superioris: « Statim post vesperas eunt in medium ecclesie et accepta cruce deferunt eam in locum sollemnibus auleis ornatum cantantes R. Ecce quomodo moritur, cum versu suo, precedentibus cereis, crucibus, aqua benedicta ct incenso, et reposita in loco cum rcuerencia, a prelato aspergitur et incensatur et opperitur sacra palla et dicitur versus: In pace factus est locus eius. Et redeunt cantantes R. Sepulto Domino cum versu suo. Lumen ardens reponatur ad sepulchrum domini et leguntur psalteria » (Rado, Libri lit. mss bibi. Hungariae I, 68). — c. Multo usitatior fuit, tertius modus, *tum Crucem, tum* SS. *Sacramentum* simul in uno sepulchro collocandi, qui mos fere in tota Europa medioaevali divulgatus erat. Optimum exemplum talis « sepulturae » affert cl. Righetti ex ecclesia *Aquilegiensi* (II, 165 s.), cui consimilis ritus in civitate *Posoniensi* (Pozsony, Bratislava, Pressburg) viguit: saec. XIV-XV: « Ostiis ecclesie diligenter seratis, omnibus laicis exclusis, Dyaconi et sub Dyaconi. Xccoliti cum candelis et incenso pergant illuc, ubi post salutationem crucem reposuerunt et inde louantes eam portent ubi sepulchrum parare voluerint, ibique super scampna ponatur et thurificetur, et diligenter lintheamine et desuper pallio cooperiatur, sed interim dum crucem leuant et de loco ad locum portant, decantentur silenter ista: Iherusalem luge. Ecce uidimus. Plange quasi uirgo. Recessit pastor noster. Ecce quomodo moritur iustus. Nonissime corpus domini in unam ualde mundam pixidem ponatur sigilloque sigillatur atque subtus lintheamen et pallium ad pectus crucis collocetur ct dicatur: Sepulto domino. In pace idipsum. Caro mea. Hijs itaque peractis et custodibus ordinatis, qui corpus dominicum custodiant cum psalmis et ceteris orationibus, ipse clerus antequam redeat, dicat ant. Adoramus te xpe et benedicimus tibi » (Rado I. p. 122). — d. At notandum est, toto medio aevo SS. Sacramentum reconditum fuisse in tabernaculo vel arca *clausa,* saec. XVI-o solum incipiebant Sanctissimum *exponere,* quod primum Jesuitae Monacenses fecerunt anno 1577. Expositio Sanctissimi in *monstrantia velo perlucido tecta,* noctu reposita et

usque ad ritum « Resurrectionis » iterum exposita, per totam Germaniam, Austrian! et Hungarian! adhuc in usu est, interque consuetudines populares numeratur, quae statim removeri nondum possunt.

c) Descriptio sollemnis actionis liturgicae postmeridianae in Passione et Morte Domini.

Altare omnino nudum sit, sine Cruce, sine candelabris, sine tobaleis (Ruhr, spec. n. 1.) quo derogatur usibus hucusque vigentibus. « Ubi clerici adsint, maxime convenit, ut in choro actioni liturgicae assistant « (ibid. n. 2), cuiusvis gradus sint aut dignitatis, induanturque suo vestimento chorali. Celebrans et ministri sacri induunt amictum, albam et cingulum, sine manipulo, celebrans et diaconus sumunt stolam nigram (n. 3).

1°. *Prima pars actionis liturgicae:* Lectiones, a. Omnibus sic paratis, (1) incipit *processio* per ecclesiam, ergo per viam longiorem, ad altare, sub silentio (n. *4).* Altari fit: — (2) debita reverentia, deinde celebrans et ministri sacri, non vero ministrantes, *in faciem procumbunt,* super gradus altaris, in quo possunt cussini nigri coloris ad hunc finem praeparari, reliqui autem in scamnis chori genibus flexis *et profunde* inclinati manent, omnesque in silentio aliquamdiu orant (n. 5). Recte monent Bugnini-Braga: « et fideles convenit genua flectere et inclinari, ut tota communitas Christiana hunc compleat actum adorationis initio sollemnis actionis liturgicae, qua mors Christi recolitur » (p. 111 nota 5.). — (3) Commendatur, ut haec silens oratio reapse « *aliquamdiu duret,* » dein (ope crepitaculi) signo dato, omnes (ergo et fideles) se erigunt, sed genuflexi manent. Solus celebrans stat ante gradus altaris et dicit, manibus innetis et in tono feriali, sequentem *orationem* « Deus qui peccati veteris » e Gelasiano primigenio desumptam (Wilson p. 75), quae apte aperit conventum euchologicum, quasi in unum colligens orationes silenter dictas fidelium (n. 6).

b. *Prima lectio* sequitur. (1) Oratione completa celebrans una cum ministris sacris seu ministrantibus *ad sedilia* pergit. Interim ponitur *legile nudum* in medio presbyterii, et lector incipit lectionem Oscae (6, 1-6) verisimiliter e liturgia Gallicana oriundam, quae praecise ob rationem accommodationis liturgicae legitur: « ...vivificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos, et vivemus in conspectu eius. » Durante hac et omnibus aliis lectionibus, *omnes* sedent et auscultant (n. 7), ergo celebrans et etiam fideles. Si subdiaconus vel lector desit, ipse celebrans legit lectionem « stans in loco suo » (n. 7. a.), ergo nec ad altare, nec ad pulpitum, sed ad sedile (RS 1957. II, 13). — (2) Post lectionem non respondetur « Deo gratias », sed sequitur *responsorium* a schola cantandum vel a clero assistente recitandum (Hab 3.), cuius denominatio hucusque fuit Tractus, nunc autem mutatum est nomen, quia tractus Missae convenit, Responsorium officio, instauratio autem omnem indolem Missae abolere voluit. Cantus hic ob accommodationem liturgicam electus esse videtur: » In medio duorum animalium innotesceris » iam a temporibus S. Hieronymi (PL 25, 1372) applicatur Salvatori in Cruce inter duos latrones pendenti.

c. *Secunda lectio* introducitur oratione. (1) Responsorio absoluto, omnes (etiam fideles) surgunt, celebrans stans ad sedile, dicit « Oremus », diaconus cantat « Flectamus genua, » et « omnes, flexis genibus, per aliquod temporis spatium in silentio orant, dicto a diacono (non ergo a subdiacono) « Levate, » omnes surgunt et celebrans inanibus iunctis ac in toni feriali dicit *orationem*

(« Deus a quo et Judas n). Simplici ritu celebrato, ipse celebrans manens ad sedile haec persolvit (RS II, 12). — (2) Subdiaconus ad legile legit lectionem (Ex 12, 1-11) de celebratione immolationis agni paschalis, typi sacrificii Crucis Novae Legis — (3) qua lecta, sequitur *responsorium* (Ps 139, 2-10 et 14) nomine patientis Christi decantatum, in quem viri iniqui « acuerunt linguas suas sicut serpentes. »

d. *Lectio historiae passionis Domini.* Ad tertiam lectionem conventus cuchologici ponuntur in latere Evangelii legilia nuda tria cum libris et legitur Passio see. Joannem (18, 1-19, 42), quae integra remansit sicut in Missali Romano. Cantatur a tribus diaconis, qui comitantibus duobus acolythis absque luminaribus et incenso, facta altari reverentia, ante celebrantem se sistunt qui super eos profunde inclinatos clara voce profert benedictionem: « Dominus sit in cordibus vestris et in labiis vestris, m (n. 10). Si simplici ritu fiat actio liturgica, celebrans stans profunde inclinatus in medio presbyterii, sibi poscit benedictionem a Deo, dein ad legile in latere Evangelii legit Passionem.

2°. *Secunda pars actionis liturgicae:* orationes sollemnes, a. *Praeparatio* Historia Passionis Domini absoluta, celebrans assumit pluviale nigri coloris, non casulam ut hactenus, quia ad officium pluviale pertinet, casula ad Missam, diaconus vero et subdiaconus induunt dalmaticam et tunicellam eiusdem coloris, hoc fit ad scamna (n. 12). — (2) Acolythi interea tobaleam unam extendunt super altare, librumque in medio collocant. — (3) Celebrans, comitantibus ministris vel ministrantibus, vadit ad altare, ascendens osculatur in *medio* et stans *ibidem,* (non ergo in cornu Epistolae), incipit orationes sollemnes mi-
nistris sacris hinc inde adstantibus, non ergo retro post celebrantem (n. 12).

b. *Ritus orationum:* dicuntur hoc ordine: Praecedit celebrantis praefatio seu invitatorium, « qua intentio specialis indicatur » et cantatur tono proprio notato in textu, *manibus iunctis.* Celebrans cantat « Oremus », fit ritus orationis silentis, ut supra, ad « Flectamus genua, » et « *omnes,* flexis genibus, per aliquod temporis spatium orant in silentio, dicto a diacono, Levate, omnes surgunt et celebrans *extensis* manibus ac in tono feriali dicit orationem » (n. 13).

c. *Ipsae orationes.* Novi sunt in OIIS 1956 *tituli* optime exprimentes quid intendat his orationibus antiquissimis Ecclesia, quae oratione una cum suis « praefationibus » seu invitatoriis, intactae manserunt, una excepta. — (1) *I oratio* dicitur « Pro sancta Ecclesia, » — (2) *II. oratio* « Pro Summo Pontifice, » — (3) *III. oratio* « Pro omnibus ordinibus gradibusque fidelium, » — (4) *IV. oratio* est noviter composita «Pro res publicas moderantibus», invitatorium eius e textu Missalis Romani et novo textu praeconii paschalis, orationis prima pars est adaptatio textus Missalis, secunda pars (« ...dextera tua protegente ») sumpta est e Leoniano (« Auxiliare Domine temporibus nostris, ut tua nos ubique dextera protegente... » Feltoe p. 62). — (5) V. *oratio* dicitur « Pro catechumenis, » — (6) *VI. oratio* « Pro fidelium necessitatibus, » — (7) *VII oratio* intitulatur nunc optime « Pro unitate Ecclesiae », in qua pro revocatione omnium haereticorum et schismaticorum precamur, — (8) *VIII. oratio* habet inscriptionem « Pro conversione Judaeorum, » in qua novum est, quod genuflexio etiam in hac oratione fit, non omittitur, sicut inde a saec. IX-o (Sacramentarium Ratoldi: « Hic nostrum nullus debet modo, flectere corpus ob populi noxam et pariter rabiem » JfLw 1927, 195). Ut cl. Bugnini iam anno 1956 desiderabat (cf. p. 115 nota 14), S. *P. Joannes XXIII.* inde ab anno 1959

omitti iussit vocabulum « *perfidi* » et in oratione legi decrevit « qui ludacos etiam a tua misericordia non repellis » (cf. Eph. Lit. 1959, 458). — (9) *IX. oratio* « pro conversione infidelium » dicenda est.

3°. *Tertia pars actionis: sollemnis* adoratio S. Crucis a. *Sollemnis delatio* s. *Crucis.* Post orationes sollemnes, celebrans cum ministris redit ad sedilia, ubi deponunt pluviale, dalmaticam et tunicellam (n. 14). — (1) Adhibeatur Crux satis magna, cum Crucifixo et velo violaceo obtecto, ita ut facile removeri possit (tam magna debet esse, ut acolythi Crucem stantem in suppedaneo per brachia sustentare possint). Haec Crux e sacristia portatur in medium presbyterii, per diaconum, celebrante et subdiacono ad sedilia stantibus. *Praecedunt* acolythi seu ministrantes, sequitur diaconus cum Cruce, medius inter duos alios acolythos candelabra accensa gestantes. — (2) Cum presbyterium ingressi fuerint, celebrans et subdiaconus ipsis *obviam veniunt,* et in medio, ante altare, celebrans Crucem c manibus diaconi accipit. Ritu simplici ipse celebrans adit cum ministris sacristiam, et ipse portat Crucem ante altare (RS II, 21).

b. *Sollemnis detectio Crucis.* (1) Celebrans accedit *ad latus Epistolae,* ibique in plano se sistit versa facie ad populum, Crucem parum *detegit a summitate* eamque manu versus populum tenet. Solus incipit ant. « *Ecce lignum Crucis,* » et deinceps iuvatur a ministris sacris in cantu, « Venite adoremus » cantari debet a schola « comitantibus omnibus adstantibus ». Cantu finito omnes (etiam fideles) in genua se prosternunt, celebrante excepto, « et parvo momento in silentio adorant » (n. 16). — (2) Deinde celebrans ascendit altare in latere Epistolae, ibique *in suppedaneo* stans detegit *brachium dexterum* Crucifixi et elevans paulisper Crucem altiore voce cantat « Ecce lignum Crucis », ministris sacris si opus sit, adiuvantibus, aliis prosequentibus et post cantum procumbentibus ut supra. — (3) Tertio celebrans procedit in medium altaris, ibique tertio altius incipit « Ecce lignum Crucis ». — (4) Novum est, quod duo acolythi Crucem comitantur, cum candelabris accensis a dextris et sinistris celebrantis stantes, ministri sacri ergo post acolythos debent stare. — (5) Ritu simplici celebrans in detegenda s. Cruce adiuvatur a ministrantibus, ant. « Ecce lignum » autem solus cantat usque ad « Venite adoremus ». Iis qui minus idonei sunt ad cantum, commendari potest quod adglutinetur dorso Crucis schedula cum notatione musicali cantus.

c. *Sollemnis adoratio* S. *Crucis.* Prorsus novus est ritus adorationis, concinne compositus. (1) *Locus adorationis* est ante medium altaris in suppedaneo, duo acolythi facie versa ad populum Crucem per brachia sustentant, ita, ut pes Crucis super suppedaneum consistat. Alii duo acolythi autem candelabra accensa gestantes in lateribus suppedanei in superiore gradu genuflexi manent facie versus Crucem (n. 17). — (2) Incipit *adoratio* per clerum praestita. Prius « omnes » (clerici et ministrantes) « si commode fieri possit, calceamenta deponunt, et, unus post alium, accedentes ad Crucem, simplici genuflexione ter repetita pedes Crucifixi osculantur » (n. 17). *Ordo praecedentiae est:* primus est solus celebrans, dein ministri sacri, postea clerus, demum ministrantes. Assistentia ct clerus ergo ter faciunt adorationem, sed simplici genuflexione. — (3) *Adoratio fidelium.* Fidelium adoratio non ad altare, sed ad cancellos fit. Itaque acolythi deferunt Crucem ad cancellos, comitantibus duobus acolythis cum candelabris accensis, Crux eodem modo ut supra, sustentatur, fideles autem quasi processionaliter transeuntes, primum viri deinde mu-

licrcs, simplicem et unicam genuflexionem praemittentes, pedes Crucifixi devote osculantur (n. 18). Simplificationem huius ritus cf. supra b. 2°. e. — (4) Dum adoratio peragitur, *cantantur* a schola, divisa in duos choros, *Improperia,* et alia quae sequuntur, assistentia ct ceteri omnes, qui adorationem Crucis peregerunt, sedentes auscultant. Cantus vero eousque procedit, prout adorantium numerus requirit. Concluditur tamen semper cum doxologia: « Sempiterna sit beatae Trinitati gloria. » (n. 19).

4°. *Quarta pars actionis: s. communio,* a. *Praeparatio.* (1) Adoratione Crucis expleta, ipsa *Crux* cui adoratio exhibita est ab acolythis, comitantibus duobus acolythis cum candelabris accensis, ad altare portatur, ibique in medio collocatur, adeo in altum, ut commode a fidelibus conspici possit, quin celebranti incommodum praebeat. Candelabra vero accensa deponuntur super altare. — (2) Postea celebrans et diaconus, dimissa stola nigri coloris, assumunt paramenta *violacea,* scilicet celebrans stolam et planctam, diaconus stolam et dalmaticam, subdiaconus vero tunicellam, omnino iuxta legem generalem, quod ad s. communionem extra Missam loco nigri coloris violaceus adhiberi debet. — (3) Deinde diaconus, delata bursa ad altare, extendit *corporale,* acolythus autem seu ministrans, deponit super altare *vas aquae* cum purificatorio. ad abluendos et abstergendos digitos post communionem et librum disponit in latore Evangelii (n. 20-22).

b. *Delatio Sanctissimi ad altare.* Haec delatio non est sollemnis processio, sed actus *mere ministerialis,* ideo per *diaconum* peractus, « simplificatio processionis ponit nexum adorationem Crucis inter et communionem, ac eviden tins ostendit communionem esse fructum praeclarissimum Redemptionis, cui effective omnes participant per receptionem Sacramenti Eucharistiae » (Bugnini-Braga p. 120 nota 24). — (1) Celebrans et subdiaconus, clerus et populus, manent in suis locis, sub silentio (n. 23). — (2) Diaconus cum duobus acolythis et alio clerico ad umbellam portandam accedunt ad altare repositionis, in quo praesto sunt duo candelabra cum cereis accensis, ibi genua flectunt, diaconus extrahit s. pyxidem et assumpto velo albo eam coopertam more solito defert ad altare maius. — (3) Super Sacramentum defertur umbella, acolythi hinc inde procedentes gestant candelabra accensa, omnes in genua procumbunt. Interim cantantur a schola tres antiphonae « Adoramus te Christe... Per lignum servi facti sumus... Salvator mundi », desumptae e Breviario Romano (Exaltatio Crucis III. noct.). — (4) Pervento ad altare maius, diaconus pyxidem. acolythi candelabra deponunt super altare. Genuflexione facta, diaconus dimittit velum humerale, et se retrahit ad latus Epistolae, acolythi autem descendunt hinc inde et genuflectunt in *infimo* gradu altaris (n. 23-25).

c. *Oratio ad mensam Domini.* (1) Celebrans ct subdiaconus cedunt ad altare ct in medio plani utroque genu adorant. — Dein (2) ascendunt altare, ibique facta genuflexione cum diacono, celebrans incipit clara voce recitando, non cantando praefationem Orationis Dominicae: « Oremus. Praeceptis salutaribus ». — (3) Totum vero « *Pater noster* » cum « sit precatio ad communionem. *omnes* praesentes, clerici et fideles, una cum celebrante graviter et distincte recitant, lingua latina, addito quoque ab omnibus « Amen. » (n. 25). Celebrans tum praefationem tum orationem *iunctis manibus* recitat. Attendenda est dispositio precationis dominicae in OILS asteriscis notata. — (4) Dein statim adiungitur *embolismus,* celebrans « clara et distincta voce » (non ergo « in tono ora-

tionis ferialis » Miss. Rom.), ct manibus *extensis* dicit « Libera nos quaesumus Domine. · Et ab omnibus respondetur « Arnen », elevatio hostiae abolita est u. 27).

d. *Sacra communio.* (1) Unica dicitur oratio praeparatoria a celebrante, qui « de more (ergo *mediocriter* inclinatus manibusque innetis super altare positis » tertiam orationem (« Perceptio corporis ») submissa voce recitat, quia haec oratio est prex individualis, dum supradictus embolismus oratio est communitatis in plurali dicenda (n. 28). — (2) Tum discooperit pyxidem, et facta genuflexione, accipit sacram particulam manu dextera et *profunde* (non ergo « parum » Rit. cel. X, 4) inclinatus, ct pectus percutiens, ter dicit more solito: « *Domine non sum dignus* ». Iuxta Bugnini-Braga hostia statim transferenda est in manum sinistram, cum debeat dextera manu pectus percutere (p. 121 nota 29). — (3) Celebrans dicit: » Ecce agnus Dei, Domine non sum dignus » more solito (n. 31-32). — *Distributio* communionis fit, sicut Fer. V. in Coena Domini, sed sacerdotes stolam violaceam deferunt. Inter communionem potest *cantari* Ps 21. Deus meus, Deus meus » vel unum aliudve responsorium ex Matutino Fer. VI. ac (n. 32-33). — (4) Communione absoluta celebrans digitos *abluit* in vase et purificatorio abstergit, nihil dicens, pyxidem autem in tabernaculum reponit (34).

e. *Gratiarum acto post communionem.* (1) His completis, celebrans stans *in medio* altaris, habens ante se librum, a dextris et a sinistris ministros sacros, dicit pro gratiarum actione in tono feriali et manibus *iunctis,* tres sequentes orationes, omnibus *stantibus* ct « Arnen » respondentibus, quae e Gelasiano desumptae sunt (1. « Super populum tuum » Wilson p. 18. 37, « Omnipotens et misericors Deus » p. 62, « Reminiscere » p. 61). (n. 35). — (2) Celebrans et ministri sacri de altari descendentes faciunt genuflexionem, una cum acolythis seu ministrantibus, et in sacristiam revertuntur. In choro dicitur *Completorium,* candelis exstinctis, et absque cantu (n. 36. 37). — (3) Tempore opportuno, SS. Eucharistia *reponatur,* forma privata ad locum reservationis et ibidem asservatur, lampade de more accensa. Et denudatur altare (n. 38).

d) Leges cultualcs Fer. VI. in Passione et Morte Domini.

1°. *Tempus* quo celebrari debet sollemnis actio liturgica noviter determi nata est per *Ordinationes et Declarationes* 1. febr. 1957: « Celebratur horis postmeridianis, et quidem circa horam tertiam (= hora 15.). Ubi vero ratio pastoralis hoc suadeat, inchoari potest etiam a meridie, vel tardiori hora, non autem ultra horam nonam serotinam (= 21. hora) » (OD 1957. η. IV, 15). His satisfactum est votis plurimorum episcoporum, ut e. gr. in Congressu I. International] liturgiae pastoralis, ubi archiepiscopus Kansas City in relatione 93 dioecesium Xmericae septentrionalis exposuit (18-22. sept. 1956) pro civitatibus magnis operariorumque necessitatibus maiorem latitudinem temporis necessariam esse, quam a decreto OHS statutum (hora 3-6 postmeridiana: Decr. n. 8) fuit. Haec determinatio temporis a *rectoribus* ecclesiarum ponderari statuique potest.

2 . *Repetitio actionis liturgicae Fer. VI.* quoque ab iisdem antistitibus humiliter postulata permissa est: « Sacerdotibus qui curam duarum vel plurium habent paroeciarum, ordinarius loci permittere potest repetitionem actionis liturgicae Fer. VI. in Passione et Morte Domini, non tamen in eadem paroecia, ct intra idem temporis spatium, quod supra pro absolutione eiusdem actionis statutum est » (ergo hora 12-21. OD η. IV, 16).

3°. *De adoratione Crucis symbolica* seu ostensione facultativa cf. supra b. 2°. e.

4°. S. *communio* « distribui potest *unice* inter sollemnem actionem liturgicain postmeridianam » (OD 1957. η. IV, 18), *non* ergo iam ab hac actione statim expleta, actio enim haec liturgica non est Missa, sed communio sacra publica fidelium, non ergo haberetur moralis continuitas. *Excipiuntur:* « in periculo mortis constituti » (OD ibid.), non solum *infirmi,* ut OHS 1956 (Instr, n. 19) constituit, sed *omnes* qui ex quacunque causa in periculo mortis versantur, quod *ante* OD 1957 cl. Alvarez-Menendez in dubium vocavit (Angelicum 1956. 54 nota 3).

8. De Sabbato Sancto.

a) Non agitur de Sabbato Sancto, ut vigilia Paschatis, dies enim hic non est dies vigiliae, quae solum nocte eiusdem diei incipit, instaurationis enim felicissimae finis fuit abolere illam inconvenientiam, quod celebrationes liturgicae vigiliae paschalis iam mane Sabbati Sancti peractae sunt. Ut S. Mater Ecclesia multorum votis ardentibus respondens declaravit, « Sollemnis praesertim paschalis vigiliae liturgia, a propria sede avulsa, nativam perspicuitatem ac verborum et symbolorum sensum amisit... Exinde vero fidelium ad sacros hos ritus frequentia necessario decrevit, ea praesertim de causa, quod eorum celebratio iam diu ad horas matutinas anteposita fuerat, quando scilicet scholae, opificia et publica cuiusque generis negotia, ubique terrarum, diebus ferialibus peragi solent ct peraguntur » (OHS 1956. Dccr. Introductio).

b) Restituta est ergo per instaurationem vigiliae paschalis ad horas nocturnas *indoles nativa* Sabbati Sancti: « Indoles luctuosa memoriae dominicae sepulturae » (OHS 1956 ibid.).

1°. Indoles haec luctuosa manifestatur nunc in *summo luctu,* quo « Ecclesia ad sepulcrum Domini immoratur, passionem eius et mortem meditando » (OHS 1956. Instr, n. 2. d.) quique *deprehenditur* cum in *Officio* divino huius diei, tum etiam in Ordine instaurato in *Vesperis,* quae adhuc hanc indolem luctuosam spirant, demum in eo, quod « Ecclesia a sacrificio *Missae,* sacra mensa denudata » abstineat (ibidem). Dies ergo aliturgicus est et de peculiari hac natura huius diei fideles diligenter edoceri debent. Quoniam per septem saecula anticipatio vigiliae nocturnae hanc indolem luctuosam nebulis obduxit oblivionis, iuvat *quaedam motiva* huius dici aliturgici in memoriam revocare.

a. Ratio prima summi luctus est *sabbatina requies Christi sepulti,* ut Durandus apposite dicit: « Sicut Deus operibus creationis mundi sex diebus completis, in septima requievit ab omni opere, quod patrarat, sic... iuxta quod Dominus in Cruce pendens dixit: Consummatum est, in septima aetate requievit. Cum enim anima eius passibilitatem corporis exuit, quodammodo requievit » Rat. div. offic. VI. c. 78, 1). *Quid precandum erat* hoc die requiei, legi potest in *Missali Gallicano Vetere* saec. VIH-i: « Universitatis creatorem in hac magna matutina Sabbati, fratres carissimi, supplices deprecemur, ut qui Adam dc profundis infernalis limi misericorditer eripuit, nos cius Filius de luto faecis huius, cui inhaesimus, sola misericordia tantum clamantes eruat » (PL 72, 361). *Officium* quoque Sabbati hanc requiem commemorat: « In pace idipsum dormiam et requiescam... Requiescet in monte sancto tuo... Caro mea requiescet

in spe » (antiphonae I. noct.), vcl « *Hodie* afflictus sum valde, sed cras solvam vincula mea » (Vesp. instaurat. Ord. Hcbd. Sanctae).

b. Alia causa luctus est *furor inimicorum* etiam sepultum Dominum persequentium, ut videtur e. gr. *e Missali Bobiensi* saec. VH-i, in quo « Die sabbato mane » primum legitur *lectio:* « Altera autem die quae est post Parasceven. convenerunt principes sacerdotum et pharisaei ad Pilatum, dicentes: Domine, recordati sumus quia seductor ille dixit adhuc vivens: Post tres dies resurgam... ». Qua lectione finita *Improperia* canebantur Sabbati Sancti, quibus Dominus leniter conqueritur ob insidias inimicorum: « Insidiati sunt mihi adversarii mei magis gratis. Tu Pater sancte, miserere et libera me... Aperuerunt omnes ora sua contra me: dentibus fremuerunt, quaerentes deglutire me... Quos veni liberare, accusaverunt me, flagellis verberatum cruci adfixerunt me, lancea percusserunt me. Dimitte illis noxam. Pater dementissime, cuncta dele peccata, et relaxa crimina, ignorant quid faciunt » (PL 72, 496 s.). Similiter recordatur *ant. ad Magnificat* Vesp. huius Sabbati istius eventus: « Principes sacerdotum et pharisaei munierunt sepulcrum, signantes lapidem, cum custodibus » (OHS 1956).

c. Tertia causa luctus diei est *moeror Apostolorum,* ut Durandus dicit: « Haec autem dies, sicut praecedens nullum habet officium divinum, in quo consta* apostolos fugisse et in moerore fuisse » (VI. c. 78, 2). « officium divinum ⫾ intelligendum est Missa, quae saepe vocabatur medio aevo « officium » (= Amt).

2°. z\d indolem Sabbati Sancti tamen pertinet etiam *quoddam gaudium retentum* supervenientis paschatis noctis, quod sicut luna hac nocte suaviter se fundit per fenestras ecclesiae, translucere incipit luctum Sabbati. *Causae huius gaudii* autem sunt:

a. *Descensus Christi ad inferos limbi* Patribus salutem adeptam annuntiantis. Pulchre locutus est de hoc infernali descensu quidam: « Exulta caelum et in laetitia esto terra! Iste dies vobis amplius ex sepulchro radiavit, quam de sole refulsit. Ovet et infernus, quia Vita ad se descendente, a sua impietate resolutus est. Gaudeat quia in sedibus suis descendente Domino, visitatus est. Exultet homo Adam, quia ignotam lucem post saecula longa vidit... O pulchra lux! quae de candido caeli fastigio promicasti et post fluenta purpurea, sedentes in tenebris et umbra mortis subita claritate vestisti. Confestim igitur aeterna nox inferorum, Christo descendente resplenduit » (PL 47, 1153, sermo ignoti cuiusdam saec. V-VL). *Liturgia* autem *Gallicana* supplicibus verbis obsecravit Christum Sabbato Sancto: « Qui descendisti in lacum, ut ex inferis vinctos educeres, descende nunc quoque, precamur, ut ex vinculis peccatorum, quibus unusquisque constringitur, nos absolvas » (Miss. Gallic. Vetus PL 72, 362). *Officium* quoque Sabbati Sancti saepe recordatur descensionis Christi: «Elevamini, portae acternales ct introibit rex gloriae... Domine, abstraxisti ab inferis animam meam » (ant. II. noct.).

b. Secunda causa gaudii huius incipientis est *desiderium intensum erga mysterium Redemptionis,* hac nocte implendum. Optime inveniuntur voces repercussae huius desiderii gaudiosi in *oratione animarum limbi* Christum ad eos descensum voce supplici implorantium, quae oratio sensa resplendet maiorum nostrorum: « Venisti tandem, o clementissime Jesu, succurre iam et parce defessis! Nunc Christo saevas exstingue minas, iam miserandos resolve gemitus! Hedemisti vivos cruce tua, eripe et mortuos morte tua! Pari nobiscum mundus

labe interierat (= allusio ad diluvium, typum baptismi). Ad adventum tuum omnis creatura suspirabat. Tibi nostra tormenta suspirabant. Te semper iste infernus pallebat, dum hic es, absolve reos, dum ascenderis, defende tuos! Tu solus caput draconis comminuere potuisti. Tu portas aereos et vectes ferreos voluisti contenerere. Pateat quaeso, procantibus ianua, lux non desit pia! » (PL 47, 1154-1155, in sermone concionatoris supra citati).

c. Ad gaudium huius Sabbati pertinuit etiam *redditio symboli et ultimus* exorcismus mane Sabbati huius, de quibus cf. De Sacr. Baptismi F. 1. c. 2°, 3°. ct 4°.

Litteratura.

Quoad tempus Septuagesimae. .V. *Nilles,* Kalendar. manuale utriusque Ecclesiae, Oeniponte 1897, II, 19-92. — *Idesbald can Houtryoe,* Septuagesime, Louvain 1920. — *H. Grisar,* Das Missale im Lichte romischer Stadtgeschichte, Freiburg i. Br. 1925, 9-11. — *Siffrin,* Das Sexagesima-Fasten, *in:* JfLw 1930, 19-29. — C. *Callewaert,* L'oeuvre liturgique de St. Grégoire. La Septuagesime et l'Alleluia, *in:* Rev. d'hist. ecclés. 1937, 306-326. — *M. Righetti,* Storia liturg. II (1946) 87-95. — *H. Leclercq,* Septuagesime, in: DAL XV, 1 (1950) 1262-1266.

Quoad Quadragesimam in genere. *Ant. Linsenmayr,* Entwicklung der kirchlichen Fastendisciplin bis zum Konzil von Nicaa, München 1877. — F. *X. Funk,* Die Entwicklung des Osterfastens, *in:* Kirchengesch. Abhandl., Paderborn 1897, I, 241-278. — *11. Thurston,* Lent and Holy Week, London 1904. — *E. Vacandard,* Carême, *in:* DAL II, 1 (1910) 2130-2158. — *C. Callewaert,* La durée et le caractère du carême, *in:* Collât. Brugens. 1913-1920, et *in:* Sacris erudiri Aldenburg 1940, 449-659. — *L. Villecourt,* Les observances liturgiques et la discipline du jeûne dans l'Église Copte, *in:* Le Muséon 1923, 249-292. — *//. Leclercq,* Jeûne, *in:* DAL VII, 2 (1927) 2481-2504. — AL *Andrieu,* Les messes des jeudis de carême et les anciens sacramentaires, *in:* Rev. scienc. relig. 1929, 343-375. — R. *J. Hesbert,* Les dimanches de carême dans les manuscrits bénéventains, *in:* Eph. lit. 1934, 198-222. — *H. Frank,* Oesterlicher Frühling. Von der Ostererwartung der Kirche, Paderborn 1936. — J. A. *Jungmann,* Oratio super populum und altchristl. Büssersegnung, *in:* Eph. Lit. 1938, 76-96. — *C. Callewaert,* S. Grégoire, les scrutins et quelques messes quadragésimales, *in:* Eph. Lit. 1939, 191-203. — A. *Chavasse,* Les messes quadragésimales du Sacramentaire Gélasien, *in:* Eph. Lit. 1949, 257-275. — *Idem,* Temps de préparation à la Pâque d'après quelques livres liturg. romains, *in:* Rech. scienc. relig. 1950, 125-145. — *Idem,* La structure du carême, *in:* Maison-Dieu cah. 31 (1952), 76-119. — *L. Bouyer,* Le carême, initiation pascale, *ibid.* 18. — *J. Leclercq,* Carême et pénitence, *ibid.* 44-59. — *O. Heiming,* Aliturgische Fastenferien in Mailand, *in:* AfLw 1952, 44-60. — S. *Lyonnet,* De ieiunio et abstinentia ut fontibus caritatis, *in:* Verb. Domini 1952, 92-100. — /?. *Darragon,* Notre carême d'après les oraisons du Missel Romain, *in:* Vie spirit. 1952, 248-265. — A. *Gillatime,* Jeûne et charité dans l'Église latine des origines au XIL siècle en particulier chez S. Léon le Grand, Paris 1954. — *Idem,* Jeûne et charité dans la liturgie de carême, *in:* Nouv. revue théol. 1954, 243-253. — *J. A. Jungmann,* Die Quadragesima in den Forschungen von Antoine Chavasse, *in:* AfLw 1958, 84-95. — P. *Jouncl,* La pénitence quadragêsÎmale dans le Missel Romain, *in:* Maison-Dieu 1958, 30-49. — *Th. Maertens,* Schémas de pastorale b'blique pour le carême, *in:* Paroisse et lit. 1959, 1-30. — A. *Chavasse,* Signification baptismale du carême et de l'octave pascale, *in:* Maison-Dieu cah. 58 (1959) 27-38.

Quoad Caput ieiunii. *F. Cahroi,* Caput ieiunii, *in:* DAL II, 1 (1910) 2134-2137. — G. *Antonucci,* Caput ieiunii, *in:* Athenaeum 1926, 91-102. — AL *Cattcrer,* Annus liturgicus 1926, p. 263-265. — *De Amicis,* Cacremoniale parochorum 4. ed. Romae 1948, n. 293-296. — *L. Hébert,* Leçons de liturgie à l'usage des séminaires, 25. ed. Ill, 1952, 213-223. — *R. Lesage,* Diet, pratique de lit. romaine, Paris 1952, 188-190. — G. *Penco,* « Usque caput quadragesimae n, *in:* Eph. Lit. 1954, 217-232.

Quoad Hebdomadam sanctam. F. *Cabrol,* La Semaine Sainte ct les origines de l'année liturgique, *in:* Origines lit., Paris 1906, 173-190. — A. *Spagnolo,* La settimana santa nella storia. Note ed appunti, *in:* Atti e Mem. Accad. Verona, 1914, 49-151. — *J. B. Thibaut,* Ordre des offices de la Semaine sainte à Jérusalem, du IV. au X. siècle, Paris 1926. — *T. Leutcrmann,* Ordo Cassinensis Hebd. Maioris (s. XII.), Montecassino

j941. — *Q. Woratsch,* Uin eine seelsorglich wertvolle Feier der Karwoche, *in:* Bib. u. Lit. 1955, 177-182. — S. *Alvarez-Menendez,* Recens generale decreturn SCR. « Maxima Redemptionis nostrae mysteria ⅆ ac ecclesiastica disciplina hucusque vigens, *in:* Angelicum 1956. 37-5S. — A. *Bugnini-C. Braga,* Ordo Hebdomadae Sanctae Instauratus, Romae 1956 (etiam Eph. Lit. 1955, 82-228). — G. *Card. Lercaro,* I giorni dell'ainarezza, Bologna 1956. — *Th-Maeriens,* La semaine sainte, S. André, Lophern près Bruges 1956. — F. *Antonelli,* Momentum et character pastoralis instaurationis liturgicae Hebd. Sanctae, *in:* Eph. Lit. 1956, 15-19. — *J. Low,* The new Holy Week, *in:* Worship 1956, 94-113. — *M. B. Hellriegel,* Holy week in the parish, *ibid.* 1956, 234-257. — F. *Mac-Manus,* The Rites of Holy Week Ceremonies, Preparations, Music, Commentary, Paterson (New Jersey) 1956. — J. A. *Jungmann,* Der neue Ordo der Karwoche u. die Volksgebrriuche, *in:* Anima 1956, 401-407. — Résultat de notre enquête sur la Semaine Sainte, *in:* Paroisse et lit. 1956, 358-410. — *J. Pascher,* Die Metten im hl. Triduum der emeuerten Karwoche in: Anima 1956. 463-468. — *Jounel-Roguet,* Sens et pratique de la Semaine Sainte, Paris 1957. — *M. Dubois,* Cérémonial de la Semaine Sainte, Basilique St. Anne (Québec, Canada) 1957. — *Ritus pontificalis* Ordinis Hebd. Sanet, instaurati, Romae 1957 (ed. typica e decr. 5. feb. 1957), quo cap. 21-28 l. Π-i Caer. Episc. substituitur. — *Officium Hebd. Sanctae ct Octacc Paschae cum cantu,* iuxta ordinem Missalis et Pontificalis Romani, ed. typica Romae 1959. — *J. A. Jungmann,* The history of Holy Week as Heart of the Liturgical Year, in: The Furrow, May 1959, 287-310. — *B. Fischer,* Vom einen Pascha-Triduum zum Doppeltriduum der heutigen Rubriken, *in:* Pasch. Soli. 1959, 146-156.

Quoad Dom. IL Passionis. *L. Gougaud,* Pâques fleuries, in: Vie arts lit. 1924-25, 263-266. — A. *Baumstark,* La solennité des Palmes dans l'ancienne et la nouvelle Rome, *in.* Irénikon 1936, 3-24. — *T. Zanetti,* La Domenica delle Palme, *in:* Atti HL Congresso di Lugano, 1953, 193-208. (germanice in: Lit. Jahrb. 1953, 286-296). — G. *Mesnard,* Vers la restauration du Dimanche des Rameaux, in: Etudes Grégorien. 1954, 69-81. — *II. A. P. Schmidt,* Hebdomada sancta I. IL Romae 1956-57. — *II. J. Graf,* Palmenweihe und Palmenprozessionen in der lateinischen Liturgie, Kaldenkirchen 1959.

Quoad Fer. V. in Coena Domini. *P. de Puniet,* Du rite des processions à la consecration des saintes huiles, in: Rassegna Grcgoriana 1909, 343-360. — *P. Browe,* Die Koinmunion an den letzten drei Kartagen, in: JfLw 1930, 56-76. — *II. Schmidt,* Spirito e storia di Giovedi Santo, in: Atti HI. Convcgno... Lugano 1953, 193-208. — *J. Kettel,* Zur Liturgie des Griindonnerstages, *in:* Lit. Jahrb. 1953, 60-74. — A. *M. Franquesa,* La comunion sacerdotal en la Misa del Jueves Santo, in: Eph. Lit. 1954, 313-329. — *B. Capelie,* La Messe vespérale in Caena Domini et le Vendredi saint, in: Eph. Lit. 1955, 227-235. — A. *Chavasse* λ Rome le Jeudi-Saint, au VIL siècle d'après un vieil Ordo, *in:* Rev. d'hist. cedes. 1955, 21-35. — *E. Viale,* Le reposoir du Jeudi-Saint, in: Maison-Dieu n. 41 (1955) 45-63. — S. *Zenker,* De praeteritis ad nova transimus. Zur emeuerten Feier d. Oelweihe, *in:* Anima 1956, 415-426. — */'. Morant,* Die Fusswasehung, exegctisch u. lit. gesehen, in Anima 1956, 431-438. — *B. Neunheuser,* Die Predigt in der Abendmesse des Griindonnerstags, ib. 1956, 438-444. — A. *Joubart,* La date de la Cène. Calendrier biblique et liturgie chrétienne. Paris 1957 (sed cf. *P. Gachtcr,* Eine neue Chronologie der Leidenswoche, in-ZfkTh 1958, 555-561).

Quoad Fer. VI. in Passione et Morte Domini. A. *Baumstark,* Der Orient und die Gesiinge der Adoratio Crucis am Karfreitag, *in:* JfLw 1922, 1-17. — G. *Malherbe.* Les Présanctifiés, in: Quest, lit paroiss. 1929, 3-23. — A. *Wilmart,* Prières médiévales pour l'adoration de la Croix, in: Eph. Lit. 1932, 22-65. — *J. Ziadé,* Présanctifiés, in: Diet. Théol. Cath. XIII (1936, 82-83). — *T. De Mendijur,* La comuniôn en el triduo de semana santa, Buenos Aires 1945. — A. *Rücker,* Die Adoratio Crucis am Karfreitag in den orientalischen Ritcn, in: Miscell. Lit. K. Mohlberg, I. Roma 1948, 379-406. — *M. Tarchnasvili,* Die Missa praesanctifieatorum und ihre Feier am Karfreitag nach georgischen Quellen, in: XfLw 1952, 75-80. — *J. A. Jungmann,* Die Kominunion am Karfreitag, in: ZfkTh 1953, 465-470. — *B. Capclle,* Le Vendredi Saint et la communion des fidèles, *in:* Nouv. Rev. théol. 1954, 142-154. — *E. R.* La comunione dei fedeli al Venerdî Santo, in: Eph. Lit. 1954, 253-256. — *H. Wanderhoven,* La communion des fidèles le Vendredi Saint, *in:* Paroisse et lit. 1955, 76-87. — G. *Romer,* Die Liturgie dis Karfreitags, in: ZfkTh 1955, •9-93. — *E I.engcling,* Die feierliche Actio liturgica am Tage des Leidens u. Todes des Ilcrrn, in: Anima 1956, 114-463. — *B. Fischer,* Die \ olkskateehc.se iil>er die Karfreitagskommunion, *ib.* 156, 468-172. — S. *Corbin.* La déposition liturgique du Christ au vendredi saint, Paris 1960.

E) De tempore gaudioso cycli paschalis.

Unus est cyclus liturgicus paschalis Redemptionem *recolens* ac *repraesentans* eamque *applicans* fidelibus Christi. Prima pars *poenitentialis* praeparat tribus gradibus (Septuagesimae, Quadragesimae, Passionis) animos, semper propius accedendo ad Pascha Crucis, *secunda* autem pars cycli *gaudiosa* initiationem peragit gregis dominicae in mysterium Christi suscitati et glorificati.

Prima parte poenitentiali abunde pertractata perventum est ad secundam partem cycli paschalis, ad tempus nimirum gaudiosum eiusdem cycli, culmen et fastigium anni, de quo S. Leo Magnus non dubitat enuntiare: « In omnibus sollemnitatibus Christi non ignoramus *paschale sacramentum* esse praecipuum» Sermo 47, 1). Revera mysterium Christi glorificati est « magnum pietatis Dei sacramentum » (Leonianum p. 143), *initiumque* sumit *a sacratissima nocte,* qua Deus « universa mundi spatia gloria dominicae resurrectionis illustrat » (Gelasianum p. 88), quaeque resurrectio « ad vitam aeternam nos reparat » (ibid, p. 91). Continuo festo per septem dies protracto celebratur sollemnitas sollemnitatum, nullum prorsus aliud festum admittens, quasi unicus dies festivus, qui - magno sacramento perpetuae felicitatis est nobis » (August. PL 38, 1196). « Dies » hic e septem conflatus deinde transit in *festum septem hebdomadarum* in celebrationem SS. Quinquagesimae seu Pentecostes, in qua instar cacuminum eminent festa *Ascensionis* Domini qua *complementum,* et *Pentecostes* qua *consummatio* operis redemptivi.

Tractaturi ergo sumus sequenti ordine:

1. De Paschate in genere.
2. De sollemni vigilia Paschali.
3. De sollemnitate SS. Quinquagesimae paschalis.
4. De Ascensione Domini.
5. De consummatione Paschatis, S. Pentecoste.

1. De Paschate in genere.

Agimus a) de nominibus, — b) de origine Paschatis, dein c) de eius indole, demum d) de legibus cultualibus Paschatis.

a) Nomina Paschatis.

1 '. Nomen nativum est hebraice *Pesach,* aramaice *Pascha.* Ut B. Couroyer ostendit, vocabulum pesach nec ex hebraico nec e lingua accadica originem ducit, sed verisimiliter e lingua *aegyptiaca.* Tempore dynastiae XIX. quando usus articuli « pa » iam divulgatus, est i. e. tempore Exodi, « pa-sach » significavit percussionem seu « *plagam* » (coipo, Schlag, coup, esapas), et quidem decimam, quando primogeniti Aegyptiorum occisi sunt ab exterminatore (cf. Rev. bibi. 1955, 481-496). Quoniam radix *p-s-ch hebraice* significationem habet « claudicandi » seu « saliendi », pesach intellectum est actio Yahveh « salientis » seu « transsilientis » domos, seu Hebraeorum primogenitis parcentis, inde sensus « praetermissionis » sive « *transitus.* » — Nomen hebraicum in sua forma *aramaica* evasit commune *Graecis* (pascha), *Latinis et permultis populis.* Itali

dicunt « Pasquâ, » Hispani « pascua, », Galli « paque, », Germani quoque medio aevo saepe dicebant « Paaschen, » Norwegi hodie quoque appellant « Paskir, » Dani « Paaske. »

2°. *Slavi* autem nomina propria efformabant sibi. Multi diem et tempus Paschatis vocant *de resurrectione* Domini « Voskresenije », Russi et Rutheni, eodem modo Sloveni: « Vstajenje Gospodovo » (= resurrectio Domini), Croatae et Serbi dicunt « Uskrs » (= resurrectio). Alii autem SIavi *de magnitudine* noctis et diei sumebant nomen Paschae, dicentes ut cechoslavi « Velikanoc » (magna nox), poloni « Wielkanoc. » At *dies* quoque insignitur tali modo: « magnus dies », sic a Ruthenis (« Velikden »), Cechoslavis (Velikâ nedele » = magna Dominica).

3°. Maximae gentes originis *germanicae* autem Pascha appellant nomine verisimiliter *originis paganae,* Germani « Ostem », Angli « Easter ». Iam Beda Venerabilis (f 735) convictionem sui temporis prodit, dicens: « Eosturmonath. qui nunc paschalis mensis interpretatur, quondam a dea illorum, quae Eostre vocabatur et cui in illo festa celebrant, nomen habuit, a cuius nomine nunc paschale tempus cognominant, consueto antiquae observationis vocabulo gaudia novae sollemnitatis vocante » (De tempor. rat. 15 PL 90, 357). Iuxta recentiores quidem aliqua dea *Ostara* seu *Eostre,* dea temporis vernalis, nunquam colebatur, sic Bachtold-Stiiubli, (Handwôrterbuch d. deutsch. Aberglaubens VI. 1311), cui adstipulatur Th. Schnitzler (Osterei u. Osterhase, *in:* Paschatis Soli. 1959, 267-274). Beda tamen fortasse adhuc plus potuit audire de religione paganorum quam supponitur.

4°. *Hungari* autem tum Dominicam Resurrectionis, tum tempus paschale a resumenda Carne nuncupant, dicens « *Husvét* » (= carnis sumptio).

b) Origo Paschatis.

1°. Incunabula Paschatis. a. *Pascha festum ludaicum.* Hebraeis veteris Testamenti Pascha fuit festum summum, quo recolebant exitum ex Aegypto inde a *14. die Nisan* i.e. primi mensis anni (mart.-apr.) vespere celebrantes *coenani* agni paschalis, *die 15.* vero sollemnitatem paschalem *per septem* dies continuos protractam. Ob usum anni lunaris festum hoc vario tempore celebratum fuit Christi tempore, ideo usque hodie *festum mobile* permansit etiam christianis, (pii annum solarem adhibebant inde a Julii Caesaris tempore in Imperio Romano vigentem. Judaeo-christiani ante excidium Hierosolymarum Legem observantes etiam hoc festum celebrabant, ut memoriale miserationum Domini erga populum suum.

b. *Primum vestigium festi christiani.* Consentimus opinioni Judaeo-christianos statim ab initio in festo Paschatis etiam Domini recordasse, eius nempe passionis gloriosaeque resurrectionis, sicque festo Judaico *novum elementum* adiunxisse Haec opinio tantum declarat factum, quod S. *Paulus* anno 57. scribens Corinthiis plerumque e gentibus oriundis, supponit eos optime nosse festum Paschatis inuno Pentecostes. Tempore enim paschali scribens dicit: « Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi, etenim Pascha *nostrum* immolatus est Christus. Itaque epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiae et nequitiae, sed in azymis sinceritatis et veritatis » I Cor 5, 7-8). Corinthii ergo sciunt de Paschate, simul autem id quoque no-

scunt, quod Pascha vetus non debet celebrari, quia Pascha Christianorum Christus est immolatus. — (2) Simul cum facto celebrationis festi christiani perspicaciter animadvertitur, ritus *mosaicos* Paschatis *symbolicos* evasisse: *panes azymi,* massoth, symbola sunt sinceritatis et veritatis, panes econtra fermentati sunt actus malitiae et nequitiae. Symbolismus deinde extensus est ad alios quoque ritus paschales Veteris Legis: memoriale festum *exitus* ex Aegypto unius fuit populi, novum memoriale recolit liberationem totius generis humani a tyrannide Satanae. *Sacrificium agni* iam inde ab Isaia et Joanne Baptista typus fuit, Deo volente, Christi, Agni Dei, sicut etiam sacra coena Judaica dominicae coenae Novi Foederis, transitus autem per *Mare Rubrum* iam Paulo testante typus fuit Baptismi. — Merito ergo dicit *Dom Llopart* vigiliam paschalem esse institutionis apostolicae, scriptaque Pauli *I. ad Cor., Rom., Eph.* et *Coi.* esse quasi ° epistolas fcstales » occasione paschatis (cf. Litter. 1956. p. 441-472). *Prima* quoque *ep.* S. *Petri* occasione tali scripta est, quasi recapitulatio vigiliae paschalis, continet hymnum pro baptismate, catecheses praebaptismales, mystagogicas, una cum paraenesi pro tota communitate (ibid. p. 473-515).

2°. Controversia de Paschatis celebratione. Pauca sunt testimonia Paschatis saec. II-o, Patres apostolici casu non memorant Pascha, institutum tamen clare *antiquissimum* est, nam ab omnibus supponitur ut semper et ubique celebratum. Conferantur testimonia Epistulae Apostolorum inter 130-140, textus dein Melitonis Sardensis et Apollinaris Hierapolitani versus 180 (inferius c. 1°. a.).

a. Primum quod compertum nobis est de Paschate, est acris *disceptatio de tempore et modo* quo colendum est. Medio saec. II-o *duo usus* celebrationis conspiciuntur, simul et prima testimonia controversiae Orientales inter et Occidentales. Occidentales seu *Romani* Dominicam plenilunium 14. Nisan sequentem celebrabant, resurrectionem primario prae oculis habentes, econtra Orientales, praesertim *Asiani,* sacratissimum festum semper die 14. Nisan Judaei celebrabant, principaliter mortem dominicam recordantes. — (2) Res adducta est in propinquum discrimen *Victore* Papa regnante (189-199) cum Blatus quidam presbyter Asianus una cum asseclis suis Romae Pascha iuxta datum quartodecimanorum celebrare coepit, tantopere iudaizans, ut etiam agnum paschalem in coena manducavit. Victor litem praximque ancipitem statim componere volens ubique ecclesias interrogavit quomodo Pascha celebrent, responsisque acceptis solum ecclesias Asiaticas quartodecimanum usum sequi comperit. At *Asiae episcopi* duce Polycrate Ephesino restiterunt licentiamque usus quartodecimani exemplo S. Joannis Evangelistae, Philippi Apostoli (!), S. Polycarpi et aliorum excusaverunt; Polycrates autem Victori declaravit: 0 Qui cum fratribus ex toto orbe venientibus sermones saepe contuli, qui Scripturam sacram omnem perlegi, nihil moveor iis, quae nobis ad formidinem intentantur » (cf. Euseb. II. E. V, 24, 1-8). Eusebius narrat quod Victor illico omnes Asiae ecclesias tamquam contraria rectae fidei sentientes a communione abscindere conatus est (ib. n. 9). Plures tamen episcopi, praeeunte S. *Irenaeo Lugdunensi.* Victorem decenter admonuerunt, ne integras ecclesias morem a maioribus acceptam servantes excommunicet. Irenaeus provocavit ad antecessores Victoris, qui etsi usum quartodecimanum « minime observarent, pacem nihilominus colebant cum iis, qui ad se venissent ex ecclesiis, in quibus id observabatur » (ib. n. 14). Victor demum benigne annuit suasionibus Irenaei, cuius laus ab Ecclesia annuntiatur, quod « pacem Ecclesiae feliciter confirmavit n (oratio Missae S. Irenaei 28. iun.). — (3) *Quam vetus* fuit disceptatio de Paschate, idem Irenaeus

demonstrat, affert enim ad pacem conciliandam exemplum sancti pontificis Romani *Aniceti* (154-165), quem S. *Polycarpus* ideo perquisivit, ut eum de celebratione Paschatis persuadeat. « Statim tamen pacifice tractaverunt de hoc capite, neque inter se rixati sunt. Neque enim Anicetus Polycarpo unquam persuadere poterat, ut observare desineret, quippe qui cum Joanne Domini nostri discipulo et cum reliquis apostolis quibuscum familiariter vixerat, eum morem perpetuo observassct. Neque ex altera parte Polycarpus Aniceto persuasit, ut observaret, cum Anicetus eorum qui ante se fuerunt presbyterorum morem sibi retinendum esse diceret » (Eus. n. 16).

b. Ut videri potest, *anceps* usus celebrationis Paschatis ab antiquis testibus imputatur ab Asiaticis S. *Joanni,* a Romanis autem presbyteris ante Anicetum regnantibus, i.e. summis Pontificibus a S. *Petro* descendentibus. Anceps usus celebrationis reapse verisimiliter ab his duobus Apostolis originem ducit, ut Baumstark egregie opinatur (Lit. comparée p. 185-6). Praxis *quartodeciinana a Joanne* oriunda congruit eius experientiae individual!, dies enim 14. Nisan notat diem mortis Christi iuxta Joannem, at praecise Joannes solus fuit ex Apostolis, qui Cruci adstitit Christi, dum econtra *Petro* dies mortis Christi *propria* experientia incognita fuit, immo dies remorsus conscientiae, dies autem *resurrectionis* principi Apostolorum peculiariter carus, eo enim die « surrexit Dominus et apparuit Simoni n. Per diem 14. Nisan ergo magis mors Christi, per diem Dominicam vero magis resurrectio inculcatur, die enim 14-o mortuus est qui resurrexit prima die hebdomadae.

3°. Ulteriores sortes Paschatis. Lis etsi Victor Papa pacifice se gessit, tamen cito composita esse videtur; excepta Asia proconsulari, omnes ecclesiae praxim Romanam secutae sunt.

a. E saec. III-o nullum remansit documentum, quod usum Asiaticorum per totum saeculum intactum vel mutatum fuisse ostenderet. Saec. IV-o Asia proconsularis iam siletur in *epistola Athanasii* dicitur quod « in Syria, Cilicia et Mesopotamia *iterum* invenirentur ab ecclesia catholica dissentientes, et eodem quo Judaei Pascha celebrantes » (Epist. ad Afros episc. PG 26, 1032), sacra *Nicaena Synodus* ergo decrevit, ut « Judaeorum consuetudine relicta, sanctissima haec sollemnitas uno eodemque die ab omnibus celebraretur », iuxtaque usum Alexandrinorum indixit Dominicam Nisan 14. sequentem *semper post aequinoctium vernale* eligendam esse, ne Judaeis conformentur, qui etiam ante dictum aequinoctium Pascha celebrabant.

b. *Differentia tamen accidentalis* diu remansit in Paschate celebrando ob diversas rationes supputandi cyclum lunationis et « terminos paschales ». Termini enim Paschatis habebantur Romae 25. mart, et 21. apr. (i.e. Pascha non potuit celebrari ante 25. mart., quia Romae hic dies habitus est aequinoctii). Alexandriae autem termini erant 22. mart, et 25. apr. Etiam « cycli »' ansam praeberunt disceptationis. *Cyclus* est recursus noviluniorum, stato numero elapso annorum, iisdem diebus anni. Graeci iam introduxerunt 432 a. Chr. cyclum 19 annorum, hic cyclus 19 annorum est cyclus Alexandrinorum. In Urbe autem observatus est cyclus 84 annorum, qui est cyclus Romanus antiquae supputationis.

c. Varia inde *incommoda* nata sunt circa computum paschalem, sic anno 387 Romae Pascha die 21. mart, celebratum est (contra quidem propriam eorum legem!). Alexandrini econtra die 25. apr., aliae ecclesiae vero 18. apr. celebrabant Pascha hoc anno. Hae differentiae Romam inter et Alcxandriam finitae

sunt per abbatem Romanum, *Dionysium Exiguum,* qui anno 525 introduxit cyclum 5 x 19 = 95 annorum, (pii exinde supputationi Romanae novae fundamentum struit. Gallia iam anno 541 acceptavit hanc novam supputationem Romanam, sed Hibernia et Scotia usqua ad a. 729 retinuit cyclum « proprium » i.e. cyclum antiquum 84 annorum, a S. Patricio in Hiberniam delatum, ideoque saepe rixati sunt Scotti seu Britones cum Anglis, qui a S. Augustino eorum apostolo (f 601) Pascha iam iuxta novam supputationem Romanam celebrabant.

c) Indoles Paschatis.

1°. Indoles holistica primaevae Paschatis. a. « *Totum paschale sacramentum* » (S. Leo Magnus) seu mysterium totale Paschatis primis quinque saeculis Ecclesiae est *celebratio festi complexivi Redemptionis universalis.* Tantum saec. IV. exeunte distinguitur nitide *a* Pascha Crucis » et « Pascha resurrectionis n, etsi character praedictus complexivus adhuc saec. V-o conspici potest, ut statim videbimus (infra sub b.). Indoles haec complexiva testimoniis trium priorum saeculorum limpide demonstratur (cf. Ch. Martin, Rev. d'hist. eccl. 1937, 264: « perspective général de la rédemption universelle », O. Casel, JfLw 1938, 50-59, Baumstark Lit. comparée p. 176-181). — (1) *Epistula Apostolorum* inter 130-140 clarissime loquitur de « memoria mortis Domini, hoc est Pascha », succincte enarrans liturgiam quoque huiusmodi memoriae: « noctu fit vigilia, usque dum gallus cantat, tunc agape fit et memoria completur » (H. Duensing, Ep. apost. *in:* Kleine Texte 152. 1925, p. 13 s., cf. Casei JfLw 1938, 4-6). — '2) *Melito Sardensis* versus 180 scripsit libellum nunc deperditum de Paschate, fragmentum e papyris eruit C. Bonner 1936., e quibus elucet, quod lecta fuit Scriptura de Exodo, declarataque verba mysterii, quomodo agnus immolatus est, i.e. Christi mors redemptiva, simul eodem die etiam resurrectio celebrata est: « Devixi mortem, triumphum egi super hostes meos, Orcum conculcavi, ligavi fortem, evexi hominem ad fastigia caeli » (O. Casei JfLw 1938, 7). — (3) Pascha memorat etiam *Apollinaris Hierapolitanus,* coevus Melitonis, simul cum eo quartodecimanus: n Dies 14. est verum Pascha Domini, sacrificium magnum, in quo servus Dei loco agni alligatus fortem alligavit, iudicatus indicavit vivos et mortuos » (L. Dindorf, Chronicon paschale I, 14). — (4) Fragmentum S. *Hippolyti* (1 235) de Paschate tractans continetur inter Ps. Chrysostomica (PG 59, 735-746) ut Ch. Martin demonstravit (Rech. scienc. rei. 1926- 148-165, cf. O. Casci JfLw 1938, 24-28) in quo *homilia* de Paschate legitur: *a* ...dies adest candidus, Pascha mysticum, Pascha mirabile, divinae virtutis, et potestatis opus, vere festum et memoriale legitimum » (PG 59, 735). In hoc fragmento post exordium exponit lectionem evidenter liturgicam (Ex 12, 1-15. 43-49) de agno paschali, omnia et singula ad mactationem Christi applicans (coi. 737-742), « imaginibus annuntians perfectionem futurae veritatis, sacrificiis sacram victimam, sanguine sanguinem, agno agnum » (coi. 738). Optime ipse Hippolytus audiatur, quid sit obiectum festi illius: « ...cur *mortem* per lignum sustinuit, quae sint *spinae,* quibus coronatus est, quid *acetum et fel,* quod potavit, quod *latus* perforatum ex quo effluxit sanguis et aqua, cur precatur *calicem* transire, quem tamen potaturus Venerat, ...quid sit *triduum* quo mansit sub terra, cur *mulieres primae* vident illum, et cur annuntiando dixit: Mulieres avete. Hi sunt *cibi* nostri sacrae sollemnitatis, haec mensa pneumatica » (coi. 738). Quibus significari videtur historiam *Passionis simulque resurrectionis recitatam fuisse* ex Evangelio. In fine vero homiliae dicit concinnator: « Erige nunc (Deus)

tropaea pro nobis, et largire nobis, ut possimus cum Moyse canere canticum victoriae » (coi. 7-16), ergo *canticum Moysis* (Ex. 15). iam ineunte saec. III-o usitatum fuit in liturgia paschali. — (5) Fragmentum saec. Ill-i ex Aegypto papyraceum *carmen* continet *liturgicum,* simul celebratur mors Christi, memoratur resurrectio, oblatio fit, sumiturque etiam s. communio, et cantatur Alleluia: « Qui in sinu Patris vivit, Verbum-Deus *hodierno* die (!) *crucifixus* et sepultus est, ut homo, propria voluntate, tertio die *a mortuis resurrexit,* nosque magna sua misericordia laetificavit. *Mortem* tuam annuntiamus et sanctam *resurrectionem* tuam glorificamus, Christe! Digni effecti sumus mysticae et ineffabilis mensae tuae, fidenterque sumimus dona pneumatica proposita, cum angelis dicimus dicentes hymnum tuum triumphalem: Alleluia!» (Mus. Berolinense Pap. nr. 1561. Baumstark p. 181).

b. Indoles haec holistica *diu permansit,* etiam postquam ubique disiuncta celebrabantur Pascha Crucis et Pascha resurrectionis. (1) *Constantinopoli* saec. IV-o excunte testatur hanc praxim S. *Chrysostomus,* in suis homiliis ad Matthaeum enim loquens dc corona spinea et illusione Jesu adiicit verba: « Ne Hellenes dicant: Clara ct splendida populis exhibetis, ut signa et miracula, haec vero probrosa occultatis — id dispensavit gratia Spiritus Sancti, ut in sollemnitate maxima, cum viri mulieresque magno numero adsunt, omnesque omnino in *magna Paschatis vespera,* tunc haec omnia legantur... Quibus lectis et cognitis Christus creditur esse Deus et tum propter alia (= eius glorificationem), tum propter haec (= passionem) etiam adoratur, quod pro nobis eousque descendere dignatus sit iliaque pati, ut nos in omni virtutis genere institueret » (In Matth. hom. 87, 1 PG 58, 770). — (2) *In Urbe* medio saec. V-o S. *Leo Magnus* in sermone suo Dominica resurrectionis habito eundem usum testatur, ex Evangelio tota Passio et etiam historia resurrectionis lecta est: « dotum quidem dilectissimi, paschale sacramentum, evangelica nobis narratio praesentavit et ita per *aurem carnis* penetratus est mentis auditus, ut nemini nostrum rerum gestarum imago defuerit, cum divinitus inspiratae *textus* historiae evidenter ostenderit, qua Dominus Jesus Christus impietate *traditus,* quo *indicio* addictus, qua saevitia *crucifixus,* et qua sit gloria *suscitatus,* ...Sollemnitati sacratissimae *lectionis* subiungatur exhortatio sacerdotis » (Sermo 72, 1 De resurr. Domini PL 5-1, 390). — (3) Nil mirum quod vestigia huius indolis holisticae *etiam in liturgia* remanserunt, sic e.gr. in Gregoriano: « ...sed in hac potissimum nocte gloriosius praedicare, cum pascha nostrum *immolatus* est Christus. Ipse enim verus est agnus, qui abstulit peccata mundi, qui mortem nostram *moriendo* destruxit et vitam *resurgendo* reparavit » (Paduanum n. LX.XV., Hadrian, n. 87. 3). In praefatione quadam Gelasiani autem legitur: « Quia nostrorum omnium mors *cruce* Christi redempta est, et in *resurrectione* cius omnium vita resurrexit » (Dom. Paschae Wilson p. 90). — In longe maiore parte tamen orationum ct praefationum sola resurrectio celebratur. — (4) Etiam *in concionibus* sacris antiquae Ecclesiae facile multiplicari possunt testimonia, quod diu superstes mansit aspectus complexivus Paschatis. S. *Augustinus* e.gr. tali ductus idea exponit rationes, Christum esse tum agnum (patientem), tum leonem victoriosum): « Iste agnus coram tondente sc non aperiens os suum, ipse est leo dc tribu Juda. Quis est iste agnus et leo? Mortem pertulit, ut agnus, consumpsit. ut Ico. Mitis et fortis, amabilis et terribilis, innocens, et potens, tacens indicatus, fremens indicaturus, in passione agnus, in resurrectione leo » (Sermo 1 de Pascha PL 46, 829).

2°. Regenerationis sacrae dies. Id quod baptizatis nocte sacratissima factum est, omnibus fidelibus repetitur in mysterio paschali: « Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus » (Rom 6, 4). — Qui vere attingunt mysterium Paschatis:

a. *Consurgunt cum Christo.* « Si consurrexistis cum Christo, quae sursum sunt quaerite » (Ep. Vigil.), haec idea semper inculcatur a Patribus. Quid accipit homo regeneratus, perpulchre declaratur a S. *Hippolyto:* « Servitutis fuga, a veteri necessitate liberatio, adoptionis filiorum honor, remissionis peccatorum fons, immortalis vere in omnibus vita » (PG 59, 741, cf. supra 1°. a.). Homo redemptus « paschale mysterium studeat habere perpetuum » (Gelas, p. 105), quod fit per vitam vere christianam imitationis Christi, ut S. *Leo Magnus* monet: « Imitamini quod operatus est... Quoniam sicut ille paupertate divitias non amisit, gloriam humilitate non minuit, aeternitatem morte non perdidit, ita et vos eisdem gradibus eisdemque vestigiis, ut caelestia apprehendatis, terrena despicite! » (Sermo 72. PL 54, 392). Per gratias Baptismi aliorumque Sacramentorum strenue coopérantes transeunt a morte in vitam, ut S. *Augustinus* declarat: « Pascha hebraeus sermo est, quod interpretatur transitus... Pascha qui celebrant, nisi qui a morte peccatorum suorum transeunt ad vitam iustorum? Sicut apostolus dicit: Transivimus de morte ad vitam, quia diligimus fratres (1 Jo 3, 14). Pascha quis agit, nisi qui credit Christo passo in terra, ut cum illo regnet in coelo? Pascha quis agit, nisi qui pascit in pauperibus Christum? ...Christus sedet in caelo et indiget in terra. Patrem interpellat *pro nobis,* et hic panem petit *a nobis.* Si volumus agere Pascha salubriter: Transeamus — patiamur — pascamus! Transeamus a peccatis ad iustitiam. patiamur pro Christo, pascamus in pauperibus Christum » (Sermo 7. de Pascha PL 46, 837). — Qui vere attingunt mysterium Paschatis:

b. *Moriuntur cum Christo.* Fideles, qui « mysteriorum spiritu quam maxime ex virtute Christi imbuantur, per sociam voluntatis nostrae operam » (MDei n. 163) e paschali mysterio vitam hauriunt, si prius semper moriuntur. Patres vere practice intelligunt hanc mysteriorum participationem, exhortantes continuo ad illam ° sociam voluntatis operam ». Sic e.gr. *Ps. Augustinus:* « Nos vero si consurgere cupimus cum Christo, prius moriamur mundo et concupiscentiis carnalibus et deponamus veterem hominem, id est *malam voluntatem,* vel usum pravum et delectationes pessimas. Induamus nos benignitatem et proximis nostris cum omni devotione bona faciamus » (PL 47, 1151). Ipse S. *Augustinus* tam *practice* intelligit mortem cum Christo, quod etiam de fornicatione non veretur fideles reprehendere, provocans ad promissiones baptismales: « Habes uxorem legitimam et alia tecum dormit. Quaecunque est illa, iam dixi, meretrix est... Sed dicis: Ancilla mea concubina mea est, an non licet mihi in domo mea facere, quod volo? Dico tibi, non licet. In gehennam vadunt, qui talia faciunt ». Dein statim conversus ad recens illuminatos, supplicibus verbis eos deprecatur, ne tales fiant: « Obsecro vos per nomen, quod super vos invocatum est, per illud altare, ad quod accessistis, per sacramenta quae accepistis, per indicium futurum vivorum et mortuorum, ut non imitemini eos, quos tales esse cognoscitis! » (Sermo 224. PL 38, 1094-5).

c. Ad regenerationem ergo requiritur ut continuo *amoveantur impedimenta salutis,* ut apposite *Theophilus Alexandrinus* anno 402. monuit fideles suos: « Igitur dominicum Pascha celebrantes, sanctis purificemur eloquiis, et ad tro-

phaea Salvatoris respicientes, cuncta offendicula quibus vitae nostrae curriculum retardatur, auferamus e medio. Avaritiam quasi foeneratorem pessimum declinantes, vanae gloriae cupiditatem ut insatiabilem iugulemus feram, et fornicationis blandum et lubricum colubrem sollicita mente vitemus » (versio S. Hieronymi PL 22, 811).

3°. Ver sacrum est Pascha, quia sicut ver omnia renovat, etiam mysterium paschale hoc facit in vita supernatural!. Quam antiquus hic conceptus est, ostendit fragmentum paschale S. Hippolyti: « Quando floret germinatque universa terra, et florentes arbores fructus, quos parturiunt iam pariturae sunt... ut ita dicam, principium esse, dulcem nempe veris voluptatem... Credo per Paschae sollemnitatem spiritualem principium, caput ac quasi ducem omnis temporis intelligi » (PG 59, 739, cf. supra 1°. a.).

a. Ver cosmicum *imago est veris pneumatici* i.e. supernaturalis, ut perpulchre exponit S. *Gregorius Nazianzenus:* « Vide qualia sint, (piae oculis offeruntur. Princeps anni pars (= ver) principi dierum (= Pascha) pompam peragit, ac quidquid pulcherrimum et suavissimum habet, a seipsa tribuit. Nunc caelum splendidius, nunc sol sublimior, aureoque nitore rutilantior... nunc fontes limpidius fluunt... nunc et pratum suaviter olet et plantae pullulant.... Omnia Deum laudant ct vocibus mutuis concelebrant. Nunc ver cosmicum: ver pneumaticum, ver animis: ver corporibus, ver visibile: ver invisibile. Quo utinam in altero aevo participes efficiamur ac novi ad novam vitam transmittamur in Christo Jesu! » (Or. 44, 10-12 PG 36, 618-622). *Zeno Veronensis* (t 380) ulterius explicat comparationem imaginis veris pneumatici, dicens ver esse imaginem neophytarum (Infantium), fideles vero repraesentare aestatem: « *Ver sacrum* fontem debemus accipere, cuius divite ex alveo, Favonio non vento, sed lectissima membra corporis Christi, expectamus Caput nostrum venturum de Spiritu Sancto generante, odorem divinum beata sperantes fide, diverso charismate, sed una nativitate Ecclesiae flores carissimi ac dulces: nostri funduntur infantes. *Aestas* autem fidelis est populus, angelicus et mundanus, (pii sponsionis suae palam (= Schaufel, lapât) fortiter retinens, peccatorum paleis limpidatus, semet pretiosum frumentum divinis horreis inferre desiderans, licet suo uberet fonte, tamen aestuat semper iustae operationis ardore » (Tractatus 45. PL 11, 501).

b. *Ver admonitio est transitus* a morte ad vitam, a vitiis ad virtutes, ut declarat S. *Ambrosius:* « Verno tempore filii Israel Aegyptum reliquerunt, et per mare transierunt, baptizati in nube et in mari, ut apostolus dixit et eo tempore Domini quotannis Jesu Christi Pascha celebratur, hoc est animarum transitus a vitiis ad virtutem, a passionibus carnis ad gratiam sobrietatemque mentis, malitiae nequitiaeque fermento ad veritatem et sinceritatem » (Hexameron I, c. 1, 14 PL 14, 140). Si ver sacrum Paschatis tali modo efflorescit in animis fidelium, recte dicitur ver cosmicum laudare Christum suscitatum, ut *Venantius* cecinit: « Ecce renascentis testatur gratia mundi | Omnia cum Domino dona rediisse suo. ' Namque triumphanti post tristia tartara Christo ' Undique fronde nemus, gramina flore favent » (Miscellan. III. c. 9. PI. 88, 131 s.).

4°. Pascha tempus gaudiosum. a. *Profusa gaudia* ob redemptionem quae exuberantor laetificant civitatem Dei. Matrem Ecclesiam, omnino propria sunt

temporis paschalis. (1) Haec gaudia proficiscuntur *a vigilia paschali,* nam « debet gaudendo vigilare Christi amicus » (Aug. PL 138, 1088), in hac vigilia « magnis populorum vocibus haec aula resultet » (Exultet). *Condonator graecus* forsan saec. IV-i talia dicit de hoc gaudio: « Intrate omnes in gaudium Domini nostri... divites et pauperes simul choreas agite... nam ex sepulchro orta est venia, nullus mortem timeat, morte captus mortem extinxit, infernum castigavit, qui in infernum descendit ...Christus surrexit et gaudent angeli, surrexit Christus et nullus mortuus manet in sepulchro » (PG 59, 722-3). — (2) *Liturgia* laetas voces gaudii paschalis alacriter resonat: Sacr. Mozarabic. saec. VII-i sic incipit Missam « in Hilaria Paschae dicendam » : « Laetetur caelum et exultet terra, rideat mare, sol fulgeat: serenitas rediit... » (MEL VI, n. 611). *Auctor* huius gaudii est Deus, « qui nos exultantibus animis Pascha tuum celebrare » facit, ideoque « cxultans Ecclesia... sacrificia paschalibus gaudiis immolat »; *causaque* gaudii assignatur: Christus-agnus destruxit mortem vitamque resurgendo reparavit, et « propterea profusis paschalibus gaudiis totus in orbe terrarum mundus exultât » (Gelasian. Wilson p. 95. 91. 89). — b. Gaudia haec exprimuntur per *Cantica laetitiae* (1) quorum *primum est* « Haec dies quam fecit Dominus, exultemus et laetemur in ea », de quo iam S. Augustinus dixit: « Audiat nos dies Domini, audiat nos dies factus a Domino, audiat et obaudiat, ut exultemus et laetemur in eo » (PL 38, 1092). — (2) E Veteri Lege assumptum est *Alleluia,* « quod quotidie dicimus, et delectamur » dicit Augustinus (PL 38, 1186). Idem sanctus doctor sic exhortatur fideles suos, ut per SS. Quinquagesimam cantent Alleluia: « Venerunt dies, ut cantemus alleluia... adeste animo, cantores boni, filii laudis et gloriae sempiternae veri et incorrupti Dei, adeste intenti et laudate Deum: hoc est enim alleluia. Sed laudate Deum non solum in voce, sed et in intellectu, in opere bono » (PL 46, 813). — (3) Cantus « *Confitemini Domino* » iam saec. W-o suetus cantus fuit, fideles « Alleluia » coniungebant cum eo. Vocabulum hoc linguae latinae vulgaris *duplicem* habet significationem (peccata fateri et Deum celebrare), ideo dixit S. Augustinus: « Sive dona illius *laudando* cantetis, sive peccata vestra *gemendo* fundatis... et si unum horum faciamus, non sine altero facimus. Nam et iniquitatem nostram cum spe misericordiae ipsius accusamus, et ipsius misericordiam cum iniquitatis nostrae recordatione laudamus » (PL 46, 841).

5°. Parusia, adventus Christi in fine mundi *intime nectitur cum Paschate,* praesertim cum sacratissima nocte Paschalis. Aetati primaevae Christianae conveniens videbatur Dominum ad ultimum iudicium venturum esse tempore paschali, immo nocte sacratissima Paschatis, quia opus Redemptionis hac nocte per resurrectionem coronatum est. Signanter refert de hac convictione *Lactantius* inter 304-315: ° Haec est nox quae a nobis *propter adventum Regis* ac Dei nostri pervigilio celebratur, cuius noctis duplex est ratio: quod in ea tum *et* vitam tum recepit, cum passus est, *et* postea regnum orbis terrae recepturus est » (Div. instat. VII, 19, 3 PL 6, 796 s.) Simili modo S. *Hieronymus:* a Traditio Judaeorum est, Christum media nocte venturum in similitudine aegyptii temporis. Quando pascha celebratum est, exterminator venit et Dominus super tabernacula transiit, et sanguine agni postes nostrarum frontium consecrati sunt. Unde reor et traditionem apostolicam permansisse, ut die vigiliarum paschae ante noctis dimidium populos dimittere non liceat, expectantes adventum Christi, ct postquam illud tempus transierit, securitate praesumpta, festum cunctis

agentibus diem n (Comm, in Ev. Mt IV. PL 26, 184 s.) — S. *Augustinus,* supponens hanc opinionem penes suos, sic exhortatus est gregem suum: « Dilectissima membra corporis Christi, expectamus Caput nostrum venturum de caelo, cui cohaerentes immobiles permanebimus, ut cuius passionem celebramus in terra, cum ipso regnemus et in caelo. Disciplinam eius sustineamus, ut corrigamur, quia sicut filios, ita nos aggreditur Deus. Quis est enim, ait apostolus, cui non det disciplinam pater eius? (Hebr 12, 7)... Toleremus flagellum patris, ne incurramus severitatem iudicis » (Sermo 7. de Pasch. PL 46, 837 s.).

6°. Pascha imago vitae aeternae. Pascha tempus gaudii et laetitiae symbolum est vitae futurae, ubi verificatur sempiternum gaudium morte devicta ac resurrectione peracta. Ideo sollemnitas paschalis a Vigilia incipiens *per hebdomadas septem* protracta ut S. Augustinus dicit, « ...magno sacramento *perpetuae felicitatis* est nobis. Non enim sicut iste dies transiturus est, sic transitura est et vita, quam dies iste significat... Vita quae nobis cum angelis est futura, ubi perpetua quies, sempiterna laetitia, indeficiens beatitudo, nulla perturbatio, nulla mors » (PL 38, 1196). — Per laudationem Dei *alleluiaticani* significatur etiam ista vita eiusque *laus perpetua,* ut idem Augustinus affirmat: « Laudemus ergo Dominum carissimi, laudemus Deum, dicamus alleluia! Significemus istis diebus diem sine fine, significemus locum immortalitatis, tempus immortalitatis, festinemus ad domum aeternam... Venturi sumus ad domum Dei, quae est in caelis. Ibi non quinquaginta diebus Dominum laudabimus, sed quemadmodum scriptum est: in saecula saeculorum. Videbimus, amabimus, laudabimus. Nec, quod videbimus, deficiet, nec, quod amabimus, peribit, nec, quod laudabimus, tacebit, sempiternum totum erit, sine fine erit » (PL 38. 1185).

d) De legibus cultualibus Paschatis.

1 . Antiquissima festivitas protracta est *Octava paschalis,* a. Dies infra octavam aequali modo sunt *dies liturgici I. cl.* (NCR 66). Unde nulla festa celebrari possunt in octavariis paschatis, festa I. cl. solum transferuntur (NCR 95). de ceteris festis inferioris gradus eo anno nihil fit, et nulla alia admittitur oratio (NCR 434 a.). — b. In omnibus Missis octavae dicitur *sequentia* « Victimae paschali laudes » « Communicantes » et « Hanc igitur » propria, et « Ite missa est » cum duplici Alleluia (Rubr. spec. Miss). — c. In officio divino per octavam dicitur ant. « *Haec dies* » loco capituli, hymni et versiculi ad omnes Horas, excepto Matutino, ad Horas minores et Completorium immediate sequitur « Dominus vobiscum ». A Vesperis Sabbati in Albis incipit tempus paschale commune usque ad Nonam Sabbati post Pentecostem. Huius temporis se juentes fere sunt leges cultuales. — 2°. *Usus sollemnior Alleluia,* a. Ibi tantum dici debet, ubi in Officio et Missa additur. Ad Introitum adduntur duo \lleluia. etiam in Missis votivis, loco gradual! dicitur Versus alleluiaticus cum quatuor Alleluia, antiphonae ad Offertorium et Communionem habent unum \lleluia. — b. Non licet ergo addere Alleluia antiphonis et versiculis et aliis extra officium de praecepto, ut « in exercitiis devotionis quae extra officium canonicum, maxime coram SS. Sacramento habentur, v.gr. post Litanias Laurctanas, post « Te Deum », ad « Benedicamus Domino » (CRit d 3764, 18 et 1331, 6). — 3 '. « *Te Deum* » et « *Gloria in excelsis* » non solum in officiis festivis dicuntur, sed etiam in ferialibus paschalibus. — 4°. *Praefatio paschalis* dicenda est usque ad Ascensionem, nisi propria assignetur. — 5°. Ante Missam

sollemnem dominicalem loco « Asperges me » dicendum est ant. « *Vidi aquam* » ad aspersionem aquae benedictae. — 6°. In signum gaudii paschalis *standum est* ad ant. « Regina caeli », etiam si loco « Angelus » dicitur. Etiam genuflexiones omittuntur ad « Flectamus genua » in Missis Quatuor Temp. Pent. — 7°. In distributione s. *communionis* extra Missam antiphonae, versiculis et responsoriis additur Alleluia, et dicenda est *oratio* « Spiritum nobis Domine », si communio in paramentis nigri coloris distribuitur, Alleluia non additur, sed dicitur oratio ut supra. — 8°. Leges cerei paschalis cf. inferius 2. d. 1°.

2. De sollemni Vigilia Paschali.

Vigilia haec non est dies liturgicus, et modo sibi proprio seu pervigilio celebratur. (NCR 28). Pertractatur a nobis a) Origo rituum Vigiliae, dein b) Indoles sacratissimae noctis, item c) Descriptio rituum Vigiliae Paschalis instauratae, demum d) Leges cultuales Vigiliae.

a) Origo rituum Vigiliae.

In totalitate sua liturgia huius Vigiliae antiquitate maxime veneranda est inter omnes functiones anni ecclesiastici. Saec. IV-o etenim iam aderat I. *pars* Vigiliae: *salutatio luminis* Christi, exordium sumens a lucernario, dein magnus cereus laudatus est a diacono, ab eo dein accendebantur omnes lampades (cf. infra n. 2°. 3°. 4°.). Huic ritui salutationis luminis Christi accessit saec. VI-VII-o peculiaris benedictio cerei paschalis (cf. infra n. 5e), praefixaque est ei decursu saec. VHI-i benedictio ignis novi (cf. infra n. **I**0.). — *II. pars* est Vigiliae: *synaxis euchologica* seu lectiones cum interpositis canticis et orationibus iam saec. IV-o celebrata, (cf. n. 6°), cui addita est saec. VII-o instar devotionis cuiusdam popularis cantus multiplex Litaniarum (cf. infra n. 7°.). — *III. pars est* sollemnis *administratio Baptismi* saec. IV-o iam plene evoluta. Fonte sollemni modo benedicto (cf. infra n. 8°.), initiandi acceperunt Sacramenta Baptismi et Confirmationis, cui nostra aetate (1951) accessit renovatio promissionum baptismalium (cf. n. 9°.). — *IV. pars* est coronatio Vigiliae per Missam, quae iam a saec. IV-o bina celebrata fuit (cf. infra n. 10°).

1°. Benedictio ignis, a. Ecclesia *Romana* usque ad saec. XII. non novit hunc ritum (Ordo Rom. X. iuxta Mabillon), sed in Regno Francorum medio saec. VIII-o evidenter iam in usu fuit, nam S. *Bonifatius* de eo interrogationem posuit Papae Zachariae; at quid praecise quaesivit, nescimus. E responso Zachariae elucet, quod ignis servivit ad incendenda alia luminaria et quod ▮ crystalla » adhibita sunt (« De igne autem paschali quod inquisisti »), dein declaratur, quod Fer. V. Romae tres lampades conservant ignem usque Sabbatum Sanctum, in fine autem adiicit Papa: ▯ De crystallis autem, ut asseruisti, nullam habemus traditionem » (Ep. 87. ad Bonifat. MGII Ep. aevi Carol. I, 370). Crystalla adhibita sunt ad ignem eliciendum testante Ruperto Tuitiensi (f 1135): « ...vel lapidem percutientes, vel liquidum crystallum lapidem sereno caelo soli obiicientes radium cius traiectum per eiusdem crystalli orbiculum spectabili miraculo in subiectam suscipiamus escam » (De div. off. V. c. 28 PL 170, 118 s.). Transmutatio habetur heic consuetudinis popularis paganae: *ignes vernales* accendebantur in honorem Wuotan, ut fertilitas exposceretur agrorum (cf. plura

Franz, Benedikt. 1, 507-518). Ecclesia *Anglosaxonum* principium accommodationis secuta transmutavit hunc ritum paganum in christianum. Benedictio ignis dein decursu saec. X-i etiam in *Germaniam* iter invenit, sed fere ubique *etiam Fer. V. et Fer. VI.* ignis benedictus est, cuius testis est Joannes Abrincensis (f 1079): « Quod in his tribus diebus novus ignis de petra excussus in ecclesia accenditur et inde per ceteras domos Christianorum defertur, lux deitatis, quae in came Salvatoris latuerat usque ad passionem et per passionem ac resurrectionem in ecclesia id est in cordibus fidelium resplenduit et post eisdem novam doctrinam evangelizantibus mundo insonuit, mystice ostenditur » (PL 147, 49). Tres orationes Missalis Romani inveniuntur iam in Pontif. Romano-Germanico saec. X-i, sed Fer. V. in Coena Domini. — b. *Benedictio quinque granorum incensi* solum saec. X-o usu recepta est, Oratio « Veniat « Missalis Romani ad benedicenda grana primitus fuit oratio ad benedicendum *cereum* (« *hunc* incensum » sc. cereum legitur adhuc in Gelasiano Wilson p. 81), quod dein perperam intellectum fuit de « incenso » seu thure. — c. *Instauratio OHS 1956* ultimas manus adiiciens instaurationi Sabbati Sancti 1951. incoeptae, statuit *simplicissimum ritum* benedictionis ignis. Loco trium orationum Missalis Romani unica dicitur et prorsus omittitur oratio ad benedictionem granorum, grana benedicuntur silenter per triplicem aspersionem et thurificationcm, oratio autem « Veniat » nativum finem iterum consecuta servit ad benedictionem cerei paschalis.

2°. Lucernarium seu salutatio luminis, a. Ritus antiquissimus primaevae aetatis christianae superstes *e familiari usu fidelium* transsumptus in liturgiam Sabbati Sancti est salutatio lucis ad vesperam, quando lampas accensa fuit (cf. F. J. Dôlger *in:* Ant. u. Christ. 1936, 1-43). S. Hieronymus hortatur Laetam « accensa lucernula reddere sacrificium vespertinum » (Ep. 107, 9), quando lampas accendebatur, dictum est « Lumen Christi », et ceteri respondebant: «Deo gratias! » Inventae sunt lampades e saec. IV-o Selinunte et in Numidia (civitate Cuicui) cum monogrammate Christi et inscriptione « Deo gratias ». — b. E ritu domestico factus est *ritus liturgicus* decursu saec. IV-i, in Lucernario seu Ilesperinon in ecclesiis idem dictum fuit «ad decimam» seu ad « licnicon » (= epilychnicon, lucernare), ut Aetheria refert: « ...se omnis multitudo colliget ad Anastasim, incenduntur omnes candelae et cerei et fit lumen infinitum » (c. 24, 1). Lumen vero semper e S. Sepulcro accendebant, ut eadem Aetheria affirmat: « Lumen autem deforis non affertur, sed de spelunca interiori eicitur. ubi noctu ac die semper lucerna lucet, id est deintro cancellos » (ibid.).

3Q. Incensio ab uno magno cereo, quod uti vidimus, Hierosolymis ritus fuit *cotidianus,* ritus evasit *peculiaris* Vigiliae Paschatis, ad significandam per ritum uberius excultum illuminationem (phôtisma = baptismus) per mysterium redemptivum Christi omnibus fidelibus factam. — a. *In Oriente* ritum antiquissimum huius illuminationis invenimus in Lectionario saec. V-i Armenorum quod ritum Hierosolymitanum refert: in Anastasi accenditur cereus a S. Sepulchro. *episcopus* recitat Ps 112., deinde tres cereos accendit, post eum *diaconi* et universus *coetus fidelium,* deinde in ecclesia incipiunt vigilias paschales (F. M. Coin beare, Rit. Armenorum 1905, p. 520). — b. Liturgiae *typi Gallicani* ex Oriente receperunt hunc ritum, uti comperimus e liturgia Mozarabica, saec. VII. (cf. infra 5 . a, accuratam descriptionem). — Eundem ritum viguisse etiam in Gallia, comperimus e Missali Gallic. Veteri saec. VIII., cuius ritum oratio clare

supponit: « ...vinculis peccatorum nostrorum in *noctis* istius sollemnitate disruptis, *procedamus* in voce exultationis et confessionis, sonus epulantis. *Accensis luminaribus* ad inhiminationem nostram, et candoris fidei fulgore rutilantes, *alter alterius* quoque animam inluminet, sicut discipuli DNJChristi » (PL 72, 363). — c. Non est mirum Inmc ritum aspectabilem etiam in liturgiam *Romanam* intrasse e liturgiis typi Gallicani, Pont. Romano-Germanicum saec. X-i iam adhibet eum: pontifex et sacerdotes procedunt de sacrario, pontifex benedicit cereum, accendit ex eo cereum in arundine positum, omnis clerus procedit cum cereis accensis, post eum populus.

d. *Instauratio* inde ab 1951 primarium ritum restituit « qui penes orientales effloruit, et penes occidentalium ecclesias per tot saeculorum decursum in honore fuit, quod merito sibi ad laudem vigiliae paschalis restauratores hodierni sibi adseribant » (Bugnini-Braga p. 130). In ritu instaurato cereus paschalis fit actionis centrum, trina gradatione accenduntur cerei, primum celebrantis, dein cleri, demum populi, omnesque versus cereum flectunt genua ad « Lumen Christi ».

4°. Laus cerei. Cereus magnus paschalis a. per « *carmen cerei* » iam saec. IV-o a diacono laudatus est. Partes diaconi in laude cerei facile intelliguntur, si recordetur ritum hunc fuisse cotidianum, illuminationemque ecclesiarum officium fuisse diaconorum ut Righetti monet (II, 172). — b. Usus est *antiquissimus,* saec IV. iam late divulgatus, anno 384 S. *Hieronymus* recusavit diacono cuidam Praesidio conficere carmen ad laudem cerei, partes enim diaconi reprehendit: « Quid ad diaconum... cum *tacente* episcopo, et presbyteris ad plebeium quodammodo cultum redactis, levita loquitur, docetque quod pene non didicit » (Ep. 18. PL 30, 188). — c. Sacramentarium Gelasianum *refert ritum:* Archidiaconus veniens ante altare, accipiens de lumine quod Fer. VI. absconsum fuit, faciens crucem super cereum, illuminat eum dein complet benedictionem duabus orationibus. Prima est « Deus mundi conditor, auctor luminis, siderum fabricator... in hac sacratissima noctis vigilia de donis tuis cereum tuae suppliciter offerimus maiestati... », secunda est oratio « Veniat » super incensum cereum (de quo supra 1°. b.). — d. Pulcherrima formula *laudis cerei liturgiae romanae universalis* primo legitur in Missali Bobiensi saec. VII. cum inscriptione: « Benedictio cerei S. Augustini episcopi cum adhuc diaconus esset cecinit » (PL 72, 498 s.). Attamen nec S. Augustinus est auctor huius eximii carminis, nec S. Ambrosius, ut cl. B. Capelle voluit (1946. cf. Litter). B. Fischer ostendit propinquitates carminis cum Ambrosio esse meras allusiones, carmenque oriundum esse e territorio liturgiae typi Gallicani (1952. cf. Litter.), nam carmen Missalis Bobicnsis (« Exultet ») legitur in Miss. Gothico et Miss. Gallic. Veteri (PL 72, 268 s. et 364 s.), et in Gelasiano iuniore (Sangallense ed. Mohlberg n. 97). — c. Instauratio inde ab 1951. textum apte dividit in quatuor partes (cf. infra c. 3°. d.), ablatum est a praeconio paschali omne quod benedictionem sapii, cereus enim in ritu instaurato ante carmen benedicitur, diaconus continuatim cantat praeconium sine ulla interruptione, novus est textus orationis pro potestate civili.

5°. Benedictio peculiaris cerei seriore tempore accessit, a. Benedictio cerei *cum stilo* habetur in liturgia *Mozarabica* (Lib. Ordinum, « Ordo die sabbato in vigilia Paschae MEL V, 208-216) saec. VI-VII-o. (1) Duplex habetur bene-

dictio luminis: *lucernae* cuiusdam (i.e. lampadis) *et cerei,* itemque in duplici loco benedicuntur. Primum in *sacrario,* dein in *ecclesia* coram fidelibus. In sacrario solus episcopus peragit benedictionem, tum super lucernam, tum super cereum. Benedictione lucernae completa, benedicit cereum, in quo Crucem facit, evidenter *cum stilo,* figuram enim delineat Crucis et litterarum A et Q . — (2) Postea fit *distributio luminis,* primo « incendit episcopus cereum suum de cereo benedicto, et ingrediens clerus occulte in sacrario, ut nec modicum quidem foris de incensis luminibus videatur. Et accendunt presbiteres et diacones a cereo benedicto cerea sua, similiter et omnis clerus... Et subito, levato velo ostii, inponit episcopus: Deo gratias! Et sic ab omnibus non plus quam tribus vicibus replecatur. Et postmodum inponit hanc antiphonam: Lumen verum inluminat omnem hominem in hunc mundum venientem... Dum haec ant. fuerit explicata, accedunt seniores populi et accendunt a cereo benedicto cerea sua et sic unus ab alio, totius populi cerci inluminantur » (coi. 210 s.). Totius ritus symbolisions plene expanditur per hanc prolixam descriptionem. — (3) Postea fit *in ecclesia* primum benedictio lucernae per praefationem consecratoriam a diacono cantatam (« imponit diaconus benedictionem lucernae »), qua completa episcopus dicit orationem. Dein « accedit alter diaconus et benedicit cereum », alia praefatione consecratoria, episcopo quoque aliam orationem post praefationem recitante. — (4) Saec. IX-o iam addita fuit etiam *incisio anni currentis* quae videtur esse usus Romanus, Beda enim refert quosdam fratres Romae vidisse cereum, in quo descriptus fuit «a passione DNJChristi annus 669» (Dc tempor. rat. c. 47 PL 90, 494 s.). — Alius usus fuit:

b. Benedictio cerei *cum crucissignatione chrismatis facta.* Quibusdam in locis cum chrismate formata fuit Crux in cereo paschali, in Hispania, et ritu ambrosiano, immo:

c. Benedictio *per grana incensi in modum* Crucis quoque cognita fuit in aliquibus ecclesiis ritus Gallicani (plura cf. Bugnini-Braga p. 126 s.). Per Pontificale Romanum tamen saec. Xll-i usus universalis remansit incisio cum stilo, sensus ut dictum est incisionis Crucis est benedictio cerei, Alpha et Omega signant Christum qui per cereum repraesentatur ut lumen mundi, per primam ct ultimam litteram alphabeti graeci vero exhibetur ut Rex immortalis omnium saeculorum.

d. *Instauratio* huius ritus feliciter suscepta 1951. restituit ritum aliquando universalem in Missali Pii V. deficientem, *formula* « Christus heri ct hodie » recens invecta est. Etiam *insertio granorum* incensi huc transposita est in ritu instaurato, formula noviter concinnata Christi passionem in mentem revocat. In ritu Piano desiderabatur plenus sensus symbolicus cerci, portabatur enim non accensa; nunc sollemniter *accenditur* et sic portatur qua signum Christi illuminantis omnem hominem per gratiam suam, redemptionis autem applicatio universalis exprimitur per cereos omnium ex ipso cereo paschali accensos. *Benedictio* cerei stricte dicta fit per orationem restitutam « Veniat ».

6 . Synaxis euchologica. Salutatione luminis completa, initium sumit *secunda pars vigiliae:* synaxis euchologica, quae omnes vigilias signat, a. Sacratissima nocte finis huius partis erat praeparatio ultima catechetica catechumenorum ad baptismum, quae simul fidelibus optima repetitio fuit veritatum. Praeparatio haec facta est praecipue per *lectiones* S. Scripturae, quae tantum inde a saec. \lV-o ‘ prophetiae » vocari consueverunt, et per expositionem earum. Simul

inore antiquissimo *Psalmos* canebant *orationesque* ad Deum delegabant. Apposite dicit S. Augustinus de hac vigilia paschali: « Deus nobis loquitur in lectionibus suis, Deo loquamur in precibus nostris » (PL 38, 1088). Numerosae et longissimae erant hae lectiones, ut idem sanctus doctor affirmat: « Multas divinas lectiones audivimus, quarum prolixitati parem sermonem nec nos valemus » (PL 46, 821).

b. Permulti opinantur *12 lectiones Missalis Romani* inter 1570-1955 usitates esse *primaevas* (Schuster: « ...redolent fere formam nativam vigiliae dominicalis Romanae », Eisenhofer I, 541: « prototypum vigiliarum repraesentante, Bugnini-Braga 133: « duodenarius numerus *certo* primaevae Ecclesiae saecula ante reformationem S. Gregorii Magni repetit »). zUtamen omnino certum non est, saeculis Ecclesiae primaevae semper et ubique vigilias constitisse e 12 lectionibus, fontes enim occidentales silent de numero lectionum. S. Benedictus versus 529 pro « vigiliis dierum dominicalium » revera 3 x 4 = 12 lectiones praescribit, at non potest affirmari hoc factum esse secundum usum Romanum qui expresse a S. Patriarcha notatur (e.gr. cantica dicenda sunt « sicut psallit Ecclesia Romana » c. 13.). — Titulus in quibusdam lectionariis et sacramentariis Sabbatis Quatuor Temporum appositus « Sabbato XII. lectionum » repetit usum Romanum *sex lectionum* huius vigiliae *graece et latine* legendi, quae *sic* numerum *duodenarium* attingunt, et non dicit necessario 12 lectiones quoad eorum *argumentum* quoque distinctas.

c. Certum est, hunc numerum duodenarium lectionum in liturgia Romana *paulatim introductum* fuisse. (1) Illa liturgia Romana quae in Gelasiano primigenio invenitur, utique iam elementis Gallicanis interpolata, *decem* lectiones habet (Wilson p. 82-84). A. Chavasse verisimile reddit, Gelasianum primigenium primitus quinque tantum lectiones habuisse (Eph. Lit. 1955), ille scriptor qui unicum manuscriptum Gelasiani primigenii in Gallia compilavit (= Vat. Reg. 316), ideo decem lectiones exhibuit, ut ritum gregorianum exaequaret Romae etenim saec. VI-VIII. lectiones graece et latine legebantur. At rationes ab eo allatae non videntur omnino convincentes. — (2) Compertum est S. Gregorium Magnum (f 601) quandam reformationem induxisse. Tum recensio Paduana, tum Hadriana Sacramcntarii Gregoriani *quatuor* exhibet lectiones (ed. Mohlberg n. LXXIV et Lietzmann n. 84), hic potest vocari *typus gregorianus* «a».

1. In princip'o creavit Deus (Gen 1,1-2,2).
2. Factum est in vigilia matutina (Ex 14,24-15,1).
3. Apprehendent septem mulieres (Is 4,1-6).
4. Haec est haereditas servorum Domini (Is 54,17-55,11).

Chavasse autem detexit etiam paulo aliud systema gregorianum (Eph. Lit. 1955, 217): loco quartae lectionis legitur « Scripsit Moyses canticum » (Deut 31, 22-30), qui potest vocari *typus gregorianus *b».* (sic in Ord. Rom. XXVIII. Append. et in Comite quodam Reg. Lat. 74. saec. VIII.). — (3) Numerus tamen *minime fuit uniformis* per totum medium aevum, Durandus saec. XIII-o fideliter refert factum: « Lectiones in quibusdam ecclesiis leguntur 4, in quibusdam 6, in quibusdam 12, et in quibusdam 14 » (Rat. div. off. VI. c. 81, l), fuse explicat modo allegorico-mystico quatuor lectiones (c. 81, 1-8); qui ordo ipsi familiaris fuisse videtur.

d. *Plerumque quatuor* lectiones per decursum medii aevi recitatae sunt, exempli instar afferri potest *Hungaria* medioaevalis, et quidem vel exacte iuxta

systema gregorianum typi «a» (Radô, Libri lit. I, 122. 117. 158), *vel* typi «b» lectae sunt (ibid. p. 47. 68. 91. 110), *vel* alicubi typus «a» et typus «b» conjunctum fuit ad systema quique lectionum (typo «a» addita fuit lectio quinta « Scripsit Moyses canticum », cf. Rado p. 64. 76). Systema metropoliae Strigoniensis fuit typus «a» gregorianus, inde a Missali Strigoniensi 1484 impresso, quod praevaluit et in usu remansit usque 1632, quando Card. Pazmâny Missale et Breviarum Romanum introduxit.

e. Necesse duximus paulo fusius historiam lectionum exponere, quia non desunt fortasse quibus systema 12 lectionum « archaicum » reputatum magis placuit. Systema hoc in Sacramentario Gregoriano « fusionato » saec. IX-X. praevaluit, etsi medio aevo nunquam exclusivum fuit, nec certo ut antiquissimum haberi potest. Quia tamen reformatio Piana 1570. hoc systema restituit, in usu mansit usque 1951, quando *instauratio systema nativum* S. *Gregorii* iuxta typum «b» *restituit,* systema certo certius antiquum ab ipso Magno Pontifice oriundum pastoralique rationi ob eius discretionem valde consentaneum. Tria cantica intacta servata sunt, utpote « naturaliter lectioni immediate praecedenti connexa, cuius sunt directa continuatio et ideae principalis quasi sublineatio » (Bugnini-Braga p. 133).

7°. Cantus Litaniarum = devotio popularis. Expleta synaxi euchologica, *tertia pars* sacratissimae noctis secuta est: administratio Baptismi. — a. Primitus procul dubio Litaniae nullum alium habuere *finem* nisi ut populus fidelium *occupatus teneatur,* dum fons benedictus fuit Baptismusque administratus. In baptisteriis enim ob angustiam loci praeter baptizandos eorumque patrinos fere nemo locum habere potuit, fideles ergo remanentes in ecclesia pro baptizandis invocabant auxilium omnium Sanctorum. Mos hic vix ante saec. VII. invaluit, tunc enim Litaniae omnium Sanctorum ortae sunt, saec. VIII-o autem iam fontes Romani referunt de hac devotione, tunc « *extraliturgica* ». Ut tempus apte protrahatur, invocationes *pluries repetitae* sunt. Ordo Rom. « suburbicarius (= Ordo XXIV. 51 Andrieu III, 296) saec. VIII-i sic describit hanc devotionem: « Schola iussa facit tetaniam ante altare, prima *septenas,* et spatio facto faciunt alteram *quinas,* iterum spatio *ternas* », quod significat invocationes septies etc. repetitas fuisse. — b. Quando iam diu defuerunt baptizandi decursu medii aevi, Litaniarum invocationes *semel* tantum repetitae fuerunt, ipsae autem Litaniae *dipartitae* canebantur: prima pars in processione ad fontem, secunda autem inde a « Propitius esto » tunc quando assistentia se ad Missam celebrandam parabat. — c. Instauratio *restituit hanc bipartitionem* medii aevi: prima parsa canitur ante benedictionem aquae baptismalis quae fit in conspectu fidelium, altera autem post renovationem promissionum baptismalium. Duplicatio invocationum, causa huiusmodi usus deficiente, abolita fuit.

8°. Benedictio fontis, a. Origo benedictionis aquae antiquissima est. Gnosticus *Theodotus* versus 190 benedictionem aquae primus memorat, quam evidenter ex ecclesia catholica receperunt: « ...aqua (piae exorcizatur et baptisma fit. non solum quod deterius est, capit, verum etiam sanctificationem (= hagiasmos, actus consecrationis) accipit » (cit. a Clem. Alex. PG 9, 695). *Tertullianus* in ecclesia Africana benedictionem aquae supponit: « Omnes aquae... sacramentum sanctificationis consequuntur invocato Deo, supervenit enim statim spiritus de caelis ct aquis superest sanctificans eas, de semetipso, et ita

sanctificatae vim sanctificandi combibunt » (De bapt. 4, 1 CSEL 20, 204). Semisaeculo postea S. *Cyprianus* benedictioni aquae tribuit *vim sanctificandi*·. « Oportet vero mundari (= exorcismus) *et* sanctificari aquam prius a sacerdote, ut possit baptismo suo peccata hominis qui baptizatur, abluere » (Ep. 70, 1 CSEL 3, 767). S. *Basilius* merito dicit « inter alia nobis in mysterio tradita ex *traditione apostolorum* » esse etiam id, quod « benedicimus aquam baptismatis » (De Spir. Sancto 27, 66 PG 32, 188). Revera nullo modo impossibile est, iam saec. I-o aliquo modo aquam sanctificatam fuisse ad baptismum. Formula benedictionis aquae hucusque prima est Serapionis in suo Eucologico versus 340 (Funk II, 180).

b. *Praefatio consecratoria* liturgiae Romanae primum legitur in Gelasiano primigenio (Wilson p. 84-86), sed ut experti iam demonstrarunt, ipsa praefatio est *cento e tribus diversis partibus* in miram tamen unitatem compilata ab auctore Gelasiani. (1) *I. pars* est praefatio consecratoria *stili puri Romani* (usque ad verba « omnes in unam pariat gratia mater infantiam » inclusive). Stilus in plurali habitus (« *nos* tantis mysteriis exsequendis *simus* indigni... ad *nostras* preces »), nullaque alia caeremonia in ea invenitur nisi quod formatur Crux in aqua ad verba « sumat Unigeniti tui gratiam de Spiritu Sancto ». — (2) Huic praefationi Romanae adnexa est *exorcismus stili adhuc Romani* inde a verbis «Procul ergo hinc Domine omnis spiritus inmundus abscedat». — (3) Statim dignoscitur stilus alienus *Gallicanus* nempe in *tertia parte* (a verbis « Unde benedico te »). Righetti merito monet etiam hanc partem esse *exorcismum* in ritu Ambrosiano (IV, 60-62), immo initium eius in ipso Gelasiano etiam ut exorcismus adhibetur (p. 115. in ritu baptismi catechumeni infirmi, loco « Benedico te » dicitur: « Exorcizo te... »). Stilus Gallicanus animadvertitur iam eo, quod semper in numero *singulari* loquatur, *caeremoniae* quoque abunde adhibentur: tres Cruces formantur ad verba « Unde benedico te... per Deum vivum... »; cum de paradisi fonte in quatuor flumina diviso loquitur, aquam manu dividit, et in quatuor mundi partes effundit, gestu utens repraesentativo; quando item dicit « Tu benignus aspira », statim hoc exsequitur, in modum Crucis ter halans in aquam. Deinde fit sollemnis ritus immersionis triplicis Cerei paschalis in aquam, haec caeremonia supponens cereum esse symbolum Christi significat, quod « corpus Christi in baptismo aquas sanctificavit et vim regenerativam illis intulit » (Durandus VI. 82,10). sed ibidem etiam dicitur: « Cerei immersio est Spiritus Sancti adventus seu missio, quia in aqua baptismi in specie columbae descendit », hoc melius congruit formulae huius ritus (* Descendat in hanc plenitudinem fontis virtus Spiritus Sancti »). Cereo adhuc in aqua manente celebrans ter sufflat in aquam secundum modum furcae ψ (= psyche?), signi nempe apotropaeici, tres digiti extensi in modum furcae SS. Trinitatem significant. Recte dicit Durandus: « Insufflat sacerdos ter, quia Spiritus Sanctus tria in baptismo operatur: a vitiis purgat, virtutibus ornat, et tandem praemio aeterno coronat eos, quibus fit haec insufflatio » (VI. 82, 11).

9°. Renovatio promissionum baptismalium. Singuli fideles sacratissima hac nocte etiam proprium baptismum prae oculis habeant: hoc ex natura rei sequitur et Ecclesia quoque desiderat.

a. *Recordatio* proprii baptismi aetate Ecclesiae primaevae facta est in festo quodam singulari a singulis fidelibus vel eorum catervis recolendo eoque die celebrando, quando anno respectivo baptismi cuiuscunque Vigilia Paschatis

cadebat. Festum hoc vocatum est « *Pascha annotinum* » *seu* anniversarium proprii Paschatis, Missaque gaudebat propria (e.gr. Gelas. LIV. Wilson p. 97-98). Oratio huius anniversarii Deum precabatur, ut tribuat « permanentem peractae, quam recolimus, sollemnitatis effectum », sicque « paschalis muneris sacramentum... fide recolimus ». — b. Exinde quod a saec. XVIII-o prima communio maiore cum sollemnitate celebrari suevit, mos ortus est ante s. communionem *renovare promissiones baptismales* (cf. superius De SS. Euch. J. 5. b.). Renovatio promissionum baptismalium inde ab 1951. in Ordine instaurato praescripta fuit pro omnibus fidelibus vigiliam participantibus. « Sacratissimae noctis vigiliae restitutores ritum hunc concrete efformarunt, qui iure sacrae liturgiae iam ingreditur provinciam, quique animo maiestateque, utpote totius sacrae actionis culmen, ritus omnes donabit, qui in beata hac nocte ad eucharisticam celebrationem conducunt » (Bugnini-Braga p. 138).

10°. Sequitur coronatio Vigiliae per Missam, quae *ultimam partem* constituit sacratissimae noctis.

a. Primitus *unica Missa* celebrata fuit versus auroram, ulterior Missa iam die sacro non celebrabatur. Sed iam saec. IV. exeunte *Hierosolymis altera* quoque Missa celebratur, teste Aetheriae: In ecclesia maiore fit vigilia, « aguntur ibi, quae consuetudinis est etiam et apud nos, et facta oblatione fit missa ». Dein illico notatur, quod Aetheriae novum erat, « statim cum ymnis venitur ad Anastase, et ibi *denuo* legitur ille locus Evangelii resurrectionis, fit oratio et *denuo* offerret ibi episcopus » (c. 38). Saltem saec. V-o *iam ubique* binae Missae celebratae sunt, in nocte seu aurora et in die sollemni.

b. Missae huius vigiliae *indoles* tota quanta mysterii redemptionis participationem redolens notam summae aetatis prae se fert. Missa incipit cum « *Gloria in excelsis* » Kyrie enim in fine Litaniarum cantatur, Ps. Judica et confessio iam inde ab 1951 omittitur, initium enim Missae signatur omnium Campanarum pulsatione. *Oratio* dicitur pro nova familiae Dei progenie, epistola iis fidelibusque in mentem revocat monitum apostoli, quod consurgentes cum Christo quae sursum sunt, quaerant. Dein fit gradatione liturgica *primus cantus Alleluia* a Septuagesima omissi, ideo in functione pontificali clara voce annuntiat subdiaconus Pontifici: « Reverendissime Pater, annuntio vobis gaudium magnum, quod est: Alleluia! » Ter cantatur Alleluia elevando vocem gradatim, eiusque cantus excipitur a versu « *Confitemini Domino* ». Ad *Evangelium* non portantur luminaria: nox enim abunde illuminata est lampadibus et candelis, sicque auscultatur bono nuntio resurrectionis Christi. *Credo* non dicitur, nec *ant. ad offertorium,* sicut nec ad introitum ct ad communionem: textus enim huius Missae antiquiorem usum servat, cum hi cantus nondum in usu fuere. *Agnus Dei* non dicitur, nec unquam cantatum fuit in Vigilia Paschatis, in fine Litaniarum enim iam semel cantatum fuit (Jungmann, Miss. soil. II. III nota 6.). *Pax* non datur, quod fortasse eo declaratur, quod populus hac nocte non communicavit, neo-baptizati autem qui primam communionem hac vice sumpserunt, iam post baptismum confirmati ab episcopo acceperunt osculum pacis (Eisenhofer, I, 548).

c. *Vesperas in Missam insertas* a saec. X-o cantabant post communionem, in instauratione Vigiliae 1951. hae Vesperae brevissimae omissae sunt, ant. « Vespere autem sabbati » cantatum est pro « communione (= ant. ad comm.); 1952. autem insertae sunt Laudes cum Ps. 116. et Benedictus; ultima manus

apposita fuit in OHS 1956. in *Laudibus Missae insertis* dicitur Ps. 150. et Benedictus, utrumque cum textu Psalterii « Vaticani ». Insertio Laudum quantum scimus Sabbato Sancto temporibus elapsis ignota fuit, bene autem nota Missae primae Nativitatis Domini (cf. Jungmann, Miss. Soil. II, 494 nota 5., documenta facile possent multiplicari). Optima debet dici haec insertio Laudum in Missam Vigiliae facta iuxta « analogiam liturgicam », tanto magis, quia secundum OHS instauratum vigiliae celebratio ɑ locum obtinet officii nocturni dominicae resurrectonis » (Ruin·, spec. Sabb. S., De off. div. η. 4.).

11°. Consuetudo non stricte liturgica: Resurrectio Domini repraesentata. Sicut etiam sepulturam Christi medium aevum vario modo repraesentari voluit, ut enarravimus (supra D. 7. b. 5°), ita et resurrectio Domini vario modo prae oculis fidelium posita est. Per medium aevum moraliter *fere in tota Europa tres ritus* extiterunt resurrectionem Christi repraesentantes. Plerumque ante Matutinum consueta fuit elevatio solius Crucis vel SS. Sacramenti e scpulchro (a. et b.), ad repraesentandam simulque annuntiandam resurrectionem Christi, expleto autem Matutino, multis in locis fiebat visitatio sepulchri ad repraesentandum gaudium mulierum et discipulorum Christi (c.). Inde a saec. XVIII-o his ritibus evanescentibus, in regnis Europae centralis suffecta est eorum in locum sollemnitas resurrectionis Dominicae (d.).

a. *Elevatio solius Crucis.* (1) Forma *archaica valde simplex* invenitur in quodam breviario ms. Hungariae Superioris (Mus. Nat. Budapest, cimae 132. fol. 206): « Responsorio finito sacerdos legat ewangelium Maria Magdalene et Maria Jacobi, quo lecto idem sacerdos eleuet crucifixum cantando: Pax vobis ego sum alleluia. Chorus. Nolite timere alleluia. Tunc incipitur Te Deum laudamus. V. Surrexit Dominus de sepulcro qui pro nobis ». — (2) Forma *uberior.* adhuc simplex tamen legitur in Ord. Rom. XII, 32 (Righetti II, 190) saec. XII-o. Ipse Papa annuntiabat resurrectionem in oratorio iuxta Lateranum Sancta Sanctorum nuncupato. Summus Pontifex osculatus est imaginem Salvatoris Acheropita nominatam, et ter cantabat: « Surrexit Dominus de sepulchro, alleluia », omnibus respondentibus: « Qui pro nobis pependit in ligno, alleluia! » Acolythi Crucem de loco ubi Fer. VI. posita fuerat, removentes, illam in altari posuerunt, ibi a Papa adorata fuit. Omnes praesentes cardinales et nobiles idem faciebant, dein recipiebant osculum pacis a Papa, dicente: « Surrexit Dominus vere », ad quod responsum est: « Et apparuit Simoni ». — (3) Modo *magis dramatico* legitur elevatio solius Crucis in Obsequiali Ratisbonensi 1-191 et in Sacerdotali Romani 1523. (cf. Deer. Auth. SCR tom. IV, 440-441).

b. *Elevatio* SS. *Sacramenti.* Accurate descriptae leguntur tales elevationes e Sepulchro in Rit. Argentinensi (Strasbourg) anni 1364, ct Baiocensi (Bayeux) ^cf. Deer. Auth. IV, 140). Ut ostendatur divulgatio huius ritus, foras damus textum talis elevationis civitatis *Pragensis* in Bohemia saec. XV.: « In sacra nocte Pasce post pulsum legitur Ps. Domine quid multiplicati sunt. Tunc dicitur Kyrie eleis. Pater. Oremus. Deus qui pro nobis filium tuum crucis patibulum... Gloria tibi Trinitas. Sequitur Ps. Llaudate Dominum. Quo finito dicitur V. In resurreccione tua Christe alleluia. Oremus. Presta quesumus omnipotens Deus ut qui festa paschalia peregimus... Quo finito thurificet et aspergat. Et accipientes corpus Domini de sepulcro vadunt ad chorum cantantes: Cum rex glorie. Hijs peractis incipiant matutinum... Et tunc (= post Matutinum) processione visitent sepulcrum. Quibus peractis sacerdos incipit: Cristus Dominus

resurrexit. Tunc incipit Tc Deum laudamus ». (Nfus. Nat. Budapest, cimae 252. fol. *53-54).*

c. Visitatio sepulchri. Ritus longe lateque diffusus fuit visitatio sepulcri, tres Mariae visitabant sepulchrum, duo angeli respondebant eis, etiam duo discipuli Petrus et Joannes partes habebant in hoc ludo paschali, liturgico. Talis visitatio describitur in Rit. Argentinensi 1384 (Eisenhofer I, 549), alia ab eodem auctore e ms. Einsiedlensi saec. XII. Pervulgationcm ritus huiusmodi demonstrat visitatio archaica, qualis in *Sacramentario Boldvensi* (1192-1195) legitur: « Ad matutinas... Decantantes uero tercium responsorium, cum crucibus et cereis et thuribulis et timiamatis, omnes simul perueniant ad sepulcrum, diacones autem duo angelico habitu ibidem sedentes istum imponant versiculum: Quem queritis in sepulchro, o chrislicole. Illi qui thuribula cum timiama. Ihesum nazarenum. Item diaconus: Non est hic, surrexit. Et iterum: Venite et videte locum. Illi autem tollentes posita linteamina reuertantur ad chorum cantando; Surrexit dominus dc sepulchro. Tunc incipiat presbiter: Te Deum laudamus. Sequitur uersus: Surrexit dominus uerc. Post hoc: Deus in adiutorium et sequuntur matutinalcs laudes... Dein fiat sermo ad populum. Postea detur pax populis » (Rado, Libri lit. I, 47-48). — Similis visitatio sed modo dramatico magis exculta notisque musicis quoque praedita legitur in *breviario chorali ex Austria* oriundo saec. XIII-i (Bibi. Cathedr. Sabariensis c. l. 1. fol. 401-402), eadem continetur in tribus breviariis austriacis saec. XV. (Sahariens, c. l. 10. 11. 14), in fine visitationis « populus cantat: Krist ist erstanden von der inarter alie » (n. 14. fol. 315). — In antiphonario autem ms quondam cuiusdam *ecclesiae Vindobonensis* fere eadem visitatio legitur quae ab Eisenhofer e ms. Einsiedlensi describitur (nunc: Bibl. Seminar. Jaurinensis Ms. A. 2. fol. 119-120).

d. *Sollemnitas resurrectionis dominicae.* Sacc. XVIII-o, aevo restaurationis catholicae, in regnis Europae centralis, ritibus supradictis medii aevi una cum ipsa religione catholica obsoletis, per indefessos operarios restaurationis *restituta est elevatio* SS. *Sacramenti* c sepulchro sine repraesentationibus dramaticis medii aevi addita processione theophorica, in honorem Christi suscitati de morte triumphantis. Tales ritus describuntur et adhuc in usu sunt in *Hungaria* iuxta Rit. Strigoniense 1625., in *Austria* iuxta Rit. Salisburgense 1686 (de quo cf. Deer. Auth. IV, 139-440). « Haec functio sollemnis resurrectionis vespere Sabbati Sancti praesenti tempore in omnibus ecclesiis Germaniae instituitur... idemque dicendum est dc diversis nationibus quae in Imperio Austriaco inveniuntur » (ib. p. 441). Sic res sc habent etiam hodicdum.

b) Indoles sacratissimae noctis.

l Vigiliae dulces clarissimae noctis (Zeno Veron. PL 11, 483) introducunt sollemnitatem paschalem per hebdomadam, immo per septem hebdomadas protractam. Fere certum haberi potest Aigiliam una cum Festivitate festivitatum natam esse aevo apostolico. Iam *Pascha Judaicum* tale pervigilium optime novit: vespere enim festum ludaicum antecedente habebatur coena liturgica paschalis, celebrationis quasi centrum. Praeterea vigilare moti sunt maiores nostri etiam facto illo, quod *Christus noctu surrexit* e sepulchro. Sic evasit Vigilia paschalis *prototypiis* seu mater omnium vigiliarum dominicarum, dein etiam aliarum, ut Nativitatis Domini. De nocte paschali dixit *Augustinus:* « ...in hac vigilia, vehit matre omnium vigiliarum sanctarum vigilare debemus » (PL 38, 1088). Tam celebris fuit vigilia huius sacrae noctis, quod etiam pagani vigilabant, ut

idem Augustinus declaravit: « Propter nos vigilant etiam qui invident nobis. Eorum quippe, (pii nullo modo sunt Christi nomine consignati, tamen ista nocte multi dolore, multi pudore, nonnulli etiam, qui fidei pripinquant. Dei iam timore non dormiunt » (ibid.).

2°. Festum luminosum. Lumen imago est gaudii, festum quam maxime gaudiosum est Pascha (cf. supra 1. c. 4'.), ideo, etsi seriore tempore motivum lucis aliis quoque festis, praecipue Epiphaniae et Natali Domini proprium factum est, *maxime Pascha exornat,* praecipue sacratissimam noctem: « Nox enim ista non tenebrarum, sed *luminis mater* est, in qua exortus est in aeternum dies resurrectio nostra: Jesus Christus » (Sacr. Mozarab. Vig. Pasch. MEL VI. n. 605). « Luminis mater » est iam nox sacra Paschatis etiam ideo, quia a luna plena quoque illuminatur, quod dein augebatur per illuminationem Christi resurrectionem repraesentantem. Nam, ut S. Hippolytus in sermone paschali pluries iam allegato (cf. supra 1. c. 1°. a.) dicit: « Sacrae Christi lucis radii iam splendent, et pura puri Spiritus luminaria oriuntur, caelestis autem et regiae divinitatis gloriae thesauros aperiunt... Et ille ante luciferum genitus, immortalis et magnus splendet Christus universis plus quam sol » (PG 59, 735). — Praecipuum huius luminis paschalis signum est *cereus magnus paschalis, e* quo alii ccrci omnium fidelium accenduntur, ut significetur lumen, i.e. justificationem a Christi meritis morteque redemptiva initium sumpsisse. Cereus ideo *triplex symbolum* habebatur.

a. Cereus est *symbolum Christi,* non statua vel imagine depicta, primam justificationem tribuens in Baptismo, ulteriusque semper sustentans ct augens hanc lucem. Ideo dictum est cereum paschalem, i.e. Christum illuminantem comparari posse *columnae igneae* populum electum in deserto ducenti. Cereus iuxta Augustinum « ostendit nobis columnae illius imaginem, qua duce populus Israel ambulans per desertum non permittebatur errare » (PL 46, 819). Haec columna praecedebat populum « ad ostendendam viam per diem in columna nubis, et per noctem in columna ignis » (Ex 13, 21), quod S. Augustinus sic applicat: « Dies significat securitatem in hoc saeculo, et nox tribulationem in hoc saeculo ». Etiam Christus dux vitae nostrae hicct nobis sicut columna Israelites, aliquoties autem, immo saepe « non ostendit claritatem suam, sed mortali carne velatus, tamquam nubis columna », ambulat ante nos. Sed in fine huius saeculi « sine mortalitatis aliquo velamento clarescet splendidus, tamquam ignis columna, fulgebit » (ibid.).

b. At cereus est etiam *symbolum hominis iustificati.* Redemptionis applicatae optimum symbolum haberi potest cereus, e cuius lumine omnes lucem accipiunt sicque lumen Christi depulsis tenebris peccatorum, filios lucis peperit in justificatione, (pii item illuminant mundum. S. Augustinus comparatione illustrat hoc: « Cereus nocturnum lumen est, et homo iustus tenebrosi huius mundi lumen est... Tria conspiciuntur in cereo: Cera, papyrus (=lucignolo, Docht, wick bel), et flamma. Et in homine iusto tria sunt: Caro, anima et sapientia. Flamma illuminat, papyrus accenditur, cerae tenacitas solvitur » (PL 46, 819): sapientia, vult dicere Augustinus, iustificati hominis illuminat mundum, per animam accensam, dum interea corpus consumitur in servitio Dei et proximi.

3°. Festum initiationis, a. Illuminatio non solum justificationem significat, sed *etiam « initiationem »*, i.e. introductionem in res eousque incognitas. Nox

haec sacratissima revera nox secretorum revelandorum erat: « *nyx mysteriôn* », nox sacramentorum Domini, « nox magna, nox sancta ». Christus quoque noctu *surrexit,* decuit ergo etiam electis noctu « *consurgere* », eo magis quia in religionibus mysteriorum aetatis Graeco-Romanae initiatio sollemnis in tenebris noctu facta est. Initiationis *exordium* habebatur *mane Sabbati Sancti,* facta est « redditio symboli » (apostolici), electi subiecti fuere ultimis exorcismis, oleoque sancto uncti sunt in athletas Christi, in Oriente per totum corpus, in Occidente solum inter scapulas et in pectore. Electi dein per totum diem expectabant crepusculum, vesperae, bene scientes *quid cum* eis fiet, regenerandi enim erant ad vitam aeternam, sed nihil sciebant *quomodo* hoc donum consecuturi sint, nam de Baptismo ceterisque Sacramentis nil audierunt.

b. Cum autem e balneo sacro nudi egressi sunt, tunica candida induebantur, de cuius sensu apte dicit S. Augustinus: « Quos cernitis exterius dealbatos, interiusque mundatos, qui candore vestium splendorem mentium praefigurant... quia mundati sunt lavacro indulgentiae, quia irrigati fonte sapientiae, quia perfusi luce iustitia » (PL 38, 1092). Nunc iam declarata sunt eis sacra mysteria, quid sit balneum sanctum (loutron, baptisma, tinctio); « Sacramentum est vitae novae, quae in hoc tempore incipit remissione praeteritorum omnium peccatorum, perficietur autem in resurrectione mortuorum. Consepulti enim estis Christo per baptismum in morte, ut, quomodo surrexit Christus a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus » (August. PL 46, 838).

c. Exinde iam teneris allocutionibus *salutati sunt* a SS. Patribus, e.gr.: ‹ Sermo mihi est ad vos, modo nati infantes, parvuli in Christo, nova proles Ecclesiae, gratia Patris, fecunditas Matris, germen novum, examen novellum, flos nostri honoris, et fructus laborus, gaudium et corona mea » (August, ibid.). Notandum: appellationem « *infantes* » *omnes* acceperunt sine exceptione, etiam adulti, Mater Ecclesia enim nativitatem novam supematuralem respiciens infantis titulo neobaptizatos exornavit.

c) Descriptio rituum Vigiliae Paschalis instauratae.

1°. De benedictione novi ignis, a. *Praeparatio.* (1) Altaria tobaleis cooperiuntur, sed candelae extinctae manent usque ad principium Missae. Interim excutitur *ignis* de lapide, ct ex eo accenduntur carbones (n. 1). — (2) Celebrans *induitur* amictu alba, cingulo, stola et pluviali violacei coloris, diaconus stola et dalmatica, subdiaconus tunicella eiusdem coloris (n. 2). *Notandum est:* sacerdotem retinere pluviale usque ad principium Missae *contra* Miss. Rom., ubi ad lectiones casula praescribitur, actio haec enim abhinc non ad altare perficitur, sed in choro. Ideo si sacerdos solus celebret functiones sacras, pluviali utitur, deficiente pluviali sola stola induitur, manens sine casula (n. 2. a.). — b. *Locus ignis.* Novus ignis collocandus est sive ante portam, sive in aditu ecclesiae, vel intus eam, ubi se. populus ritum sacrum melius sequi possit (n. 3), quibus verbis proclamatur s fundamentale principium pastorale. Perpulchri namque ritus, spiritualibus significiationibus repleti, coram clero tantummodo ut plurimum, aguntur, dum fideles in scamnis, inertes et muti et saepius a longe, sedent, vehit si ageretur aliquid quod sua nil referat» (Bugnini-Braga p. 147 nota 8).

c. *Ipsa benedictio ignis.* (1) Celebrans cum ministris seu ministrantibus, cum Cruce, ut patet non velata, aqua benedicta ct incenso, se confert ad locum

ignis novi, ibiquc unica oratione *benedicit ignem,* primam dicens e tribus orationibus Miss. Romani, quae primitus ad liberam electionem celebrantis appositae fuere. — (2) Deinde ignem ter aspergit nihil dicendo (n. 3), benedictio hoc simplici ritu (oratio, signum Crucis, aspersio) iam absoluta est. — (3) Acolythus assumens de carbonibus *benedictis,* ponit eos in thruribulum, incensum ponitur super eos, benedicitur more solito, celebrans dein ter adolet incenso ignem sacrum (n. 4), quo signum *honorationis* ei exhibet.

2°. De benedictione cerei paschalis. Ignis novus requiritur solummodo ad accendendum cereum, symbolum Christi, prius tamen cereus *praeparatur tribus gressibus:* per incisionem, per infixionem granorum incensi et accensionem. — a. *Incisio cerei.* Cereus ab acolytho in medium portatur, ante celebrantem, qui eum stilo incidit Crucem, dein facit super eam litteram «A», subtus vero litteram Omega, et inter brachia Crucis numeros anni currentis, ordine numerorum praescripto in OHS (n. 5). Formula incisionis est recens composita (« Christus heri ct hodie ») ex Apocalypsi (21,6; 22,13; 1,6) et doxologia hymni ad Laud. Cathedrae Petri. — b. *Infixio granorum incensi.* (1) Diaconus seu abus ministrantium, praebet celebranti grana incensi (in bacili posita), quae si non sint benedicta, nihil dicendo per trinam aspersionem ct thurificationem *benedicuntur* (n. 6). Si iam benedicta sint, haec caeremonia *omittitur.* — (2) Deinde *infiguntur* grana iuxta ordinem in OHS praescriptum, *formula* concomitans infixionem est recenter concinnata. Haec formula (« Per sua sancta vulnera ») feliciter extollit symbolismum aetati primaevae Ecclesiae melius correspondentem, Christus enim respicitur suscitatus, ergo quinque vulnera *gloriosa* significant, dum medio aevo Christum *passum* viderunt repraesentari, grana enim sunt « aromata, quae mulieres emerunt, ut ungerent Crucifixum » (Durandus VI. 80, 9). — (3) Tum diaconus vel unus ministrantium, porrigit *celebranti* parvam candelam de novo igne accensam, qua *cereum accendit,* dicens formulam: « Lumen Christi gloriose resurgentis dissipet tenebras cordis et mensis » (n. 7). — c. *Benedictio cerei accensi.* (1) Benedictio fit unica oratione « *Veniat* » primitus ad hunc finem serviente (cf. supra a. 1.° b.). — (2) Interim *laminaria ecclesiae extinguuntur* (n. 9). Bugnini-Braga consilium dat: « Ad mentem Ordinis perfecte sequendam, praestat, ut ecclesiae illuminatio progressive perficiatur. Initio sc. ecclesia moderate illuminetur, quantum sufficiat ad tenebras expellendas, festiva vero illuminatio post cereorum totius populi accensionem ad tertiam acclamationem Lumen Christi reservetur » (p. 151 nota 18).

3°. De sollemni processione et praeconio paschali, a. *Ordo processionis.* (1) Celebrans iterum imponit incensum, diaconus interea deponit paramenta violacea et sumit *dalmaticam et stolam albi* coloris et accipit cereum paschalem. — (2) *Praecedit* thuriferarius, sequitur subdiaconus cum Cruce, diaconus cum cereo accenso, dein statim celebrans, clerus per ordinem et populus. — (3) In ritu simplici, celebrans depositis vestimentis violaceis, induitur stola et dalmatica albi coloris accipit cereum paschalem et processio fit ut supra (RSimpl. 1957. II. 22-24).

b. *Salutatio luminis.* (1) Diaconus ingreditur ecclesiam et stans cantat solus: « Lumen Christi ». Omnes alii, excepto subdiacono et thuriferario, versus cereum benedictum gcnuflectentes, respondent: « Deo gratias ». « Omnes alii » dicitur (n. 11), non ergo chorus, sed omnes praesentes respondent. *Ce-*

lebrans salutatione luminis peracta, accendit propriam candelam, si solus celebret, ipse cantat « Lumen Christi » post responsum unus e ministrantibus de cereo benedicto candelam *pro sacerdote* accendit (n. 11. a.). — (2) Procedens ad medium ecclesiae, diaconus altius cantat « Lumen Christi », et de cereo paschali accenduntur candelae *cleri,* hoc deficiente ministrantium (n. 11. a.). — (3) Tertio proceditur ante altare, in medio chori (seu presbyterii vel sanctuarii), rursum adhuc altius canitur « Lumen Christi », et accenduntur candelae populi de cereo benedicto et luminaria ecclesiae, (n. 11).

c. *Praeparatio praeconii paschalis.* (1) Celebrans vadit ad locum suum in choro, ad latus epistolae, subdiaconus stat cum Cruce ad latus Evangelii, contra legile, clerus locum suum occupat in scamnis. — (2) Diaconus deponit cereum *in medio chori* super parvum sustentaculum, (cpiod distinctum est a candelabro cerei paschalis, stante iam prope altare ad latus Evangelii), et, postquam celebrans posuerit incensum in thuribulum, accipiens librum, petit (more solito genuflexus) benedictionem a celebrante, qui eam impertitur (« Dominus sit in corde tuo ») (n. 12). Si *sacerdos solus* celebret, deposito cereo impositoque thure accipit librum de legili et dicit « Jube Domine benedicere », ipse sibi dans benedictionem (RSimpl II, 30). — (3) Postea diaconus venit ad legile stratum albo panno et ponit super eo librum, incensat, deinde circumiens cereum paschale etiam illud thurificat, idem faciet *sacerdos si solus* celebret (RSimpl 1957, II, 31). — (4) Omnes surgunt et stant ut fit ad Evangelium (n. 13), « convenit, ut candelae quas clerus et populus gestant, accensae maneant, dum praeconium paschale canitur » (Instr, n. 12).

d. *Praeconium paschale.* Diaconus (vel sacerdos) stat ad legile, habens *ante se* cereum paschalem, *a dextris* altare, *a sinistris* aulam ecclesiae (n. 13).— (1) *Prima pars praeconii. Exordium* est invocatio ad exultantes laudes Dei, ad quod invitantur Angeli (« turba caelorum), dein « tellus tantis irradiata fulgoribus », item Mater Ecclesia, demum circumstantes « fratres carissimi ». Orationibus eorum adiutus petit quasi benedictionem, ut « cerei huius laudem implere perficiat ». — (2) *Secunda pars: Prex eucharistica* in stilo praefationis consccratoriae. Dignum et iustum est invisibilem Patrem eiusque Unigenitum personare, quia « Adae debitum solvit », i.e. ob redemptionem peractam, quae celebratur per « festa paschalia ». Nunc declaratur, in quo consistant haec festa: *tres typi Veteris Legis* verificantur in eis. «Verus ille agnus occiditur», dein Mare Rubrum transmeatur per Baptismum, demum « peccatorum tenebrae purgantur ». Postea gratiae aguntur pro *Pascha Novae Legis* ob *tres* causas: « haec nox est » dicitur iteratis vicibus, quae « reddit gratiae », dein in hac nocte « Christus ab inferis victor ascendit », demum haec nox « reddit inoestis laetitiam ». — (3) *Tertia pars: oblatio cerei Redemptori facta.* Inde a verbis ▮ In huius igitur noctis gratia » incipit oblatio cerei accensi: « Suscipe sancte Pater incensi huius (=cerei) sacrificium vespertinum », dein transit ad laudem apum et cerae. — (1) *Quarta pars: Precatio pro variis ordinibus fidelium.* Inde a verbis « Oramus ergo te Domine » incipit diaconus orationes pro clero et populo, pro Summo Pontifice, et pro antistite, et pro iis, « qui nos in potestate regunt ». novus textus suffectus est loco orationis pro Imperatore Romano.

4°. De lectionibus, a. *Praeparatio.* (1) *Diaconus* depositis paramentis albis, sumit violacea et vadit ad celebrantem, si sacerdos solus sit, idem facit et redit ad legile (n. 14. et 1 1. a.). — (2) *Lectiones* leguntur *in medio chori,* ante cereum paschalem, ita, ut lector habeat a dextris altare, a sinistris vero aulam ecclesiae.

Celebrans et ministri, clerus et populus, sedentes auscultant (n. 15). Si nec lector clericus adsit, ipse celebrans legit eas ad legile (RS II, 34-35). — b. *Ritus.* In fine lectionis vel post canticum omnes surgunt, celebrans dicit « Oremus », diaconus dicit « Flectamus genua », et omnes una cum ipso celebrante, flexis genibus per aliquod temporis spatium in silentio orant, dicto a diacono « Levate », omnes surgunt et celebrans dicit *orationem* in tono feriali et iunctis inanibus (in loco suo, i.e. ante scamnum suum stans in latere epistolae). Si celebrans solus sit, ipse peragit omnia ante legile stans, ibique etiam dicit orationes (RSimpl. 1957. II, 38). — c. *Lectiones.* (1) *Prima lectio* (Gen 1,1-31; 2,1-2) agit *de creatione mundi et hominis,* prae oculis ponens Deum, qui « ad imaginem et similitudinem suam » creavit hominem, *finis* est, ut in memoriam revocet, quod « mirabiliter creavit hominem et mirabilius redemit » (oratio), heicque revelatur mysterium paschale: vetus ordo restituitur. — (2) *Secunda lectio* (Ex 14,24-31; 15,1) enarrat transitum *Maris Rubri,* typum redemptionis. Sicut populus Israel salvatus a manibus Pharaonis fuit, sic salvabitur etiam populus « per aquam regenerationis », quod olim uni populo dexterae Dei potentia contulit, sc. liberationem, nunc « in salutem gentium » operatur Deus (oratio). Sublime *canticum triumphale* canitur « Cantemus Domino, gloriose enim honorificatus est », ut vidimus iam ineunte saec. III-o sic factum est (cf. supra 1. c. 1°. a. (4).). — (3) *Tertia lectio* (Is 4,2-6) dicitur sine v. 1. (« Apprehendent septem mulieres ») nunc lecta prophetat *conversionem populi,* reliquiae populi erunt « germen Domini, et erit: « Omnis qui relictus fuerit in Sion, sanctus vocabitur », quia Deus « sordes eorum abluerit », ut patet per redemptionem Baptismi. *Canticum* « Vinea facta est » (Is 5,1-2) eundem populum ostendit, quem Dominus tam diligenter instituit ut dilectam, oratio quoque ad hanc vineam. Ecclesiam nempe alludit precans Deum, « ut spinarum et tribulorum squalore resecato » vinea digna efficiatur. — (4) *Quarta lectio* (Deut 31, 22-30) mortem enarrat Moysis, qui volumen Legis in latere arcae foederis poni iussit, « ut sit ibi contra te in testimonium », caelumque et terram invocavit testes qualia mala occurrent eis, *si Legem non servaverint.* Canticum (Deut 32,1-4) fidelitatem et sanctitatem Dei magnificat. Oratio Deum precatur, ut pro iustificatis gentibus mitiget terrorem, ut « quod denuntiatum est in ultionem, transeat in salutem »,

5°. De prima parte Litaniarum. Quasi *praeparatio ad fontem benedicendum* et Baptismi administrationem incipiuntur Litaniae Omnium Sanctorum. Duo cantores, in medio choro genuflexi, cantant Litanias (quin tamen duplicentur), omnibus genuflexis et respondentibus, celebrans et ministri ante sedilia genuflectunt (n. 18). Si sacerdos solus celebret, genuflcctit ad infimos gradus altaris, a latere epistolae (RSimpl 1957. II, 40).

6°. De benedictione fontis (ubi fons baptismalis non habetur, omittitur), a. *Praeparatio.* Durante cantu Litaniarum, paratur vas aquae baptismalis benedicendae et cetera omnia quae ad benedictionem necessaria sunt in medio chori, versus latus epistolae, in conspectu fidelium (n. 20). « Iterum novae rubricae stricte necessitatibus fidelium prospiciunt, qui audire, videre et intéressé gestiunt » (Bugnini-Braga p. 156 nota 24). — (2) Hoc clare ostendit praescriptum, quod in benedictione aquae baptismalis « celebrans, stans *coram* populo, *ante se* habeat vas aquae baptismalis benedicendae, a dextris cereum bene-

dictum, a sinistris alium subdiaconum vel clericum seu ministrantem, stantem cum Cruce » (n. 21).

b. *Ipsa benedictio aquae.* (1) Primum dicitur *oratio introductoria* « ...adesto magnae pietatis tuae mysteriis » qua benedictio petitur ad consecrationem cum effectu recto peragendam. — (2) Dein elevans vocem in modum praefationis, suetus dialogus sequitur. — (3) *Prima pars* praefationis est consecratio stili antiqui *Romani* (cf. superius 2. a. 8°. b.). — (4) *Secunda pars* est *exorcismus,* inde a verbis « Procul ergo hinc, iubente te Domine ». — (5) *Tertia pars* praefationis est benedictio aquae stili *Gallicani.* Facit tres Cruces super aquam dicendo « Unde benedico te... » — (6) Dein fit *a mutatio sensus* » i.e. vocis seu prosequitur in tono lectionis « Haec nobis praecepta servantibus ». — (7) Ter halat in aquam in modum Crucis dicens « Tu has simplices aquas tuo ore benedicito », *forma* ut ita dicamus, elevatur heie per mutationem vocis, ut antiquus mos postulavit. — (8) Dein fit *contactus sacralis:* cereus paschalis, symbolum Christi ter immergitur in aquam, resumendo tonum praefationis cantat ter *a* formam » contactus: « Descendet in hanc plenitudinem fontis...»— (9) Cereum adhuc in aqua immersum tenens, *ter sufflat* in aquam *in modum furcae* et prosequitur: « totamque huius aquae substantiam regenerandi fecundet effectu », et complet praefationem. — (10) Item mutatio sensus, legendo enim dicit *conclusionem* « Per Dominum ». — (11) Clericus seu ministrans *accipit in vase aliquo* de eadem aqua, ad aspergendum populum post renovationem promissionum baptismalium. — (12) His peractis, celebrans infundit *de oleo catechumenorum* in aquam in modum Crucis dicens formam « Sanctificetur n. Deinde infundit *de chrismate* cum forma respectiva, demum ambas ampullas accipiens *de utroque simul* infundit ter in modum Crucis formam praescriptam recitando. Postremo miscet ipsum oleum cum aqua.

c. *Baptismi administratio.* Si, aderunt baptizandi, eos baptizet more consueto (n. 21 in fine). Ergo, quia processio cum aqua baptisinali postea praecipitur ab OHS, Baptismus fieri debet in presbyterio, non ad fontem. (De ipso Baptismo cf. inferius d. 5°.) — *a* Hoc in casu sacerdos statim deponit stolam et pluviale violacea et induit alba, quae retinere potest etiam in processione ad fontem » (RS 1957. II, 50).

d. *Sollemnis delatio aquae baptismalis.* (1) Benedictione peracta aqua baptismalis defertur *processionaliter* ad fontem, *hoc ordine:* praecedit thurifera-rius, sequitur alius subdiaconus cum Cruce, clerus, diaconus cum vase aquae baptismalis nisi ab acolythis portetur, ut in ritu simplici (RS II, 51) et celebrans. Cereus ipse paschalis remanet in suo loco (n. 22). — (2) Ad processionem canitur *canticum* ° Sicut cervus desiderat ». — (3) Pervento ad fontem, celebrans aquam benedictam in fontem *immittit* et dicit iunctis manibus *orationem a* ...respice propitius ad devotionem populi » et dein in signum venerationis *incensat* fontem. — (4) Tunc redeunt in silentio *ad chorum* et datur initium renovationi promissionum.

7°. Dc renovatione promissionum baptismalium. a. *Praeparatio.* (1) Completa benedictione aquae, eiusque translatione (vel deficiente fonte post primam partem Litaniarum) iuxta cereum paschalem *se sistit* vel si maluerit ascendit ambonem (n. 25). — (2) » Convenit, ut *candelae* quas clerus et populus gestant, accensae maneant, dum... renovatio promissionum baptismatis peragitur ▮ (Instr, n. 12). — (3) Celebrans depositis paramentis violaceis, assumit

stolam ct pluviale *albi coloris.* Deinde imponit thus, *incensat* cereum, sub renovatione omnes *stant* (RS II, 62).

b. *Prima pars. Tres conceptus* inculcantur textu: (1) *Laetitia* ob celebrationem resurrectionis Christi (« Hac sacratissima nocte... »). — (2) Baptismo consepulti sumus Christo et *resurreximus cum eo,* ideo mori debemus peccatis (« Quoniam vero ut docet »). — (3) Hoc demonstraturi omnes *renovent* sacri Baptismatis promissiones (« Quapropter... »). — c. *Secunda pars. Abrenuntiatio* quae fit per triplicem interrogationem ct responsum. — d. *Tertia pars. Professio fidei* per triplicem actum fidei. — c. *Consignatio promissionis* per recitationem orationis dominicae. — f. *Sollemnis benedictio.* («Et Deus omnipotens»).

8°. De altera parte Litaniarum. Renovatione peracta, cantores seu ipse sacerdos eodem modo *absolvunt* Litaniarum secundam partem (quasi in gratiarum actionem), sicut primam, (n. 27). — Celebrans autem et ministri non assistunt his Litaniis, sed se recipiunt *in sacristiam,* ibique induuntur paramentis coloris albi ad Missam sollemnem (n. 28). — Si vero contingat sacerdotem debere Litanias decantare, quia solus est, his abolutis tantum it in sacristiam (RS II, 65). Interim cereus ponitur in candelabrum in latere Evangelii, altare paratur luminibus accensis et floribus (n. 29), et etiam reliquiis (RSimpl. II. 67).

9°. De Missa sollemni Vigiliae Paschalis, a. In fine Litaniarum cantores sollemniter incipiunt « *Kyrie eleison* », ut in Missa moris est (Missa paschalis n. L). Interim celebrans procedit cum ministris in paramentis albis ad altare, ct debitam praestat reverentiam. *Omissis Ps. Judica* et confessione etc. statim ascendens osculatur altare et incensat more solito (n. 1). « Permittitur usus incensi, uti moris est in Missa sollemni », si sacerdos solus celebret (RSimpl. III. 2). — b. Post Kyrie celebrans intonat sollemniter « *Gloria in excelsis Deo* », et pulsantur Campanae, discooperiunturque imagines (n. 2). Dein dicit *orationem* « Deus qui hanc sacratissimam noctem ». — c. Subdiaconus vel lector legit *epistolam* (Coi, 3,1-4). — d. Finita *epistola* statim incipit celebrans sollemne *Alleluia,* ter decantans vocem gradatim elevat, *omnes surgentes* (RS III, 6) qualibet vice repetunt idem illud in eodem tono (n. 4). Postea cantores prosequuntur Versum « Confitemini Domino » et Ps. 116. — e. Ad *Evangelium* non portantur luminaria, sed tantum incensum, petitur benedictio et omnia fiunt more solito (n. 5). — f. Non dicitur Credo, sed finito Evangelio, dicit t Dominus vobiscum. Oremus », sed non dicitur ant. ad offertorium, ad « Lavabo » dicitur « Gloria Patri » (n. 5). — g. Praefatio, Communicantes et « Hanc igitur » dicuntur propria (n. 6). — h. Dicitur « Pax Domini », sed pacis osculum non datur. « Agnus Dei » non dicitur, omittitur oratio prima « D. J. Christe qui dixisti » (quia pax non datur) (n. 7). — i. Post sumptionem Sacramenti, fit distributio *communionis* (optimum est cum hostiis in hac Missa consecratis), purificatio et ablutio fiunt more solito (n. 8), etiamsi alteram Missam celebraturus est. — k. *Laudes Missae insertae,* de quibus conferantur superius dicta (2. a. 10°. b.). Triplex Alleluia dicitur cum Ps. 150., capitulum, hymnus et versus non dicuntur, sed statim imponitur per celebrantem ant. ad « Benedictus », inter cantum « Benedictus » fit incensatio, ut alias in Laudibus. — l. More solito dicitur *postcommunio* (n. 9), dein cantatur « Ite Missa est n cum duplici Alleluia. Et celebrans, dicto « Placeat tibi sancta Trinitas ». dat benedictionem more solito et omisso ultimo Evangelio, omnes revertuntur in sacristiam (n. 10).

d) Leges cultuales Vigiliae Paschalis.

I°. *Leges cerei* paschalis, a. Cereus debet poni «super distincto *candelabro*, *posito in* plano, in cornu Evangelii, non in cornucopio » (CRit d 2890, 2). — b. « Accendi *debet in Missis et Vesperis cum cantu* » (RS 1957. Sabb. S. III, 15), ergo abhinc non solum in tribus diebus Paschae, Sabb. in Albis et diebus Dominicis (iuxta CRit d 235, 11), sed *in omnibus Missis cantatis,* a fortiori ergo etiam in Missis sollemnibus, evidenter etiam tunc, si Missae vel Vesperae celebrentur coram SS. Sacramento sollemniter exposito (CRit d 4383, 2). — c. Accendi *potest* in Missis lectis quae cum *aliqua sollemnitate* celebrantur » (RS III, 15), puta cum cantu populari vel sono organi, « necnon in aliis functionibus liturgicis » (ibid.).

d. *Nequit* accendi (1) « Quoties datur benedictio SS. Sacramenti cuin ostensorio » (CRit d 3479, 3), i.e. si haec devotio est functio separata (Lesage, Diet, col. 228). — (2) Nec in functionibus *funeralibus,* ut patet, potest accendi, nec in diebus *poenitentialibus* Litaniarum Maiorum aut Minorum.

c. *Extingui debet* cereus in festo Ascensionis Christi « statim post Evangelium Missae sollemnis » non post Nonam huius festivitatis, ut versus a. 1783 in Lusitania moris erat (CRit d 2524, 3). A candelabro tamen solummodo post Missam debet una cum candelabro removeri (RSimpl. 1957, III, 15).

f. Renovari debet cereus « ex parte quae consummata fuit », tunc « cum pars accendenda non sufficiat pro toto tempore paschali » (CRit d 3895, 1). Ut patet, semper licet renovare cereum, imo maxime decet.

2°. Tempus legitimum, a. « *Hora competens* ea est, quae permittat *Missam* eiusdem vigiliae incipere *circa mediam noctem* inter Sabbatum Sanctum et Dominicam Resurrectionis » *(Ordinationes et Declarationes SCR 1. febr. 1957 = OD 1957* η. V, 19). — b. *Hora privilegiata:* « Ubi tamen ponderatis fidelium et locorum *peculiaribus* conditionibus, propter *graves* rationes ordinis *publici* et *pastoralis,* de indicio Ordinarii loci, horam celebrandae *vigiliae* anticipari conveniat, haec inchoari *non potest* ante dici *crepusculum* aut certe non ante *solis occasum* » (OD 1957, V, 19 b). — c. Duae *limitationes* adduntur: (1) « Permissio autem horam vigiliae anticipandi ab Ordinario loci dari *non potest indistincte,* vel *generaliter* pro tota dioecesi aut regione, sed tantum pro iis ecclesiis vel locis, ubi vera urgeat necessitas ». — (2) « Praestat insuper, ut hora *competetis* senetur in ipsa saltem ecclesia *cathedrali* et in omnibus aliis ecclesiis, praesertim religiosorum, ubi sine gravi incommodo id fieri potest » (ibid. c.). Decretum ergo hoc supponit casum quod Ordinarius — *singulis* ecclesiis — sed moraliter tamen *fere omnibus* concedit hoc privilegium.

3°. Binatio. a. « *Sacerdotibus* qui curam duarum vel plurium habent paroeciarum, Ordinarius loci permittere potest binationem Missae vigiliae paschalis, non tamen in eadem paroecia » (OD 1957, η. V. 21). — b. Locorum *Ordinarii,* si vigiliam sollemnem paschalem celebrare voluerint, possunt, sed non tenentur. Missam sollemnem ipso dic dominicae Resurrectionis litare (OHS 1956 Instr, n. 21).

4°. S. communio Sabbato Sancto dari potest tantum *inter Missarum sollemnia, vel* continuo ac statim *ab iis expletis,* exceptis *infirmis* in periculo mortis constitutis (Instr, n. 18), pronum est s. communionem ut *Viaticum* dandam esse *omnibus* in periculo mortis ex quacunque causa proveniente iuxta can. 864 § 1.

5°. Quoad Baptismum permittitur, « si aderunt baptizandi, praesertim si plures sint, caerimonias Ritualis Romani, quae ipsam collationem Baptismi praecedunt, id est, in Baptismate infantium usque ad verba « Credis in Deum » (Rit. Rom. tit. IL c. II. n. 17), et in baptismate adultorum usque ad verba « Quis vocaris? n (tit. II. c. IV. n. 38) eodem *mane,* tempore opportuno, *praemittere* » (01 IS 1956 Instr, n. 14).

6°. Renovatio promissionum baptismalium « fieri potest ubique locorum *lingua vernacula* » (OHS 1956, Sabb. Sanet, rubr. spec. n. 26), conditio tamen apponitur: « Versione tamen ab Ordinario loci *approbata* » (ibid.); expedit ut non solum pro diocesi, sed etiam pro tota natione textus versionis *uniformis* habeatur. Pro diocesi Romana ipsa S. C. Rituum paravit versionem a Summo Pontifice approbatam ceterisque dioecesibus Italiae commendatam (1. mart. 1952).

7°. Sacrae ordinationes Sabbato Sancto, a. S. Gelasius (f 496) adhuc solum quinque terminos ordinationis novit: Sabbata Quatuor Temporum et Sabb. « Sitientes », *non novit* Sabbatum Vigiliae paschalis, quod pronum est, nam ritus sat longi fuere ob magnum numerum baptizandorum. Ordinationes Sabbato Sancto sub Alexandro III. (1159-1181) permissae sunt, cum Baptismi collatio iam in desuetudinem abiit. — b. Nunc ordinationes *licitae sunt* Sabbato Sancto iuxta Pontif. Romanum et can. 1006 § 2. Si ordinationes in Missa Vigiliae fiant, « consueta ordinandorum *prostratio* ct benedictio peragitur, dum altera pars Litaniarum decantatur » (OIIS 1956. spec. Sabb. S. n. 27). Pontifex autem « *ultimam admonitionem* (cum impositione sic dicti pensi), quae iuxta Pont. Rom. post benedictionem pontificalem et ante ultimum evangelium locum habet, hac nocte eidem benedictioni pontificali praemittat » (ibid. Instr, η. 15). — c. Nunc vero Ecclesia consilium dat: « Cum vigilia paschalis ad nocturnam nativam sedem restituta fuerit, *non convenit* ut inter eiusdem vigiliae Missarum sollemnia tonsura vel ordines minores aut maiores conferantur » (OD 1957. η. V, 22). Romae revera iam inde ab anno 1956 ex dispositione Vicarii Cardinalis s. ordinationes non amplius fient in vigilia paschali, sed Dom. in Albis (Bugnini-Braga p. 140 nota 109).

8°. Benedictio domorum a. amplius iam non potest fieri Sabbato Sancto sed b. « ubi mos hucusque viguit domos benedicendi ipso Sabbati Sancti die, locorum Ordinarii congruas edant dispositiones, ut haec benedictio *opportuniore tempore,* ante vel post Paschatis festum » peragatur (OIIS 1956. Instr, n. 24). Commendari potest tempus Natalitium, ut regionibus ritus Ambrosiani, vel Epiphania, ad hoc frequentata in regnis Europae centralis, vel tempus Quadragesimae, ut penes Ligures, per sc patet etiam optime suaderi posse Dominicam Paschatis ct totam hebdomadam subsequentem, quae quantum scimus, in Urbe hucusque quoque ad domos benedicendas usitata fuit. — c. Benedictio domorum nunc etiam extra Sabb. Sanet, privilegium est parochiale, fieri enim debet « *a parochis* vel ab aliis sacerdotibus animarum curam gerentibus ab ipsis *delegatis* » (Instr, n. 24), — d. « qui hanc nacti occasionem, fideles sibi commissos paterne invisent ac de eorum statu spirituali certiores se reddant » (can. 462 n. 6, Instr, n. 24).

9°. « Abstinentia et ieiunium tempore Quadragesimae praescriptum, quod hucusque iuxta can. 1252 § 4, Sabbato Sancto cessabat post meridiem, in posterum cessabit media nocte eiusdem Sabbati Sancti » (OIIS 1956. Decr. n. 10)

10°. De requisitis quibusdam dicitur: a. « Nihil impedit quominus signa in cereo paschali a celebrante stilo incidenda, coloribus vel alio modo antea praeparentur » (OHS 1956. Instr, n. 11). — b. « Vas aquae benedicendae convenienter ornari decet » (Ibid. n. 13).

11°. Propria editur benedictio mensae pro Sabbato Sancto (OHS 1956. VIII. De benedictione mensae). — a. Dicitur absolute et sine cantu « Principes sacerdotum et pharisaei... » deinde « Pater noster » totum secreto, quo dicto sine pronuntiatione aliqua, sacerdos signo Crucis benedicit mensam, nec dicitur « lube domne » nec « Tu autem ». — b. Post mensam dicitur « Principes sacerdotum... » postea recitatur Ps. Miserere. Quo sine « Gloria Patri » finito secreto dicitur « Pater noster », deinde sacerdos dicit absolute orationem: « Concede quaesumus, omnipotens Deus, ut qui Filii tui resurrectionem... », et oratio concluditur sub silentio: « Per eumdem Christum ». — c. Ubi tamen celebratio vigiliae anticipetur ad horas ante mediam noctem et refectionem fieri contingat post celebratam vigiliam, benedictio fit ut in Breviario Romano notatur pro die Paschatis.

3. De sollemnitate SS. Quinquagesimae paschalis.

Totum tempus paschale a Dominica Resurrectionis usque Pentecosten vocatum est a maioribus nostris « *Pentecostes* », SS. Quinquagesima, quod unicum habebatur festum. *Vigilia* Paschatis hoc festum introduxit, liturgice respicitur *festum sollemnissimum* non solum Dominica ipsa, sed tota Hebdomada qua protracta sollemnitas, Hebdomada *septem diebus constans,* Hebdomada Alba, graece « Hebdomas lampra », seu splendida, usque ad Dominicam in Albis exclusive. Tempus *reliquum* usque ad Pentecosten inclusive festum fuit *Redemptionis gloriosae,* in his diebus recolebatur simul cum resurrectione Christi etiam eius ascensio et missio Spiritus Sancti, quae decursu saec. IV-i peculiaria festa facta sunt. Ideo agimus a) Dc sollemnitate sollemnitatum, dein b) De tempore paschali, demum c) De litaniis maioribus et minoribus.

a) De sollemnitate sollemnitatum.

1'. Dominica Resurrectionis, a. *Nomina distinctive.* Maiores nostri fere modum excedebant hunc diem titulis honorificis cumulando. Sic vocabatur Dominica Resurrectionis « Dies magnus » (Tertullianus), S. Hippolytus (t 235): « Dies candida, Pascha mysticum. Festum et memoriale legitimum » (PG 79. 735. 714, cf. supra l. c. 1°. a.), « Sollemnitas sollemnitatum » (Gregor. Nazianz. Or. 42.), idem s. doctor: « Dies dierum regina », « Dominica nova » (PG 36, 698). » Dies felicissimus » (Commodiam Instruet. II. c. 36, 1), » Dies verus Dei » (Brev. Ambros. Hymn. off. pasch.), « Hilaria Paschae » (Sacram. Mozarab. MEL VI. n. 611), » Salutaris Paschae dies, Vitae natalis aeternae » (Miss. Gothicum PL 72, 27S. 279). « Conventio pacis » (Miss. Bobiense PL 72, 507). « Resurrectio Dominica » (Miss. Gallic. Vetus PL 72, 371). ‖

b. *Officium paschale.* (1) Pascha et Pentec. habent officium peculiariter ordinatum per totam octavam: (NCR 165). *Matutinum ex unico* constat nocturno, ut Ordines Romani saec. VIII-i in Gallia conscripti demonstrant: « III psalmi cum alleluia III lectiones et responsoria totidem ...Infra Albas pasclie

tres psalmos per nocturno inponuntur per singulas noctes usque in octavas paschae. In dominica vero octabas paschae vigiliam plenam faciunt, sicut mos est» (OR XXX. B., 68-70 ct OR XXVIII, 87 et OR XXX. A., 21, Andrieu III. 475. 410. 458). Brevitas officii saltem in Vigilia Paschae excusatur prolixitate huius actionis liturgicae. morem matutinum hac nocte celebrandi opinamur exortum esse Romae in basilicis a monachis et regularibus incoeptum, tunc quando vigiliae iam horis pomeridianis exordium habuere. In primaeva ecclesia certum est matutinorum locum ipsam vigiliam tenuisse. — (2) Ipsum *officium archaicum* mansit, nam desunt *hymni* ex toto officio paschali, quorum loco per totam hebdomadam versus cantatur « Haec dies quam fecit Dominus »; ratio est, quia hymni ante saec. X. Romae nondum adhibiti sunt. Per octavam paschatis *medio aevo* singulis diebus terni novi Psalmi dicebantur, 18 Psalmi matutini dominicalis sic per sex dies recitati sunt usque ad Breviarium Romanae Curiae saec. XIII-i. — (3) *Officium peculiare* Pa.sch. et Pentec. et per totam octavam, tres Psalmos habet ct tres lectiones de homilia in Evangelium diei (NCR 221). Ad Horas minores dicuntur Psalmi de Dom., ad Primam de festis (Ps 53. 118* et 1I82), antiphonae in Horis minoribus et Completorio non habentur (NCR 172 et 190). — (4) Instauratio OHS 1956 *legem tulit:* « Cum solemnis vigiliae paschalis celebratio locum obtineat officii nocturni dominicae Resurrectionis, *Matutino* eiusdem dominicae Resurrectionis *omisso,* statim inter *Missarum* vigiliae sollemnia, cantantur pro Laudibus, quae suo loco proponuntur » (n. 8.). Officium dominicae Resurrectionis prosequitur deinde cum Prima. Qui vero sollemni vigiliae paschali *non interfuerunt,* tenentur dicere Matutinum et Laudes dominicae Resurrectionis, prout in Breviario Romano continentur » (Rubr. spec. Sabb. S., De off. div. η. 4).

c. *Missa paschalis.* (1) Missa *primaeva* est Missa *Vigiliae,* Missa Dominicae Resurrectionis elementa habet etiam ex aetate posteriore. Sic *oratio primaeva* in Gelasiano conservata mirabili modo exprimit duplicem ideam festi eiusque octavae: « Deus qui hodierna die per Unigenitum tuum aeternitatis nobis aditum, devicta morte reserasti, da nobis quaesumus, ut qui *resurrectionis* dominicae sollemnia colimus, per *innovationem* tui Spiritus a morte animae resurgamus » (Wilson p. 90), in Gregoriano *mutata est:* « ....reserasti, vota nostra quae praeveniendo aspiras etiam adiuvando prosequere » (Lietzmann n. 88, 1), sicque modo generali dicitur quod Gelasianum concrete edixit: Resurrectio ut redemptionis coronatio eiusque applicatio per innovationem. — (2) *Evangelium* sumitur e S. Marco (16, 1-7). tuneque electum est, quando haec secunda Missa Paschatis celebrari coepit. Evangelii *cantus polyglottus* fit in Ecclesia Byzantina ad ostendendam uniformem Evangelii praedicationem, etsi variis linguis remotisque regionibus terrae facta sit. Episcopus incipit cantum « In principio erat Verbum », sacerdotes autem et diaconi longo agmine stantes usque ad ianuain ecclesiae, primum versum repetunt variis linguis, episcopus postea secundum versum cantat, ceteris eundem replicantibus variis idiomatibus (Nilles II, 314 s.). — (3) *Communio sollemnis paschalis* distribuitur ab ipso episcopo, qui « Missam sollemnem omnino celebrare debet » (Caer. Ep. 1. II. c. 29, 1, sed cf. supradicta 2. d. 3°. b.). Ad sollemnitatem s. communionis in Missa pontificali distributae per multa saecula *cantus specialis* cantatus fuit: « Venite populi, sacrum immortale mysterium et libamen agendum. Cum timore et fide accedamus. Manibus mundis poenitentiae munus communicemus. Quoniam Agnus Dei propter nos Patri sacrificium propositum est. Ipsum solum

adoremus, ipsum glorificemus cum angelis clamantes: Alleluia! » (Jungmann, Miss. soil. II, 493 s.). — (4) Post Missam pontificalem *benedictio apostolica* datur ab episcopo iuxta can. 914.

d. *Benedictio esculentorum in Pascha.* Mature iam illi cibi a quibus per Quadragesimam abstinebant, carnes et lacticinia, dic Paschatis benedicta sunt ante usum. Primis testis est Missalc Bobiense, ubi benedictio nobilissima huius generis iam occurrit (1) benedictio *agni paschalis,* saec. VII-o: « ...ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Ob hoc igitur supplices quaesumus, ut intercedente filio tuo DNJChristo, hunc agnum *praeparatum* benedicere et sanctificare digneris » (PL 72, 572). Walafridus Strabo (f 849) loquitur de simplicium errore, « quo quidam agni carnes in pascha iuxta vel sub altari eas ponentes benedictione propria consecrabant et in ipsa resurrectionis die ante ceteros corporales cibos dc ipsis carnibus percipiebant », quem morem « radicitus amputandum » dicit utpote de « Judaicarum superstitionum seminario natum » (De eccl. rerum exordiis et increm. c. 18 PL 114, 938 s.), in hoc ipse egregie errans, quemque errorem ipso saec. IX. Photius, XI-o autem Michael Cerularius renovabant Latinis obiicientes agni benedictionem. — (2) Attamen benedictio haec in usu remansit, in Gelasiano saec. VIII-i illapsa est, dein in toto territorio liturgiae Franco-romanae pervulgata fuit. Huic benedictioni mature accessit benedictio « *lar(i)di* » *seu pernae* (prosciutto, Schinken, ham); in Vita S. Udalrici saec. X. de hoc Sancto narratur, quod « carnes agni et particulas lardi inter Missarum sollemnia benedicti omnibus dispensavit, et tunc demum cibum cum eis omni gaudio sumpsit » (MGII Script. IV, 393). — (3) Benedictio *ovorum* quae dein plerumque rubeo colore depinguntur, saec. XII. iam in usu fuisse conspicitur, formula benedictionis hodiernae (« Subveniat ») ex illo saeculo oriunda est (e ms Monacensi Franz I, 592). — (4) Benedictio aliorum *lacticiniorum* (butyri, casci, pastillarum) antiquissima est, si spectetur benedictio *lacti·} et mellis et aquae,* potus enim hic in Ecclesia primaeva ncobaptizatis ad communionem datus in Canone ad verba « Per quem hac omnia » benedictus est iuxta Lconianum (Feltoe p. 25), et adhuc saec. XII. in usu erat (Franz I, 601). Missale saec. XIV. Scepusiensis (Zips) habet adhuc benedictionem lactis et mellis et vini (Rado, Libri lit. I. 72). — (5) Benedictio *salis et raphani* (Krcn, Rcttich) exeunte medio aevo in quibusdam ecclesiis in usum venit, *sal* ad condiendas carnes adhibitum simul etiam finem apotropaeicum habuit, ut « sit depulsio diabolicae malignitatis et reparatio animae ct corporis » (Agenda Cononiensis 1561. Franz I, 602 nota 1). — (6) Benedictio *panis* iam saec. X-o occurrit (in ms Sangallensi 338. Franz p. 593), supplementum fuit eulogiarum i.e. frustulorum panis die Paschatis distributorum. — (7) Sic verificatum est. quod Durandus saec. XIII. enuntiavit: ° In hoc sacro die, *nihil* quod a sacerdote *non sit benedictum,* comedere debemus » (VI. c. 86, 7). Ritus hodiernus Romanus habet benedictionem agni ovorum ct panis (Miss. Roman, et Rit. tit. IX. c. 3, 11).

c. *Osculum paschale.* Unionis fraternae reconciliationisque signum datur usque hodie a temporibus antiquis osculum in ecclesiis *Orientis.* « Christos anestè » (Christus surrexit) dicitur, respondetur « Alcthos anestc* » (vere surrexit) osculaque capiuntur et redduntur, tum in ecclesia in sacra nocte, tum per tres dies paschales Mos hic etiam *in Occidente* invenitur, sacc. VIII. exeunte Ordo Rom. XXX. B. refert: « In ipsa nocte sancta resurrectionis post gallorum cantum surgcndnm est, ct dum venerint ad ecclesiam et oraverint, osculant se

invicem cum silentio ⁊ (Andrieu III, 475), Romae adhuc 147] hic mos usitatus fuit (Righetti 188).

2°. Hebdomada splendida seu alba Paschatis. Denominatio haec inde orta est, quod neobaptizati per totam hebdomadam vestes candidas portabant, lisque vestiti sacris functionibus cotidie interfuerunt.

a. *Feriatio huius hebdomadae.* Saec. IV-o lege Valentiniani II. anno 389 lata sacri Paschae dies « qui septem vel praecedunt numero vel sequuntur » dies feriati enunciati sunt. Etiam lege ecclesiastica saepe declaratum fuit feriatio totius hebdomadae, e.gr. « ...ut illis sanctissimis sex diebus nullus servile opus audeat facere, sed omnes simul coadunati, hymnis paschalibus indulgentes, pcrsevcrationis nostrae praesentiam quotidianis sacrificiis ostendamus » (Cone. Matisconense anni 585. Mansi IX, 950). Inde a saec. X-o solum tres dies celebratae sunt qua feriatae, saec. XVIII-o dies III. Paschatis et Pentecostes deletus est e numero festorum feriatorum, Sanctus Pius X. vero (a Supremi disciplinae ecclesiasticae » 2. iul. 1911) etiam diem II, horum festorum suppressit, sicque solae Dominicae Paschatis et Pentecostes qua feriatae manserunt.

b. Scopus *principalis Hebdomadae albae* pro neobaptizatis fuit eis declarare sacra mysteria suscepta. Cum S. Cyrillus Hierosolymitanus (anno 348), tum S. Ambrosius (in libris De Mysteriis ct altero De Sacramentis) modo classico hoc fecerunt.

c. *Missae liturgiae Romanae* ideo per totam hebdomadam proprium habent textum, ex aetate primaeva oriundum, quorum Evangelium S. Gregorius Magnus fidelibus suis exposuit. Duplex idea principalis iam memorata in eis ulterius evolvitur. (1) Idea *resurrectionis Domini* celebratur per octavam, sic in *lectionibus* S. Petrus annuntiat resurrectionem Domini (Fer. II., quando etiam statio ad S. Petrum habetur, et Fer. IV.), Fer. III. S. Paulus hoc facit in Epistola, statio quoque ad basilicam S. Pauli celebratur. *Evangelia* totius hebdomadae laudem resurrectionis dominicae extollunt: Jesus apparet duobus discipulis in Emmaus pergentibus (Fer. II.), dein narratur quomodo Dominus vespere resurrectionis se discipulis omnibus manifestavit (Fer. III.), refertur etiam manifestatio ad lacum Tiberiadis (Fer. IV.), Fer. V. apparitio Mariae Magdalenae, Fer. VI. undecim discipulis in monte quodam Galilaeae facta legi tur, Sabbato auditur historia visitationis sepulchri per Petrum et Joannem. — (2) Idea *innovationis spiritus* extollitur, praecipue per baptismum, cuius typus fuit cductio populi ex Aegypto. Ideo *antiphonae ad. intr.* hoc factum typicum commemorant: « Eduxit cos Dominus in spe » (Fer. VI.), « Eduxit Dominus populum suum in exaltatione » (Sabb.), « Introduxit Dominus vos in terram fluentem lac et mei » (Fer. II.). Baptismus praesertim in *Epistolis* celebratur, refertur Aethiops a Philippo diacono baptizatus (Fer. V.), baptisma magnificatur, salvos enim nos fecit per resurrectionem Jesu Christi (Fer. VI.), regeneratio haec extollitur per Epistolam Sabbati, electi sunt » modo geniti infantes... ad offerendum spirituales hostias », quia iam ad « regale sacerdotium » pertinent. — (3) *Conclusiones practicae* deducuntur ex hoc geminato conceptu: cum neophytae, tum fideles « Sacramentum vivendo teneant quod fide perceperunt » (Fer. III. or.), Eucharistiae « veneranda perceptio in novam nos transferat creaturam», (Fer. IV.), precatur Ecclesia, ne «gentium diversitas» nationalis obstaculum sit adunationis, sed « renatis fonte baptismatis una sit fides mentium » (Fer. V.).

d. *Officium fontis* seu *Vesperae octavae paschalis* speciale quoddam exercitium fuerunt neophytarum, qui decursu huius officii singulis diebus hebdomadae albae ducti sunt ad loca sancta ubi Sacramenta perceperunt nocte sacratissima, uti optime describitur in Ordine Rom. XXVII, 67-94 e prima parte saec. VIII-i (Andrieu III, 362-372). *Prima statio* fuit ad altare maius, Vesperae incipiebantur per cantum « Kyrie eleison », ubi cantati sunt Ps. 109. « Dixit Dominus Domino meo». Ps. 110. «Confitebor» et Ps. 111. «Beatus vir» cum antiphonis ct responsoriis. Dein cantatum est « Magnificat » cum ant. — *Secunda statio* fuit ad fontem baptismalem in eleganti baptisterio Laterani inter cantum ant. » In die resurrectionis meae », dein graece cecinerunt versus Ps. 92., sequebatur Ps. 112. « Laudate pueri », et « Magnificat » cum ant. secunda vice. — *Tertia statio* habita est « ad sanctum Johannem ad Vestem », in oratorio S. Joannis Baptistae, ubi asservabatur vestimentum eius. Hilarius Papa (461-468) tria oratoria construxit circa baptisterium, duo in honorem Baptistae et Evangelistae, tertium in honorem S. Andreae. Inter processionem canebatur Ps. 113. « In exitu », post versus autem « Magnificat » cum ant. tertia vice. — *Quarta statio* fuit in oratorio S. Andreae ad Crucem, quod cum porticu baptisterio coniunctum erat, eundo cecinerunt « Vidi aquam », deinde dicto Alleluia iterum cantatus est Ps. 113. — (5) Hae vesperae *imitatae sunt in Gallia,* cuius primum testimonium habetur in Ordine S. Amandi saec. VIII. exeunte (= Ordo Rom. XXX. B, 71-82. Andrieu III, 475-477), dein decursu saeculorum toto medio aevo in usu erant, sed solum cum tribus stationibus. Romae saec. XII-o iam obsoletae erant, dum in Germania usque ad finem saeculi XVI. in Hungaria usque 1632., Coloniae adhuc saec. XIX., in ordine Praemonstratensium etiam nunc in usu manserunt.

c. *Distributio « Agnus Dei ».* (1) Primo anno Pontificis Summi singulisque septenniis Fer. V., in Albis consecrantur *particulae rotundae cereae effigiem agni paschalis exhibentes,* vocatae « Agnus Dei », distribuuntur autem Sabbato in Vbis. Cereus enim paschalis hoc die solebat in parvas particulas dissecari, populoque distribui. Quia particulae cerei non sufficiebant, iis admixta est cera communis in sufficienti quantitate, benedictaque tota massa, quam benedictionem *Sixtus IV.* Romanis Pontificibus reservavit. « Agnus Dei » etiam *neobaptizatos* significat, ideo dicitur Papae, quando « Agnus Dei » praesentantur: « Pater sancte isti sunt agni novelli qui nuntiaverunt vobis Alleluia, modo venerunt ad fontes, repleti sunt claritate. Alleluia! » Dies benedictionis inde a Leone X. in Fer. IV. in Albis translatus est. — (2) *Effectus* Imius Sacramentalis extolluntur in orationibus: « ...per eius tactum et visum fideles invitentur ad laudes, fragorque grandinum, procella turbinum, impetus tempestatum, ventorum rabies, infesta tonitrua temperentur», dein «nulla adversitas dominctur, nulla aura pestilens, neque aeris corruptio, nullusque morbus caducus (= epilepsia), nulla maris procella et tempestas, nullum incendium neque ulla iniquitas dominctur cis, neque praevaleat homo, partus cum matre incolumis conservetur » (Franz I, 563-564).

f. *Leges cultuales Hebdomadae in Albis.* (1) De diebus I. cl. octavae cf. superius 1. d. 1°. — (2) Dies sex hebdomadae paschalis indolem quandam *uniformitatis* prae se ferunt. Primum est. quod in cantibus variabilibus Missae cum quodam favore praeferuntur *textus extra Psalmos e* S. Scriptura deprompti, sic antiphonae ad introitum quater desumptae sunt c Veteri et Novo Testamento (Fer. II-V.); ter antiphonae ad offertorium (Fer. H. V. VI.); antiphonae

autem ad communionem omnes ex epistolis Novi Testamenti vel ex Evangelio diei dicuntur. — (3) Nota haec uniformitatis exprimitur etiam *graduait* « Haec dies quam fecit Dominus » omnibus diebus cantato, cum versu semper diverso ex eodem Psalmo desumpto (excepta Fer. III.). — (4) Eadem dicitur omnibus diebus sequentia paschalis « *Victimae paschali laudes* », auctore Wipone, capellano aulae imperatoriae (J 1048). Sequentia haec media stat inter prosas Notkeri et sequentias Adami a S. Victore, e septem constat strophis, cuius sexta suppressa fuit in Missali Piano (ante ultimam « Scimus Christum surrexisse »), etsi indolem apologcticam quam maxime ipsa exprimit: « Credendum est magis soli | Mariae veraci, ¡ quam Judaeorum ' turbae fallaci ». Sequentia haec summopere populari persuasione recepta fuit, septem aliae sequentiae ad eius imitationem a saec. XII-XVI. compositae sunt, e.gr. « Virgini Mariae laudes intonent christiani », quod *indoli* eius debetur. Eminet enim quoad textum clara simplicitate, concinnaque brevitate, quoad melodiam autem vigore musico (cf. J. Handschin, Gesungene Apologetik, *in:* Mise. Lit. II, 1949, 75-92). — (5) *Praefatio paschalis* dicitur usque ad Sabbatum in Albis cum appositione « in hac potissimum die », tota hebdomada enim quasi unicus dies festivus computatur. — (6) Hanc unitatem liturgicam octavae testatur etiam « *Communicantes* », » *Hanc igitur* » propria, et 0 *Ite missa est* » cum duobus Alleluia cantandum. — (7) Hebdomada splendida *finem habet* Sabbato in Albis, a Vesperis incipit commune tempus paschale. Dominica post hebdomadam in Albis non est dies octavus seu octava, festum unum septem diebus constans iam terminatum est, ideo dicitur in oratione: « ...qui festa paschalia peregimus ».

b) De tempore paschali.

1°. lugis et continuata festivitas. Bene notat de SS. Quinquagesima S. *Maximus Taurinensis* (f 465): « Per hos quinquaginta dies nobis est iugis et continuata festivitas, ita ut hoc omni tempore neque ad observandum indicemus ieiunia, neque ad exorandum Deum genibus succedamus... Instar dominicae, tota Quinquaginta dierum curricula celebrantur et omnes isti dies velut dominici deputantur... Sic enim disposuit Dominus, ut sicut cius passione in quadragesimae ieiuniis contristaremur, ita eius resurrectione in Quinquagesima laetaremur » (In. Pent. PL 57, 371). Revera hoc saeculo adhuc *litaniae* poenitentialcs saltem prima eius parte, ignotae fuerunt, *nec Fer. IV. et VI,* ieiunabant, *standoque* orabant, ut idem etiam Tertullianus excunte saec. II. memorat.

2°. Lectiones seliguntur e S. Scriptura a. in *officio divino* a Dom. I. post Pascha ex *Actibus Apostolorum,* ut resurrectio Domini redemptionisque applicatio semper prae oculis ponantur; legitur etiam *Apocalypsis* ut recapitulatio sortis varietatumque Ecclesiae usque ad finem mundi: *epistolae* autem *catholicae* idem thema proponentes etiam novam in Christo vitam inculcant. — b. In *Missis* exclusive *epistolae* catholicae leguntur, eorum nempe apostolorum scripta, qui Christum suscitatum in terris degentem noverunt. S. Paulus etenim post effusionem Spiritus factus est Apostolus gentium. Lectiones *evangelicae* (a Dom. III.) pericopas exhibent e sermone supremum discipulis vale dicente, quia « sermo hic sublimis profecto testamentum Cordis Jesu appellari potest, eoque tractantur Eius mors, resurrectio, reditus ad Patrem ac missio Spiritus Sancti veluti variae rationes unius eiusdemve mysterii Redemptionis nempe paschalis » (Schuster, Lib. sacrament, versio germ. IV, 111).

3°. Singulae Dominicae temporis paschalis nominantur vel ab ant. ad introitum, vel ab Evangelio vel ab alia re.

a. *Dom. 1. post Pascha* (« *Quasi modo* ») seu « *Clausum Paschae* » (gallice Pâques closes) vel « Post albas » vocatur (Gregorianum), etiam « Octavas Paschae » (Gelasianum), dum Miss. Romanum nomen habet « *Dom. in albis* », quod compleri potest voce « depositis », vestimenta alba enim iam Sabbato praecedente deposita fuerunt. Assimilatio haec diebus hebdomadae paschalis facta minus congruit huic Dominicae, Sabbato enim in Albis peculiares notae huius hebdomadae iam cessaverunt. Ob introitum (« Quasi modo geniti infantes ») saec. VII. electa est qua statio basilica S. Pancratii martyris iuvenis, cuius basilicam iniuria temporum fatiscentem Honorius I. (625-638) restaurare iussit. *Dominica fidei* quoque vocari posset haec Dominica, fides enim inculcatur in Epistola: Omne quod natum est ex Deo, vincit mundum et haec est victoria quae vincit mundum: fides nostra », eadem fides laudatur in Evangelio eventus « post dies octo» narrante: «Beati qui non viderunt et crediderunt», secus quam Thomas; idem in versu allcluiatico et ant. ad commun, memoratur. — Exinde quod *prima communio* parvulorum ab operariis restaurationis catholicae saec. XVIIT-o excoli propagarique coepit, saepe hanc Dominicam elegerunt, praeter Fer. V. Coenae Domini et Dom. Paschae, ut diem primae communionis, sed dies praecipuus primae communionis solum saec. XIX-o evasit. Ratio praeter rationes practicas fortasse in ant. ad intr. inveniri potest, et etiam in charactere huius diei apologetico fidem inculcante, quae occasione primae communionis per renovationem promissionum baptismalium sollemni modo publice professa est.

b. *Dom. II. post Pascha* seu « *Misericordia Domini* » aut etiam « *Boni Pastoris* », gratias agit Deo ob vitam novam in Baptismo acceptam, ideo misericordiam Domini cantat, quia in « Filii humilitate iacentem mundum erexit » (orat.). Christus qui « passus est pro nobis » (Ep.), pastor est bonus qui vitam suam seu « animam suam dat pro ovibus suis » (Ev.). Ad hunc pastorem alludit S. Petrus in *Epistola:* « Eratis enim sicut oves errantes, sed conversi estis nunc ad pastorem et episcopum animarum vestrarum », Christum nempe Dominum, cuius supremum munus pastorale extollitur etiam in versu alleluiatico et ant. ad communionem.

c. *Dom. III. post Pascha* seu « *lubilate* » vel etiam « *De modicum* » propter hoc vocabulum in Evangelio septies occurrens. Ad iubilationem adhortatur *ant. ad intr.* fideles, quia « terribilia sunt opera » Dei, i.e. mysterium paschale redemptionis, quod praeter salvationem electorum etiam stragem ac ruinam inimicorum aeternamque damnationem reprobatorum secumfert. *Oratio* diei itaque statim Deum deprecatur, ut errantibus veritatis lumen ostendat sicque redire possint in viam iustitiae. *Terribile indicium* expectat omnes, qui non abstinent a « carnalibus desideriis », qui obteguntur « quasi velamine, habentes malitiae libertatem»: sint ergo fideles redempti «in bona conversatione», sicut annuntiat S. Petrus in *Epistola.* Versus alleluiaticus est *praesidium* Evangelii: « Oportebat pati Christum et ita intrare in gloriam suam ». *Evangelium* enim e sermone ultimum vale dicente sumptum Christi monitum continet fideles ploraturos esse, sed post « modicum » tempus tristitiam eorum verturam esse in gaudium: parusia Domini in fine vitae cuiusvis fidelis et in novissimo die gaudium afferet cis, quod nemo ab eis tollet. In ant. ad *offertorium* ideo Ecclesia dona ferens manibus suis laudem Dei concinit: « Lauda anima mea Domi-

num 0, in oratione super dona .*secreta* memor obstaculi salutis Deum precatur, ut « terrena desideria mitigentur ».

d. *Dom. IV. post Pascha* seu « *Cantate* », una cum aliis Dominicis testis est quomodo primaeva Ecclesia *totale mysterium* Redemptionis colebat: hac Dominica enim celebratur Christi resurrectio (Alleluia. Christus resurgens ex mortuis iam non moritur »), Evangelium ascensionem Christi memorat: « Expedit vobis ut ego vadam », simul autem prae oculis fidelium ponit Paraclitum, qui veniet ad eos. Hoc mysterium Paschatis totale laudatur cantilena Redemptionis: « Cantate Domino canticum novum, alleluia, quia mirabilia fecit Dominus ». Idem mysterium *singulis applicatum* est "datum optimum, donum perfectum, descendens a Patre luminum », (Epist.), qui accepit hoc donum, sic debet vivere, « ut inter mundanas varietates ibi fixa sint corda, ubi vera sunt gaudia » (or.). Redemptionis « veritatem » (Ev. communio), quam « cognoscimus, sic dignis moribus assequimur » (sccr.).

c. *Dom. V. post Pascha. « Vocem iucunditatis:* annuntiate et audiatur, alleluia... liberavit Dominus populum suum » (ant. ad intr.). Quam pulchre coniungit haec Dominica gaudium *ob libertatem* Redemptionis cum obligatione *seipsum* liberandi a vinculis pravitatis, ostendit oratio: fidelis *cogitet* quae recta sunt eadem quoque *faciat,* eademque *desideret* (postcom.). Quum hoc solum Deo « inspirante » et « gubernante » potest, « a quo bona cuncta procedunt », suppliciter exorari debet. Salvator enim noster promisit: « Si quid *petieritis* Patrem in nomine meo, dabit vobis » (Ev.); « Dominus enim non amovit deprecationem meam et misericordiam suam a me » (ant. ad offert.). Obligatio autem *liberationis suiipsius* est « lex perfecta libertatis » (Ep.), quae *actuosa* debet esse, consistit enim in refraenatione linguae, actibus caritatis (« visitare... »), et immaculato corde (Ep.). Dominica haec ideo optime appellari posset etiam « *Dom. rogationis* », aptissimum enim propylaeon est trium dierum Rogationum.

f. *Dom. VI. post Pascha* seu « Dom. post Ascensionem » vel « *De rosa* ». Respectu liturgico haec Dominica *nunquam* fuit Dominica *infra* octavam Ascensionis, prius enim existebat quam octava huius festi orta versus saec. XI-XIL Indoles collectiva SS. Quinquagesimae in liturgia huius Dominicae iam inclinat versus expectationem *Spiritus Sancti* proxima Dominica celebrandam. Ideam tamen *Christi suscitati* resplendet ant. ad intr.: « ...quaesivi vultum tuum, vultum tuum Domine, requiram ». Resuscitatus enim hoc tempore a discipulis cerni iam non potuit, ascendit enim in caelum. Ipsum factum ascensionis non memoratur, sed cius sequela: « Deus *sedet* super sedem sanctam suam » a dextris Dei (vers, allel.). Introitus supradictus dedit ansam electionis ecclesiae stationalis, medio aevo etenim imago faciei Christi (veron-ikon = vera effigies) in Basilica S. Mariae ad Martyres quondam Pantheon nominata asservabatur in scrinio tredecim clavibus obserato. Idea *innovationis paschalis* resonat in oratione quae a Deo « semper devotam voluntatem » exposcit pro fidelibus, ut sic « sincero corde » Ei serviant. In quo haec *voluntas* consistat, declaratur in Epistola: vigilare in orationibus, mutuam caritatem continuam habere. Idea *Spiritus Sancti* iam in altera parte versus alleluiatici occurrit: « Non vos relinquam orphanos », sollemnius autem exponitur in Evangelio: Paracletus veniet et virtutem dabit fidelibus, ut « testimonium » possint perhibere de Christo. Per sacrificium incruentum — precatur Ecclesia in secreta — obveniat omnibus « supernae gratiae vigor » a Spiritu Sancto communicatus. Spiritus Sancti mox

venturi memoria repraesentativa fuit medio aevo « *pluvia rosarum* », quia infra homiliam Pontificis proximum festum Pentecostes annuntiantis e tecto aperto huius ecclesiae (Pantheon) folia rosarum mittebantur super capita fidelium.

4°. Celebratio gaudiosa martyrum vetusta proprietas est temporis paschalis, peculiaria *officia* textusque *Missarum proprios* exhibentis. Si hi textus, praecipue officii divini comparentur textibus per annum, statim videtur, in officiis per annum magis inculcari *luctam* martyrum eorumque *passionem:* «Pro lege Dei sui certavit usque ad mortem... Ilie est vere martyr qui pro Christi nomine sanguinem suum fudit... Tradiderunt corpora sua propter Deum ad supplicia... Verbera carnificum non timuerunt Sancti Dei morientes pro Christi nomine ». In officiis autem temporis paschalis extollitur magis eorum caelestis *victoria gaudiumque* sempiternum: « Exsultent Sancti in Domino, alleluia!... Sancti et iusti in Domino gaudete, alleluia!... Gaudium ct exultationem obtinebunt... Laetitia sempiterna super capita eorum, alleluia ». Rationem vero optime assignat Maximus Taurinensis: « Dignum et congruum est, fratres, ut post laetitiam Paschae, quam in Ecclesia celebravimus, gaudia nostra cum sanctis martyribus conferamus et iis annuntiemus dominicae resurrectionis gloriam, qui consortes sunt dominicae passionis. Qui enim socii sunt contumeliae, debent et participes esse laetitiae » (L. IV. Ps. Ambrosii in Brev.).

5°. De legibus cultualibus huius temporis iam egimus, supra l. d.

c) De Litaniis Maioribus et Minoribus.

Character gaudiosus temporis paschalis interrumpitur per processiones poenitentiales Litaniarum Maiorum et Minorum; Maiores semper die 25. apr., Minores autem tribus diebus ante Ascensinem celebrantur. Ritus harum Litaniarum idem est; Maiores Romae, Minores autem in Gallia ortae ambae in liturgia universali Romana acceptatae hodieque in usu sunt.

1°. Litaniae Maiores, a. *Origo* (1) Ultimam manum Litaniis his procul dubio iam antea usu receptarum S. *Gregorius Magnus* (f 604) imposuit. Superesl adhuc *carlula invitationis* Sancti Pontificis ex anno 592 relecta in basilica S. Mariae: « Sollemnitas annuae devotionis, filii dilectissimi, nos ammonet, ut letaniam quae maior ab omnibus appellatur, sollicitis ac devotis debeamus, auxiliante Domino, mentibus celebrare, per quam a nostris excessibus cius misericordiae supplicantes purgari aliquatenus mereamur. Considerare etenim nos convenit, dilectissimi, quam variis continuisque calamitatibus pro nostris culpis atque offensionibus affligamur et qualiter item caelestis pietatis nobis subinde medicina subveniat n (Registr. App. ep. 3. PL 77, 1329). Inter calamitates memoratas fuit inundatio aquarum anno 589. secuta a pestilentia, cui una cum multis aliis etiam Papa Pelagius II. anno 590. succubuit. — (2) Dies hic 25. apr. electus fuit, quia hoc die antiquissima *processio pagana* (n ambarvalia ») celebrata fuit eundo in Via Flaminia usque ad quintum milliarium apud Pontem Milvium, ubi sacer lucus (boschetto, Ilain, liget) erat, in quo Flamen Quirinalis deo Robigo sacrificium canis et ovis obtulit ad segetes a robigine (Getreidcrost, iiszog) tuendas. — (3) Papa *Liberius* dicitur auctor esse processionis christianac medio saec. IV-o. ut Jo. Beleth (f 1182) refert (Rat. di\ off. c. 123). Quod possibile est, at non certum, saec. IV-o utique processio

pagana favore popularis aurae gaudebat, ecclesia Romana ergo substituere voluit huic ritui gentili ritum Deo vero acceptum. Revera processio Christiana accurate eandem viam secuta est quam pagana. — b. *Itinerarium* enim processionis accurate descripta invenitur in Sacramentario Grcgoriano (Lietzmann p. 64): Processio exivit a S. Laurentio in Lucina, per Viam Latam eundo Urbem reliquit per Portam Flaminiam, stationem celebravit ad basilicam S. Valentini, et ad Pontem « Molbi n (= Milvium), redeundo ad Urbem statio fuit ad (piandam Crucem, inde vero procedebant in atrium basilicae S. Petri, in qua dein sacrificium oblatum est. — c. *Ordo processionis* describitur in Ordine Rom. XXL (Andrieu III, 247-249). In basilica intonatur ant. ad introitum, cantatur, postea pontifex stans ante altare aspiciens populum dicit: « Dominus vobiseum « et diaconus « Flectamus genua », et facto intervallo dicit: « Levate » et pontifex dicit orationem, « Et interim omnes egrediuntur de ecclesia. Primitus enim pauperes de xenodochio, cum cruce lignea picta, clamando Kyrie eleison, deinde Christe eleison, inde Christe audi nos, deinde Sancta Maria ora pro nobis et ceteros. Et post ipsos egrediantur cruces VII stacionarias, portantes ab stauroforos, habens in unaquaque III cereos accensos. Deinde secuntur episcopi vel presbiteri et subdiaconi, deinde pontifex cum diaconibus et due cruces ante eum portantes a subdiaconibus et timiasteria portantur a mansionariis ecclesiae et scola post pontificem psallendo » (n. 10. p. 248). In singulis stationibus antiphonae et orationes dicebantur, in ecclesia autem terminationis Missa oblata est.

2°. Litaniae Minores seu Rogationes, a. *Origo.* Civitas Viennensis in Gallia saec. V. multis calamitatibus quatiebatur, terraemotus frequentes, sterilitates agrorum assiduae, bella continua terrebant populum, S. *Mamertus* ergo episcopus a. 469. *tres dies Rogationum* ante Ascensionem instituit. - indixit populis ieiunium, instituit orandi modum, edendi seriem, erogandi hilarem dispensationem » (Greg. Turon. Hist. Franc. II. 34 PL 71, 231 s). *Ieiunium,* Romae die 25. apr. ignotum, ad essentiam pertinebat observantiae, ut S. Avitus Viennensis inculcat: « Festivitas est, cuius iucunditas tota sobrietas, cuius epulae lacrimae, cuius pastus esuries est, cuius principium ex necessitate, perseverantia in dilectione, actu in requie, requies in labore » (PL 59, 293. — (2) *Aliae deitates Galliae* Francorum ditioni sublectae paulatim Rogationes a Viennensibus suscipiebant, primum civitas Claromontana (Clermont-Ferrand) instigante Sidonio Apollinare (f 482), dein aliae, dum Synodus Aurelianensis I. a. 511 triduanas Rogationes praescripsit. — (3) *Alibi quoque in Europa* receptae sunt Rogationes, in *Hispania* 517 eas Cone. Gcrundense commendavit (can. 2.), sed retinendo principium non ieiunandi tempore paschali, in hebdomada post Pentecosten sedes earum fixa est. *Mediolani* saec. V-VIL, certe ante Carolum Magnum iam in usu erant, sed hebdomada post Ascensionem celebratae sunt, quando « sponsus iam ablatus est». (Borella *in:* Righetti II, 398-401). In *Germania* Synodus Moguntina eas induxit anno 813., procedere debebant « non equitando, non pretiosis vestibus induti, sed cinere respersi et cilicio induti, nisi infirmitas impediret n (can. 30. Mans XIV, 72).

b. *Descriptio antiquarum Rogationum.* In loco earum originis Rogationes valde prolixe, fere per totum diem celebratae sunt, seno per triduum ab operibus relaxati fuere, quo magis plebs universa conveniat, « quo triduo omnes abstineant ct etiam quadragesimalibus cibis utantur » (Cone. Aurel. I.). Multae

stationes visitatae fuere, Missale Gothicum exhibet « *collectiones* in Rogationibus per diversa loca Sanctorum » (PL 72, 290 s.), « in S. Petro, in S. Paulo, in S. Stephano, in S, Martino, in S. Gregorio ». Singulis diebus *Missae peculiares* lectae sunt in termino processionis (Miss. Goth. PL 72, 287-290), sed *lectiones S. Scripturae* in singulis stationibus ad Horas prolatae sunt. E prolixitate harum lectionum, quae notantur in Lectionario Luxoviensi (P. Salmon I, 138-168), concludi potest quantum impendebatur institutioni populi per lectionem Scripturae; decursu trium dierum integre lecti sunt libri: Jac., Petr L, Tob. (primo die); Petri IL L, Jo., Judith (secunda die); II. III. Jo., Judas, Esther (tertia die).

c. *Scopus huius institutionis* fuit commendatio orationis, ieiunii et praecipue actuum caritatis (« eleemosynae »). *Cantus processionales* erant Psalmi, ut Gregorius Turonensis pluries refert, « psallendo procedunt, post crucem, praecedentibus signis » (= vexillis) (Hist. Franc. IV, 5; V, 4; V, 11). Iuxta Miss. Goth. « in hoc ieiunio triduana humiliatione instituto, exorantes, invictum hoc signum (= Crucis) cum plebium cuneis praeferentes, atque Maiestatem quam psallentii modulatione laudantes, petimus... » (PL 72, 288). Quoad *spatium temporis* notant S. Caesarius Arelatensis: « Nolite vos de ecclesiae conventu subtrahere, quia non tam longo temporis spatio fatigamur, ut hoc sustinere non valeamus. Sicut enim qui in istis sex horis se de conventu ecclesiae non subducit, magnum remedium animae suae noscitur providere » (Sermo 208. C. Morin, S. Cacs. Arei, opera omnia, 1937. 190).

3°. Ritus hodiernus Litaniarum. Ritus uniformis habetur in *Rit. Rom. tit. X. c. 4.* « Dc processione in Litaniis Maioribus in festo S. Marci evangelistae et in Minoribus triduo Rogationum ante Ascensionem Domini ».

a. *Praeparatio* (1) Clerus et populus, hora statuta *inane* in ecclesia congregati, omnes contrito et humili corde Deum flexis genibus paulisper precentur (n. L). — (2) Sacerdos amictu, alba, cingulo, stola et pluviali cum ministris vel saltem superpelliceo stola, violacei coloris sit *indutus* (n. L).

b. *Exordium.* (1) Ceteri vero sacerdotes et clerici, superpelliceis induti, sequentem ant. stantes concinant « *Exsurge Domine* ». — (2) Deinde genuflcctuntur omnes, et duo clerici vel cantores, ante altare maius genuftexi devote *Litanias Sanctorum,* ut inferius in Rituali descriptae sunt, cantare incipiunt, ceteris respondentibus.

c. *Processio poenitentialis.* (1) Cum cantatum erit « Sancta Maria, ora pro nobis », surgunt omnes et ordinatim procedunt egredientes et Litanias prosequentes (n. 3). *Ordo processionis* erit hic: vexillum vel vexilla cum imagine Patroni et aliorum Sanctorum, postea confraternitétes, dein subdiaconus vel ministrans cum Cruce hastata, deinde cantores, post illos clerici, ultimo celebrans cum ministris sacris vel ministrantibus, demum patronus ct senatores parocluani. et populus, infantes, viri ct mulieres. — (2) Si iuxta consuetudinem *reliquia* deferatur, eam portet celebrans detecto capite inter ministros vel ministrantes, detecto capite procedentes. — (3) Si processio sit *longior,* vel dicantur Psalmi poenitentiales vel graduates (n. 4).

d. *Stationes intermediae facultatioae.* (1) Si ad unam vel plures ecclesias in via sit divertendum, ingressis ecclesiam, intermissisque Litaniis vel Psalmis, altari faciunt debitam reverentiam, deinde intonatur antiphona cum versiculo et oratione *Patroni ecclesiae* illius (n. 5). sumenda iuxta morem e II. Vesperis. Ministri vel duo cantores cantant versiculum, celebrans autem orationem in

tono feriali, inanibus innetis, eum conclusione breviore. — (2) Egrediendo *resumuntur* Litaniae vel Psalmi, eodemque ordine procedunt usque ad ecclesiam, ubi processio terminatur. — (3) Tum in ecclesia stationis facultativae, turn in ecclesia terminationis *rector ecclesiae* processionem exspectat in dextero latere ingressus ecclesiae supcrpelliceo absque stola indutus (CRit d 3043, 4), ingredientesque aqua benedicta aspergit, celebrans pluviali indutus aquam de aspersorio sumit per contactum (CRit d 2035, 1). — (4) In hac statione facultativa cantari permittitur *tractus* « Domine non secundum peccata » cum versiculo « Adiuva nos Deus » et oratione « Deus qui culpa » (CRit d 3451).

c. *In ecclesia terminationis.* (1) Perventa processione ad ecclesiam in qua Litaniae finem habent, celebrans directe *ascendit altare* et in suppedaneo facit reverentiam debitam; si reliquiam portaverit, eam deponit in loco debito, deinde descendit in planum, ibique omnibus genua flectentibus Litaniarum cantus completur, nisi iam persolutae sint. — (2) Postea *dicuntur* « Pater noster », Ps 69 « Placeat tibi Deus », deinde versiculi « Salvos fac servos tuos » et ceteri genibus flexis. — (3) Celebrans surgit et stando dicit in tono orationis ferialis manibus innetis decem *orationes* in Rituali praescriptas, dictoque versiculo complet Litanias per « Et fidelium animae ». — (4) Celebrans dein accedit ad sedilia, ibique, deposito pluviali, sumit manipulum et casulam violacei coloris, accedit ad altare et celebrat *Missam* Rogationum, de qua cf. plura inferius 6°.

4°. Leges cultuales Litaniarum, a. *Occurrentia.* Si Litaniae Maiores in Pascha vel octavam cadant, festum S. Marci iam *non* transfertur (NCR 95), quia vero dies Lit. Mai. est assignatus dies 25. apr., si eo die occurrit Dom. Pasch. vel Fer. II. post Pascha, transferuntur Litaniae in Fer. III. (NCR 80). — b. Litaniae olim semper duplicari debuerunt, i.e. versus integre a cantoribus dici et a clero repeti debuerunt (CRit d 3135), nunc vero iam *non duplicantur* (NCR 82). — c. In *officio Lit. Maiorum* nihil fit, sed tantum in Missa, earum commemoratio non est habenda commemoratio de Tempore (NCR 81). — d. In *officio Lit. Minorum* mutatur officium in breviario Fer. II. Rogationum: omissis lectionibus de homilia Missae in Rogationibus novae ponuntur lectiones dc Scriptura occurrenti; antiphonae ad Bened. et Magnif. vero retinentur ut sunt in breviario (NCR Var. 28). — c. In Lit. tum Maioribus tum Minoribus (NCR 82. et 89) fit *processio.* Valde magni momenti est, quod a Novo Cod. Ruhr, edicitur, quod processio haec fit « iuxta ecclesiarum et locorum consuetudines et conditiones, cuius rei index est ordinarius loci » (ib. 82). Haec processio suffici potest per peculiares *supplicationes* in quibus dicantur Lit. Sanctorum ct aliae preces in processione fieri solitae (NCR 83). Supponitur quod processio vel supplicatio lingua vernacula fieri possunt (NCR 85). — f. Litaniae privatim — *a solo* — recitari debent tantum si *non interfuerit* processioni vel peculiari supplicationi die Lit. *Maiorum,* recitare debet lingua latina (NCR 84). Qui *adfuerunt* processioni vel supplicationi, etsi lingua *vernacula* factis, non tenentur preces lingua latina iterare (NCR 85). In Lit. *Minoribus* si non intersunt processioni vel supplicationi, *ad nihil* tenentur (NCR 90). — g. *Transpositio Lit. Minorum.* Iam pridem quidam (ut P. Brunner SJ Stim. d. Zeit 1959-60, 151) dixerunt Ecclesiam posse terminum Rogationum transferre in aliud tempus, quia multis in locis, ut in Brasilia, Australia Rogationes 2-4 mensibus post messem celebrantur. Cui pio desiderio satisfactum est, nam ab anno

1961 ordinariis locorum datur facultas eas transferendi ad alios tres dies magis opportunos iuxta regionum diversitatem aut consuetudinem aut necessitatem (NCR 87).

5° *Benedictio camporum,* a. Primitus certo fuit finis processionis 25. apr. etiam precatio pro incolumitate et salubritate camporum et agrorum, peculiaris tamen benedictio praeter Litanias, Psalmos et orationes non erat in usu. Benedictio tamen *frugum novarum,* uvae, fabae, (6. aug.), herbarum variarum (1. vel 15. aug.), seminum (8. sept.), avenae (26. dec.), pomorum (25. iul.), aliorumque fructuum arborum, dein etiam *segetum et messium,* i.e. frumenti demessi in frequentem usum venerunt (cf. Franz, Benediktionen I, 361-421, quoad segetes II, 1-19). Item permultae et prolixae benedictiones *apotropaeicae* prostabant adversum fulgura, tonitrua tempestates et grandines, imo *adiurationes* contra vermes, mures, aves, locustas (Franz II, 19-123). Quia adiurationes contra tempestates saepe cum processione coniunctae erant, ideo aliquae processiones characterem *contra tempestates* sibi acquisierunt, sic in *Germania* processio theophorica Corporis Christi, Ascensionis in *Bavaria* (saec. XIV.), et quoniam adversum tempestates inde a saec. XII-o Evangelium S. Joannis (« filii tonitrui »), a saec. XIV-o autem initia quatuor Evangeliorum legere coeperunt, etiam processiones dictae cum lectione Evangelii vel Evangeliorum contra varias regiones mundi celebrari coeperunt. — b. Sic. factum est cum processione dici 25. apr. *in Hungaria, Slotvacia et Croatia·,* quia decursu Litaniarum segetes et vineae benedictae fuerunt, processioni conjuncta fuit etiam adiuratio adversus tempestates et vermes. Evangelium quoque legi coepit in processione. Initio *ritus* simplicissimus fuit, sic • *benedictio segetum* ⁋ breviarii ms. *Jasoviensis* in Slowacia s. XIV. post lectionem initii S. Joannis habet tres orationes ad benedicendas fruges novas, ad herbas et « in orto » dicendas (Universit. Budapest, c. 1. 36. fol. 74-74). — c. Saec. XVI. ineunte iam prolixus et sollemnis « *Ordo in maiori letania ad benedicendum segetes seu fruges* » in diocesi *Colocensi* Hungariae usitatus fuit (Mus. Nation., Miss. Strigon. 1498, App. ms fol. 1-5). Finita Missa S. Marci exierunt ad locum destinatum, ubi segetes benedici venerunt, septem Psalmis poenitentialibus ct Litaniis persolutis, ibi lectae sunt prius 4 lectiones e VT. et NT., 4 Evangelia versus 4 regiones mundi, incipiendo ab Oriente. Postea sacerdos ⁊ incipiat consecrationem », primum 4 dicuntur orationes (1. « Benedic Domine creaturam » = Franz, I, 385 nota 3. — 2. « Creator et conservator » = Gelas. Wilson p. 133. — 3. « O. s. Deus arbiter troni qui molem terre ex nichilio pendentem » = Rit. Strigon. tit. IX. c. 3. — 4. « Oramus pietatem tuam » = Gelas, p. 291). Orationibus dictis, mutatur vox in tonum praefationis, quae longissima dicitur (fol. 3'-5'): « Qui omnipotenti virtute bonitatis tue cum ex nichilo cuncta condens... ». Recitatis adhuc duabus orationibus (1. « Te Domine petimus » = Franz 11, 10 n. 1. — 2. « ...emitte sanctum angelum tuum » = Franz II, 11 n. 2.) asperguntur segetes aqua benedicta. — d. *InCroatia* adhuc saec. XVII (1647) scripta est Agenda, ubi legitur « Benedictio frugum seu segetum » et « Ewangclia cum certis orationibus contra tempestates aereas dicenda » (Bibi. Metr. Colocensis n. 215, fol. 58-70). — c. In *Hungaria* hodieque viget ritus e Rituali Strigonicnsi Card. Pazrminy 1625.: ⁊ Ordo servandus in Litaniarum Maiorum processione quae die festo S. Marci celebratur, quo et segetes benedicuntur » til IX c. 3 Orationes eaedem sunt ac Ordinis supradicti Colocensis, sed inse- i intur post Evangelia quatuor, praefatio iam penitus omissa fuit. — f. Quid

nunc fieri potest praeter Litanias quoad benedictionem camporum, apte declaratur a cl. De Amicis: « Quoniam rituale romanum consuetudinem hanc non reprobat, illam servare licet. Animadvertatur tamen ne locus detur abusibus, quoad enuntiatas benedictiones praesertim, quae ex precibus et orationibus eiusdem ritualis desumi possunt » (p. 370, 3). Tales habentur in Rit. Rom. « Benedictio camporum vel Alpium vel pascuorum » (tit. IX. c. 6, 19). « Benedictio super fruges et vineas » (ibid. n. 18), « Benedictio contra inundationes aquarum « (n. 21), et « Benedictio deprecatoria contra mures et locustas n (tit. IX. c. 9, 27. cum delegatione).

6°. *De Missa Rogationum,* a. *Indoles Missae.* Missa eadem in Litaniis Maioribus et Minoribus iam saec. IX-o hodiernum textum praebet. Ant. ad intr. e Ps 17. refert verba David, qui periculum in quo versatus est sub imagine tempestatis describit (« circumdederunt me fluctus mortis et torrentes perniciosi terruerunt me »). Epistola S. Jacobi thesim statuit: « Multum valet deprecatio iusti assidua » exemplumque adducit Eliae deprecantis « et caelum dedit pluviam et terra dedit fructum suum ». Evangelium modo generali commendat virtutem orationis deprecativae: « Petite et dabitur vobis, quaerite et invenietis, pulsate et aperietur vobis ». Oratio autem finem apotropaeicum extollit: « ...contra adversa omnia tua semper protectione muniamur ». — b. *Qualitas Missae.* Missa haec est Rogationum aut Missa diei quae locum tenet Missae votivae impeditae (Rogationum), quae est II. cl. (NCR 346), haec Missa est *pars actionis liturgicae* totius, *debet* ergo fieri; *quando,* nunc iam non tam severe dicitur, fiat « *regulariter* expleta processione vel expletis peculiaribus supplicationibus » (NCR 347), iusta causa intercedente per modum actus potest Missa ante processionem, vel inter viam in quadam capella fieri. — c. Convenit, ut dicatur « etiam post peculiares supplicationes quae locum tenent processionis, etsi horis vesperitinis peragantur » (NCR 86). Optime ergo, cum vigilantia et directione ordinarii loci, fieri possunt peculiares supplicationes vesperi una cum Missae celebratione. — d. Missae Rogationum textus *impeditur* infra octavam Paschae (NCR 341 coli, cum 91, 10), dicenda tunc Missa de octava et fit commemoratio Lit. Maiorum (NCR 109 f.), sub unica conclusione cum oratione diei (NCR 444 b.). — e. *Ritus Missae. Color* violaceus est adhibendus in Missa Rogationum ad processionem et Missam (NCR 130). *Ps. Judica,* confessio etc. omitti debent in Missa quae sequitur processionem (NCR 424 e.). *Gloria in excelsis* non dicitur, nec *Credo,* nisi ratione occurrentis Dominicae vel octavae (NCR 343 a.). *Versus alleluiaticus* Missae mutari debet deinceps: eius loco ponatur graduate et eius alleluia cum suo versu, necnon tractus, aut versus alleluiaticus « iuxta diversa anni tempora », et quidem e Missa pro quacumque necessitate (NCR Var. 27). Quae supponunt iam ordinationem quorundam ordinariorum qui tres hos dies in alia anni tempora transposituri sunt. Opinamur etiam e Missali delenda esse verba « praefatio paschalis n (ibid.), quia fortasse tempore quadragesimal! vel « per annum » celebrari potest Missa, sed, putamus, si tempore paschali celebrentur hi dies, sumendam esse praefationem paschalem, sicut etiam hoc tempore procul dubio dicendus est versus alleluiaticus, non graduate Missae pro quacunque necessitate.

7°. *Obligatio processionum,* a. Per se institui *debent* in ecclesiis cathedralibus, collegiatis, conventualibus et parochialibus, publicae enim sunt deprecationes liturgicae, iuxta generales regulas praecedentiae, ubi plures sunt ec-

clesiae ad matricem seu principaliorem spectat obligatio haec. — b. Processio per se extra ecclesiam est ducenda iuxta naturam rei et rubricarum praescriptionem. « Quoties *temporis inclementia* » vel possumus adiungere alia rationabilis causa, ut vetitum auctoritatis publicae « ab ecclesia egredi non patitur, congruentius est rubricis, si intra eius ambitum processio » fit (CRit d 3069, 1).

4. De Ascensione Domini.

Primo momento incredibile videtur Ecclesiam festum Ascensionis non semper peculiari festivitate celebrasse, si respicitur gaudium Evangelistae factum hoc magnificum enarrantis: « Hic Jesus qui assumptus est a vobis in caelum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in caelum » (Act 1, 11). Etsi factum hoc gaudiosum non remansit sine celebratione nec aetate Catacumbarum, tamen Fer. V., quae dies est quadragesimus post Pascha, et iuxta Vetus Apostolorum dies Ascensionis Domini, *peculiarem* celebrationem tantummodo decursu saec. IV-i nactus est. Ecclesia enim primaeva praeter Dominicas aha festa nondum coluit, Fer. V. vero forsan etiam ideo displicuit, quia deo lovi dedicata fuit (« dies lovis »). Nonnulli errores opinionesve minus rectae circa festum Ascensionis circumferuntur, ideo paulo fusius quaestio tractanda est, a) De origine festi Ascensionis, b) De indole cius, demum c) De legibus cultualibus Ascensionis.

a) De origine festi Ascensionis.

1°. De Proto-Ascensione. Aevo persecutionum fideles minime sunt obliti Ascensionis Christi: mysterium hoc Redemptionis absque peculiari festo per *totam* SS. *Quinquagesimam* recolebant, *praecipue* autem quinquagesimo eius die: festo *Pentecostes,* quod non fuit festum exclusivum Spiritus Sancti, sed festum consummationis Oeconomiae, i.e. ordinis Salutis Novi Testamenti. Quod testimoniis sequentibus comprobabitur.

a. *Tertullianus* de SS. Quinquagesima, Pentecoste refert: ° Latissimum spatium est, quo *et* Domini *resurrectio* inter discipulos frequentata est *et* gratia *Spiritus Sancti* dicata *et* spes *adventus Domini* subostensa, quod tunc *in caelos recuperato* Eo, angeli ad apostolos dixerunt, sic venturum, quemadmodum et in caelos ascendit, utique in Pentecoste » (De bapt. 19). Tertullianus itaque minime distinguit inter *festum* Pentecostes et *festum* Ascensionis, sed integrum tempus a Paschate usque ad Pentecosten considerans nondum distribuit singula *facta* Oeconomiae peculiaribus *festis* diebus. Sicut modo complexivo, totali seu holistico celebrata fuit mors et resurrectio Salvatoris, unoque festo recolebant generationem aeternam Verbi nativitatemque Eius tempore factam, sic quoque Ascensio Domini et missio Spiritus Sancti per *totam* SS. Quinquagesimam recordata *culmen* attigit in festo ultimae Dominicae huius temporis.

b. Veritatem huius assertionis testatur S. *Eusebius* versus a. 332 in libello Peri tes tou Pascha heortês » (= De festo Paschae). Locutus de « exercitatione (« askcsis ») quadraginta dierum » sic pergit: « Passiones susceptas alterum excipit septem septimanis constans... At post haec non deficit numerus quinquaginta dierum, nam consummatis septem septimanis, monadem (= unum diem) eas subsequentem obsignat (episphragizetai) valde (paneortos) festivo die \scensionis Christi » (PG 24, 700). Septem hebdomadibus i.e. 7x7 = 49

diebus expletis, « *monas* » hoc est *unicus* dies, ut patet, *quinquagesimus,* sequitur et dies est omnino festivus, quo Christi ascensio (analêpsis) celebratur. Non desunt auctores, (Kellner, dein LfThK V, 51, Righetti), asserentes Eusebium esse primum testem festi peculiaris Ascensionis, attamen non sine fundamento opinamur textum Eusebii ab iis perperam intellectum esse.

c. Historia testatur, celebrationem huius *festi complexivi* (Ascensio-Pentecostes) *Hierosolymis* saec. IV-o exeunte adhuc in usu fuisse, ut refert Aetheria: « Quinquagesimarum die, id est *dominica,* qua die maximus labor est in populo, aguntur omnia sic de pullo (= gallicinio) quidem primo iuxta consuetudinem, vigilatur in *Anastase*... Cum autem mane factum fuerit, procedit omnis populus in ecclesia maiore, id est ad *Martyrium,* aguntur etiam omnia, quae consuetudinaria sunt agi », ubi etiam « offertur iuxta consuetudinem » (c. 43). Postea « omnis populus usque ad unum » in basilicam Coenaculi « *Syon* » nominatam se recipit, « ut hora tertia plena in Syon sint », ubi lecta pericopa \ctuum de missione Spiritus Sancti « offertur et ibi », festum ergo diei quinquagesimi duobus sacrificiis celebratum est. Archidiaconus enuntiavit: « Hodie statim post sexta omnes in Eleona parati simus in Inbomon! » « Statim post jrandium ascenditur mons Oliveti », ubi constructa fuit ecclesia octangula in oco ascensionis Christi traditione (pia tali assignato, et in honorem ascensionis appellata « *Inbomon* » (embaino = con-, ascendere). In hoc loco aperto montis late circumspiciendi facultas habetur, sancta civitas libero prospectui oculorum patet, ibique celebrata est inter horam sextam et nonam (= hora 12-15) *ascensio* quoque Christi: « Hymni et antiphonae dicuntur aptae diei et loco, orationes etiam quae inter ponuntur semper tales pronuntiationes habent, ut et diei et loco conveniunt, legitur etiam ille locus de evangelio, ubi dicit de ascensu Domini (= Mc 16, 19 et Lc 24, 50-53), legitur et denuo de actus apostolorum, ubi dicit de ascensu Domini in caelis post resurrectionem ». Fere incredibile est, quid adhuc devotionis laboriosae fideles praestiterunt: post haec in ecclesiam *Eleona* pergebant, ubi dictum est Lucernarium (= Vesperae), inde autem « lente et lente usque ad *Martyrium* » i.e. basilicam maiorem ibant, deinde ad ecclesiam propinquam S. Sepulcri ad « *Anastasem* », similiter « *ad Crucem* » stantem in aperto atrio, demum iterum ad basilicam « *Syon* ». Ubique « leguntur lectiones aptae, dicuntur psalmi vel antiphonae, fit oratio, benedicuntur catechumeni ct sic fideles... Et sic revertuntur unusquisque ad domum suam hora noctis forsitan inedia » (c. 43). Tale fuit festum complexivum Pentecostes sirnulque Ascensionis.

d. Etiam in liturgia *Romana* antiqua vestigium huius celebrationis *complexivae* deprehendi potest in *Vigilia Pentecostes.* Leonianum in praefatione haec dicit, idem repetente etiam Gelasiano primigenio: «Vere dignum, qui ascendit super omnes caelos sedensque ad dexteram tuam promissum Spiritum Sanctum in filios adoptionis effudit, unde laetantes inter altaria tua, Domine virtutum hostias tibi laudis offerimus et cetera » (« In Pentecosten ascendentibus a fonte » Feltoe p. 24. ed. Mohlberg 1956. n. 202).

2°. Origo festi peculiaris Ascensionis, a. Uti vidimus (supra 1°. b.) versus 332 ascensio Christi in Dom. Pentecostes celebrata fuit modo complexivo, sed decursu huius sacculi IV-i etiam *celebratio peculiaris incoepit.* (1) Nil minim: clarissime enim accuratus dies huius eventus gloriosi a S. Scripturis indicatur, celebratio tamen peculiaris quadragesimi diei post Pascha initio reprobata

esse videtur, verisimiliter ideo, quia aliquae ecclesiae quadragesimo die post Pascha *etiam tempus paschale completum esse* autumabant. Nonnulli enim idea festi complexivi (Ascensio-Pentecostes) nimis imbuti die hoc quadragesimo non solum ascensionem, sed etiam simul missionem Spiritus Sancti celebrantes SS. Quinquagesimam in Quadragesimam post-paschalem diminuebant. — (2) His praemissis plenius intelligitur canon aenigmaticus *Concilii Eliberitani* inter 300-310 celebrati: « Pravam institutionem emendari placuit iuxta auctoritatem Scripturarum, ut cuncti diem Pentecostes celebremus, ne si quis non fecerit, novam haeresim induxisse notetur » (Can. 43, Mansi I, 13). *Lectiones variantes* quorundam manuscriptorum addunt, post « ...celebremus » : « non quadragesimam », vel addunt: « post Pascha quinquagesima teneatur, non quadragesima ». *Tempus* usque ad quadragesimum diem vocatum est « *Tesserakoste* » (= Quadragesima), ut H. Koch (1925 cf. Litter.) quoad can. 5. Concilii Nicaeni ostendit, in quo revera synodi habitae sunt. — (3) Remansit ergo *celebratio disiuncta Ascensionis* a celebratione Pentecostes, quae saec. IV-o eo magis possibilis facta est, quia inter festa extra Dominicas celebrata dies quadragesimus ascensionis a S. Scripturis commendatus est. Reapse altera parte saec. IV-i iam clara habentur testimonia celebrationis festi peculiaris Ascensionis.

b. Post 371 S. *Gregorius Nyssenus* eximiam habuit homiliam de assumptione Christi, quae « vernaculo usu Cappadocum *Consummatio salutis* (episôzomenc) » vocata est, distinguiturque a festo Pentecostes, de quo peculiarem homiliam praedicavit (PG 46, 689). — Post 386 S. *Joannes Chrysostomus* Antiochiae oratione explicavit festum « *Assumptionis Domini* » in Martyrio Romanesiae (PG 50, 441-452), independentia autem huius festi ostenditur exordio homiliae festi Pentecostes: « Nuper itaque festum Crucis celebravimus, Passionis, Resurrectionis, ac deinde Ascensionis DNJChristi in caelos, *hodie* tandem ad ipsum culmen bonorum provecti sumus, ad ipsam metropolim festorum evasimus », dicit de Pentecoste (Horn. 2. in Pent. PG 50, 463).

c. Versus 400 festum peculiare Ascensionis iam ubique longe lateque diffusum erat, ita ut *origo eius apostolica* quoque a quibusdam assertum fuit. S. *Augustinus* celebrationem huius festi iam inter observantias inveteras numerat: « Illa quae non scripta, sed tradita custodimus, quae quidem toto terrarum orbe sonantur, datur intelligi ab apostolis vel a plenariis conciliis commendata atque statuta retineri, sicuti quod Domini passio et resurrectio et ascensio in caelum et adventus de caelo Spiritus Sancti anniversaria sollemnitate celebrantur, et si quid tale occurrit, quod servatur ab universa, quacunque se diffundit, Ecclesia » (Ep. ad Januar. 54, 1 PL 33, 200). — *Constitutiones Apostolicae* eodem tempore nomine Apostolorum dicunt: « A prima Dominica (= Paschatis) numeratis quadraginta diebus, post Dominicam diem seu hebdomadae feria quinta celebrate festum Assumptionis Domini » (l. 5. c. 19).

d. Festum peculiare Ascensionis ergo saec. IV-o adfuit, antea autem minime celebratum est. *Vigiliam* primo commemorat Evangeliarium Wirceburgense saec. VII.: « In vigilias de Ascensa Domini » (n. 120. DAL V, 1, 904). *Octava* vero Ascensionis solum saec. XII-o memoratur in Ordine Bemardi (104).

b) Indoles festi Ascensionis.

Ie. Nomina festi. Antiquissimum nomen est «*Tessarakoste*» = dies quadragesimus, deinde saepissime occurrit nomen ἀ*Analêpsis* ῆ (= assumptio) in

Oriente, e S. Scriptura oriundum (Act 1, 11). Frequenti in usu versatur etiam nomen « *Anodos* » e quo Latini suam denominationem « *Ascensio* » habent, quae dogmatico facto accuratius congruit, quod Christus « ascendit in caelum *propria* virtute, primo quidem virtute *divina,* secundo virtute *animae* glorificatae moventis corpus prout vult » (III q. 57. a. 3.). Nomen « *Episôzomenê* » saec. IV-o in Cappadocia usitatum fuit, ut dictum est (supra 2°. b.), sed etiam ritus Byzantinus eodem nomine usus est, Croatae et Serbi hodieque versione huius appellationis utuntur « *Spasovo* « seu « *Spasovdan* n (= dies salutis). Aliae nationes nomine « Ascensionis » utuntur, soli Hungari habent nomen singulare: « *Feria V. communicantium* » (Aldozôcsütôrtôk) vel « Dies communionis » (Aldozônap saec. XV.), quo tempore festum Ascensionis terminus communionis paschalis habitum est.

2°. Consummatio seu plenitudo totius Oeconomiae est idea centralis huius festi, « episôzomenê n seu a pleroma » ordinis salutis (= Oeconomiae) est enim hoc festum, quod saec. IV-o clarissimae edicitur: per assumptionem Christi in caelum « tota Oeoconomia incarnationis Verbi divini est adimpleta et redemptio generis humani plene obtenta et gloriose consummata n, aliis verbis « Assumptio est finis (peras) Oeconomia secundum Christum » (Const. Apost. l. 5. c. 19 et l. 8. c. 33).

a. Haec idea invenitur in *Missa* Ascensionis *ab ipso S. Leone Magno* composita (cf. B. Capelle, Eph. Lit. 1953, 201-209): « Vere dignum et iustum est in hac die quae Jesus Christus filius tuus Dominus noster divini *consummato fine mysterii,* dispositionis antiquae *munus explevit,* ut scilicet et diabolum caelestis operis inimicum per hominem quem subiugaverat elideret, et humanam reduceret ad superna dona substantiam » (Feltoe p. 22. n. 181). Mysterii Christi seu operis redemptivi *finis* seu terminus est Ascensio, per quam divinae *providentiae* (« dispositionis antiquae ») « *munus explevit* d seu a consummavit». Quod eo factum est «ut diabolum caelestis operis (= Redemptionis) inimicum » per hominem Christum « elideret » sicque « homo » Adam ab eoque propagatum genus humanum « quem subiugarat » peccatum originale, salvavit. *Consummatio* operis salutiferi *ideo* invenitur in Ascensione Christi, quia Dominus per suum gloriosum ascensum in caelum « humanam reduxit ad superna substantiam », assumptam nimirum a Verbo divino humanitatem. Quod propius adhuc declaratur in « *Communicantes* » ab eodem Leone Magno concinnato: « Dominus noster unigenitus Filius tuus, *unitum sibi hominem nostrae substantiae,* in gloriae tuae dextera collocavit », quae verba ingenuose a S. Gregorio Magno mutata sunt in « unitam sibi fragilitatis nostrae substantiam » (Capelle, Quest. Iit. par. 1936, 76-83).

b. Eodem tempore saec. IV-i exeuntis, quando Hierosolymis in Pentecoste simul etiam ascensio Christi celebrata fuit, (1) *festum quoddam singulare* quoque colebatur quadragesimo die post Pascha. Hoc festum merito *primus nucleus festi peculiaris* haberi debet, cuiusve obiectum fuit cultus plenitudinis totius Oeoconomiae. Factum huius celebritatis indubium est, Aetheria enim haec refert: « Die autem quadragesimarum post pascha, id est *quinta feria pridie,* omnes post sexta, id est, quarta feria in *Bethleem* vadunt, propter vigilias celebrandas. Fiunt autem vigiliae in ecclesia in Bethleem, in qua ecclesia spelunca est, ubi natus est Dominus. Alia die autem, id est quinta feria quadragesimarum, celebratur missa ordine suo, ita ut presbyteri et episcopus

praedicent, dicentes apte diei et loco et postmodum sera revertuntur unusquisque in Jerusolima ‖ (c. *42.)* — (2) Facti huius *declaratio, quid* celebrabant die quadragesimo « in spelunca ubi natus est Dominus », non dicitur, sed, ut opinamur, apta inventa est hypothesis a N. Nilles (Kal. manuale II, 370), cui accessit A. Bludau, (Pilgerreise d. Aetheria, 1927, 154-172). Celebratione hac Hierosolymitani *repraesentare* voluerunt *integram Oeconomiam salutis:* initium, progressum, finem, exeundo a Bethlehem, loco nativitatis Christi omnia recolebant usque ad gloriosam ascensionem. — (3) Quod revera consummatio Oeoconomiae celebrata est, roboratur etiam *per hymnum byzantinum e* Laudibus (orthros) diei: « Natus sicut ipse voluit, | manifestatus sicut ipse decrevit, | passus in carne Deus noster, | e mortuis resurgens, | perferens mortem, | omnia adimplens, | et misisti nobis Spiritum divinum, ut hymnis glorificemus deitatem tuam ». — (4) Accedunt catecheses S. *Cyrilli Hierosolymitani* qui versus 348 • testes resurrectionis», inter cos etiam montem Olivarum enumerat, «caelestem *ascensionis ianuam n.* Dein sic pergit: « In *Bethlem* de caelis descendit, ex monte *Olivarum* in caelos ascendit. Inde ad homines venit, certamina incepturus, isthic vero (= in monte) in certamina coronatur » (Cat. 14, 23). — (5) *Etiam in Occidente* haec interpretatio nota erat teste Gelasiano primigenio, in praefatione de Christo enim asserit: « ..qui saluti humanae subvenire dignatus est: *nascendo* etenim nobis donavit gloriam, *patiendo* diabolum vicit, *resurgendo* a mortuis vitae aeternae aditus praestitit, *ascendendo* ad Patrem caelestes ianuas reseravit » (Wilson p. 107). Quam diu permansit haec cogitatio Ascensionis S. *Bernardi* effatum ostendit: « Ascensio Christi consummatio et adimpletio est reliquarum sollemnitatum et felix clausula totius itinerarii filii Dei » (Sermo 2. de Ascens. PL 183, 301).

3°. « Supernum caeleste regnum » (basileia hê anô) recolitur hoc die a Patribus, e.gr. a S. Chrysostomo: « Qui terra videbamur indigni, in caelum sublati sumus, ad supernum caeleste regnum ascendimus, caelos pervasimus, thronum regalem apprehendimus et (humana) *natura,* propter quam Paradisum servabant Cherubim, *ipsa supra Chérubin* sedet hodie! » (Hom. in Ascens. 2. PC 50, 445). Corollaria deducuntur e facto hoc:

a. *Laetari debent* fideles quoniam « implens laetitia universa Misericors, supernis potentiis cum carne peregrinatus est », iuxta Canonem festivum S. Joannis Damasceni (Oda V. troparion). *Rationem* reddit laetitiae Leonianum: « ...iusta enim nobis exsultatione laetandum est, inter gaudia festivitatis hodiernae, quia in caelos ascensio Mediatoris Dei et hominum... a nostra non est humilitatis discessio » (Feltoe p. 21, n. 176).

b. *Confidere debent* christiani, ut idem Leonianum inculcat: « Adesto Domine supplicationibus nostris, ut sicut humani generis Salvatorem consedere tecum in tua maiestate confidimus, ita usque ad consummationem saeculi manere nobiscum, quemadmodum es pollicitus, sentiamus » (Feltoe p. 20. n. 169).

c. *Desiderare debent fideles,* implenda enim sunt omnia vota cordium in regno caelesti, merito igitur Leonianum hoc festo precatur nos admonendo: « ...non terrena sapere, sed amare caelestia et inter praetereuntia constitutos iam nunc inhaerere mansuris ‖ (Feltoe p. 20. n. 173.). Idem urget aliis verbis S. Leo Magnus in Missa ab eo concinnata: « ut illuc tendat christianae nostrae devotionis allectus, quo tecum est nostra substantia » (Missa VI. Feltoe p. 22. n. 185).

4°. Consuetudines populares. Variae consuetudines decursu temporum in multorum usu esse coeperunt, quarum prima est:

a. *Benedictio fabae* in Gelasiano primigenio ante verba Canonis « Per quem haec omnia », quae secundum Ad. Franz (I, 370) per errorem in hoc Sacra-inentario huic festo assignata est: « Benedic Domine et has fruges novas fabae, quas tu Domine, rore caelesti et inundantia pluviarum ad maturitatem perducere dignatus es, ad percipiendum nobis cum gratiarum actione in nomine DNJChristi » (Wilson p. 107). In Sacramentariis Gregorianis iam deest.

b. *Benedictio contra tempestates* festo Ascensionis iam saec. LX-o in Germania meridionali invenitur, cum Cruce recitatae sunt orationes ad depellendas tempestates. Inde praesertim a saec. XV-o etiam SS. Sacramentum adhibitum est in processionibus adversus tempestates hoc die habitis, contra quas vehementer aggressus est magister Thomas de Haselbach, adversus « indoctum clerum in Alpibus » enim scripsit tractatum « an liceat ecclesiae ministris dominici corporis venerabile sacramentum ipso die Ascensionis per metas et terminos satorum deferre ».

c. *Processio Ascensionis* habita est inde a saec. fere XII-o ad repraesentandum *iter Domini et Apostolorum* in montem Olivarum ante ascensionem Christi, ut *Durandus* dicit: « Fit processio solemnis: praecepit enim Dominus discipulis suis, ut praecederent in montem Oliveti, ut viderent ipsum ascendere, ct fecerunt ei processionem. Haec processio significat ascensum de virtute in virtutem, et cantatur responsorium de Ascensione, ut invitemur ad ascendendum post Dominum... Quod vero ascendit de monte Oliveti, significat, quod per opera misericordiae oportet nos ascendere »(Rat. div. off. l. VI. c. 104, 1). Durante processione multis in ecclesiis cantatus est hymnus « Gloria, laus et honor » optime congruens festo triumphali Ascensionis.

d. *Repraesentatio ascensionis Christi,* sicut resurrectionis, saec. XHI-o in usu fuit penes Augustanos Vindelicorum (Augsburg): « Crucifixus sacro fonte conspersus et aromatibus in commemorationem ascensionis in altum dicitur » (Hoeynck, Gesch. d. kirchl Lit. d. Bistums Augsburg, 227).

e. *Exstinctio cerei paschalis post Evangelium* demum per Missale S. Pii V. (1570) praescripta est, in aliis ecclesiis iam Dom. in Albis hoc factum est vel post Missam Ascensionis. Cf. supra 2. d. 1°. c.

c) De legibus cultualibu.s Ascensionis.

1°. *Octava* Ascensionis iam anno 1955 suppressa est dies post festum festum sequentes tamen indolem festi aliquo modo retinent, ita ut loquimur de « tempore Ascensionis », in quod includitur etiam Fer. VI. post Octavam suppressam. (NCR 76 b.). — 2°. Dies a festo Ascensionis Domini usque ad vigiliam Pentecostes exclusive sunt *feriae IV. cl.* (NCR 26) i.e. cedunt cuilibet officio, etiam simplici, et officio S. Mariae in Sabbato, quo in casu omittitur commemoratio feriae. In Missis ferialibus repetendus erit textus Ascensionis, quod tamen minus onerosum erit, cum dies mobilis Paschatis hoc inducat, ut illis diebus occurrere possint festa Sanctorum. — 3°. Non prohibentur Missae tam *votivae* IV. cl. quam *cotidianae defunctorum.* — 4°. Missa in his feriis dicitur cum Gloria sine Credo et « Communicantes » proprio Ascensionis (NCR Var. 29 a.). — 5°. In *officio* antiphonae et psalmi ad omnes Horas et versus nocturni dicuntur de currenti hebdomadae die, ut in psalterio, reliqua ut in

festo Ascensionis Domini, praeter lectiones quae dicuntur de Scriptura occurrenti, cum suis responsoriis. « Te Deum » dicitur, conclusio propria quoque hymnorum et versus proprius ad Primam, de Ascensione (ibd.). — 6°. In *Dom. post Ascensionem Missa,* ut in Missali, sine commem. Ascens., praefatio Ascensionis (NCR 490 b.), color albus. — In *officio* partes ordinarii e festo Ascens., capitula, ant. ad Bened. et Magnif. et oratio propria. Ad I. Vesp. Psalmi de Sabb. cum triplici alleluia, ad Noct. Laud, et Vesp. Psalmi se Dom. cum triplici alleluia de tempore paschali, lectiones propriae, ut in breviario (NCR Var, 30).

5. De consummatione Paschatis: S. Pentecoste.

Tria festa aevo catacumbarum in usu fuerunt: dominica, Pascha et tertium: Pentecostes, sicut duo priora, etiam tertium e duplici radice oriundum est, iudaica et Christiana. Judaicum erat Festum hebdomadarum (èabuoth), i.e. dies post elapsas septem hebdomadas sequens, quo primus manipulus frumenti messi Deo oblatus est, quove festo tempore rabbinico etiam legislatio Sinaica, quinquagesimo post exodum die facta, recordata est.

a) Origo festi Pentecostes.

1°. Origo apostolica huius festi vix in dubium vocari potest. Paulus enim Corinthiis scribens meminit huius festi: «Permanebo Ephesi usque ad Pentecosten ⁊ (1 Cor 16, 8), quia vero fidelibus hoc dixit quoad maiorem partem ex gentibus oriundis, minime potuit festum iudaicum intelligere, sed festum quoddam suis discipulis notum. Quomodo a festis iudaicis eos avertere satagebat, ostenditur epistola eius ad Galatas (4, 9-10). S. Paulus aperte vetat Galatis, « infirmis ct egenis elementis denuo servire », nam « dies observant », Sabbata nimirum, « et menses », scilicet neomenia, « et tempora » (kairous, hebr mo-êd) evidenter festa principalia anni, « et annos » id est caput anni, annum sabbatinum et annum iubilaei. Pentecostes ergo quam fidelibus notam esse supponit, necessario sensum iam debuit habere Christianum quod mirum non est: hoc die enim advenit Spiritus Sanctus.

2°. Quam notum fuit festum hoc, ostenditur a. scripto apocrypho *Epistolae Apostolorum,* ubi versus 130 legitur: « Parusia erit inter Pentecosten et Pascha» (E. II. Duensing, in: Kleine Texte 152 p. 14). E contextu clarum est, quod *dies* distinctus supponitur, termini enim cuiusdam temporis (parusiae) notantur, Pentecoste ergo non significat totum tempus 50 dierum. — b. Sic res se habet etiam penes *Tertullianum* qui circa 210 scribit christianos Dominicis non ieiunare nec de geniculis adorare adiungens: « Eadem immunitate a die paschae in pentecosten *usque gaudemus* » (De corona 2,9), dies *distinctus* intelligitur hic, etsi optime scimus Tertullianum « Pentecosten » etiam *totum* tempus 50 dierum hoc vocabulo signare. Alibi idem dicit: «Pentecoste qui est proprie dies festus » (De bapt. 19). — c. *Origenes* versus 245-150 festa enumerat Christiana « Dominicas, parasceves. pascha et pentecosten » (C. Cei. 8. 22 PG 11, 1550).

3°. Supplementum functionum paschalium in festo Pentecostes solummodo saec. IV-o celebrari coepit, quando magna multitudo gentilium conversa Eccle-

siarn intravit, ideoque vigilia sollemnis Paschatis cum benedictione fontis et administratione Baptismi etiam nocte Sabbati ante Pentecosten celebrari coepit. *Hierosolymis* quidem haec praxis saec. IV. excunte nondum existebat, Aetheria enim minutatim referens integram liturgiam, (supra *4.* a. 1°. c.) de tali praxi silet S. *Augustinus* autem iam loquitur de Pentecoste ut termino Baptismi (Sermo 272. ad infantes PL 38, 1246). Ideo in Sacramentario Leoniano iam *ieiunium* quoque supponitur hac vigilia: « ...tibi placita fieri piis actibus et ieiuniis salubriter expiando » (X. Orationes pridie Pentecosten, Feltoe p. 23. n. 192). Vigilia ideo etiam haec *quatuor* accepit *lectiones* in Gelasiano et in Gregoriano, quae dein saec. XII. iam in sex creverunt, sicque mansit usque 1956, quando vigilia pentecostalis hoc sensu *abolita fuit.* Ad analogiam Paschatis etiam hebdomada subsequens celebrari coepit ut continuatio festi Pentecostes, primum vestigium in Oriente invenitur, Constit. Apostolicae enim dicunt: ▯ Celebrate Pentecosten per unam hebdomadam « (L. 5. c. 20, 7). *Romae* octava haec ante S. Leonem Magnum nondum nota fuit, saec. VI. vero celebrari coepit.

b) Indoles festi Pentecostes.

1°. Nomina, a. Nomen nativum *Pentêkostê* etiam in lingua latina usitatum est, etsi rarius etiam latine translatum occurrit « *Quinquagesima* » « *Quinquagesimarum dies* » (Aetheria), Pleraeque linguae hanc denominationem retinuerunt, « Pentecôte » « Pentecoste » (gall., ital.), « Pentikosti » (slav.-glagolitic.), Pfingsten » (germ.), ▯ Pintes » (danice), ▯ Binkosti » (sloven.), « Pünkôsd » (hung.). — b. Alia nomina a *missione Spiritus Sancti* derivantur, sic bohemicum « Seslani Ducha svatécho ▯ (= missio Spiritus Sancti), serb. et croat. ▯ Nedelja Duhovi » (= Dominica Spiritus). — c. Alia nomina a quibusdam *circumstantiis externis* profecta sunt, sic a *colore albo* vestium neophytarum in Pentecoste baptizatorum anglice vocatur « White Sunday » (= Dom. alba), a virentibus ramis in ornatu ecclesiae adhibitis nuncupant rutheni Pentecosten « Zelenyi svjata » (= sanctum *viride),* itali passim a colore liturgico utuntur nomine « Pasqua rossa » (= Pascha *rubeum).*

2°. Festum consummationis seu completivum. Dies quinquagesimus complet numerum 7 x 7 septimanarum Paschatis, celebritatem hanc unicam, sed ipsum festum Pentecostes quoque complet mysterium paschale.

a. Sicut Spiritus Sanctus a Patre Filioque procedit, sicque processione eius SS. Trinitas completur, ita et ad perficiendum opus Redemptionis adveniens huius effectus Ecclesiae membris applicans opus hoc complevit. Adventus Spiritus Sancti ergo a primordiis Ecclesiae semper recordatus etiam SS. Quinquagesimam coronavit. Inde sunt intelligenda elogia Patrum de hoc festo *qua maximum* praedicato, non *praecisive* sumpto, sed Paschate *simul complexo.* Sic e.gr. S. Eusebius Caesar, id appellat « venerandam sacratissimamque Pentecosten, omnium celebritatum principem, festum festorum » (Vita Constant. IV, 64). S. Chrysostomus vero homiliam suam pentecostalem his verbis exorditur: ▮ Hodie ad ipsum culmen bonorum provecti sumus, ad ipsam metropolim festorum-evasimus, ad fructum ipsum dominicae promissionis pervenimus » (PG 50, 463).

b. Consummatio haec operis redemptivi est indicium *summi amoris,* quo Christus in finem dilexit suos. Ideo *pericopae euangelicae* totius hebdomadae

amorem Christi vario modo praedicant, amore enim compulsus misit nobis Spiritum. Dom. Pentecostes Evangelium incipit verbis Domini: «Si quis diligit me... et Pater meus diligit eum et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus », quod factum est in adventu Spiritus fitque et fiet in « redemptionis continuata operatione » usque ad finem saeculi. Evangelium *Fer. II.* initium sumit verbis Jesu: « Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret ». In Evangelio *Fer. III.* bonus Pastor prae oculis ponitur, animam suam dans pro ovibus, qui venit « ut vitam habeant et abundantius habeant », cuius vitae exordium notatur adventu Spiritus Sancti. Evangelium *Fer. IV-ae* Christum panem vivum, panem vitae celebrat, maximum signum pignusque caritatis divinae. Evangelium *Fer. Vl-ae* sanationem paralytici referendo amorem Christi erga peccatores commendat, qui « habet potestatem in terra dimittendi peccata ». Evangelium *Sabbati* patratorem miraculorum ostendit, qui a domo Petri incipiendo integrae civitati beneficia sanationum exhibuit, quae continuavit « in deserto loco », dein circumiens benefaciendo « et aliis civitatibus » amorem suum exhibuit.

3°. Missio et adventus Spiritus Sancti, a. *Adventus* Spiritus celebratur hoc die, ut S. Augustinus declarat: « Adventum Spiritus Sancti anniversaria festivitate celebramus. Huic sollemnis congregatio, sollemnis lectio, sollemnis sermo debetur » (Sermo 269, 1).

b. Adventus est *sequela* missionis *per Filium a Patre.* Filius enim *promisit* hanc missionem: « Expedit vobis, ut ego vadam », his verbis *consolavit* Apostolos suos, statimque adiunxit rationem : « Si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos si autem abiero, mittam eum ad vos » (Jo 16, 7). Missio ergo fit per Filium quoque, quod liturgia byzantina inculcat: Filius dicitur «fons perpetuo fluens, virtus Patri coaeterna, et cooperans », imo «fons qui assidue emanat ineffabilem fluvium bonitatis, ex quo semper fluit aqua viva essentialiter fluens per rivulos suos » (Pentekostarion p. 199 et 210), aqua viva autem appellatur ibidem Spiritus Sanctus.

c. Haec missio fit *a Patre et Filio,* nam, ut Doctor Communis dicit: « Si mittens designetur ut principium personae, quae mittitur, sic non quaelibet persona mittit, sed solum illa, cui convenit esse principium illius personae, et sic Filius mittitur tantum a Patre. Spiritus Sanctus autem a Patre et Filio» (I q. 43. a. 8). Missio Spiritus Sancti per Filium fit *etiam inquantum est homo.* Christus enim glorificatus passione sua meruit missionem hanc: « Et ideo Filius x isibiliter missus est, tamquam sanctificationis *auctor,* sed Spiritus sanctus tamipiam sanctificationis *indicium* » (a. 7).

d. Missio Spiritus Sancti in die Pentecostes facta est « sub specie *flatus,* ad ostendendam potestatem ministerii in dispensatione Sacramentorum... sub *linguis igneis* ad ostendendum officium doctrinae, unde dicitur quod coeperunt loqui variis linguis » (a. 7. ad 6).

4°. Natalis Legis Novae, a. Iuxta traditionem rabbinicam festum iudaicum Pentecostes celebratum est etiam in *rememorationem legislationis Sinaiticae,* quae dein typus evasit missionis Spiritus Sancti legem Novi Testamenti promulgantis. *Analogiae* quoque typum hunc commendabant, mons Sina *contremuit.* domus quoque Cocnaculi, ubi Apostoli erant congregati; vox Dei in monte inter tonitrua ct flammas *ignis* detonuit, super Apostolos apparuerunt disper-

titae linguae tamquam ignis; Moyses dein nomine Dei *promulgavit* legem veterem, Apostoli autem statim praesertim Petrus, Novi Testamenti legem gratiae praedicaverunt. Apte enuntiat S. Hieronymus legislationem Sinaiticam legi novae aequando: « Supputemus numerum, et invertiemus quinquagesimo die egressionis Israel ex Aegypto in vertice montis Sinai legem datam. Unde et Pentecostes celebratur sollemnitas et postea Evangelii sacramentum Spiritus Sancti descensione completur, ut sicut priori populo quinquagesimo die, vero Jubilaeo, et vero anno remissionis... lex data est, Apostolis quoque et qui cum eis erant... descenderat Spiritus Sanctus et divisis linguis credentium, totus evangelica praedicatione mundus expletus est » (Ep. 78, 12 PL 22, 707 s.).

b. *Dona gratiae in Nova Lege acceptae* laudantur a S. Chrysostomo: « Quid enim quaeso, eorum, quibus salus nostra continentur, non per Spiritum dispensatum est nobis? Per ipsum a servitute liberamur, in libertatem vocamur, in adoptionem deducimur, ac denuo, ut ita dicam, fingimur. Grave foetidumve peccatorum onus deponimus, per Spiritum Sanctum sacerdotum cernimus choros, doctorum ordines habemus: ab hoc fonte manant et revelationum donationes, et gratiae sanitatum, ct reliqua omnia, quibus Ecclesia Dei condecorari solet, inde promuntur » (Horn. 2. in Pent. PG 50, 463 s.).

c. Saeculis pedetentim elapsis Pentecostes semper magis *festum* evasit *Spiritus Sancti,* celebratur Deus confirmator, Ps 67. *psalmus pentecostalis* frequens canitur, praecipue « Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis » (ant. ad intr. et offert.), inde natae sunt prosae et sequentiae, hymnique magnifici Spiritus laudes concinentes. *Notker Balbulus* (t 912) composuit prosam « Sancti Spiritus assit nobis gratia », et praeter permultas sequentias et hymnos « *aurea sequentia* » « Veni Sancte Spiritus », incerti auctoris, inter cuius cantum in Italia et Gallia multi in ecclesiis e volationibus supremis ecclesiae instar folia pluviae rosarum super fideles demittebantur, unde etiam occurrit nomen « Pascha rosatum ».

5°. Pentecostes memoria est fundationis Ecclesiae, a. *Incunabula Ecclesiae in Coenaculo* inveniuntur, ubi post ascensum Domini z\postoli et discipuli intimi *sub materna protectione Beatae Virginis* congregati « omnes erant perseverantes in oratione » primum absolventes *exercitium novemdiale* fidelium. Quando autem quinquagesimo die post Pascha ad horam Tertiam erant « omnes pariter in eodem loco », orationes huius horae persolventes, donum cuncti recipiebant Spiritus Sancti, qui tota civitate concurrente manifestavit nativitatem novi cultus congregationis. Ecclesia tunc primaeva exiens e latebris exspectationis mundo prima vice *se manifestavit* repleta Spiritu Sancto, stupentibus mirantibusque omnibus, linguam unoquoque suam audiente. Quibus deinde *Petrus* stans cum undecim qua caput novae communitatis bonum verbum statim praedicavit, multi vero recipientes « sermonem cius baptizari sunt, et appositae sunt in dic illa animae circiter tria milia » (Act 2, 41). *Primae generationi* Ecclesiae mox natae princeps fuit S. Petrus, cuius *partes principales* in primordiis Ecclesiae liturgia Romana satis extollit. *Fer. II.* lectio ostendit Petrum in domo Cornelii centurionis, Petro adhuc loquente cecidit Spiritus Sanctus super omnes qui audiebant verbum eius, sicque omnes grates rependebant Deo, quod etiam in gentes gratia Spiritus Sancti effusa Ecclesia autem dilatata est. *Fer. III.* refertur in epistola, quomodo Petrus cum Joanne in Samariam missus est, ut baptizati accipere queant Spiritum; *Fer IV.* in prima lectione narratur primus

sermo S. Petri ad multitudinem post effusionem Spiritus Sancti habitus, in secunda autem lectione iterum de S. Petro fit relatio, per manus enim Apostolorum fiebant signa et prodigia multa, praesertim autem per Petrum, infirmi enim in plateis expositi exspectabant, ut « veniente Petro, saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum et liberarentur ab infirmitatibus suis » (Act 5, 15). Partes principales Petri in fundanda Ecclesia etiam eo commendantur, quod statio Dom. Pentecostes in Basilica S. Petri habetur, Fer. II-ae vero in basilica S. Petri ad vincula. — b. Ecclesia in Pentecoste nata inde iam a saec. II-o *figurata* conspiciebatur *in arca Noe,* Ecclesia est navis, constructa ac aedificata per mortem Domini, gubernator navis est Christus, vela eius plena flatu tument Spiritus Sancti, arbor navis (Mast met, foârboc) est Crux Christi, ut breviter Tertullianus dicit: « Columba sancti spiritus advolat pacem Dei afferens, emissa de caelis, ubi Ecclesia est arca figurata » (De bapt. c. 8. cf. uberrime Dolger, Sol salutis p. 272-286).

c) De legibus cultualibus Pentecostes.

1°. Vigilia Pentecostes, a. Vigilia haec est vigilia I. cl. (NCR 30). Ieiunium et abstinentia observanda sunt (can. 1252 § 2). — b. Officium dicitur feriale, ut in ordinario de tempore Ascensionis, cum tribus lectionibus de homilia in Evangelium diei. Oratio autem ad Laudes et ad Horas sumitur e Dom. post Ascensionem (NCR Var. 32). — c. *Liturgia vigiliae* ad instar vigiliae paschalis confecta abolita est; inde ab anno 1956. omittitur lectio prophetiarum, benedictio fontis, litaniae. Omnes Missae incipiunt — ut patet etiam conventualis — more solito, dicitur Ps. Judica etc., ant. ad introitum est « Cum sanctificatus fuero » (NCR Var. 32 2. p.). — d. *Color* liturgicus tum in officio tum in Missa est ruber, usque ad Nonam Sabbati sequentis (NCR 123).

2° Dom. Pentecostes, a. In *Missa* ad versum « *Veni sancte Spiritus* » celebrans genuflectit, in Missa sollemni vel cantata vero omissa genuflexione exspectat, donec chorus cantum versus incipit et tunc in ora media suppedanei inter cantum genua flectit. — b. *In officio* ad primam stropham hymni proprii « *Veni Creator* » (Tertia et Vesp.), iterum ab omnibus genuflcctendum est — c. Praescribitur color *rubeus* paramentorum, Sequentia, Communicantes et « Hanc igitur » propria, pro tota octava.

3°. Hebdomada Pentecostes est *octava* e Iribus relictis, a. Dies hi sunt I. cl., festis quibuslibet praeferuntur et non admittunt commemorationem. Festa 1. cl. occurrentia transferuntur, de ceteris eo anno nihil fit (NCR 66. et 91, 10). — b. Quoad *officium* Pentec. et octavae cf. superius 3. a. 1° b. — c. In *Missis* Quatuor Temporum non dicitur « Flectamus genua », dicitur alleluia et «Gloria in excelsis » (NCR 260). — c. Octava simulque cum ea *tempus paschale* post Nonam Sabbati exspirat (NCR 76 et 76c.).

Litteratura.

Quoad Pascha in genere. F. E. *Brightnum,* The quartodecinian question, *in:* Jonm. theoL stud. 1923-24, 254-270. — A. *Struckmann,* Pascha annotinum, Roennond 1925. — *Th. Michels,* Das Frühjahrssymbol in üsterlicher Liturgie, *in:* JfLw 1926, 1-15. — H. *Leclercq,* Pâques, in: D AL Mil. 2. 1521-1574. — O. *Casel,* Art u. Sinn d. âltesten OsterFeier, in: JfLw 1941-, 20-49 — E. *Miiller,* L'antiquité de la double messe de pâques et de la pentecôte, in:

Quest, lit. parois. 1942, 26-49. — M. *Righetti,* Storia liturgica II (1946) 183-203. — *Chr. Mohrmann,* Pascha, passio, transitus, *in:* Eph. Lit. 1952, 37-52. — A. *Baumstark,* Liturgie comparée, 3. ed. Chevctogne 1953, 181-193. *A. Rose,* Les lectures bibliques de l'octave pascale, *in:* Quest, lit. parois. 1955, 57-65. — *B. Couroyer,* L'origine égyptienne du mot Pâques, *in:* Rev. bibl. 1955, 481-496. — *E. M.* Llopart. La protovetlla pasqua! apostolica, *in:* Liturgica Card. I. Λ. Schuster in memoriam, Montserrat 1956, 387-522. — *J. Guillard,* Les solennités pascales, Paris 1957. — G. *Ziener,* Johannescvangelium u. urchristliche Passafeier, *in:* Bibl. Zeitschr. 1958, 263-274. — F. *X. Durwell,* Auferstehung Christi als Heilsmysterium, Salzburg 1958. — *H. Jenny,* Le mystère pascal dans l'année chrétienne, *4.* ed. Paris 1958. — P. *Grelot,* Ostcrnacht u. Osterfeier im Alten u. Ncuen Bund, Düsseldorf 1959. — B. *Fischer - J. Wagner,* Paschatis sollemnia. Studien zur Osterfeier u. Osterfrommigkeit (in honorem J. A. Jungmann), Herder 1959. — *J. Quasten,* Die Ostcrvigil im Testamentum Domini, *in:* Pasch. soli. 1959, 87-95.

Quoad sacratissimam noctcm paschatis: Dc benedictione ignis et cerei. *O. Casel,* Der osterPche Lichtgesang der Kirche, *in:* Lit. Zeitschr. 1931-32, 179-191. — *B. Capelie,* La procession du Lumen Christi au Samedi-Saint, *in:* Rev. Bened. 1932, 105-119. — *Idem,* Le rite de cinq grains d'encens, *in:* Quest, lit. paroiss. 1932, 1-11. — *F. J. Dolger,* Lumen Christi-Deo gratias, *in:* Antike u. Christentum 1936, 31-43. — *Idem,* Das Karsamstagsfeuer aus der Krystallinse, *ibid.* 1940-50, 286-296. — *B. Capelie,* L'Exultct pascal, oeuvre de S. Ambroise, *in:* Mise. Mercati I (1946) 219-246. — *B. Fischer,* Ambrosius der Verfasser des Exultet, *in:* AfLw 1951, 61-74. — G. *Benoit-Castelli, Le* Praeconium paschale, *in:* Eph. Lit 1953, 309-334.

Dc benedictione fontis. *B. Neunheuser,* De bened. aquae bapt:smalis, *in:* Eph. Lit 1930, 194-207, 258-281, 396-412, 455-492. — *II. Schcdit,* Die Taufwasserweihgebete im Sinne vergleichender Lit. gesch., Münster 1935. — *J. Daniélou,* Traverse de la Mer Rouge et baptême aux premiers siècles, *in:* Rech. sc. relig. 1946, 402-403. — *E. Stommcl,* Studien zur Epiklese der romischcn Taufwasscnveihe, Bonn 1950. — A. *Chavasse,* Leçons et oraisons des vigiles de Pâques et de la Pentecôte, dans le Sacr. Gélas'en, *in:* Eph. Lit. 1955, 209-226.

De vigilia instaurata. Bibliogr. usque ad 1952. cf. Eph. Lit. 1952, 53-59. — *K. Becker.* Wahrhaft selige Nacht Eine Thcol. der Osternacht, Freib. i. Br. 1952 (Litt.: 213-220). — G. *Prado,* Sabado santo. Vigilia pascual, Madrid 1955. — A. *Bugnini - C. Braga,* Ordo Hebd. Sanctae instauratus. Commentar. Roma 1956. — *F. Mac-Manus,* The Rites of Holy Week, Paterson 1956. — *II.* A. *P. Schmidt,* Hebdomada Sancta. Contemporanei textus liturgici, Romae 1956. II. Fontes historici Commentar. 1957. — Λi. *Dubois,* Cérémonial de la Semaine Sainte, Québec 1957. — *E. Flicoteaux,* Le triomphe dc Pâques, Paris 1957. — V. *Franco,* 1 cinquanta giorni di Pasqua, *in:* Riv. lit. 1957, 65-78. — *//. Schmidt,* « Paschalibus initiati mysteriis », *in:* Gregorianum 1958, 463-480.

Quoad Ascensionem. *F. Cabrol,* Ascension, *in:* DAL I, 2 (1907) 2934-2943. — A. *Heisenberg,* Zur Feicr von Weihnachten u. Himmelfahrt im altcn Jerusalem, *in:* Byzant Zeitschr. 1924, 329-335. — *II. Koch,* Die Tessarakoste im can. V. von Nicea, *in:* Zedschr. f. Kirchengesch. 1925, 481-485. — S. *Salaville,* Tessarakoste, Ascension et Pentecôte au IV-e siècle, *in:* Échos d'Orient 1929, 257-271. — 17. *Ilolzmeister,* Der Tag der Himmelfahrt des Herm, *in:* ZfkTh 1931, 44-82. — B. *Capelle,* La préface de l'Ascension, in: Quest lit. paroiss. 1936, 73-83. — *E. Moeller,* Litanies majeurs et rogations, *ibid.* 1938, 75-91. — *R. Paste,* De rogationibus. Rogationes maiores, in: Perfice munus 1938, 323-327. — *F. Dekkers,* De datum der Peregrinatio Egeriae en het Feest van ons Heer Hemelvart, *in:* Sacris erudiri 1948, 181-205. — B. *Capelle,* Une messe de S. Léon pour l'Ascension, in: Eph. Lit. 1953, 201-209. — *P. Miguc,* Le mystère de l'Ascension, in: Quest, lit paroiss. 1959, 105-126.

Quoad Pentecosten. *O. Casei,* Pfingsten, *in:* Lit. Zeitsch. 1930/31, 219-229. — *J. Bergmann,* Pfingsten, in: *Bened.* Monatschr. 1932, 144-152. — *II. Leclercq,* Pentecôte, *in:* DAL XIV, 1 (139) 260-274. — A. *Rose,* Aspects de la Pentecôte, in: Quest, lit paroiss. 1958, 101-114. — *J. A. Jungmann,* Pfingstoktav und Kirchcnbusse in der romischcn Liturgie, tn: Lit. Erbe 1960, 316-331. (Etiam Mise. Liturg. Mohlberg I [1948] 169-182).

F) Dc tempore liturgico extracyclico.

Antiquiores tempus a Pentecoste usque ad Adventum « cyclum pentecostalem » vocare consueverunt, quae appellatio nunc iam merito obsoleta habetur. Celebratio enim Redemptionis *inchoatae* cyclo natalitio, *absolutae* autem

passione et glorificatione Domini cyclo paschali bipartito, poenitentiali nempe et gaudioso, iam completa est, fere dimidium ergo anni pars remanet celebrationi Redemptionis *applicatae* per oblationem sanctissimi sacrificii, vitam sacramentalem, pia exercitia et per epacneticam liturgiam. Nullus internus nexus ideologicus praeter dicta has singulas Dominicas, hebdomadas ceteraque festa inter se coniungit, est tempus extra cyclos liturgicos Dominicarum per annum.

Agendum est nobis sequenti ordine:

1. De Dominicis postpentecostalibus.
2. De festo SS. Trinitatis.
3. De festo SS. Corporis Christi.
4. De festo Sacratissimi Cordis Jesu.
5. De festis minoribus Domini.

1. De Dominicis postpentecostalibus.

a) Origo serici Dominicarum per annum.

1°. Dominicae inde ab exordiis Ecclesiae mox constitutae et semper celebratae praeter indolem Resurrectionis communem, proprium characterem sibi acquisiverunt, in tempore Quadragesimae et SS. Quinquagesima Paschatis, a saec. V-o etiam Dominicae Adventus. Talis *character peculiaris* Dominicis extra cyclos alienus mansit, praesertim Dominicis post Pentecosten, tamen sat mature formulae talium Dominicarum extra cyclos exortae sunt.

a. Formulae Missarum iam leguntur pro singulis Dominicis compositae in *Sacramentario Leoniano* et quidem non paucae quarum auctores quoque recentioribus indagationibus inventi sunt. S. *Gelasius* (492-496) composuit *novem Missas* dominicales sectionis (= Formular-gruppe) ***XVIII.*** (Missas I-V, VIII, XVIII, XX et XXIV. Feltoe p. 54-58, 60, 66, 68, 71), *septem* Missas autem c *sectione* ***XXIX.*** (Missas IX, XIII, XV, XIX, XX, XXII. Feltoe p. 131. 133 s. 136 s. 138).

b. *Ceterae Missae* harum duarum sectionum concinnatae sunt a *Papa Vigilio,* iuxta A. Chavasse (Messes du pape Vigile dans le Léonien, Eph. Lit. 1950, 161-213) annis obsidionis per Gothos 537-538. Vigilio debentur e sectione XVIII. *34 Missae,* concinnatae pro Dominicis a 2. aug. 537 usque ad 28. mart. 538, e sectione vero XXIX. Vigilium auctorem habent praeter Missas pro natali eius (I-VIII) *novem* Missae pro Dominicis a die 18. apr. usque ad 27. jun. 538. *Inter annos 190-540* ergo Romae iam compositae sunt formularia *pro Dominicis per annum,* earum inscriptio est: « *Orationes et preces diurnae* » (sectio XVIIL), quo ostenditur haec formularia etiam diebus ferialibus repetita fuisse.

2°. In *Gelasiano primigenio* iam legitur series Missarum *inter 560-600* composita cum titulo: ‹ Orationes et preces cum canone per dominicis diebus › (L. Ill, I-XVI). Hac serie sexdecim Missarum habetur *primus nucleus* Dominicarum postpentecostalium, formulae eius fere omnino *identicae* sunt cum Dominicis λ-XX. Missalis Romani. Iuxta systema Gelasianum hae Missae *duas* habent *collectas,* de quarum usu variae exstant sententiae. Secundum Baumstark et P. Alfonso duplex collecta testis est antiqui usus duarum lectionum ante Evangelium. V. L Kennedy putat hunc usum cessasse post introductionem hymni angelici (Mise. Mohlberg I. 1948, 183-8). Alii autem rectius opinantur

secundam collectam functionem habuisse orationis *post Evangelium,* cuius orationis invitatio (a Oremus ») hodieque dicitur, quaeve oratio in ritu Ambrosiano remansit, vocata « oratio super sindonem » seu velum calicis, quod ad offertorium aufertur (sic Wilson, Wilmart, Gr. Dix, Shape of the liturgy 1947, 491, Jungmann, 3. ed. I, 619 s).

3°. *Sacramentarium Gregorianum primigenium* (KI. Gamber, Wege z. Urgregorianum 1956, 8-9) non habuit formularia pro Dominicis post Pentecosten, nec recensio eius Hadriana, quia liber fuit officialis pro Curia papali, Dominicae autem hae non habent stationes quibus Summus Pontifex praefuit celebrando. Iuxta systema Gregorianum collecta secunda disparuit.

4°. *Gelasiano saec. VlII-i, seu iuniora,* systema Gelasianum Dominicarum postpentecostalium (cf. supra 2°.) *ulterius evolventes perfecerunt.* Dom. L nominatur « Dom octava Pentecosten », Dom. II. vocatur « Ebdomada » vel » Dominica II. post Pent », numeratio dein Dominicarum pergit usque ad Dom. (Ebdomad.) XXVII. post Pent., quae Dominicae inter festa Sanctoralis insertae sunt, haec Gelasiana iuniora retinent systema Gelasianum duarum collectarum. Pedetentim ob permixtionem Sanctoralis cum Temporali exorta est *nova denominatio* Dominicarum a festis Sanctorum quae seriem interrumpunt. In Gregoriano Paduano et Sacramentario Modoetiae (= Monza) saec. IX. Dominicae nominantur « post Pentecosten », dein « post apostolorum » (29. jun.), item «post S. Laurentium», demum «post sanctum angelum» (29. sept.). In quibusdam aliis occurrit loco S. Michaelis nomen « post sanctum Cyprianum » (14. sept.). Altera parte medii aevi saepe habetur nomen omnium Dominicarum « Post SS. Trinitatis » (festum), quae denominatio hodieque retinetur a Lutheranis.

5°. Pro liturgia universali Romana magni momenti fuit:

a. *Supplementum Alcuini* saec. IX. ineunte, in quo iam habentur *sex Dominicae post Epiphaniam,* et *24 Dominicae post Pentecosten* cum systemate Gregoriano unius collectae. Formulae Missarum eaedem sunt cum Missalis Romani, excepto quod Missale Romanum Dom. III. omittens loco eius Dom. IV. ponit Supplementi sicque haec fit Dom. III. Missalis Romani, et sic porro usque ad Dorn. XXIII. Missalis Romani, quae convenit Dominicae XXIII. Supplementi; Dom. XXIII. Miss. Romani deest in Supplemento, desumpta e Gelasianis iunioribus, Missa Dom. XXIV. iam identica est cum XXIV.-a Supplementi. In his libris liturgicis solummodo orationes continentur.

b. Ideo *pericopae* in aliis libris describuntur, in Comite Murbacensi (saec. VIII. ex.), lectiones et Evangelia fere iam identica sunt pericopis Missalis Romani et usitatissimae fuerunt per totum medium aevum (G. Godu *in:* DAL V, 1, 316. 908). Attamen pericopae *euangelicae* Missalis Romani inde a Dom. VI. locum suum nativum *mutabant,* nam pericopa huius Dominicae (Lc 6, 36-42 « Estote misericordes ») facta est pericopa Dom. I-ae in Miss. Romano, lacuna autem Dom. IV-ae suppleta est per pcricopam sequentis Dom. V-ae, (Lc 5, 1-11 « Cum turbae irruerunt in Jesum »), simul autem omnes pericopae evangelicae subséquentes progressae sunt protinus: Evangelium Dom. Vl-ae in V-am, VII-ae in Vl-am et sic porro. *Epistolae* vero locum suum *retinuerunt,* ideoque Epistolae et Evangelia Missalis Romani inter invicem non conveniunt.

c. *Cantus variabiles Missae* (ant. ad intr., off. comm., gradualia, alleluia ante Evangelium) Missalis Romani quoad substantiam iam iidem exstant in

Xntiphonali Missae saec. VIII-i. Antiphonae ad intr. (Dom. I-XVI1.) et versus allehnatici stricte servant ordinem progressivum Psalmorum, talis lectio continua invenitur in antiphonis ad offert, et comm. iam paululum disturbata, gradualia autem nullo ordine invicem excipiunt.

b) Indoles Dominicarum postpentccostalium.

Summa idearum harum Dominicarum comparari potest « *polymythae* » patriarchae Joseph, versicolor earum varietas tamen minime caret sensu, imo *profunda* videtur excellere *finalitate.* Etsi enim decursu carum non cernitur illud drama magnificum Redemptionis, quod tam praeclare repraesentatur ambobus cyclis liturgicis natalitio ct paschali, nihilominus hae Dominicae singulis ideis et exhortationibus Redemptionis applicandae, quasi lapidibus laterculisque assidue aedificant templum Dei vivi in animis fidelium. Hae ideae in tres sectiones possunt disponi.

1°. Prima sectio componitur ideis *praeteritum respicientibus.* Cyclis enim praecedentibus celebratum fuit *opus redemptioum,* s. liturgia nunc tempore extracyclico recordata huius salutiferi operis, id aspectui fidelium subiicit, et quidem ut solita est, accommodatione liturgica textuum et eventuum S. Scripturae. Ideo Salvator tam crebro prae oculis ponitur qua *miraculorum patrator,* aegrotos ad sanationem perducens mortuos suscitans. Id quod Dominus vitam ducens terrestrem immediata sua praesentia operatus est, nunc operatur modo mirabili sua praesentia indirecta, mediata ope Sacramentorum. Extollitur ergo SS. *Eucharistia* in parabola hominis, qui fecit coenam magnam (Dom. II.), in relatione multiplicationis panum quae typus et obsignatio fuit coenae eucharisticae (Dom. VI.). Redemptionis iam *peractae* recordatur Epistola Dom. Xl-ae: « Christus mortuus est et quia resurrexit tertia die secundum Scripturas ». Sanatio surdi et muti eadem Dominica Redemptionem *subiectioam* significat: sicut aures surdi apertae sunt, linguaeque vinculum solutum, sic patet anima *Baptismate* liberata gratiae filiationis adoptivae. — Evangelium de bono Samaritano (Dom. XII.) iuxta syinbolismum liturgicum ipsum Dominum significat, qui generi humano letaliter vulnerato miseranter oleum infundit, quod testante SS. Patrum choro *remissionem* signat peccatorum, vinumque amoris praebet, proprium nimirum sanguinem. — Narratione decem leprosorum (Dom. XIII.) mysterium *Poenitentiae* perspicue illustratur, in quo quilibet peccatori iterum dicitur: « Ite, ostendite vos sacerdotibus ». Idem dicitur relationibus suscitationis invenis et filiae Jairi (Dom. XV. et XXIII.): Jesus enim animis vulnere mortali sauciatis vitam denuo donat supernaturalcm. Idem fit narratione sanationis hydropici (Dom. XVI.), et curationis paralytici, ad quem directa verba nobis quoque valent: « Confide fili, remittuntur tibi peccata! » (Dom. XVIII.).

2°. Secunda sectione textuum postpenteeostalium respicitur *tempus praesens* Ecclesiae in terris peregrinanti bella indicens. Pugnari enim continuo debet contra regnum Satanae, quod *antithesibus* illustratur. Mirandum non est quod odit nos mundus (Ep. Dom. IL), adversa mala huius saeculi perpeti debent, nam « non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam quae revelabitur in nobis » (Ep. Dom. IV). Inimica adversitas usque ad finem saeculi pt mansura describitur Evangelio de falsis prophetis, in vestimentis ovium xcidentibus (Dom. VIL), ct quoniam contraria iuxta posita magis elucescunt,

opponuntur « filii lucis » « filiis huius sacculi » (Dom. VIII.). — Non est tamen formidandum, nam « fidelis Deus est, qui non patitur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere » (Ep. Dom. IX.).

3°. Tertia sectione textuum liturgicorum commonstratur *futurus status* Ecclesiae, *parusiani* seu finalem adventum Domini exspectantis. Exspectatio haec spei plena fiducialis, quod etiam colore liturgico viridi exprimitur, praecipue versus finem seriei dominicalis inculcatur. *Dom. IX.* adhuc contenta voce praedicit: « tempus visitationis », quando Ecclesiam « coangustabunt undique », sed « deerit nihil nobis in ulla gratia, exspectantibus nobis *revelationem* DXJChristi » (Ep. Dom. XVIII.). — Ad considerandam vocationem *futurae gloriae* allicimur Evangelio *Dom. XIX-ae* de invitatis ad regales nuptias; quia tamen hae nuptiae implendae sunt discumbentium, qui digni habiti sunt, iubemur ad induendam « armaturam Dei, ut possimus stare adversus insidias diaboli » (Ep. Dom. XXL). — Propinquat etenim tempus, quando Rex Christus vult « rationem ponere cum servis suis » (Ev. Dom. XXL), in *indicio particulari* uniuscuiusvis animae. Idcirco Ecclesia orans sine intermissione monet filios suos, ut caritas « magis ac magis abundet » in eis, sicque sint « sinceri et sine offensa *in diem Christi,* repleti fructu iustitiae » (Ep. Dom. XXII.). Peregrinaturi enim sumus convicti, quod nostra conversatio (politeuma = ius civitatis) in *caelis* est, unde etiam Salvatorem exspectamus (Ep. Dom. XXIIL). Vaticinio animos commovente Christi de ultimo indicio tempori extracyclico finis imponitur.

4°. *De influxu Sanctoralis* in pericopas Dominicarum postpentecostalium cf. superius Pars gener., Typologia E. 2. d. 3°. b.

5°. Quoad *leges cultuales Dominicarum* cf. supra in praesenti tractatu B. 3.

2. De festo SS. Trinitatis.

a) Dc cohaerentia ideologic» trium festorum.

1°. Tria festa solemnia Domini trinis hebdomadibus post Pentecosten celebrantur, quae, etsi ortus eorum quaternis saeculis distet, aptissime tamen inter se connexa sunt. *Festum primum* est SS. *Trinitatis,* ortum saec. X-o ineunte, Dom. I. post Pentecosten celebratum, qua festum tutelae adversus Normannos; quatuor saeculis serius, saec. XIII-o ortum est festum SS. *Corporis Christi,* Fer. V. post Trinitatem actum, qua festum SS. Eucharistiae, « ad confundendam haereticorum perfidiam » (Urbanus IV.); quatuor iterum saeculis elapsis saec. XVII-o ortum duxit festum *Sacratissimi Cordis Jesu,* Fer. VI. hebdomadae Corpus Christi sequentis frequentatum, qua vexillum divini amoris ad refringendam insaniam Jansenismi.

2°. Continuatio seriesque trium harum sollemnitatum ut alia ex alia nexa et omnes inter sc apte cohaerentes conspiciuntur. Pronum erat absoluto cyclo paschali, cuius idea princeps fuit *regeneratio* in Christo, Dominica sequenti recordari SS. *Trinitatis,* in cuius nomen baptizati summoque Numini dedicati sumus, cui in hoc mortalitatis corpore servimus finem beatum ultimum in Eius vita participanda sperantes. Altera celebritas, *Corporis* nimirum *Christi,* ulterius evolvit hanc ideam. Homo fidelis ad supernam vitam regeneratione desti-

natus, *cibo indiget* ad vitam supernaturalem sustentandam, apte ergo excipit festum SS. Trinitatis sollemnitas SS. *Euchaiistiae.* Tertius dies festivus *Sacratissimo Cordi* sacer, in memoriam revocat *Sulcatorem hominum misericordem,* cuius miseratione opus est, ut lapsis venia, peccatoribus indulgentia detur, sicque renati ad fontem omnis sanctificationis redire queant.

b) Origo festi SS. Trinitatis.

1°. Praeparatio festi. Origo huius sollemnitatis pluribus momentis praeparata est.

a. Primum elementum in Gelasiano primigenio invenitur: *praefatio Trinitaria* in Missa Dominicae « Octavorum Pentecostes » de quo cf. superius (B. 2. f.). Haec praefatio evasit dein Missae de SS. Trinitatis. — b. *Cultus enim SS. Trinitatis* citra festum iam mature incoepit, quantum scimus praecipue in Ordine monastico, saec. VIII-o: sic S. Benedictus Anianus versus 780 cultor eximius SS. Trinitatis fuit, ecclesiam enim abbatialem a non in alicuius sanctorum practitulatione, sed in deificae Trinitatis nomine u consecrare iussit, triplexque altare construi fecit, ut in his « personalitas Trinitatis typice videatur significari » (Vita c. 26. PL 103, 364, uberius cf. Browe AfLw 1950, 67 s). Formae doxologicae in officio divino, altaria et ecclesiae SS. Trinitati dicatae, documentorum inscriptiones « In nomine sanctae et individuae Trinitatis » hoc roborant.

c. *Praecipuum elementum* cultus huius factum est Sacrum in honorem SS. Trinitatis, cuius textus ut *Missa votiva* verisimiliter ab Alcuino concinnatus est. \lcuinus enim monachis Fuldensibus anno 801-2 seriem Missarum votivarum transmisit, a se compositarum vel collectarum; ubi primo loco nominatur Missa de SS. Trinitate: « Misi cartulam missalem vobis, o sanctissimi presbyteri, ut habeatis singulis diebus, quibus preces Deo dirigere cuilibet placeat » (MGH Ep. IV, 404 s.). Orationes huius Missae eaedem sunt ac hodieque usitatae (PL 101, 445), cantus itidem variabiles Missae leguntur in Antiphonali codicis Vaticani saec. IX. (PL 78, 721). .

d. Recordatio SS. Trinitatis in Dominica « *Octavorum Pentecostes* n ambiguo quidem modo, sed tamen praeparari videtur penes *Amalarium,* qui in Libro officiali versus 831 exarato « de octavis Pentecostes n talia scribit: « Octavus dies est, qui et primus... Imitando Christi mortem ct eius resurrectionem, debemus consummationem nostri baptysmatis in die dominico cogitare... Si enim propterea acceperunt apostoli Spirtum Sanctum ora tertia, quia *fidem sanctae trinitatis* praedicaturi erant, volvamus ct nos in mente eadem ora percepisse eundem spiritum, in quo *copulatur trinitas,* quae monstrat eandem trinitatem... Caelebrctur per septem dies opus septiformis spiritus, et in *octava die consummatio et declaratio* atque glorificatio eiusdem operis » (l. IV. c. 29, Hanssens p. 497-500).

2 . Factum historicum institutionis, a. Certum est *officium SS. Trinitatis* Slephanum episcopum Leodiensem (= Liège, 902-920) composuisse, ut eiusdem successor Richarius 932 refert: « Venerabilis vir, praecessor videlicet noster Stephaniis, in honore sanctae Trinitatis quaedam responsoria cum antiphonis nocturnalibus sive matutinalibus necnoc vespertinalibus, *totumque ad plene officium* dulcissime modulationis stabilire curavit » (MGH Script. VII, 200; PL 139. 1081). Non dicitur quidem officium hoc pro *festo* quodam compositum luisse, ast officia pro festis solebant concinnari.

b. Revera *Leodiae* medio saec. XI. festum SS. Trinitatis celebratum est Fer. II. post Dom. I., ut videtur ex Evangelistario Leodiensi Capituli Strigoniensis (Radô, Libri lit. mss I, 182), primus liber liturgicus Hungariae, Evangelistarium Card. Szelepchcnyi hoc festum saec. XI. iam habet (l. cit. p. 177), pericopae enim huius codicis quoad magnam partem identicae sunt cum supradicto codice Leodiensi.

c. Dein *Ruperitis Tuitiensis* (11135) Leodiae in monasterio S. Laurentii educatus tamquam institutionem antiquam memorat hoc festum (PL 170, 293). Festum SS. Trinitatis revera primo in parte septentrionali Franciae celebratum fuit. *Joannes Abrincensis* (t 1079) id testatur: « Proxima dies dominica (= post Pentecosten) cum novem psalmis et antiphonis, cum novem lectionibus et responsoriis celebretur in honore s. Trinitatis, eadem celsitudine qua dies Ascensionis » (PL 147, 58), quod originem festi saec. X-o confirmat, Stephani partes autem verisimiles reddit.

3°. Si occasio spectetur institutionis huius festi, hypothesis instar coniicere possumus *sollicitudines infestationibus Normannorum concitatas,* a. Normanni altera parte saec. IX-i regiones Galliae septentrionalis devastaverunt, incursionibus saepe iteratis vitam incertam periculosamque reddiderunt. Devicti sunt pluries, 881 (Saucourt) et 891 (Lowen), tandem Carolus Simplex, rex Franciae eis sedem ac domicilium in partibus septentrionalibus regni habere concessit anno 911. Stephaniis Leodiensis fortasse festum SS. Trinitatis *qua festum tutelare* seu patrocinium instituit, ut gens metuenda ad veram religionem se converteret, quod Rollo, dux Normannorum promisit, sicque in familia populorum christianorum constituta flagellum esse gentium cessaret. — b. Similes fuerunt conditiones publicae, quam *integro saeculo ante, tunc* enim, saec. IX. ineunte *Saxonum* gens devicta in ovile Christi monarchiamque recepta est. *nunc Normanni; tunc* versus 803 Alcuinus Librum concinnavit « De fide sanctae et individuae Trinitatis », quando Saxones « terrorem potentiae » Caroli Magni sentientes « super omnes undique inmittentis », « voluntaria subiectione » venerunt, « quos prioribus bellicus labor temporibus subdere non potuit » (PL 101, 12). Sicut Alcuinus occasione conversionis Saxonum, ita Normannorum resipiscentiam Stephaniis invocatione cultuque intensiore SS. Trinitatis intendit obtinere, simul tutamen fidelibus suis exposcendo: « Hos exposco, tuos benedic per saecula servos, | Protege ab insidiis, serva virtutibus almis, Donec te videant, ct caeli regna prehendant, | Te tribuente Deus, qui nunc et semper in aevum In triplici virtute tui benedictus haberis » (Stephaniis, Vita S. Lamberti PL 132, 652).

4°. Ecclesia Romana *diu restitit* huic sollemnitati. *Alexander II. Papa* (I 1073) citatur a Bernoldo, auctore Micrologi: ⁊ Piae memoriae Alexander papa, de hac re inquisitus, respondit, iuxta Romanum ordinem nullum diem specialiter ascribi debere sollemnitati sanctae Trinitatis, sicut nec sanctae imitatis, cum in omni dominica, imo quotidie utriusque memoria celebretur » (PL 151, 1020). Hic Papa non est confundendus cum successore eiusdem nominis Alexandro III. (f 1181) qui ut videtur, aliam reprehensionem edidit, in Decretalibus assumptam: « Festivitas s. Trinitatis secundum consuetudines diversarum regionum a quibusdam consuevit in octavis Pentecostes, ab aliis in dominica prima ante Adventum Domini celebrari. Ecclesia siquidem Romana in usu non habet, quod in aliquo tempore huiusmodi celebret specialiter cele-

britatem, quum singulis diebus Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto et cetera similia dicantur ad laudem pertinentia Trinitatis » (Greg. IX. Decret. II, 9, 2). Inde a saec. XIII-o festum SS. Trinitatis latissime divulgatum est, anno 1334 autem Joannes XXII. Avenione id pro tota Ecclesia praescripsit.

c) Indoles festi SS. Trinitatis.

1°. Idea princeps festi est professio gaudiosa dogmatis fundamentalis Christianae religionis: Ùnus Deus in tribus personis. Festum hoc sollemne vocari potest dies professionis fidei trinitariae, hoc die, nunc exclusive, *recitanda* est professio huius fidei, Symbolum nempe Athanasianum « Quicunque ». Professio fidei *legitur* in officio S. Gregorii Nazianzeni: « Haec est perfecta Trinitas in unitate consistens, quam scilicet unius substantiae profitemur... sed tria nomina et 1res personas unius esse essentiae, unius maiestatis, atque potentiae credimus » (lect. VII. et VIII.). Professio fidei *canitur* antiphonis, responsoriis, gr. : « Te unum in substantia, Trinitatem in personis confitemur... Te semper idem esse, vivere et intelligere profitemur » (ant. II. et III. I. noct.). Recte observat Card. Schuster, festum hoc minus esse celebritatem trium personarum divinarum, sed magis sollemne annuum festum confessionis humilis Christianorum erga veritatem fidei nobilissimam, mysterium fundamentale cath. fidei, dogma enim hoc iure dicitur honor, gloria et salus Ecclesiae (ed. germ. p. 77).

2°. Dies laudis trinitariae est hoc festum, e confessione fidei resultat agnitio gloriae SS. Trinitatis, cuius *fructus, adoratio,* est laudibus exornata: « ...qui dedisti famulis tuis in confessione verae fidei aeternae Trinitatis gloriam agnoscere, et in potentia maiestatis adorare Unitatem... » (oratio). Ex hac agnitione enim nascitur *laus* SS. *Trinitatis,* sicut sequentia Adami a S. Victore, medio aevo in Missa cantata extollit: « Non in fide gloriemur, | Nos in una modulemur | Fidei constantia. | Trinae sit laus Unitati, | Sit et simplae Trinitati | Coaeterna gloria! » Idem dicitur in ant. ad Magn. II.: « Te Deum Patrem ingenitum, te Filium unigenitum, te Spiritum Sanctum Paraclitum, sanctam et individuam Trinitatem, toto corde et ore confitemur, laudamus et benedicimus: tibi gloria in saecula ». Laudis huius singula motiva enumerantur in *hymno syriaco* S. Simeonis Martyris (J340): «Laus tibi, *Pater* iuste, qui nos caritate tua voluisti possidere. Laus tibi Fili sancte, qui corpus e nobis assumptum, ut nos salvares, induisti. Laus tibi, Spiritus vitae, qui nos donis tuis locupletasti! » (Guéranger ed. 18, I, 148). Unitas quoque actionis SS. Trinitatis ad extra inculcatur a liturgia, sic in ant. ad Bened.: « Benedicta sit sancta creatrix et gubernatrix omnium, sancta et individua Trinitas, nunc et semper et per infinita saecula saeculorum ».

3°. Dies etiam gratiarum actionis est hoc festum, Deo Trino gratiae aguntur propter magnam gloriam eius, quod est, quodque in Nova Lege voluit sic cognosci a suis servulis: « Gratias tibi Deus, gratias tibi, vera et una Trinitas, una et summa Deitas, sancta et una Unitas! » (ant. I. ad Magn.). Praecipue *cantus variabiles* Missae resonant gratiarum actionem erga SS. Trinitatem: ant. ad intr., offert, et commun, enim extollunt *motivum subiëctivum* gratianim actionis; « ...quia fecit nobiscum misericordiam suam ». Motivum *obiectivum* indicatur alibi: « Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia: ipsi gloria m saecula ▮ (ant. 5. Vesp.), quibus inculcatur creatio, restitutio et sustentatio vitae supematuralis singulis SS. Trinitatis personis appropriata.

4°. Festum hoc est etiam dies supplicationis SS. Trinitatis, fontis et principii omnis sanctificationis, salutis omniumque bonorum. Festum enim institutum est, ut Durandus dicit, « ut Eam confiteamur, per quam salvamur » (VI. c. 114, 7), SS. Trinitatem, quae est « spes nostra, salus nostra, honor noster, o beata Trinitas » (ant. 5. off.). SS. Trinitas obsecratur pro *gratia* praestanda: « Praestet nobis gratiam Deitas beata Patris et Nati, pariterque Spiritus almi » (resp. VII. monast.). SS. Trinitas exoratur pro *comitatu* gratiae: « O beata Trinitas, te laudamus, te benedicimus te adoramus: auge in obis fidem, auge spem, auge caritatem » (resp. XII monast.). SS. Trinitas supplicibus verbis imploratur pro vita pacifica: « Da gaudiorum praemia, da gratiarum munera, dissolve litis vincula, astringe pacis foedera » (resp. V. monast.). A SS. Trinitate exposcitur etiam aversio rerum infestarum: « ...quaesumus, et eiusdem fidei firmitate ab omnibus semper muniamur adversis » (oratio), idem efflagitatur etiam in officio: « Libera nos, salva nos, vivifica nos, o beata Trinitas! » (ant. 6. off.).

3. De festo SS. Corporis Christi.

Secundum festum quatuor saeculis posterius festo SS. Trinitatis ortum est sollemnitas SS. Corporis Christi seu festivitas SS. Eucharistiae. Sicut per multa saecula nemo necessarium reputavit festum SS. Trinitatis, obiectum primarium omnis cultus, ita etiam sollemnitas peculiaris SS. Eucharistiae superflua visa est in omni sacrificio communioneque celebratae. Festum tamen singulare augustissimi Sacramenti sacc. XIII-o, aetate Gothica institutum est, et quidem non sine interventu speciali providentiae.

a) Origo festi SS. Corporis Christi.

1°. Festum hoc quoque quodammodo praeparatum fuit sicut SS. Trinitatis a. praecessit enim id evolutio *cultus* SS. *Eucharistiae extra Missam* praestitutus. Ob desiderium videndi Hostiam introducta est elevatio, ut visitari adorarique possit Sanctissimum, construi excolique coeperunt tabernacula in altaribus, publicae devotiones erga Hostiam repositam in ciborio paulatim exortae sunt. Praecipue in Brabantia et Flandria saec. XIII. ineunte piae feminae et sanctimoniales vivo amore Christi sacramentalis succensae devotionem erga SS. Sacramentum fovebant, ut Odilia Leodiensis, Christina a S. Trudone, Ida Lovaniensis, Beatrix a Nazarith et permultae aliae (cf. JfLw 1926, 94-96 et 1928, 107).

b. Phasis sequens fuit *desiderium* quoddam *festi peculiaris* SS Eucharistiae. *B. Juliana* hospitaliaria prope portas Leodii (Liège) anno 1209 visionem vidit, quae ab auctore coaevo sic describitur: « Tempore iuventutis suae quoties Christi virgo Juliana orationi incumbebat magnum Dei signum ct mirabile apparebat. Apparebat, inquam, ei Luna in splendore, cum aliquantula tamen sui sphaerici corporis fractione, quam quum multo tempore conspexisset, mirabatur multum, ignorans quid illi portenderet. Exinde s. Juliana humiles preces Deo profundens, divini consilii particeps fieri meruit. Tunc revelavit et Christus praesentem Ecclesiam, in lunae autem fractione defectum unius solemnitatis in Ecclesia figurari, quam adhuc volebat a suis fidelibus celebrari » (Vita

S. Julianae II, 2 ASS Apr. I, 457). Visionis huius authentiam *Urbanus IV.* in Bulla sua fassus est: « Intelleximus... quod fuerat quibusdam catholicis revelatum, festum huiusmodi generaliter in Ecclesia celebrandum » (Nilles II, 472).

c. *Ratio* autem, cur divina Providentia festum hoc in votis habuerit, indicari nobis videtur ipso anno visionis prima vice acceptae. Anno enim 1209 indictum fuit bellum contra haereses dualisticas, Albigenses ct Waldenses, rerum publicarum ordinem misere evertentes, per viginli annos duraturum. Haeretici hi enim inter alios nefandos errores etiam de Christi corporis veritate pessime senserunt, ut videri potest e professione fidei ipsis 1208 praescripta: « Confitemur... ut qui erat in divinitate Dei Patris Filius... esset et in humanitate hominis filius, homo *verus* ex matre, *veram* carnem habens ex visceribus matris... manducavit et bibit, dormivit et fatigatus ex itinere quievit, passus *vera* camis suae passione, mortuus *vera* corporis sui morte » (Denz 422), apparens ergo corpus Salvatori imputabant. Consequenter ergo etiam veritatem SS. Eucharistiae negaverunt, ideo confiteri debebant: « Panem et vinum post consecrationem esse verum corpus et verum sanguinem DNJ Christi » (Denz 424).

d. *Diu tamen duravit,* dum festum hoc insolitum celebrari potuit. B. Juliana enim per duo fere decennia visionem sibi saepe repetitam tacuit, ac solummodo versus 1229 se primo aperuit, revelationem sibi factam enarrando confessario suo, theologorumque consilium quaerendo, inter eos etiam *Jacobi Pantaleonis,* tunc archidiaconi Leodiensis. Festi tamen institutio in longum tempus se adhuc protraxit.

2°. Incunabula festi SS. Corporis, a. Post 17 annos tantum *festum peculiare* celebratum fuit in civitate religioni valde dedita *Leodiensi anno* 1247, Fer. V. Dominicam SS. Trinitatis sequente. *Robertas* episcopus Leodiensis 1246 decreto synodali hoc festum in tota dioecesi sua celebrandum indixit, qua festum publicum sollemne feriatum, ab operibus servilibus liberum, praecedente vigilia ieiunio abstinentiaque praeparanda.

b. Quia autem Robertus morte praematura e vivis sublatus est, successorque eius bellicosus *Henricus de Gueldre,* de huius decreti exsecutione minime sollicitus erat, festum solum a canonicis S. Martini in Monte 1247 celebratum fuit. *Card. Hugo a* S. *Caro O.P.,* legatus S. Sedis in Germania, Leodiae commorans ob turbas propter regimen novi episcopi suscitatas, audivit de recenti festo atque etiam cum virgine Juliana collocutus est. Idea festi huiusmodi adeo ei placuit, quod festum 1252 in toto territorio suae legationis celebrandum indixit, idem confirmavit successor eius in legatione, Petrus *Card. Capoccius* 1254 (cf. JfLw 1928, 107). Verum successum tamen nec haec decreta habuere, quando Juliana 1258 pia morte praeventa est, festum SS. Corporis Christi adhuc semper solum a canonicis S. Martini celebratum fuit.

c. *Officium primigenium* tamen festi adhuc B. Juliana instigante a quodam iuveni *fratre Joanne* O.S. Aug. Leodiensi concinnatum fuit. Officium hoc sat simplex et prosaicum (a Animarum cibus ») pro tota dioecesi a Roberto praescriptum fuit, Hugo a S. Caro autem id etiam in Germania propagavit, fragmenta cius inveniuntur etiam in breviario manuscripto Hungarico (Mus. Nat. cl. m. ac. 33). At etiam Leodiae officium hoc primigenium per officium a S. Thoma Aquinate compositum pulsum est possessione, textus eius usque hodie latens 1916 detectus a C. Lainbot publici iuris factus est (cf. Lambot-Fransen 1946. I.'Office de la Fête-Dieu primitive, Maredsous).

3°. Institutio festi generalis, a. Rebus sic stantibus post mortem B. Julianae (1258) *Eva* quaedam pia *virgo reclusa* Leodiensis partes in condendo festo universali praecipuas habuit (cf. Studia Eucharistica 1946, 10-35). Jacobus Pantaleo enim, quondam archidiaconus Leodiensis, dein 1252 episcopus Virdunensis, 1255 Patriarcha Hierosolymitanus, 20. aug. 1261 Summus Pontifex electus est, in quo facto Eva reclusa digitum cernens Dei, precibus infimis *Henricum* episcopum commovere potuit, ut institutionem festi pro universa Ecclesia a recenter electo Pontifice *Urbano IV.* efflagitaret. Hic tamen adhuc haesitavit, aestate vero 1264 commotus miraculo eucharistico *Bolsenae* facto, bulla sua « *Transiturus* » festum SS. Corporis Christi pro tota Ecclesia praescripsit.

b. *Officii Missaeque compositionem* S. *Thomae Aquinati* commisit, qui tunc Urbiventi (Orvieto) una cum Papa commoratus est. *Officium* composuit ad tramitem officii cuiusdam eucharistici O. Cist., inde sumens e.gr. responsoria; *tres hymnos* (« Pange lingua, Sacris sollemniis, Verbum supernum ») an omnino idem concinnavit, certo non liquet. *Missam* autem ipse composuit, textus cantus variabiles hinc inde transsumendo (ant. ad intr. « Cibavit eos » e Missa Fer. II. Pent., grad. « Oculi omnium » e Fer. V. p. Dom. III. Quadr.). *Sequentia* « Lauda Sion » est opus politissimae artis Gothicae simulque profundissimum poema dogmaticum inter omnia alia, etsi quoad compositionem externam sequentium paschalem Adami a S. Victore (a Zyma vetus expurgetur ») est secutus. Miranda est etiam compositio *trium orationum* Missae (oratio-secreta-postcommunio), quae apprime exprimunt ordinem cogitationum S. Doctoris in Summa expositarum (III q. 73. a. 4). *Oratione* enim exponitur Eucharistia respectu *praeteriti* inquantum est commemorativum dominicae passionis: « Deus qui nobis sub sacramento mirabili passionis tuae memoriam reliquisti », *secreta* momentum extollit SS. Eucharistiae respectu rei *praesentis,* sc. ecclesiasticae unitatis cui homines aggregantur per hoc Sacramentum: « ...unitatis et pacis propitius dona concede, quae sub oblatis muneribus mystice designantur », *postcommunione* significatio inculcatur SS. Eucharistiae respectu *futuri,* inquantum hoc Sacramentum est praefigurativum fruitionis Dei, quae erit in patria: « Fac nos quaesumus Domine, divinitatis tuae sempiterna fruitione repleri, quam... temporalis perceptio praefigurat ». Notandum quod idem ordo sententiarum thomisticarum recurrit in pulchra ant. ad Magnificat (« O sacrum convivium »), adhibita etiam in administratione S. Comm. extra Missam.

c. Quatuor mensibus post editam bullam vix elapsis, Urbanus IV. mortuus est, quam ob rem festi celebratio fere nullibi invaluit. Solum in quibusdam ecclesiis *Germaniae,* praecipue autem in *Hungaria* iam inde ab 1271 festum coli coeptum est (cf. Browe in JfLw 1928, 131-141).

d. *Clemens V.* primus Papa Avenionensis in Concilio Viennensi 1311-12 festi celebrationem iterum inculcavit, decretis tandem Clementinis publici iuris factis (1317) festum sat celeri cursu ubique observari coepit.

4°. Processio, tam propria huic diei ,de qua cf. superius De SS. Euch. F. 6. III. b. 4°), in Bulla Urbani IV. nullam habet mentionem, prima processio hoc festo habita fuit, quantum scimus, Coloniae inter 1274-79. Decursu autem saec. XlV-i in plurimis civitatibus orbis christiani in usum venerunt processiones theophoricae. Martinus V. (26. maii 1429) et Eugenius IV. (26. maii 1433) indulgentias iis concesserunt, qui tali processioni interfuerint.

b) Indoles festi SS. Corporis Christi.

1°. Nomina festi. Saec. XIII. vocatum est festum hoc „ *Festum Eucharistiae* », communius vero „ *Sollemnitas Corporis Domini* ", quae dominatio dein in plerasque linguas transsumpta est. Itali latinmn nomen « Corpus Domini » dicunt, Italograeci idem nomen graece (« Hê tou sômatos tou Kyriou heortê ») usurpant, Slavis signatur festum « *Boze telo* » (=divinum corpus), Germani vocant festum « *Fronleichnam* » (=Fron: dominus, licham, lichnam: corpus), Dani eodem modo « *Christi Legemsfest* », Galli appellant festum « *Fête-Dieu* „ (=festum Dei), Hungari „ *Urnapja* » (=dies Domini).

2°. Nativus finis festi edicitur bulla Urbani IV.: « Licet hoc memoriale sacramentum in quotidianis Missarum sollemniis frequentatur, conveniens tamen arbitramur, et dignum, ut se ipso semel saltem in anno, ad confundendam *specialiter haereticorum* perfidiam et insaniam, memoria sollemnior et celebrior habeatur ». Finis hic polemicus dein saec. XVI., Novatorum invectivis rursus magni momenti factus est, nam festum hoc est:

3°. Festum dogmaticum veritatis SS. Eucharistiae. Perpulchre hoc inculcatur bulla supradicta: « Hoc est memoriale dulcissimum, memoriale sacratissimum, ct memoriale salvificum, in quo gratam redemptionis nostrae recensemus memoriam, in quo a malo retrahimur, et in bono confortamur, et ad virtutum et gratiarum proficimus incrementa, in quo profecto proficimus ipsius *corporali praesentia Salvatoris.* Alia namque quorum memoriam agimus, spiritu menteque complectimur, sed non propter hoc realem eorum praesentiam obtinemus, in hac vero sacramentali Christi commemoratione Jesus Christus praesens sub alia quidem forma, in propria vero substantia est nobiscum ». Momentum hoc dogmaticum praesertim inculcatur, non solum lectionibus, sed sequentia et hymno „ Pange lingua ».

4°. Ab initio semper hoc festum etiam adorationi SS. Eucharistiae inserviebat. Adoratio haec admirabili elevatione cordis commendatur ad Urbano IV.: « O excellentissimum Sacramentum! *O adorandum,* venerandum, colendum, glorificandum, praecipuis magnificandum laudibus, dignis praeconiis *exaltandum,* cunctis honorandum studiis, devotis prosequendum obsequiis, ct sinceris mentibus retinendum! O memoriale nobilissimum intimis commendandum praecordiis, firmiter animo alligandum, diligenter reservandum in cordis utero et *meditatione, ac celebratione sedula recensendum.* Huius memorialis continuam debemus celebrare memoriam, ut illius, cuius ipsum fore memoriale cognoscimus, semper memores exsistamus, quia cuius donum vel munus frequenter aspicitur, huius memoria retinetur ». Totum officium hunc spiritum adorationis resplendet, tesseram habens immortalia verba Aquinatis: « Tantum ergo Sacramentum veneremur cernui ».

5 . At etiam Eucharistia ut cibus animarum, non solum *ut Sacramentum permanens* celebratur. Praecipue *officium primigenium fratris Joannis* excellet in hac materia, incipitur enim *ant.*: «Animarum cibus Dei sapientia nobis carnem assumptam proposuit in edulium, ut per cibum huius pietatis invitaret ad gustum divinitatis. « Hymnus huius officii *ad Primam* autem canit: Summae Deus clementiae. Qui ob salutem mentium Caelestis alimoniae ' Nobis praestas remedium ». Hymnus autem *ad Completorium* verbis suavissimis gaudio

elatis celebrat: « Christum nostrum verum cibum Christum nostrum verum potum, panem istum dulcedinis, panem angelicum, cuius saginamur pinguedine, pium viaticum cuius delectamur dulcedine ». Sed *etiam Urbanus IV.* sat efficaciter sublineavit momentum SS. Eucharistiae ut cibum animarum. Exhortatio enim eius culminât in eo, ut fideles die hoc festo *ad mensam Domini adducat:* « Per veram et puram confessionem, elemosynarum largitionem, attentas et sedulas orationes et alia devotionis et pietatis opera taliter se studeant praeparare, quod huius pretiosissimi sacramenti fieri participes illa die, possintque ipsum suscipere reverenter, ac eius virtute augmentum consequi gratiarum ».

6°. Festum summi gaudii fuit ab initio Corpus Christi. Iam bulla saepius memorata hoc demonstrat: « Sollemnior et specialior annuatim celebretur memoria, certum ad hoc designantes et describentes diem: ut in ipsa feria quinta devotae turbae fidelium propter hoc ad ecclesias *affectuose* concurrant, et tam clerici, quam populi gaudentes in cantica laudum surgant, tunc enim omnium corda et vota, ora et labia hymnos persolvant *laetitiae salutaris,* tunc psallat fides, spes *tripudiat, exultet* caritas, devotio *plaudat, iubilet* chorus, puritas *iucundetur,* tunc singuli alacri animo pronaque voluntate conveniant, sua studia laudabiliter exequendo, tanti festi sollemnia celebrantes ». Officium ct Missa hoc gaudio respirant, in signum gaudii *more paschali* utuntur Alleluia.

c) Ritus festi et processionis.

1°. Ritu Romano. (Rit. Rom. tit. X. c. 5.). a. *Praeparanda.* (1) *In credentia:* ostensorium — rituale. — (2) *Prope credentiam:* baldachinum processionale — quatuor laternae clausae cum parvis candelis. Laici qui forte has laternas portant vel intortitia portant, ut e.gr. sodales Confraternitatis SS. Sacramenti, hinc inde a lateribus baldachini debent procedere neve clero permisceantur CRit d 339, 2320, 1). — Crux processionalis. — (3) *Ad scamna* seu sedilia: pluviale albi coloris — velum humerale eiusdem coloris — alterum thuribulum cum navicella — candelae et vestitus pro clero.

b. Sacerdos primum Missam celebrat, in qua *duas consecrat* Hostias. Sumpta una, alteram ponit in *ostensorio* ita, ut per vitrum seu crystallum circumseptum sit exteriusque adorantibus appareat (Rit. Rom. 1. c. n. 2).

c. Peracto sacrificio sacerdos *genuflexionem* facit utroque genu in plano ante altare una com assistentibus (CRit d 4048, 5), vel potest facere simplicem genuflexionem super infimum gradum (iuxta d 4198, 3). Dein vadit ad sedilia ct *deponit* casulam et manipulum, etiam ministri sacri deponunt manipulum. Celebrans induitur *pluviali albi* coloris, deinde accedunt ad altare et ei reverentia exhibita iuxta supradicta, imponunt more solito thus et SS. Sacramentum *ter incensatur.* Deinde unus e clericis assistentibus oblongum et decens velum albi coloris imponit scapulis sacerdotis, qui parte veli ante pectus pendente, utraque manu cooperta, ostensorium a diacono sibi porrectum reverenter suscipit. Sacramentum ante faciem tenens, vertit se ad populum, inde procedit sub umbrella comitantibus ministris et duo acolythi vel clerici cum thuribulis fumigantibus praecedunt (n. 3).

d. *Processio ipsa.* Omnes *nudo* capite procedunt, bini et bini, accensos gestantes cereos et sequentes hymnos pro longitudine itineris devote concinentes. (1) Vel ipse sacerdos vel clerus incipit cantare hymnum « *Pange lingua* », et cantatur in finem, dein (2) sequitur hymnus « Sacris sollemniis », — item

(3) hymnus « Verbum supernum prodiens », (4) postea « Salutis humanae sator », — demum (5) hymnus « Aeterne rex altissime n, eundo cantatur adhuc (6) « Tc Deum laudamus », — (7) « Benedictus Dominus Deus Israel » et — (8) ▮ Magnificat ».

c. *Benedictio cum Sanctissimo* ad altare inter processionem est *facultative.* (1) Iuxta Caerem. episc. (1. II. c. 33, 22) haec benedictio cum licentia Ordinarii vel ex consuetudine permissa est, non solum episcopo, sed cuilibet *sacerdoti* (CRit d 1596). — (2) Attamen « non toties pausatio fiat et benedictio elargiatur, quoties altaria occurrant, sed *semel vel iterum,* et altaria, per viam cxtructa, sint decenter ornata et a probo caeremoniarum perito prius episcopi auctoritate visitata » (CRit d 2609). — (3) *Ritus* autem est (cf. d 3621, 3 et d 3058, 3): Celebrans ascendit in suppedaneum, ibi collocat sanctissimum, et facta genuflexione, descendit in planum, deposito velo humerali intonat « Tantum ergo », post « veneremur cernui » incensum ponit in thuribulum, ad versum autem « Genitori » Sanctissimum rite incensat. Dein dicto versiculo « Panem de caelo » cum Alleluia, dicit orationem, postea genuflexus assumit velum humerale, fidelibus impertitur benedictionem cum SS. Sacramento et statim prosequitur processionem.

f. *Finis processionis.* Peracta processione et Sanctissimo ad altare maius reportato, et super altare deposito, omnes ecclesiastici, qui adsint, hinc inde ordine genuflexi illud reverenter adorantes, dum sacerdos de more *incensat,* sequentem hymnum concinant: « *Tantum ergo... Genitori* » (n. 5). — (2) Postea duo clerici dicant: « Panem de caelo », sacerdos autem dicit *orationem.* — *(3)* Tunc sacerdos, facta genuflexione, cum Sacramento *semel benedicit* populum in modum Crucis, nihil dicens, postea illud reverenter reponitur (n. 6).

2°. Ritus antiquus particularis. Illa benedictio quae iuxta Caer. Episc. et decreta S. C. Rituum facultative fieri potest, in quibusdam regionibus peculiaribus fit ritibus. Sic in *Germania* cum processione hac theophorica coniungilur *benedictio contra tempestates* in plerisque dioecesibus, *cuius ordo* est fere sequens (cf. P. Browe in Theol. u. Glaube 1929, 742-755 et W. Lurz 1952. in Litt. p. 703-705). *Quatuor altaria* eriguntur in via processionis decenter ornata, *quatuorque Euangeliorum* leguntur initia in singulis stationibus. Advento ad altare stationis, celebrans porrigit SS. Sacramentum diacono, qui id deponit in altari, celebrans remanet in gradu altaris genuflexus, sine impositione incensi adolet SS. Sacramentum thure, dein omnibus surgentibus diaconus legit Evangelium cum omnibus ritibus sicut in Missa fit, celebrans stat in suppedaneo in latere epistolae, in fine osculatur librum et incensatur a diacono. Postea cantatur praemissis versiculis *oratio de Sanctissimo,* dein imponitur thus et fit *incensatio* Sanctissimi. Deinde cantantur *versus* speciales cuidam altari (a A fulgure et tempestate » — « A peste fame et bello » — « r\ subitanea, improvisa et perpetua morte » — « Ab omni malo ») cum respectivis *orationibus.* Sacerdos ascendit ad altare ibique ostensorium in manibus tenendo versa facie ad altare *cantat textum benedictionis* » « Benedictio Dei omnipotentis », quo absoluto se vertit ad populum et dat benedictionem cum SS Sacramento. — b. *In Hungaria* ritus *caret indole apotronaeica* contra tempestates, tamen *quatuor* habentur stationes, quatuorque leguntur *Evangelia* (I. Jo 6, 55-58 Caro mea vere est cibus, II. Lc 11, 9-13 Petite et dabitur vobis, III. Mc 11. 22-26 Habete fidem Dei, IV. Jo 1, 1-14 In principio) Xccessus ad altare et ritus Evangelii fiunt sicut in processionibus Ger-

maniae. Evangclio autem finito *versus* dicuntur ad SS. Eucharistiam spectantes. — c. Nunc iam talis processionis ordinatio *pertinet ad ordinarium loci.* Enimvero ordinario Seccoviensi in Austria, quaestionem ponenti circa variationes inserendas in ritu processionis festi SS. Corporis Christi iuxta centenariam consuetudinem, S. Cong. Rituum respondit: « Cum agatur de actione non liturgica, sed pio exercitio, Exc.mus Episcopus utatur iure suo » (8. iul. 1959. cf. Seelsorger 1959/60, 374).

d) Leges cultualcs festi Corporis Christi.

1°. In Missa festi dicenda est inde ab 1956 *praefatio communis,* non de Nativitate quippe quae non est stricte propria (NCR 484 a.).

2°. Octava huius festi *abolitur,* dies octavae suppressae fiunt feriae per annum (NCR Var. 33). Celebrantur ergo festa Sanctorum omnia, dici possunt Missae lectae cotidianae defunctorum et votivae etiam lectae permittentibus rubricis. Omnes peculiaritates desinunt (doxologia propria, versus ad Primam).

3°. *Dom. olim infra octavam,* nunc II. post Pentecosten, Dom. vero olim infra octavam SS. Cordis Jesu, nunc III. post Pentecosten, et dies quoque olim infra octavam horum festorum celebrantur per omnia sicut reliquae Dominicae et feriae per annum (NCR 33). Color Missae est viridis, praefatio de SS. Trinitate.

4°. Obligatio processionis, a. *Debet* fieri: « Die festo Corporis Christi *unica* tantum sollemnisque per publicas vias processio in uno eodemque loco fieri debet ab ecclesia digniore » (can. 1291 § 1.).

b. *Potest* fieri etiam in aliis ecclesiis, si (1) « aliter ferat immemorabilis consuetudo vel locorum circumstantiae, prudenti episcopi iudicio » (ibid.). — (2) Infra dies olim octavae SS. Corporis Christi *peculiaria pietatis exercitia* consueta *continuari possunt.* Ubi his diebus fit processio (quam paroeciae et regulares etiam ecclesiae possunt extra ecclesiae ambitum peragere can. 1291 § 2.), permittuntur etiam duae Missae de SS. Eucharistia, ad modum Missae votivae II. cl. (NCR Var. n. 34). Nobis videtur haec concessio favorabilis in usu remansura, salvo meliore iudicio Ecclesiae, eo magis, quod in multis regnis processiones Dominica festum sequente in omnibus ecclesiis civitatis cuiusvis a pluribus saeculis in usu sunt.

c. *Adesse debent* processioni (principali in die festo): « Clerici omnes religiosaeque virorum familiae, etiam exemptae, et laicorum confraternitates, regularibus exceptis qui in strictiore clausura perpetuo vivant, aut a civitate ultra tria millia passuum distent » (can. 1291 § 1).

5°. Quoad personas assistentes praescribitur: a. *Celebrantis identitas:* in processionem SS. Sacramentum deferri *debet* ab eo qui Missam celebrat (CRit d. 2188, 4) et Sanctissimum non potest deferri « per plures sacerdotes qui sibi succedunt » (d 2835 et 2792, 1), consuetudo contraria tamquam abusus eliminandus est (d 2835). Solum episcopus pollet privilegio SS. Sacramentum in processione deferendi quin Missam cclebrasset (Caer. episc. l. II. cap. 33, 31). — b. Ubi Evangelia cantantur in processione, adhiberi solent *plures diaconi,* plerumque quatuor, qui ideo etiam stolam portant (Lurz p. 703). — c. De *crucifero* cf. De Eccl. orante H. 3. e.

6\ Vestitus cleri processionalis. a. Convenit, ut clerus saecularis *vestibus sacris* induatur suo ordini *convenientibus:* sacerdotes casula, diaconi dalmatic.i. subdiaconi tunicella, sed super amictum et superpelliceum absque manipulo et stola (Caer. episc. 1. II. c. 33,5, CRit d 1619,9, 2362, 2973). — b. *Nudo capite* debent omnes procedere (Rit. n. 4), etiam praelati usu pontificalium gaudentes, tolerari nequit consuetudo contraria (usus mitrae d 1690, 2418,13). — c. Omnes clerici debent *cereos ardentes* in manibus portare (Rit. n. 4).

7°. Ornatus processionis: a. *Decenter ornentur* ecclesiae et parietes viarum, per quas est transeundum, tapetibus et aulaeis ct sacris imaginibus, non autem profanis ct vanis figuris seu indignis ornamentis » (Rit. η. 1).

b. *Inconvenientia in specie prohibita* sunt: quidam excessus consuetudinum popularium, quae iussu Ecclesiae supprimi debuerunt. Sic *in Urbe ipsa* prohibitae sunt repraesentationes scaenicae variorum mysteriorum, per pueros utriusque sexus exhibitae, quia « non solum christifidelium non augent pietatem, imo a debita adoratione Sanctissimi mentes populi distrahit » (CRit 1348, anni 1667). Eodem anno *Mediolani* vetitum est ne « virgines ultra vigesimum annum, magno cum scandalo, Sanctos Sanctasque eorumque vitas, miracula et mortes repraesentarent et cum insignibus eorumdem Sanctorum induerentur » (CRit d 1361,7). Anno 1684 *Venetiis* interdictum fuit in sollemni processione Corporis Christi instrumenta Passionis Christi secumferre (d 1731, 1). Versus 1690 *Hispalis* (Sevilla) mos erat in processione pro celebrante et ministris sacris adducere scabella seu sedes ornatas brachiis, quas imperiales vocant, in quibus quando processio detinetur, solent assidere, quod ne fieri liceat lege CRit sancitum est (d 1821, 4), ibidem eodem decreto etiam saltus religiosus improbatus est seu « danze », quando in cathedral! a mulieribus et viris personatis et pileo coopertis ante SS. Sacramentum saltatum est (d 1821, 5). In dioecesi *Brixiensi* (Brescia) a. 1844 lege cautum est ne in processione Corporis Christi deferatur Arca V. T., mensa cum panibus propositionis, candelabrum cum septem luminaribus (d 2879). Simili modo prohibitum fuit imaginem S. Vultus deferre in processione Corporis Christi (Namurcens. a. 1885 d. 3636, 3), quaslibet imagines BMVirginis et Sanctorum (Basileen. a. 1898 d 3997).

c. Evidenter ob peculiares circumstantias 1874 arbitrio Patriarchae *Hierosolymitani relictum fuit admittere* pueros angelico more vestitos, qui flores per vias spargant, thuribulos fumigantes deferant, uvam et spicas in manibus gestent, « quia id pergratum est spectatoribus cunctis, non solum catholicis, sed et schismaticis ct ipsis Tureis » (d 3324). Anno 1924 vetitum fuit delatio SS. Sacramenti « super currum triumphalem » (sive equis vectum sive automobili) « baldachino coopertum, magnificeque exornatum, super quem ascendit etiam sacerdos qui processioni praeest, quique ostensorium regit genuflexus » (d 4389).

8'. Ordo praecedentiae recolatur superius (De Eccl. orante II. 3. f.). Post SS. Sacramentum incedunt *praelati* in habitu praelatitio atque *officiales et magistratus,* iuxta antiquam traditionem (sic recte Lesage, Diet. col. 847, IV et Vili). Si *milites* armati adsint, non incedant in processione, sed hinc inde a lateribus (CRit d 1633).

9 Tempus processionis est *mane* post Missam sollemnem celebratam (Rit. Rom tit X. c. 5.2). Ubi privilegium habetur vel consuetudo, celebrari potest

processio *etiam vespere,* vel post Vesperas (sic Urgelli CRit d 3192,1 et Zacathecas d 3488,1), celebrans si processio non post Missam fit, tamen indui debet amictu, alba, cingulo, stola et pluviali, ministri sacri parati esse debent, ut in Missa, sed sine manipulo (d 3577), *Nunc* videtur ex Ordinarii loci licentia permissum esse celebrare etiam *Missam principalem e* ratione pastorali horis vespertinis (ad tramitem Motu proprii « Sacram communionem » 19, mart. 1957 n. 1.), et — salvo meliore indicio Ecclesiae — etiam processionem.

4. Festum Sacratissimi Cordis Jesu.

a) Origo festi.

1°. Praeparatio festi vere diutissime protracta dici debet, praeparatum est enim per *ferventem cultum peculiarem* SS, Cordis.

a. Ecclesiae indicio « *nullo non tempore fuerunt homines* Deo praecipue devoti, cpii, Almae Deiparae, Apostolorum, insignium Ecclesiae Patrum exempla secuti, adversus sanctissimam *Christi naturam humanam* et praesertim erga vulnera, quibus eius corpus in salutari cruciatuum perpessione fuit dilaceratum, cultum adorationis, gratiarum actionis et amoris adhibuerunt » (Encycl. « *Haurietis aquas* » Pii XII. 15. maii 1956, AAS 1956, 309-353, allegata sub siglo « HA », iuxta numeros singulorum incisorum; citatum hoc n. 48). E cultu hoc sanctissimae humanitatis tamen paulatim tantum cultus peculiaris Cordis, quasi « imaginis amoris humani et divini in Verbo incarnato insidentis » exortus est (HA n. 50).

b. *Peculiaris cultus* enim ss. Cordis *aevo praegothico* incoepit, saec. nempe XII-o, floruit autem hic cultus saec. XIII-XIV. Eodem tempore, quo Salvatoris Caput cruentatum, eiusve Vultus sanctissimum, vulnera quoque quinque speciali cultu prosequi coepere: *etiam Cor eius* lancea perforatum coli coepit. Primas laudes huius Cordis *ordo monasticus* celebravit, S. Anselmus (t 1109), S. Bernardus (f 1154) iam Salvatoris Cor verbis sollemnibus frequentabant; B. Josephus Hermannus versus 1200 hymnum scripsit «Summi regis cor aveto». S. Luitgardis virgo (J 1246), cultu peculiari SS. Cor venerata est, Mechtildis Magdeburgensis 1250 prima visione SS. Cordis dignata fuit; virgines Elphianae (=Helfta) S. Gertrudis Magna (t 1302) et Mechtildis a Hackeborn (t 1299) mirabilia de SS. Corde scripserunt. — *Ordines* deinde *mendicantes* antesignani huius religionis SS. Cordis evaserunt, praecipue S. Bonavcntura (f 1274), S. Albertus Magnus (t 1280), B. Ilenricus Suso (J 1366). S. Catharina Senensis (t 1380) ct S. Bcrnardinus Senensis (t 1444).

c. Inter turbulentas dissectationes a Novatoribus excitatas formam huius cultus divulgabant *sodales Societatis Jesu,* praecipue B. Petrus Faber (t 1546), S. Franc. Borgias (t 1572) et Petrus Canisius (t 1597). Sanctus quoque Franc. Salesius (1622) fervens propagator cultus SS. Cordis fuit.

d. Etsi cultus SS. Cordis medio aevo exeunto praecipue in Germania valde divulgatus fuit, *nova* autem *aetate* incipiente adhuc melius *se extendit,* anno 1585 etiam prima ecclesia SS. Cordi in Cuaraparu provinciae Brasiliae dedicata fuit, *nemo tamen de festo peculiari* SS. Cordis Jesu inducendo cogitavit.

2°. Primus festum peculiare celebrare curans fuit S. *Joannes Eudes* (1680), fundator religiosae congregationis sacerdotum ab eo nuncupatae, « auctor,

doctor et apostolus cultus liturgici SS. Cordis Jesu » vocatus a S. Pio X. — Pius fundator pro sua congregatione ab Episcopo Rhedonensi (Rennes) accepit licentiam festum peculiare SS. Cordis celebrandi, cum Missa et officio ab ipso S. Joanne composito, hodieque adhuc ab cius asseclis usitato, *Primum sollemne festum* die 20. oct. 1672 peractum est (HA n. 51); cito sat multae dioeceses Galliae, Italiae, Germaniae festum hoc introduxerunt.

3°. Etsi primus auctor festi liturgici S. Joannes Eudes fuerit, condendi tamen festi universalis consilium non sine speciali *Providentiae divinae* interventione coeptum est.

a. Causa secunda, per quam divina Providentia operata est, fuit S. *Margarda Alacoque* (1 1690), virgo Visitationis, quae inter annos 1673-75 pluries revelationes privatas a SS. Salvatore accipiebat quaeve ideo « *potissimum locum* in iis, qui nobilissimum hoc religionis genus promoverunt, obtinet (HA n. 51). In celeberrima *apparitione anno 1675* S. Margaritae Mariae « ante Eucharistiam oranti Jésus conspiciendum se dedit, SS. Cor ostendit, et conquestus quod, pro immensa sua caritate, nihil nisi ingratorum hominum contumelias reciperet, ipsi praecepit, ut novum festum, Fer. sexta post octavam Corporis Christi instituendum curaret, quo Cor suum honore debito coleretur » (Brev. Rom. lectio V. festi).

b. Festum tamen condendum diu non potuit approbationem S. Sedis nancisci. — *B. Claudius de la Colombière,* director spiritualis s. virginis nil potuit circa festum obtinere, eiusve discipulus *Jos. Gallifet S.J.* 1697 sine successu urgebat festum penes S. Sedem. Inter 1726-29 eodem Gallifet instigante causa iterum ad S. Sedem, delata est, promotore fidei Prospero *Card. Lambruschini* (Papa Benedict. XIV.), at vota etiam tunc successu caruerunt (R. *Tucci, in:* Cor Jesu, Roma 1959, 517).

4°. *Primum festum* a S. Sede SS. *Cordis concessum* fuit tandem anno 1765. *Clemens XIII.* enim episcopis *Poloniae* et Romanae Archiconfraternitati a SS. Corde Jesu nuncupatae festum concessit *Fer. VI. octavam Corporis Christi subséquente* celebrandum. Decretum S. Congr. Rituum dixit cultu SS. Cordis « symbolice renovari memoriam illius *divini amoris,* quo unigenitus Dei Filius humanam suscepit naturam, et factus obediens usque ad mortem praebere se dixit exemplum hominibus, quod esset mitis et humilis corde ⁊ (deest in Coli, auth., cf. Nilles, De rationibus I, 152 s.). Festum tamen hoc etsi sedem fixam eandem a Salvatore S. Mariae Margaritae commendatam obtinuit, adhuc particulare mansit. *Missa et officium* hac occasione composita magis *Cor spirituale* extollunt, invitatorium officii est « Christum pro nobis passum, venite adoremus ». Officium aliud a *Card. Boschi* concinnatum a S. C. Rit. 1778 approbatum est cum invitatorio « Cor Jesu, charitatis victimam, venite adoremus ». quod iam magis *Cor physicum* Salvatoris veneratur. Utrumque officium et Missa (« Miserebitur » ct « Egredimini ») in usu fuerunt usque ad Pium XI. (Righetti II, 228 s. et A. Bugnini, *in:* opere Cor Jesu 1959. I, 80.

5 . Festum universae Ecclesiae: a. primus indixit *Pius IX.* sub ritu dupl. mai. pro Ecclesia Latina 23. aug. 1856., « votis libenter concedentes e catholico orbe terrarum orbe delatis ⁊ (IIA n. 1), inter quae etiam votum abbatis Guéranger a venerando Summo Pontifice magni aestimati comprehensum est. Ast etiam *ecclesias ritus orientalis* Pius IX. ad suscipiendum huiusmodi festum cohor-

talus est: « Dulcissimum Cor, flagrantissimae erga nos caritatis victimam, enixe iugitcr exorent, ut amoris sui vinculis omnia ad scipsum trahat, utque omnes homines sanctissimo suo amore inflammati secundum Cor eius ambulent digne Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes » (Milies, Kalend. II, 480). Cf. n. Gordillo, *in:* Cor Jesu 1959 II. 265-290,

b. *Leo XIII.* 28. iun. 1889 festum hoc universae ecclesiae Latinae ad *ritum dupl. I. cl.* evexit, « absque praecepto audiendi Sacrum et a servilibus operibus abstinendi », cum scopo, « ut gliscentibus impietatis conatibus, fideles in hac saluberrima devotione perfugium et munimen inveniant et vehementiori erga amantissimum Redemptorem amore inflammati, digna Ei laudis et placationis obsequia persolvant » (CRit d 3712).

c. *Pius XI.* dein festum SS. Cordis *cum oclaca privilegiata* III. ordinis auxit, ipsum praeterea *primarium* declaravit et festis feriatis aequiparandum esse decrevit litteris suis Encyclicis « *Miserentissimus Redemptor* » 7. maii 1928 (AAS 1928, 177). Etsi octava haec una cum aliis instauratione simplificationis rubricarum (23. mart. 1955) sublata est, mansit *novum officium et Missa* pro festo iussu eiusdem augusti Pontificis concinnata et edita pro universa Ecclesia CRit d 29. ian. 1929). In officio et Missa componenda maximas partes habuit *abbas II. Quentin* (A. Bugnini, *in* Opere collectivo: Cor Jesu, Romae 1959. I. 84). His textibus recentioribus liturgicis primo loco posita est *expiatio et placatio caritatis offensae:* « ut illi (=SS. Cordi) devotum pietatis nostrae praestantes obsequium, dignae quoque satisfactionis exhibeamus officium » (oratio). Simul procul ulla haesitatione *Cor physicum* adorandum proponitur: « Cor Jesu amore nostri vulneratum, venite adoremus ».

b) Indoles cultus SS. Cordis.

Nullum inter omnia festa anni liturgici tam acerrimas inimicitias suscepit, quam sollemnitas SS. Cordis Jesu, ideoque iuvat breviter pandere « *intimam* SS. *Cordis Jesu naturam* n (HA 46), ad tramitem praecipue Encyclicae « Haurietis aquas » 1956.

1°. Vox Ecclesiae. Breviter iam locuti sumus de documentis magisterii ecclesiastici (De Eccl. orante G. 1. b), adiicienda solum sunt recentissima edicta « ex hac veritatis cathedra » (HA 8). Cultus SS. Cordis est « *probatissima religionis forma* », ideo habenda est qua « *cunctis* profutura devotio » (Leo XIII. Enc. « Annum sacrum n 25. maii 1899). In hoc cultu sublimi continetur « *totius religionis summa* », et quidem ob triplicem rationem, etenim cultus hic « ad Christum Dominum penitus *cognoscendum* mentes conducit expeditius, et ad eundem vehementius *diligendum* pressiusque *imitandum* animos inflectit efficacius » (Pius XI. « Miserentissimus Redemptor n z\AS 1928, 167). Iuxta Pium XII. cultus SS. Cordis est « excellentissimus religionis actus, quatenus plenam et absolutissimam se devovendi et consecrandi voluntatem a nobis postulet Divini Redemptoris amori, cuius vulneratum Cor Vivax est index et signum » (HA 4), quamobrem non potest « pietatis forma inveniri, quae augustissimo Cordis Jesu *cultu praestantior* sit, quae *consequentius* respondeat propriae catholicae fidei indoli, quae *aptius hodiernis* Ecclesiae atque humani generis necessitatibus succurrat. Quidnam religionis obsequium hoc *nobilius,* suavius, salubrius, quandoquidem cultus, de quo agitur, totus in ipsam Dei caritatem dirigitur? Denique quid *efficacius* caritate Christi — quam pietas erga SS. Cor Jesu cotidie

inagis auget ct fovet — christifideles permovere potest ad evangelicam legem in vitae actionem reapse deducendam, qua quidem posthabita, ut praeclare monent Spiritus Sancti verba: Opus iustitiae pax » (HA n. 69).

2°. Adversarii *huius cultus* infestissimi erant *Jansenistae,* nunc iam devicti; at etiam nostris temporibus adhuc quaedam latens infensitas quandoque deprehenditur, ut Pius XII. dicit. Sunt enim

a. *peccantes per defectum,* indubium enim est, « nostra quoque aetate, nobilissimum hunc cultum non in eodem *honoris aestimationisque esse loco,* apud Christianos nonnullos, atque interdum etiam apud eos etiam, qui se catholicae religionis adipiscendaeque sanctitatis studio animatos esse profiteantur » (HA n. 5). Alii « praeiudicatis adhuc opinionibus aguntur, atque Ecclesiae humanique generis necessitatibus nostra hac aetate instantioribus, *minus aptum, ne dicamus detrimentosum,* existiment. » Item alii falso existimant, hunc pietatem « *sensibus non mente* animoque alitam, atque adeo *potius mulieribus* dignam, cum in eo aliquid videant excultis hominibus non satis consentaneum » (HA n. 6). Quibus iam Benedictus XV. apte respondit nos per cultum SS. Cordis ıı non Eum sequi levi quodam sensu religiositatis, quae quidem tenera molliaque corda facile commoveat, lacrimulas eliciat, vitia vero intacta relinquat, sed vivaci constantique fide, quae mentem, quae animum, quae mores dirigat ac moderetur » (AAS 1915, 204). Iterum quidam eo errant quod putant eiusmodi cultum « paenitentiam, expiationem ceterasque *virtutes potissimum postulare,* quas passivas vocant, ιιφοιε quae externos non edant fructus » (HA 7).

b. *Per excessum* videntur peccare ii, qui « huiusmodi obsequio non divinum amorem praesertim colunt, » sed « de nimio sui ipsius amore ac sollicitudine arguuntur, (jui nobilissimum hoc pietatis genus *perperam intelligunt,* aut minus recte *in usum* deducunt. Quamobrem firmiter omnes persuasum habeant, in cultu augustissimo Cordi Jesu exhibendo non externa pietatis opera primas potioresque habere partes, nec causam potissimum ex beneficiis esse petendam, (piae Christus Dominus idcirco privatis pollicitationibus spopondit, ut homines praecipua cath. religionis officia, amoris nempe atque expiationis, ferventiore studio persolverent » (HA n. 63).

3 '. Obiectum cultus SS. Cordis Jesu. Distinguendum est inter *fundamentum* seu rationem principalem et inter *obiectum* seu externam formam cultus. *Ratio princeps* huiusmodi cultus est divina erga nos caritas ct quidem *triplex amor* Redemptoris, *obiectum* autem cultus est Cor Eius *physicum*: hoc obiectum *materiale,* illud *formale,* hoc signans, illud signatum. Quibus praemissis, iuverit haec pressius explicare.

a. *Obiectum materiale* cultus est remotum et proximum. (1) Obiectum materiale *remotum* est in omnibus devotionibus erga Dcum-hominem *humanitas assumpta* a Verbo. — (2) Obiectum materiale *proximum* seu speciale est *Cor physicum,* quod « ob amorem etiam et ob ceteras affectuum impulsio* nes procul dubio palpitavit, quae tamen et humana voluntate, divinae caritatis plena et cum ipso infinito amore, quem Filius cum Patre et Spiritu Sancto communicat, » ut Pius XII. edixit (HA n. 22). — (3) Cor intelligitur physicum seu *corporeum* Christi, *sensu* quidem *stricte proprio,* sed *complexivo* sumptum, sicut e. gr. ad Redemptionem non solum mors pertinet, sed etiam glorificatio Christi (resurrectio, ascensio, missio Spiritus Sancti), ad hoc, ut mysterium

Redemptionis unum quid sit, sed e pluribus momentis constans. Cor Jesu in cultu *sensu hoc complexivo* sumitur, ut optime H. Noldin iam exposuit (1920 in Lift.), i. e. Cor corporeum una cum anima sanctissima Christi, dotibus naturalibus et supernaturalibus praedita, unitumque Divini Verbi Personae (HA n. 12). Hoc sensu complexivo supposito, omnia possunt verificari, quae de SS. Corde praedicari solent: est « Cor physicum, nostroque simile » (HA n. 22). — (4) Cor colitur ergo Salvatoris, ut *res significans:* « Patet meritissimo nos posse Divini Redemptoris Cor utpote *significantem* caritatis eius imaginem Redemptionisque nostrae testem contemplari ac venerari » (HA n. 28). Recte dicitur ergo Cor hoc « *symbolum* inexhaustae illius caritatis, qua Divinus Redemptor noster adhuc flagrat erga hominum genus » (HA n. 42), merito extollitur ut « signum et quasi *vestigium* caritatis divinae, quae eo progressa est, ut etiam Corde Verbi Incarnati hominum genus adamaret tot flagitiis contaminatum » (HA n. 58). Nullum ergo dubium est, quod Cor Jesu «velati Divinitatis instrumentum assumptum fuerit n (HA n. 39).

b. *Obiectum formale quod* est triplex amor Redemptoris seu res signata per obiectum huius cultus materiale. « Iure meritoque Incarnati Verbi Cor praecipuus consideratur index et symbolus *triplicis illius amoris,* quo Divinus Redemptor Aeternum Patrem hominesque universos continenter adamat. » (HA n. 27. — (1) *Primus* amor est *divinus amor,* quem Verbum cum Patre et Filio communicat, et per humanum corpus nobis manifestatur (ibid). — (2) *Secundus* amor est *caritas habitualis,* quae « in animam infusa, humanam ditat Christi voluntatem » (HA n. 27). Notandum est hos amores inter se naturali nexu conjunctos esse, « quatenus divino humanus sensibilisque subjiciuntur atque illius (sc. divini) analogicam similitudinem referunt » (n. 58). — (3) *Tertius* amor est vero « modo magis naturali ac directo *sensibilis* quoque *affectus* » (HA n. 27). Amor ergo humanus Christi non solum spiritualis est. sed « etiam humanos dilectionis sensus significat » (HA n. 21). S. Joannes Eudes ergo pulchre locutus est de «tribus Cordibus Jesu»: divino, spirituali (= voluntatis humanae) et corporis eius deificati (cf. Ami du clergé 1957, 309).

c. *Obiectum formale quo* (1) *remotum* est illa proprietas obiecti materialis, qua obiectum formale *quod* humanae facultati *perceptibile* redditur. Quod autem cultum SS. Cordis attinet, illa proprietas SS. Cordis est ea, quod membrum est humanitatis in unionem hypostaticam assumptae seu *unio hypostatica.* Cor Jesu Personae Divini Verbi substantialiter unitum est et praecise per hoc fit ille triplex amor (= obi. form, *quod)* perceptibilis, sub cuius respectu Cor Jesu physicum (obi. mat.) colitur. Doctrina haec videtur contineri in Encyclica: «E fide qua credimus utramque naturam, humanam ac divinam, in Persona Christi esse unitam, mente concipere possumus necessitudines illas arctissimas quae inter sensibilem amorem physici Cordis Jesu intercedunt, et duplicem amorem, spiritualem quidem humanum scilicet ac divinum » (HA n. 58). Unio hypostatica est ergo « veritas primaria », in qua nititur « veritas naturalis symboli quo physicum Cor Jesu ad Personam Verbi refertur » (n. 59). (2) *Obiectum formale quo proximum* potest dici id, quod « peculiariter ad Divini Redemptoris Cor pertinet, id est ea proprietas, quod cor eminet inter omnia membra: « Novimus eius Cor, utpote nobilissimam humanae naturae partem, Divini Verbi Personae hypostatice coniungi ...Cor eius, magis quam cetera omnia membra, immensae cius caritatis erga hominum genus naturalis index seu symbolus est » (HA n. 12).

c) Leges cultuales SS. Cordis Jesu.

1' *Translatio sollemnitatis externae festi.* Sollemnitas externa ipso iure competit huic festo et in Dominica III. post Pentecosten celebratur (NCR 358 a.). Cf de his uberius supra De Eccl. sacrifie. G. 1. η. 16. 5°.

2°. *Abolitio octavae* omnino easdem habet sequelas ac Corporis Christi, cf. superius 3. d. 2°.

3° *Dominica post festum* SS. *Cordis* seu Dom. III. post Pent, eodem modo celebratur ac Dom. post Corpus Christi (cf. 3. d. 3°).

4°. *Qualitas repraesentationum* SS. *Cordis Jesu.* a. *Persona quoque Christi* debet repraesentari: ad *episcopum* enim pertinet « exponere in ecclesia imaginem Cordis septi corona spinea cum Cruce superposita ad designandum Cor DNJ Christi absque eo quod persona Domini nostri alio modo repraesentetur » (CRit d 3059, 24), *ordinarius* ergo modus est ex hoc decreto repraesentare etiam personam Christi Domini.

b. Sed ut imago etc. sit repraesentatio SS. Cordis, non sufficit *sola repraesentatio personae* Salvatoris, in imaginibus enim SS. Cordis Cor aliquo modo *extrinsecus* debet apparere (S. C. Indulg. 12. ian. 1878), non sufficeret ergo e. gr. si Redemptor manu sua ostenderet pectus suum.

c. *Incohgruum* declaratum est, imaginibus divini Cordis Jesu *coronas imponere,* tantum id permissum est, coronam ad pedes simulacri deponere (CRit d 9. iul. 1908., quod deest in Coli. auth.).

d. Inconsulta Sede Apostolica non possunt exponi simulacra seu statuae DNJ Christi *suum Cor* SS. *monstrantis* B. Margaritae Alacoque ad Eius pedes provolutae (CRit d 3420).

e. Dummodo altaribus non apponantur, permitti possunt « *effigies duorum Cordium* eiusdem magnitudinis, eiusdem decoris et in eodem quasi gradu consistentium, quorum unum refert Cor adorandum Verbi Incarnati, iis ornatum insignibus, quibus pia B. Margaritae Mariae Alacoque revelatione depingendum exhibetur, alterum autem immaculatum Cor BMV. exprimit rosea corona redimitum et gladio perforatum » (CRit d 3492).

5°. *Locus imaginum ct statuarum* a. non est *in altari* eo sensu, quod licet effigies SS. Cordis in medio altaris *maioris* loco tabernaculi, nec in posteriori parte tabernaculi (CRit d 3673, 2). — b. Licet autem applicare « *ad utrumque latus sanctuarii,* ita ut sibi invicem adversentur, effigies seu statuas SS. Cordis Jesu et Purissimi Cordis BMV. » (CRit d 3673, 1), a fortiori in alio ecclesiae loco.

6°. *Quidam tituli novi* SS. *Cordis.* S. Mater Ecclesia sedulo vigilans super importunas devotiones quosdam titulos *prohibuit,* alium vero cum cautela permisit.

a. In Urbe Nannetensi 1875 recollecti S. Francisci voluerunt sacellum *aMisericordi Cordi Jesu* » dedicare, quod ne fieri liceat lege sancitum est a S. CRit (3346), eo, » quod servanda sit appellatio communis nempe Sacratissimum Cor».

b. Item vetatur titulus « Jesu, resp. *Cor Jesu poenitens* » sc. pro nobis (S. Offic. 15. iul. 1893).

c. *Permittitur* titulus « SS. *Cor Jesu eucharisticum* », sed cum quibusdam restrictionibus. (1) Vetatur ut titulus *ecclesiae et imaginum,* prohibitum enim

fuit, quod « ecclesia dicari possit SS. Cordi Jesu eucharistico eiusque tituli imago seu statua in altari maiori collocetur » (CRit d 28. mart. 1914. AAS 1914, 146-47, in Coli. auth. decst). — (2) Permittitur autem ut titulus *confraternitatum,* i.e. « in approbatis (confratemitatibus) ...dummodo idem hoc sensu accipiatur, quo intelligitur Cor Jesu prouti praesens est in SS. Eucharistiae Sacramento » (CRit 15. iul. 1914 AAS 1914, 382,3, deest in Coli. auth.). — (3) Ut *titulus liturgicus* primum prohibebatur, « quum eiusmodi titulus non sit canonicus et liturgicus, imo novitatem sapiat, numquam esse admittendum in s. liturgia », declaravit CRit (decr. sub 2. cit. n. 3). Ad quod et S. Officium declaravit, quod « firma et immutata debent remanere decreta S. Sedis *quoad emblemata,* imo etiam quoad partem liturgicam erga Cor Jesu eucharisticum, attamen *devotio* ipsa erga Cor Jesu Eucharisticum haberi debeat ut *adprobata* ab Apostolica Sede » (3. apr. 1915 AAS 1915, 205-6). — (4) Tandem 1921 clero Urbis et singulis dioecesibus petentibus concessum est festum particulare SS. Cordis Jesu Eucharistici Fer. V. post oct. Corporis Christi celebrandum cum officio et Missa propria, « ad commemorandum DNJ Christi amorem in Eucharistiae mysterio... alter finis est magis excitare in christifidelium animis fiduciam et accessum in SS. Eucharistiae mysterium, eorumque corda ferventius inflammare igne divini amoris, quo SS. Eucharistiam instituit » (CRit 9. nov. 1921. \AS 1921, 545, in Coli, auth, deest).

7°. Recolantur superius dicta de *prima Fer. VI.* cuiusvis mensis et de exercitationibus *mense iunio* (De Eccl. orante G. 1. b. et G. 3. c).

5. De festis minoribus Domini.

Festa minora Domini vocantur illae *celebritates, quibus mysteria et eventus non tam arcte cum Redemptione coniuncta sunt,* sicut festa Domini duorum cyclorum liturgicorum fundamenta praebentia. Festa haec minora Ecclesiae latinae nunc recepta sunt sequentia: a) Festum SS. Nominis Jesu, — b) Festum SS. Familiae, — c) Commemoratio Baptismi DNJ Christi, — d) Inventio S. Crucis, — e) Festum Pretiosissimi Sanguinis, — f) Festum Transfigurationis, — g) Exaltatio S. Crucis, — h) Festum DNJ Christi Regis, — j) Dedicatio Archibasilicae SS. Salvatoris, — k) Dedicatio basilicarum SS. Petri et Pauli, — l) Festa Domini in aliquibus locis celebrata.

a) De Festo SS. Nominis Jesu (2. ian.).
De hoc festo iam egimus, cf. superius C. 2. d. 8°. f.

b) De Festo SS. Familiae (Dom. post Epiphaniam).
Quod iam relatum fuit supra C. 3. d. 3°.

c) Commemoratio Baptismi DNJ Christi (13. ian.).
De hoc festo quoque sufficiunt superius relata C. 3. d. 4'.

d) Festum Inventionis expunctum S. Crucis (3. maii).

1*. Factum historicum huic festo fundamentum praebens est *recuperatio S. Crucis e possessione Persarum.* Totus orbis catholicus commotus est audita fama S. Crucis a Persis a. 614 raptae ex Hierosolymis, simili modo universa Ecclesia congaudebat victoriae imperatoris Heraclii (611-641) super Chosroc II. regem Persarum reportatae. Bellum hoc Persicum Iferaclii septem annos durans finem habuit a. 628, quando primogenitus regis Chosroe II., Siroes nominatus, occidit patrem suum cum satrapis coniuratis et cum Heraclio anno 17. imperii eiusdem (= 628) s perpetuam pacem componit et captivos, quotquot in Perside erant, omnes reddit, una cum patriarcha Zacharia et venerandis lignis, quae Sarbarazas Hieroso-

lymis abstulerat » (Georg. Cedren., Historian Compend. PG 121, 804). Simili modo referunt hoc Theophanes in Chronographia (PG 108, 673) et Joannes Zonaras historici Byzantini (Annalium L XIV. c. 16 PG 134, 1284). Dies *3 maii* est *anniversarius relationis S. Crucis Hierosolymam* per Heraclium imperatorem, qui anno 628 exeunte S. Crucem Constantinopolim portavit, dein cum eadem S. Cruce ineunte anno 629 in Syria versatus est, eamque 3. maii Zachariae reddidit in s. civitate (Murait, Chronograph. Byz. I, 272. 286, cf. Kellner, Heort. 251).

2°. Origo festi Inventionis S. Crucis. Factum hoc praelaudatum nullam celebritatem nactum est *in Oriente,* ubi festum S. Crucis iamdudum celebratum fuit Exaltationis die 14. sept, *in Occidente* econtra inductum est festum Inventionis S. Crucis 3. maii, et quidem in territorio liturgiarum typi Gallicani.

a. In Lcctionario *de Silos* versus 650 iam habetur festum « dies sanctae Crucis » (=Lib. comicus a G. Morin editus), etiam ceteri libri liturgici mozarabici saec. VII. (MEL VI, 318-322), in quo ne verbulum quidem occurrit de inventione S. Crucis per *Helenam;* Missa fere eadem legitur in sacramentario gallicano (s. VIII.). *Missale Gothicum* nuncupato (PL 72, 285-286). Manuscripta liturgica e Silos huius festi lectiones referunt, *lectiones tres* Missae sumuntur ex Apocalypsi, epistola e Phil 2,5-11 (« hoc sentite in vobis... in gloria est Dei Patris »), evangelium e Jo 3,1-17 (pericopa de Nicodemo), hae lectiones *non inventionem,* sed *characterem triumphalem* celebrant Crucis (MEL VI, 856-857). Eaedem pericopae leguntur in Missali Romano hoc dic, lectiones ergo Missae e liturgia typi Gallicani invectae sunt.

b. Festum hoc publicum fuit in *Hispania* iuxta Codicem legum Wisigothorum editum a rege Reccesuintho (649-672. Lib. XII. t. III. 1. 6. cf. MEL V, 463). Festum hoc ▯ Inventionis », ut dictum est, primitus intellecta fuit *de recuperatione victoriosa* S. *Crucis* per Heraclium, civitates maritimae huius regni sat arcte connexae fuere Constantinopoli. Huic ideae festivae sat mature addita fuit commemoratio primae inventionis S. Crucis per Helenam, Sic manuscripta Toletana exhibent officium, in quo iam legitur ▯ ex Istoria eglesiastica de inuentione sancte crucis, quam ruperit Elena augusta die V-o nonas Maias » (MEL VI, 743-744). In Missali Bobiensi s. VII.-VIII. iam extollitur momentum primae inventionis. Legi enim debet Evangelium Mt 13, 44-50 (« Simile est regnum caelorum thesauro *abscondito* in agro, quem qui *invenit* homo... »), in oratione vero dicitur: « Gratias agamus divinae potentiae, quae tantae salutis vexillum, quod *Judaica* nobis abscondebat malitia, caelestis hodie revelavit clementia. Nam etsi gens perfida Dominum nostrum in sepulcro retinere non potuit, vel ipsa Grucis indicia voluit *subfossa* celare » (PL 72,511). Festum ergo 3. maii sic paulatim evasit festum primae inventionis per S. Helenam.

3*. Divulgatio festi Inventionis, a. Liturgia Romana *Greporiana* hoc festum recusavit, die enim 3. maii recolitur Natale SS. Alexandri, Eventii, Theoduli (Hadrian, n. 103. et Paduan, n. XCI1I., in Paduano Missa inventionis Crucis est interpolatio serioris aetatis cf. ed. Mohlberg n. XCIV). Liturgia autem *Gelasiano e* Gallia recepit festum Inventionis, Gelasianum primigenium habet festum (Wilson p. 172), item Gelasiana saec. VIII. seu « Iuniora ». Orationes horum librorum leguntur nunc in Missali Romano.

b. Liturgia *Franco-Romana* dein *utrumque* festum retinens S. Crucis, festo 3. maii exclusive voluit recolere inventionem per S. Helenam, dic autem 14. sept, celebrare intendit ▮ exaltationem » i.e. recuperationem S. Crucis ab Heraclio factam.

c. In *Missali Piano* (1570) remansit utrumque festum, Clemens VII. bulla « Cum in Ecclesia » festum Inventionis evexit ad gradum dp. II. cl. Saec. XVIII-o Congregatio a Benedicto XIV. ad reformandum breviarium constituta etiam cum festo Inventionis S. Crucis se occupavit (a. 1741), quidam supprimere voluerunt hoc festum, alii autem unire id maluerunt cum festo 14. sept., dum tandem ii victores manserunt, qui statum *quo* intactum relinquendum esse consuerunt (Roskovany, De breviario V, 545).

4*. U festum tamen superfluum fuit; eaedem ideae recolebantur die 14. sept., qui insuper verum datum invent onis historicae est; (infra g. 1°.) inventio diei 3. maii erat tantum reduplicatio quaedam festi in liturgiis typi Gallicani, festum vero primitus celebratum in liturgia Romana erat dies 14. sept. Ideo reformatio Novi Codicis Rubricarum anno 1960 festum diei 3. maii expunxit, quin hoc facto asserere voluisset hanc inventionem historice negandam esse (NCR Var. 8, b.).

c) Festum Pretiosissimi Sanguinis (1. iul.).

1", Primo considerandum est fundamentum dogmaticum variaeque species cultus SS. Sanguinis. Apposite distinguendum est inter *varias species* Sanguinis Christi.

a. Est sanguis *eucharisticus,* cui, ut expositum est in tract. De SS. Eucharistia, cultus debetur latriae absolutus.

b. Est sanguis *naturalis,* unitus corpori Christi, qui item eiusmodi actu latriae absoluto colendus est. Quod sequitur ex eo, quod Verbum in Incarnatione etiam sanguinem assumpsit. Pauci fuere, ut *Durandus,* mirandarum sententiarum fautor, qui opinati sunt, Verbum sanguinem non assumpsisse, quia sanguis non pertineret ad identitatem suppositi Christi. At *conclusione theologica* possumus deducere, sanguinem pertinere ad assumptam humanitatem. S. *Paulus* enim dicit: « Quia pueri communicaverunt cami et sanguini, et ipse similiter participavit eisdem » (Heb 2, 14). S. *Cyrillus Alex,* candide affirmat: « Verbum porro carnem factum esse, nihil aliud est, nisi similiter ac nos came et sanguine participasse » (Ep. adprob. a Cone. Chalced.). *Conclusio* vero inde fit. quod gutta sanguinis unica iuxta doctrinam Ecclesiae « propter unionem ad Verbum pro redemptione totius humani generis suffecisset » (Clemens VI., Denz. 550), *atqui* sanguis tunc solum potest sufficere ad redemptionem, si hypostatice unitus est Verbo. Eamdem fidem enuntiat etiam *Ecclesia orans:* « Deus qui unigenitum Filium tuum mundi Redemptorem constituisti ac eius sanguine placari voluisti » (oratio festi), vel aliter: « Ut plena sit redemptio, sub torculari stringitur, suique Jesus immemor, sibi nil reservat sanguinis » (hymnus litur.).

c. Sanguis Christi *effusus* ideoque a corpore *separatus* triduo passionis adorandus fuit, de qua quaestione saec. XV-o acriter disputatum est. Fratres Praedicatores affirmativam, Minores autem negantem sententiam defendebant. Pius II. 1464 prohibuit disputationes (Denz 718). Nunc sententia habetur *communis,* quod sanguis Christi *etiam triduo passionis divinitati unitus* ideoque adorandus fuit. Ratio invenitur in analogia cum corpore, quo sepulto, Symbolum Apostolorum profitetur *Christum* esse sepultum. ad corpus autem pertinet etiam sanguis. Omnino autem certum est Christum in resurrectione sanguinem effusum reassumpsisse, ut merito dicit S. Thomas: « Totus sanguis, qui de corpore Christi fluxit, cum ad veritatem humanae naturae pertineat, in corpore Christi resurrexit, et eadem ratio est de particulis omnibus ad veritatem et integritatem humanae naturae pertinentibus » (III q. 54 a. 2. ad 3.).

d. Sanguis *naturalis in guttulis forsitan remanens* coli debet cultu *latriae relativo superiore* sicut ipsa vera Crux Christi. (1) Tales guttulae possent esse remanentes *in instrumentis passionis* vel in linteis, eadem quaestio agitari potuisset Christo vivente, v.gr. de guttulis in circumcisione vel vulnerationibus fortuitis in vita terrestri effusis. Etsi quidam, ut Gregorius de Valentia, tenebant etiam tales guttulas actu hypostatice unitas mansisse cum Verbo, hodie omnibus magis arridet sententia quod illae guttulae unitae solummodo fuerint cum Verbo, dum in corpore erant, separatione facta autem dimissae sunt ex unione (Zubizarreta III, 394). — (2) Ecclesiae praxis ideo talibus guttulis remanentibus qua reliquiis assignat *cultum eundem* ac particulis *verae Crucis,* quod pluries declaratum fuit, optime autem conspici potest e casu quodam Veronensis dioeceseos. Anno 1827 in parochiali ecclesia *Valpolicellae* asservabatur reliquia guttae sanguinis DNJChristi, et velum BMVirginis eodem sanguine aspersum. Occasione publicae expositionis hae reliquiae ad altare SS. Sacramenti adferri consueverunt, ibi collocatae sunt in throno Sanctissimi, a celebrante utroque genu adoratae, triplici ductu thurificatac, postremo populus istis reliquiis benedictus est, sicut cum Sanctissimo, demum in tabernaculo repositae sunt. Cultus

hic tamquam « *indebitus* » a SCRit. prohibitus est, permissaeque fuere « tantummodo illae venerationes, et cultus significationes quae conveniunt reliquiis de Cruce DNJChristi » (d 2660. cf. Suffrag. ad hoc decr. Coll, authent. torn. IV, 294-298. Similis decisio in d 3176 anno 1868).

e. *Apparitiones Sanguinis Christi miraculosae* si miraculum revera contigit, quod vix negari potest aliquando factum esse, (1) *duplici modo* factae sunt. Primo: *vinum consecratum* effervescit ct sanguinis visibilis naturalis speciem prae se fert, secundo modo: *Hostia* consecrata sanguinis *guttas profundit,* vel in ea apparent guttulae quaedam sanguinis. Iuxta doctrinam S. Thomae talibus in casibus non fit deceptio, quia fit *in figuram veritatis,* sc. ad ostendendum per hanc miraculosam apparitionem, quod in Sacramento est *vere* corpus et sanguis Christi, quibus indicatur a S. Doctore Communi *finis* talis miraculi. — (2) Quoad *veritatem talis miraculi eucharistici* S. Thomas docet aliquoties apparitionem seu immutationem fieri « ex *parte videntium,* quorum *oculi* immutantur tali immutatione, *ac si* expresse viderent exterius carnem, vel sanguinem, vel puerum, *nulla* tamen immutatione facta ex parte sacramenti ». Aliquoties autem « contingit talis apparitio non per solam immutationem videntium, sed *specie* quae videtur *realiter exterius exsistente* et hoc quidem videtur esse, quando sub tali specie ab omnibus videtur et non ad horam, sed ad longum tempus ita permanet » (III q. 76 a. 8). — (3) In hoc secundo casu *duplex* exsurgit *quaestio.* Primo: Quid fit circa realem praesentiam eucharisticam, — secundo: qualis consequenter cultus tali Hostiae vel sanguini, si reponantur, exhiberi debet. Quoad *primam* quaestionem (quoad realem praesentiam) *lres hypotheses* possibiles sunt (cf. Doronzo, Dc SS. Eucharistia I. 445-446). I. Id quod apparet, est *extra species* seu in aere circumstanti, et tunc evidens est, praesentiam realem non solvi, cum nulla immutatio fit in ipsis speciebus. Hanc hypothesim ut pure possibilem Doronzo refert, notans, quod a nullo theologo eligitur, nec a S. Thoma refertur. — II. Sententia Alex. Halensis ct aliorum putantium, quod in tali apparitione ipsum *corpus Christi* sacramentaliter praesens *se visibiliter apparendum praebet,* in quo casu realis praesentia non solvitur. At haec hypothesis contradicit Thomae dicenti: « Corpus Christi non potest in propria specie videri, nisi in uno loco, in quo definitive continetur. Unde cum videatur in propria specie, et adoretur in caelis, sub propria specie non videtur in hoc Sacramento ⁊ (1. cit.). — III. Manet ergo, ut tertia solutio. S. Thomae, quod « manentibus dimensionibus, quae prius fuerant, *fit miraculose* quaedam *immutatio circa alia accidentia,* puta figuram et colorem, et alia huiusmodi, ut videatur caro, vel sanguis ant etiam puer... Et sic patet, quod remanentibus dimensionibus, quae sunt fundamenta aliorum accidentium,... remanet vere corpus Christi in hoc Sacramento ℔ (I. cit.). — (4) Ad secundam ergo quaestionem (qualis cultus sit) respondendum est: « Tn tali apparitione facta, *eadem reverentia* exhibetur ei, quod apparet, *quae etiam primo* exhibebatur », nam ℴ etiam tali apparitione facta, Christus est sub hoc Sacramento » (ib. sed contra). Itaque dum Hostia sanguine aspersa vel vinum in modum sanguinis effervescens non corrumpantur, cultus latriae absolutus iis debetur.

2°. Historia cultus relativi, a. Medio aevo, quantum videtur, non existebat festum Sanguinis Christi *naturalis* peculiare, multa vero fuerunt *festa particularia localia* reliquiarum *Sanguinis,* insuper adhuc plures erant ecclesiae, ubi talem reliquiam » Sanguinis Christi » asservabant et venerebantur sine aliquo festo Festa supradicta reliquiae Sanguinis plerumque *translationem* reliquiae

dictae celebrabant. In universa Europa inveniuntur tales reliquiae earumque festa. Quantum scimus primo invenitur festum reliquiae in celeberrimo monasterio *Augiae Divitis* (= Reichenau): «Adventus pretiosissimi Sanguinis » die 7. nov. Reliquia quaedam Sanguinis Domini ab Azano duce Carolo Magno donum data est, 7. nov. 923 in monasterium praelaudatum translata et deinceps hoc die celebrata fuit, anno 1739 festum assignatum est Fer. II. post Dom. SS. Trinitatis quo die etiam in aliis dioecesibus celebratum fuit (cf. Holweck p. 197). — Inde a saec. XI-XII-o multiplicari coeperunt narrationes et festa reliquiarum Sanguinis Domini.

b. Sic in *Italia* (1) in dioecesi *Mantuana* inventa esse dicitur anno 1048 reliquia Sanguinis Domini a S. Longino (!) asportata, in crypta ecclesiae abbatialis S. Andreae, festum anniversarium celebratur hodieque (Holweck p. 53). — (2) Saec. XII-o refertur allatio calicis e Caesarea Palestinae, (« ii sacro catino u) anno 1101, qui calix dicitur fuisse vas in quo Christus vinum consecravit, vel vas, in quo Joseph ab Arimathaea collegit Sanguinem Domini, vas in cathedrali *Genuensi* asservatur, festum allationis sub titulo « Pretiosissimi Sanguinis » Fer. II. post Trinitatis hodieque celebratur (Holweck p. 197). — (3) Festum « Prodigiosi Sanguinis Nostri Domini » *Ferrarae* ideo celebratur (28. mart, vel Dom. V. post Pascha), quia in ecclesia S. Mariae de Vado Ferrarensi die 28. mart. 1171 ex hostia consecrata copiosus sanguis profluxus est, festum concessum est a. 1871 (Holweck p. 63. 165). — (4) Celeberrimum miraculum accidit *Bolsenae* a. 1264, quod Urbanum IV. ad indicendum festum SS. Corporis Christi movit. Vix possumus adstipulari opinioni negantium huius facti historicitatem (LfThk II [1959] 577). Festum peculiare miraculum hoc non habuit. — (5) Adhuc saec. XVII-o in Italia translatio reliquiae Sanguinis facta est: Dom. I. maii a. 1651 allata est reliquia Sanguinis Christi in cathedralem *Interamni* (=Terni) et recolitur in ara maxima (Holweck 145).

c. In territorio *Gallico* per totum medium aevum colebatur reliquia Sanguinis Domini in urbe *Billom Arveniae* (=Auvergne) Dom. post Ascensionem (= « Festum Sanguinis Domini u), quam reliquiam e Syria saec. XI-o duo canonici attulerunt, quaeve tempore revolutionis magnae disparuit a. 1793 (Holweck p. 172). Talis reliquia colebatur etiam in ecclesia *Busci Domni Isaac* , =Au bois seigneur Isaac) in Belgico, festum fuit Dom. post Nativitatem BMV. « SS. Sanguinis Domini miraculosi », festum hoc medio aevo ortum adhuc a. 1772 recolebatur (Holweck p. 339).

d. Plurima extant miracula Sanguinis Domini in *Germania,* ubi plus quam centum referuntur (LfThK II, 548). Iam relata est translatio anni 923 in Augiam Divitem (supra a.), praecipue a saec. XIV-o in Germania crebra habentur festa et peregrinationes Sanguinis Christi. Sic in breviario monasterii *Altaensis* s. XlV-i legitur officium rhythmicum « In illatione Sanguinis Domini », incipiens cum verbis « Salve sanguis Christi stilla » (Anal. Hmyn. med. aevi 24. 29-30). Celebre fuit festum exeunte medio aevo « Reportatio Sanguinis Domini » die 3. iun. in dioecesi *Hildesiensi* (= Hildesheim) et « Adventus Sanguinis Christi » die 19. iun. in dioecesi *Basileensi* (= Basel) (Holweck p. 181. 191). Simul tamen etiam *adversitas quaedam* contra nimiam credulitatem insurrexit: in civitate *Wilsnack* simultanée 1res hostiae sanguinolentae colebantur, quod archiepiscopo Magdeburgensi displicuit (W. /Xndreas, Deutschland vor d. Reformation. 1932, 181).

e. Etiam in *regionibus dissitis* inveniuntur reliquiae Sanguinis Christi

earumque Festa. (1) Sic in *Noricegia* legitur in Missali Nidrosiensi (=Trondhjcm) a. 1519: « Susceptio Sanguinis Domini » die 12. sept (Holweck 317). — (2) In *Hangaria* saec. XIV-o habetur festum 8. aug.: « Adventus Sanguinis Christi » in archidioeccsi *Strigoniensi* et quidem in manuscriptis Missalibus a. 1394 et alio saec. XlV-i (Radô, Libri lit. mss I, 116. 128), abbatia OSB iuxta Gronn (=Baramszentbenedek) talem reliquiam revera possidebat. Reliquia Sanguinis Christi in Hungaria ante devastationem Turcicam (1526) sat multae colebantur, quae aliquoties etiam a Summis Pontificibus recognitae sunt. Sic Eugenius IV. bulla 21. ian. 1434 loquitur de « ecclesia monasterii *de bata* (=Bataszék) ordinis s. Benedicti Quinqueeclesicnsis dioecesis, in qua iniraculosus sanguis Christi de sacramento eucharistiae emanatus populo publice ostenditur » (cf. Kônyi Maria in periodico Regnum, Budapest 1937, 122). Paulus II. 23. iun. 1470 archiepiscopum Strigoniensem et episcopum Wesprimiensem delegavit ad inquirendam quaestionem, quod « unus presbyter *laurinensis* (=Gyor, Raab) in quadam ipsius parochiali ecclesia missam dominico die celebraret ac post elevationem sacratissimi corporis DNJChristi et ante sanguinis in calice consecrationem, quandam brevem et devotam ipsius orationem submissa voce diceret, oculosque versus ipsum sacrosanctum sacramentum, sive hostiam consecratam, quam ante se super ara altaris tenebat, deflecteret, noveni guttas sanguinis in ipsa hostia visibiliter et miraculose conspexit... ad populum se convertit et hostiam ipsam sanguine respersam ostendit » (Mon. Romana Episc. Vesprim. III, 201-202).

3°. Historia festi SS. Sanguinis Christi, a. Ante saec. XVII. non videtur exstitisse *festum Pretiosissimi Sanguinis independens* a quadam reliquia locali, quo festo non « adventus, illatio, susceptio d, i.e. translatio reliquiae cuiusdam aut memoria miraculi Sanguinis recolebatur, sed *ipsissimus Sanguis naturalis* Domini cum Verbo hypostatice unitus. Tale festum in honorem ipsius mysterii Sanguinis Christi celebrare concessum est *Trinitariis* a primaeva observantia a. 1747, dioecesi *Vratislaviensi* (=Vroclav, Breslau) a. 1778 et quidem secunda resp. tertia Fer. VI. mensis martii (Holweck p. 68), pro *Lusitania* tale festum concessum est pro Fer. VI. post Dom. III. Quadr. a. 1794 (Holweck p. 73), pro dioecesi *Alexandrina* Italiae a. 1841 eodem die.

b. Festum *universalis Ecclesiae* Pretiosissimi Sanguinis *Dom. I. iul.* recolendum, ortum est solum saec. XIX-o. (1) Pro hoc die prima vice concessum fuit festum Congregationi Pretiosissimi Sanguinis 26. mart. 1822, a S. *Gasparo Buffalo* fundatae, sequenti anno autem multis aliis petentibus. — (2) Sic iam strata erat via *ordinationi Pii IX.,* qui Caietae in exsilio versatus a. 1849 die 10. aug., pace et ordine publico in Statibus Pontificalibus restitutis post disturbationes anni 1848, in gratiarum actionem festum hoc sub ritu dp. II. cl. extendit ad universam Ecclesiam Latinam. *Electio* huius diei videtur profecta esse a festo celebri *Valentiae* in Hispania, ubi hac Dominica actum est festum SS Calicis DNJChristi », qui a regibus Aragoniac a. 1399 in donum acceptus est et ab Alphonso V. translatus in cathcdralem Valentinam (Holweck, p. 235 s). — (3) *Sanctus Pius X.* festum in diem 1. iul. transposuit, *Pius XI.* autem id ad ritum dp. I. cl. evexit, « quo anni undevicesimi centenarii ab humani generis redemptione (= annus sanctus 1933) memoria in dies perseveret » (CRit 25 apr. 1934), simulque novae lectiones pro II. nocturno praescriptae sunt. Festum nunc est festum I. cl. universae Ecclesiae (NCR Calend.).

4°. Indoles festi, a. *Scopus* huius festi est ostendere praestantiam infinitam Sanguinis Christi eumque digne celebrare, quia sanguis hic *instrumentait modo* Redemptionem nobis comparavit. Ideo extollitur Sanguis Domini ut *pretium salutis:* « Sanguis Christi pretium est! » (S. Augustin, in VIII. lect.). Nosque volumus hoc « salutis nostrae pretium sollemni cultu venerari » (oratio).

b. Sollemnis cultus obiectum *formale* ergo est instrumentalitas Redemptionis, obiectum autem *materiale* est *septuplex effusio* huius pretiosissimi Sanguinis. (1) *Circumcisionem* recolit cultus noster: « Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum est nomen eius Jesus » (I. noct. 1. ant.) — (2) Secunda effusio Sanguinis celebratur in *agonia Domini,* quando • factus est sudor eius sicut guttae sanguinis decurrentis in terram » (I. noct. 2. ant.). — (3) Tertia effusio sanguinis laudatur in passione, cum Pilatus tradidit Jesum *flagellis caesum,* dicens: « Innocens ego sum a sanguine Justi huius », populus vero respondit: « Sanguis eius super nos et super filios nostros! » (II. noct. 1-3. ant.). — (4) Quarta effusio sanguinis celebratur in eius *dolorosa coronatione:* « Exivit Jesus portans coronam spineam et purpureum vestimentum » (III. noct. 1. ant.). — (5) Quinta effusio sanguinis cernitur in *Via dolorosa:* « Baiulans sibi Crucem exivit in eum qui dicitur Calvariae locum, ubi crucifixerunt eum » (III. noct. 2. ant.). — (6) Sextam effusionem sanguinis veneramur in *crucifixione,* quando « dura moriens Christus in arbore, fudit multiplici vulnere sanguinem » (hymn. Vesp.). — (7) Septima effusio memorando colitur sanguinis *post mortem* Domini, cum de latere eius exivit sanguis et aqua, de quo eventu salutifero S. Augustinus loquitur (VII-IX lect.), ut extolleret: « habuit ille sanguinem, unde nos redimeret! »

c. Magnitudinem mysterii Sanguinis commendant *typi varii.* (1) Per Missam recolitur memoria typi sacrificii Crucis: *Abel innocenter trucidatus* qui typus fuit Christi. Quoniam autem in consecratione innovatur hoc sacrificium semel in aeternum peractum, hoc modo « super altaria aspersionem sanguinis melius loquentem quam Abel, innovemus » (secreta). — (2) Secundus typus ostenditur nobis *agnus paschalis* a Chrysostomo fuse expositus (IV-VI. lectio), finis est, ut demonstretur: « Vis sanguinis Christi audire virtutem? » — (3) Tertius typus datur *in foedere quod Moyses* cum sanguine pepigit: » Hic est sanguis foederis, quod pepigit Dominus vobiscum » (Resp. IL). — (4) Quartus typus demonstratur *in visione messianica Isaiae,* qui futurum Redemptorem imagine viri illustrat, qui tinctis vestibus venit de Boosa, devictis inimicis, et torcular calcavit solus ideoque vestitus est veste aspersa sanguiie (Vesp. 1.-5. ant.).

d. Veritas his typis praenuntiata seu praesagita est. *Pontifex futurorum bonorum,* de quo agunt lectiones I. noct. (Hebr 9,11-15, 9,16-22 et 10,19-24), quae pericopae per totum officium saepius recurrunt, sicque momentum huius doctrinae inculcant (capitula Vesp. et Horarum, Ep. Missae). Breviter descripto ritu Veteris Legis in die expiationis, laudatur sanguis Christi « qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo ». — (2) Eadem veritas ostenditur *visione caelesti Agni Dei* Apocalypseos, quae panditur nobis antiphonis Laudum: sanguis Agni mactati est medium quo vita peccaminosa (« stolas suas n) laxari innocensque reddi potest ideoque redempti sunt ante thronum Dei et agni et serviunt ei die ac nocte. — (3) Cultus Sanguinis *naturalis* Christi *connectitur* in liturgia cum cultu *Sangninis eucharistici:* in ant. ad offert, memoratur calix benedictionis, i.e. vinum consecratum, quae communicatio

Sanguinis Christi est, Missae mysterium nos facit haurire de fontibus Salvatoris, idcirco petit Ecclesia, ut « sanguis eius fiat nobis fons aquae in vitam aeternam salientem » (postcom.).

c. Liturgia excitat *varios affectus* erga Sanguinem divinum. Sic (1) fideles adhortantur, dum colunt Sanguinem Christi ad *tenerum affectum:* « ...decet nos saltem fundere lacrimas » (hymn. Vesp.). — (2) *Poenitentia* agi debet, ut christianus « fiat similis protinus angelis et Regi placeat » (ibid.). — (3) *Gratiae agendae* sunt ob « suavitatem benigni pectoris » (hymn. Mat.), ideoque misericordias Dei in aeternum cantare debemus (ant. ad Intr.). — (4) Fovenda est *fiducia erga Redemptorem* qui provocatus culpis nostris, tamen « loquentis protegat nos Sanguinis praesentia » (hymn. Mat.), in mysteriis nempe Christi praesentiatis. — (5) *Compassio* commendatur et exercetur: « Quot Jesus in praetorio flagella nudus excipit... Frontem venustam corona pungit spinea, clavi pedes manusque perforant » (hymn. Laud.).

f) De festo Transfigurationis Domini (6. aug.).

1°. Fundamentum dogmaticum festi est quantum scimus unicum in vita terrestri Christi: metamorphosis, transfiguratio (Mt 17,1-13; Mc 9,1-13; Lc 9,28-36).

a. ▯ *Transfiguratus* est ante eos, (iuxta Lc « facta est dum oraret species vultus eius altera ») et resplenduit facies eius sicut sol, vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix (Mc: « splendentia et candida nimis velut nix, qualia fullo non potest super terram candida facere »). *Variae* sunt *explicationes* huius phaenomeni. (1) Falsa est explicatio *per excessum Hesychastarum,* qui de lumine divino in hac transfiguratione ostenso docuerunt illud lumen fuisse increatum, aeternum et naturale lumen Dei, quod tamen oculis corporeis conspici potest. Hoc affirmabant circa 1320 Gregorius Palamas et Gregorius Sinaita, monachi Graeci, pedissequae Simeonis abbatis monasterii Xerocerci versus a. 1000, iuxta quern exercitationibus asceticis profundaque mentis contemplatione quietis *(=hêsychia)* hoc *lumen increatum divinum* ab omnium oculis *conspici potest.* Inter exercitationes asceticas principalis fuit oculos cum tota mentis virtute in umbilicum figendi, unde Hesychastae (a saec. XIV-o etiam ▯ Palamitae ») vocati, per irrisionem Omphalopsychoi (=iimbilico-animistae) appellati fuere. Doctrina haec tamquam blasphema et haeretica condemnata fuit a Synodo Constantinopolitano a. 1345, at sex annis elapsis ibidem sollemniter recepta est et a Graecis schismaticis usque hodie profitetur. *Refutatio catholica* simplex est: Quidquid est illud lumen transfigurationis, aut creatum est aut increatum. Si increatum est, nullo modo potest oculis corporeis intueri, quod ergo visum est, lumen fuit creatum, sed manifestatio divinitatis (de hoc errore cf. Xilles, Kalcnd. L 235-238). — (2) Moderni *rationalistae per defectum* peccant, asserentes lumen illud conspectum fuisse quondam naturalem effectum. Quidam dixerunt phaenomenon fuisse hallucinationem (Wcllhausen, Loisy), alii longius procedentes totam narrationem inter *mythos* redigebant, qua explicatione « in historiam, in naturam, in psychologiam offenditur ▯ (Simon-Dorado, Praelect. Bibl. Nov. Test. I. 7. ed. 1955, p. 685). — (3) *Recta explicatio* optime affertur a S. Thoma: « Claritas illa, quam Christus in transfiguratione assumpsit, fuit claritas *gloriae* » i.e. resurrectionis, quae claritas gloriae derivatur ab animae claritate, quae redundat ad corpus. Quod autem haec claritas in vita terrestri ante resurrectionem secus numquam visa est. ▯ ex quadam *dispensatione*

divina factum est. ut in corpore passibili nostrae redemptionis expleret mysteria. Non tamen per hoc adempta est Christo potestas derivandi gloriam animae ad corpus », ct hoc fecit per exceptionem semel: in transfiguratione. Unde ulterius quaeri potest: *fuitne miraculum* haec claritas transfigurationis, ad quod Doctor Communis sic respondet: « Fulgere corporaliter non est miraculosum in corpore *glorioso*... in corpore Christi (sc. *passibili)* miraculosus fuit, sicut et hoc ipsum, quod ambulavit super undas maris » (III q. 45 a. 2).

b. In transfiguratione Domini apparuerunt tribus discipulis *Moyses et Elias cum Eo loquentes,* iuxta Lucam (9,31) « visi in maiestate et dicebant excessum (=exitum i.e. vitae finem) Eius, quem completurus erat in Jerusalem ». Moyses apparuit qua legislator Veteris Testamenti, Elias qua propheta praestantissimus, uterque testificaturus Domino, qui haec officia in seipso ad perfectionem perduxit. *Quoad modum* apparitionis iuxta theologos Elias in proprio corpore apparuit, raptus est etenim a terra, Moyses autem in corpore miraculose assumpto et sibi adaptato, eo modo quo angeli corpora assumere possunt atque in eis opera vitae exercere (S. Thomas III. q. 45 . a. 3. ad 2).

c. Culmen transfigurationis habetur in *nube lucida* quae Dominum duosque testes obumbravit et ex qua vox audita est: « Hic est Filius meus dilectus, ipsum audite ». Haec *testificatio Patris* facta est primo de origine divina Jesu: est « *Filius* » et quidem non aliqualis, sed « dilectus » (agapêtos) seu « unicus ». vox enim hebr. « yahid » saepe vertitur a LXX hoc vocabulo. « Ea appellatione non effertur dumtaxat ministerialis lesu ad Deum relatio, sed personalis. Non ideo quod Messias, est Dei Filius, Eique unice carus, sed quia Dei Filius est. ideo Pater omnem voluntatem in eo habet, cumque in Messiam elegit » iSimon-Dorado p. 403).

d. *Significatio transfigurationis* optime explicatur a Simon-Dorado (p. 6S5). (1) In transfiguratione illud principaliter agebatur, ut de cordibus discipulorum *scandalum Crucis* tolleretur » (Leo M. PL 54, 310). — (2) Synoptici notant huic confessioni, quo innuitur Christum voluisse miraculo hoc etiam *primatum Petri* confirmare et quodammodo obsigillare. — (3) Jesus exhibere voluit quoddam *praeludium* passionis ad portandam Crucem. — (4) Tandem transfiguratio est nobis quoddam praeclarum argumentum de *duabus naturis* Christi.

e. *Locus* transfigurationis non pertinet ad essentiam facti. Inde a saec. IV-o constans est traditio locum fuisse transfigurationis *Montem Thabor,* hodiernum Dsebel et Tor 562 m. super mare eminentem. De hoc monte vere (relative excelso ct « seorsum » iacente) *traditionem* nobis produnt S. Cvrillus Hierosolymitanus versus 348 (Catech. 12, 16), S. Epiphanius (t 403), S. Hieronymus (J 420) et omnes alii (cf. D. Baldi, Enchiridion locorum sanctorum, Jerusalem 1935, 400-427). Multi catholici, omnesque fere acatholici inde a saec. XIX-o opinantur montem transfigurationis fuisse *Magnum Hermon,* hodiernum Dsebel es Seikh, et quidem non sine fundamento, rationibus tamen rem *evidenter* minime convincentibus (Simon-Dorado T, p. 680-1). Nostra non interest huius quaestionis investigatio, nam basilicae iam saec. IV-o in monte Thabor fuerunt aedificatae, ideoque historia festi cum hoc monte cohaeret.

2°. Historia festi, a. Festum hoc *in Oriente* ortum est. (1) Nomen eius est « *Metamorphosis* », i.e. transformatio, transfiguratio Christi. Certe iam saec. V- o celebratum fuisse demonstrat praxis ecclesiarum *Syrorum orientalium* sub ditione Persarum viventium, qui sub « Katholiko » Babai (497-503) festum hoc

una cum Dom. Palmarum receperunt (A. Baumstark, Festbrevier u. Kirchenjahr der syrischen Jakobiten, Paderborn 1910, 230 et 260-1). — (2) *Syri occidentales* (Jacobitae) saltem VIII. saec. iam celebrabant hoc festum, nomen eius fuit « Festum montis Thabor » (=Edâ detur Tâbôr). — (3) *Armeni* saec. VII-o colebant hanc festivitatem teste Gregorio Arsaruni, qui affirmat festum hoc institutum fuisse saec. IV-o a Gregorio Illuminatore loco festi Vardavar (=Rosa-flamma) a paganis in honorem Aphroditis celebrati, at festum hoc tempore in fontibus Armenis decst (F. G. Conybeare, Rituale Armenorum 510-517). — (4) Baumstark coniecturae instar verisimilis affirmavit festi diem 6. aug. fuisse *anniversarium dedicationis* trium basilicarum in monte Thabor aedificatarum.

b. In fontibus liturgiae *typi Gallicani* festum hoc non invenitur, quidquid asseruit S. Baumer (Gcsch. Brev. 299), Missale Mixtum ut opus S. Isidoris allegans. Mabillon ab eodem venerando viro citatus non affirmat liturgiam Mozarabicam hoc festum cognovisse (PL 72, 174).

c. Festum transfigurationis in Occidente primo in liturgia *Franco-Romana* celebrari coeptum est (cf. J. Ferreres, in Litt. cit.). In martyrologiis Vicensibus (=Vich) iam saec. X-o legitur: « VIII. idus aug. Transfiguratio DNJChristi ». Ferreres ostendit, festum hoc iam saec. XI-o inductum fuisse in multis ecclesiis Galliae, Missale quoddam anni 1038 iam vigiliam habet propriamque praefationem: « Qui tribus hodierna die assumptis discipulis inter Moysen Eliamque transfiguratus vates praecipuos divinitatis suae gloriam voluit mirabiliter esse conspicuam ». Inde ab 1000 festum hoc etiam alibi celebrari coeptum est, festum enim fuit festum Terrae Sanctae, Silvester II. autem eo tempore « ex persona Hierosolymae devastatae ad universalem Ecclesiam » Occidentem ad liberandam Palaestinam appellavit sicque studium et caritatem (=sympathia) erga terram natalem Salvatoris vehementer excitavit. Intimus nexus originis inter Galliam ct Hungarian! demonstratur eo, quod saec. XI-o *primi fontes liturgici Hungariae* iam festum hoc exhibent. Invenitur enim in Evangelistario Szelepchcnyiano (Rado, Libri lit. mss I, 179) et in Sacramentario antiquissimo saec. XL (cf. C. Kniewald in JfLw 1935, tom. XV. p. 10).

d. *Festum universalis Ecclesiae* Transfiguratio facta est in memoriam victoriae super Tureas 22. iul. 1456 reportatae per S. Joannem a Capestrano et Joannem Hunyadi. Calixtus III. enim anno sequenti decreto 6. aug. 1457 (« Inter divinae dispensationis arcana ») festum hoc pro tota Ecclesia Latina servandum indixit. At multae dioeceses retinuerunt adhuc saec. XVI-o festum proprium alio die celebrandum: 17. mart, (dioec. Misnensis), 26. iul. (dioec. Audomaripolitana = St. Orner. 1518), 4. aug. (dioec. Lebusana in Posnania), 26. aug. (dioec. Pataviensis = Passau), 3. sept. (Halberstad. 1486). Finem anarchiae huic tandem imposuit Missale Pianum (1570). — Sanctus Pius X. festum evexit ad gradum dp. II. cl. Nunc festum est II. cl. Ecclesiae universae, in Matutino Ps. 88. breviatur (NCR Var. 52).

3 Indoles festi Transfigurationis, a. Ipsum *factum historicum* memoriae commendatur fidelium: « Illuxerunt *coruscationes* tuae orbi terrae » (ant. ad intr.), Ps 83. autem extollit « *tabernacula* », de quibus S. Petrus locutus est. Epistola autem enarrat autopsiam S. Petri testis ocularis, qui cum sociis suis « *speculatores* facti illius magnitudinis... vocem nos audivimus de caelo allatam, cum essemus cum ipso in monte sancto ». Graduate admiratur *gloriam caele-*

stem Christi Domini: « Speciosus forma prae filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis », Evangelium vero verbis simplicibus refert *factum* mirabile. — b. In Transfiguratione revelatur *maiestas regalis* Christi, ideo excitamur Invitatorio, ut « Summum Regem gloriae, Christum adoremus ». Etenim — ut hymno canitur — « hic ille Rex est gentium, populique rex iudaici, promissus Abrahae patri, eiusque in aevum semini », hymnus est segmentum ex opere Prudentii (f 405) Cathemerinon vocato. — c. *Transfiguratio* quoque *nostra futura* recolitur, praesertim sermone S. Leonis Magni, transfiguratione enim Domini « spes sanctae Ecclesiae fundabatur, ut totum Christi corpus agnosceret, quali esset commutatione donandum, ut eius sibi honoris consortium membra promitterent, qui in capite praefulsisset » (lect. IV.). Idem petit *oratio* festiva: « ...ut ipsius Regis gloriae nos cohaeredes efficias, ct eiusdem gloriae tribuas esse consortes ». Haec gloriae haereditas nos in caelis exspectat, de qua canit ant. ad off.: «Gloria et divitiae *in (lomo eius,* et iustitia eius manet in saeculum saeculi, alleluia ».

4°. Benedictio uvae in die S. Xysti 6. aug. legitur iam in Sacramentario Gregoriano (Lietzmann n. 138, 4), in Gelasiano primigenio (Wilson p. 107) idem textus adhibetur pro benedictione novae fabae in Ascensione Domini (cf. supra E. 4. b. 4°. a.); item idem textus pro uva et faba simul sine appositione dici ullius in libro Gelasiani III-o (Wilson p. 294). Haec benedictio uvae est originis *pure Romanae,* nihilque commune habet cum festo Transfigurationis; Guéranger frustra invocat morem orientalem uvas die 6. aug. benedicendi, unicus textus enim monasterii Grottae Ferratae hoc probans est interpolatio Romana (cf. Franz, Bcned. I, 370-6). Benedictio dein 6. aug., sed aetate, ut videtur praegothica, *consuetudo* quaedam *popularis* benedictioni accessit. De qua refert J. Beleth (f 1182), ipse usus enim fuit vinum novum seu « aliquantulum ex matura uva in calicem expressa » consecrare « et quod racemi benedicantur indeque homines communicent n (Divinor, offic. explicatio c. 1-44). *Explicatio* autem huius usus popularis, non ipsa benedictio uvae, quae est ritus primitialis, sumitur e mysterio transfigurationis: « Ipso die coenae dixit Dominus Jesus apostolis et aliis qui cum ipso coenabant: Arnen dico vobis, posthac non bibam de hoc genimine vitis, donec bibam illud novum in regno Patris mei. Quoniam ergo tunc dixerit 'novum' et Transfiguratio Domini pertineat ad illum habitum, quem nactus est post resurrectionem, ideo queritur hoc festo vinum novum ». Simili modo dein etiam alii benedictionem uvae et simul consecrationem novi vini cum mysterio Transfigurationis explicare consueverunt, sic Sicardus Cremonensis (t 1215 Mitrale IX, 38) et Gul. Durandus (1 1296 Rationale VII, 22) — Usus hic in desuetudinem abiit, cum in Missali Piano (1570) benedictio uvae hac die expuncta fuit, sed sine mentione ullius diei transsumpta cum eodem textu in Rituale Romanum (tit. IX. c. 7, 2).

g) Festum Exaltationis S. Crucis (14. sept.).

1°. Historia festi Exaltationis, a. *Factum historicum* huic festo fundamentum praebens est *inventio* S. *Crucis* die 14. sept. 320. qui dies dein anno 335 fuit festum dedicationis duarum basilicarum Anastaseos et Martyrii iuxta Calvariam. Procul dubio certum est *factum dedicationis* die 14. sept, anno 335, quoniam de eo refert qua testis ocularis S. Eusebius Caesareensis (Vita Constant. IV, 43-47). S. *Crucis existentiam Hierosolymitanam* versus 348

S. Cyrillus sanctae civitatis antistes testatur: « Sanctum Crucis lignum ad hodiernum usque diem apud nos conspicitur... quod per particulas ex hoc loco per universum iam orbem distributum est » (Cat. X, 19,5 et XIII, 4,4).

b. Dedicatio haec anni 335 iuxta traditionem fide dignam saec. IV-i *eodem die* facta est, quo sanctam Crucem *invenerunt,* quae traditio refertur versus 390 ab Aetheria. De duabus ecclesiis Anastasi et Martyrio dicit: « Harum ecclesiarum sanctarum encaenia cum summo honore celebrantur, quoniam Crux Domini inventa est ea ipsa die. Et ideo propter hoc ita ordinatum est, ut quando primum sanctae ecclesiae suprascriptae consecrabantur, ea dies esset, qua Crux Domini fuerat inventa, ut simul omni laetitia eadem die celebrarentur » (c. 48). Inventionis ergo dies est 14. sept. *Annus* huius inventionis (320) refertur a *Chronico* fide digno sicdicto Alexandrino (A. Schoene, Eusebii Chronicorum Liber prior, Berolini 1875, I, 234 et C. Frick, Chronica minora, Lipsiae 1892, I, 359).

c. Quod S. Crucem S. *Helena mater Constantini* invenit, ab Aetheria nec affirmatur, nec negatur. Nobis traditio verisimilis videtur, iuxta quam huic Sanctae tribuenda est inventio S. Crucis, etsi quidam recentiores de hac probabilitate dubitant. S. *Ambrosius* enim a. 395 sic narrat inventionem S. Crucis: « Venit ergo Helena, coepit invisere loca sancta, infudit ei Spiritus, ut lignum Crucis requireret, accessit ad Golgotha et ait: Ecce locus pugnae, ubi est victoria? Quaero vexillum salutis et non invenio... Aperit itaque humum, decutit pulverem, tria patibula confusa reperit... Titulo Crux patuit salutaris... Quaesivit clavos quibus crucifixus est Dominus et invenit » (De obitu Theodosii c. 43-48 PL 16.1463-5). Ambrosius ergo dicit Helenam recognovisse S. Crucem a titulo, nihilque refert de mortuo ad vitam revocato, nec de femina a caecitate liberata, narratio eius simplex veri speciem prae se ferre nobis videtur. *Rufinus* itidem inventionem S. Helenae tribuit, qui Aetheriae coaetaneus fuit et inter annos 379-399 Hierosolymis vixit (cf. Hist. eccl. I, 7-8 PL 21,475-8). *Socrates* historiographus (ceterique historici Byzantini) versus 440 scribens fuse describit inventionem trium crucium sub templo Aphrodites per Helenam et S. Macarium episcopum (Hist. eccl. I, 17 PG 67, 117 s.).

d. Festum hoc locale dedicationis ecclesiarum S. Crucis *mature divulgari coepit, Constantinopoli* iam saec. V-o ineunte observatum fuit, *Romae* versus 690 Sergius Papa ordinationem emisit circa festum Exaltationis S. Crucis, quod tamen verisimiliter iam antea celebratum fuit (Lib. Pontif. ed. Duchesne I, 371). *Indolem triumphalem* hoc festum iamdudum habuit, festo enim hoc dedicationis (simulque inventionis) Hierosolymis ostendere solebant sollemni modo reliquiam S. Crucis, quod factum est etiam Constantinopoli et Romae, quae urbes capitales etiam partes non mediocres reliquiae S. Crucis possidebant. Ob hanc sollemnem ostensionem vocatum est festum « *Hypsôsis - Exaltatio* » S. Crucis, quo intelligitur, cur in Oriente re-inventio seu recuperatio Crucis per Heraclium peculiare festum non sit nactum (cf. superius d. 2°). Haec sollemnis ostensio S. Crucis certe iam *ante Sergium Romae aderat,* Paduanum enim in die natali SS. Cornelii et Cypriani post horum Missam habet unicam orationem « Ad Crucem salutandam in S. Petro » (ed. Mohlberg n. 665), cuius textus evidenter supponit adorationem S. Crucis hoc die factam: « Dens qui unigeniti tui DNJChristi pretioso sanguine humanum genus redimere dignatus es. concede propitius, ut qui ad *adorandam* vivificam Crucem *adveniunt,* a peccatorum suorum nexibus liberentur ». Kl. Gamber ideo iure conficit, hanc

salutationem cum unica oratione iam in Gregoriano primigenio exstitisse (Wege z. Urgregorianum 1956, p. 47). Tempore ergo S. Gregorii Magni (590-604) *festum* peculiare nondum aderat, sed *ritus* tantum adorationis Crucis; aevo autem S. Hadriani L, ut testatur Hadrianum, *duplex* festum celebratum est exeunte saec. VIII., nam post Missam SS. Cornelii et Cypriani statim legitur Missa: « Item in eodem die XIIII. die mensis septembris Exaltatio Sanctae Crucis » (ed. Lietzmann n. 159), prima oratio est eadem ac supra relata, or. « super oblata » autem seu secreta identica est cum secreta Missalis Romani. Sacramentarium *Gelasianum* autem (Wilson p. 198) refert orationem diei, quae dein in Missale Romanum transsumpta est (« Deus qui nos hodiema die »). Originem *stricte Romanam* festi huius demonstrat etiam *officium,* nam e.gr. ant. 1. Laud. « O magnum pietatis opus « ad litteram desumpta est ex inscriptione metrica oratorii S. Crucis prope baptisterium S. Petri, aedificati a Symmacho (498-514).

e. Festum ergo Exaltationis Romanum in liturgia *Franco-Romana* remansit, sed accepit characterem memoriae *recuperationis S. Crucis* per Heraclinm factae (cf. supra d. 3° b.). Festum Exaltationis dein sub Clemente VIII. a. 1602 elevatum est ad gradum dp. maioris, qui gradus ab ipso Summo Pontifice creatus est (Baumer. Gesch. Brev. p. 490).

f. Quia per reformationem S. P. Joannis XXIII. a. 1960 festum Inventionis Crucis 3. maii expunctum fuit qua festum superfluum, sollemnitati vero Exaltationis S. Crucis primigenius honor restitutus, gradus huius abhinc iam unici festi S. Crucis auctus est in festum II. cl. universae Ecclesiae (NCR Var. 7. c.).

2°. Indoles festi Exaltationis, a. Idea principalis festi est « exaltatio » seu *glorificatio* S. Crucis qua *instrumenti Redemptionis,* quod fit *variis imaginibus.* (1) S. Crux est praecipue « *Vexillum regis* » prodiens ducensque nos in proelium certaminis (Hymn. Vesp.). Omnes dominatores terrae hoc debent regale vexillum sequi: « Sancta Crux extollitur a cunctis regibus, virga regia erigitur, in qua Salvator triumphavit » (2. ant. I. noct). — (2) Crux est *lignum vitae,* nam aeternam donat nobis vitam, sicque contrarium est illi arbori, cuius « pomi noxialis in necem morsu ruit », notatumque est lignum vitae, ut illius arboris « damna ligni ut solveret » (hymn. Mat.). Ideo teneris verbis invocatur illa arbor, « inter omnes arbor una nobilis, silva talem nulla profert, fronde, flore, germine « (hymn. Laud.). Sic verum fit, quod ant. 2. III. noct. canit: « Per lignum servi facti sumus et per sanctam Crucem liberati sumus: fructus arboris seduxit nos, Filius Dei redemit nos, alleluia », ideoque merito celebratur verbis exstaticis: « Haec est arbor dignissima, in medio paradisi situata, in qua salutis auctor propria morte mortem omnium superavit. » (Resp. 3.). — (3) Crux est *signum triumphale,* redempti enim per eius instrumentalitatem accipiunt gratias, quibus vincere queant, idcirco laudatur instrumentum victoriae: « O Crucis victoria et admirabile signum, in caelesti curia fac nos captare triumphum » (ant. 1. II. noct.), ideoque « nobile trophaeum Crucis ab universis christicolis adoratur per saecula » (3. ant. II. noct.).

b. In Cruce i.e. in Redemptione est *salus nostra,* ideo « gloriari oportet in Cruce, in qua est salus, vita et resurrectio nostra » (ant. ad. intr.), per Crucem precamur Deum, ut « eius redemptionis praemia in caelo mereamur » (Oratio). Christus de morte in patibulo Crucis dixit: « Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum » (Evangel.); ipsum Auctorem salutis precamur in

secreta « eius sanguine saginandi, per quem Crucis sanctificatum est vexillum », ut «perenniter eius gloriae salutaris potiamur effectu ».

c. Indoles *quoque apotropaeica* extollitur S. Crucis: « Ecce Crucem Domini, fugite partes adversae, vicit leo de tribu Juda » (ant. 3. Vesp.), intelligunlur etiam inimici, sicut hostes Crucis: « Per signum Crucis ab inimicis nostris libera nos Deus noster n (5. ant. Vesp. et Comm. Missae). Liberationis scopus est: « Protege Domine, plebem tuam per signum sanctae Crucis ab omnibus insidiis inimicorum omnium: ut tibi gratam exhibeamus servitutem et acceptable fiat sacrificium nostrum » (ant. ad. offert.).

h) Festum Domini Nostri Jesu Christi Regis.

1°. Historia festi. Festum hoc, inter festa Domini recentissimum, institutum fuit a Pio XI. die 11. dec. 1925 (AAS 1925, 593-610), radicibus tamen suis apprehendit totam historiam et vitam Ecclesiae.

a. Decursu temporum imago Christi *sub variis respectibus* considerata fuit. (1) Evangelia synoptica magis « *Filium hominis* » depingunt, qui pertransiit benefaciendo, S. Joannes vero magis *divinum Verbum* attingit, eius divinitatem in luce ponendo. S. Paulus et Apocalypsis S. Joannis autem *maiestatem regalem* Christi extollunt, eandem quae iam etiam penes Synopticos indigitatur. S. *Paulus* enuntiat de Christo: « Oportet illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius » (1 Cor 15,25), idcirco Dominus est « supra omnem principatum et potestatem et virtutem et dominationem et omne nomen quod nominatur non solum in hoc sacculo, sed etiam in futuro » (Eph 1,21). *Apocalypsi* autem statuitur Christus tamquam « princeps regum terrae » (1,5), qui vincet adversarios Dei, « quoniam Dominus dominorum est et Rex regum » et « habet in vestimento et femore suo scriptum: Rex regum et Dominus dominantium » (17,1-1 et 19,16). Regnum vero huius Regis, ut in visione tuba canitur, perpetuum est: « Factum est regnum huius mundi Domini nostri et Christi cius, et regnabit in saecula saeculorum. Arnen » (Ape 11,15). Sic habentur iam initio christianae religionis *duo modi considerandi* Christum: prior modus *magis* humanas contemplatur proprietates, alter *magis* divinas, unus speculatur Christum magis historicum, alter magis Christum glorification. — (2) In coemeteriis et apside basilicarum conspicitur « *maiestas Domini* » seu Christi gloriosi, in ecclesiis stilo Romanistico aedificatis magis illustratur Rex Christus, tunica vel regali veste indutus, diademate coronatus, qua victor triumphans super mortem. At negari non potest, *nullam* aetatem *oblitam esse* Christi *faciem humanam* eiusve vitam terrestrem, sicut nec aetas Gothica, quae adeo tenero modo coepit recolere Christi passionem, ciusque terrestrem vitam cormalosque eius, non intermisit honores exhibere Christo glorificato. Ideo *falsum est,* sicut quidam nostrorum temporum scriptores faciunt, nimiam et insto acriorem distinctionem facere inter Christum « historicum » et « pneumaticum vel glorificatum », ut monet Mater Ecclesia (MDei n. 160), magisque falsum esset affirmare Christum glorificatum occultatum fuisse, et quasi e sua sede dcicctum esse, in eiusque locum invectum esse Christum terrenam vitam agentem (ibid.). Solummodo quandoque haec vel illa vita — terrestris vel glorificata — elata est iuxta necessitates temporum invicem succedentium, quandoque autem ipsa Ecclesia necessarium duxit aliquod momentum magis inculcare.

b. Hoc factum est circa regalem maiestatem Christi sub pontificatu Pii XI

Causae vero *ad. inducendum peculiare festum* ab eodem Summo Pontifice sanctae memoriae ab ipso indicantur sequentes. (1) *Christus lexque eius submota est:* « Plerique mortalium lesum Christum sanctissimamque eius legem cum a sua ipsorum consuetudine et vita, tum a convictu domestico et a re publica submoverunt » (Encycl. « Quas primas n AAS 1925, p. 593. quae abhinc allegabitur). Quod dein ulterius declaratur: *laicismus* tamquam « pestis aetatis nostrae » serpit, cuius effectus enumerantur: Christi imperium in omnes gentes *negari* coeptum est, item negatum ivit ius Ecclesiae divinum humanum genus *docendi,* et *regendi,* paulatim Christi religio *aequari coepit* cum falsis religionibus, deinceps potestati civili *subiici,* imo eousque progressum est, ut naturalis quaedam religio loco divinae *substitui* incoepta est, nec civitates defuere, quae censerent se Deo posse carere » (p. 604-5). — (2) Declaratio maiestatis regalis Christi dein secundo « *ad pacem redintegrandam stabiliendamque* efficacius » visa est Summo Pontifici (p. 593, quod fusius sic explicatur: sata sunt ubique inter populos *discordiarum* semina flammaeque invidiarum conflatae, intemerantia *cupiditatum* haud raro specie publici boni caritatisque patriae obtegitur, eversa funditus est oblivione ac neglegentia *domestica pax,* ideoque familiae communio ciusve *stabilitas* labefactata (p. 605).

c. *Medium efficax* ad medenda mala supradicta optimum est *agnitio regiae Christi potestatis* quam sequuntur incredibilia beneficia seu emolumenta: insta libertas — disciplina — tranquillitas — concordia — pax (p. 601).

d. Haec agnitio maiestatis regalis optime fit per *institutionem festi:* « Cum regiae Salvatoris nostri dignitatis cognitionem disseminari quam latissime oporteat, ad rem nihil magis profuturum videtur quam si dies festus Christi Regis proprius ac peculiaris instituatur, festa enim *maiorem habent efficacitatem,* quam quaelibet magisterii documenta, nam universos docent fideles, non semel, sed quotannis, et non solum mentem sed et animos percellunt (p. 603).

c. Festo instituendo *viam sternebant* inde ab exeunte saeculo — ut Pontifex dicit — Christi Regis cultus per plurimos *libros* magna linguarum varietate scriptos; dein consuetudo in paene innumerabiles familias inducta *dedicationis* Sacratissimo Cordi Jesu factae, item talis dedicatio singulorum Regnorum, ct totius generis humani ineunte novo sacculo XX-o; demum frequentissimi *conventus* tum particulares, cum generales *eucharistici* aetate nostra agere soliti ,p. 606). Accesserunt « plurimorum Patrum Cardinalium, Episcoporum fideliumque *preces* » peculiare festum Christi Regis in ecclesiasticam liturgiam inducendum petentes (p. 595).

f. *Cur praecise anno 1925* haec institutio festi facta est, declarat Pius XI.: « Hoc anno per saecularia Concilii *Nicaeni* sollemnia vindicatam commemoravimus Verbi Incarnati cum Patre consubstantialitatem, qua eiusdem Christi in omnes populos imperium, tamquam fundamento suo, nititur » (p. 607). Revera *fundamentum dogmaticum* regiae potestatis Dci-Hominis est unio hypostatica, vi cuius ex hominibus assumpta natura unitur Personae secundae SS. Trinitatis, eo ipso ergo non solum Mediator natus est a primo momento Incarnationis suae, non quadam nominatione vel mandato, sed ipso facto hoc mirando est etiam ob cius deitatem Rex totius creationis.

g. *Terminus festi* est *Dominica ultima mensis octobris,* quae sc. Festum Omnium Sanctorum immediate antecedit. (1) *Varii termini* festo huic propositi sunt a liturgistis: Dom. infra octavam Epiphaniae, Dom. infra octavam Ascensionis, Octava dies Festi SS. Cordis etc. (cf. Schuster, Lib. Sacramentor. IX, 69

versio germ.). — (2) z\t melius visum est S. Sedi diem *distinctum* eligere, ut huic diei « quaedam inesset regiae ipsius dignitatis *et* significatio *et* celebratio » (p. 608). — (3) Electus est *dies Dominicus* et quidem e ratione pastorali: aut divino Regi non modo clerus litando et psallendo officia praestaret sua, sed etiam populus, ab usitatis occupationibus vacuus, in spiritu sanctae laetitiae, oboedientiae servitutisque suae praeclarum Christo testimonium daret » (ibid.). — (4) Cur *postrema Dominica octobris* electa sit, eo explicatur a Sancto Patre, quod hac Dominica « fere cursus anni liturgici clauditur, ita enim fit, ut vitae lesu Christi mysteria ante per annum commemorata sacris Christi Regis sollemnibus veluti *absolvantur et cumulentur,* et antequam Omnium Sanctorum gloriam celebremus, Illius praedicetur efferaturque gloria, (pii *in omnibus Sanctis* et electis *triumphat* » (p. 60S). Aptissime revera coniungitur celebritas Christi Regis sollemnitati Omnium Sanctorum, qua invitamur ab Ecclesia: « Regem regum Dominum, venite adoremus, Quia ipse est corona Sanctorum omnium ». — (5) Nov. Cod. Rubricarum in III. nocturno Ps. 88. abbreviavit Var. 57); est festum I. cl. universae Ecclesiae praecedentia gaudens (NCR 91,3).

2°. Indoles festi Christi Regis, a. Ipsa idea festiva semper celebrata fuit *in s. liturgia,* utique non exclusive. (1) *Semper celebrata* est maiestas regalis Domini: *Tempore Adventus* expectamus « Regem venturum Dominum », «qui regnaturus est in populo Israel... ct introibit Rex gloriae » (1. resp. Dom. L). Hic Rex Salvator futurus veniet « coronam regni habens in capite suo » (4. resp. Dom. II), ideoque « adorabunt eum omnes reges terrae omnes gentes servient ei » (6. resp. Dom. III.). Spiritus totius Adventus exprimitur responsorio: « Intuemini, quantus sit iste, qui ingreditur ad salvandas gentes, ipse est Rex iustitiae, cuius generatio non habet finem » (Dom. IV. resp. 9). — (2) *Tempore natalitio* non solum Infans divinus celebratur, sed etiam « Rex pacificus », videbimus enim « Regem regum procedentem a Patre, tamquam sponsum de thalamo suo » (ant. Magn. I. Vesp.). Causa gaudii assignatur verbis: « Hodie nobis caelorum Rex de Virgine nasci dignatus est » (1. resp.), nam « genuit puerpera Regem, cui nomen aeternum » (2. ant. Laud.). *Epiphania* praecipuum festum est regalitatis Domini, stella sicut flamma coruscans « Regem regum Deum demonstrat », magi dixerunt: « Hoc signum magni Regis est », (Magn. Vesp.), crudelis Herodes « Deum Regem venire » timuit (hymn.). Psalmi festivi psalmi sunt regales maiestatem Christi extollentes, « reges Tharsis (i.e. dominatores terrae ultimae) et insulae munera offerent Regi Domino » (2. ant. II. noct.), « currunt Magi ad regales nuptias » et « magno Regi munera obtulerunt » (ant. Bened. et 5. ant. Laud.). Regalis maiestas Domini celebratur etiam festo completivo cycli natalitii, festo *Purificationis,* in cuius honorem canitur: « Adorna thalamum tuum, Sion, et suscipe Regem Christum » (1. resp.), hoc die factum est « quod senex Puerum portabat, Puer autem senem *regebat* » (8. resp.). — (3) *Tempore poenitentiali cycli paschalis* iam a *Septuagesima* incipit salutatio Regis Christi in officio « Laus tibi Domine Rex aeternae gloriae », qui deinceps ut Dominus regnans a ligno celebratur, praesertim Hebdomada Sancta. *Dom. in Palmis* est sollemnis adclamatio Christi Regis, inde a l Vesp. colitur hymno « Vexilla Regis prodeunt », « supernus Rex » adoratur hymno « Lustra sex », culmen attingit celebratio Regis in ordine instaurato, processione cuius finis inculcatur inscriptione « Hymnus ad Christum Regem » Gloria laus et honor), ant. 7. « Ave Rex noster. Fili David », et oratione nova,

quae processionem regalem concludit: « Domine Jesu Christe, Rex ac Redemptor noster... » Regalitas Christi iterum extollitur *Fer. VI. Pass, et Mortis Domini,* a quoniam Domini est regnum et ipse dominatur in gentibus » (Ps 21), historia Passionis Domini legitur iuxta Joanncm, qui prae ceteris Evangelistis fusius enarrat colloquium de regali maiestate Christi. — (4) *Tempore gaudioso cycli paschalis* recolitur « tanti Regis victoria », omnia « aeterni Regis splendore illustrata » sunt (Exultet), qui « caelo aperto, subditum regem tenebrarum trahit », nosque omnes « ad regias Agni dapes invitat » (Hymn. Vesp.), a Rex ille fortissimus » (hymn. Laud.). Festivitas eminenter regalis consideranda est *Ascensio Domini,* a Exaltate Regem regum et hymnum dicite Deo, alleluia! » invitamur I. Vesp. (4. ant.), est enim a aeternus Rex altissimus, Redemptor et fidelium » (hymn. Mat.), cuius naturalis dignitas regalis coronata fuit in Ascensione, cum a aeterni Patris recepta consessu illius gloriae sociaretur in throno, cuius naturae copulabatur in Filio » (S. Leo M. 5. lect.), per quae a Dominus in caelo, alleluia, paravit sedem suam » regalem (2. ant. III. noct.). Officium clauditur suspirio: a O Rex gloriae, Domine virtutum, qui triumphator hodie super omnes caelos ascendisti, ne derelinquas nos orphanos! » (Ant. Magn. II. Vesp.). — (5) *Tempore extracyclico* quoque non intermittitur veneratio Christi Regis. *Festo Corporis Christi* invitamur, ut a Christum Regem adoremus, dominantem gentibus, qui se manducantibus dat spiritus pinguedinem ». In festis *Sanctorum* quoque monemur Regem Apostolorum, Regem Martyrum, Confessorum, Virginum: Dominum adorare. Glorificatio Christi Regis praesertim in *Laudibus* fit, sufficit recolere Psalmos regiam dignitatem celebrantes (Pss 92. 46. 5. 95. 66. 96. 145. 97). — (6) Monendum tamen est s. liturgiam *minime exclusive* Christum *ut Regem colere,* enimvero, docente Pio XII.: a Liturgia *totum nobis Christum* proponit in omnibus vitae suae condicionibus, eum nempe qui Aeterni Patris est Verbum, qui e Deipara Virgine nascitur, qui veritatem nos docet, qui aegrotos sanat, qui maerore affectos solatur, qui dolores patitur, qui moritur, ac deinde qui ex triumphata morte resurgit, qui in caeli gloria regnans Paraclitum in nos immittit Spiritum, qui perpetuo denique in Ecclesia sua vivit » (MDei n. 161).

b. *Ideae festivae officii* breviter hae possunt recenseri. (1) In Vesperis ob oculos ponitur *universalitas regni* Christi: est regnum universale *quoad tempus,* thronus eius erit firmissimus in perpetuum (1. ant.), regni eius non erit finis (Magn.), regnum eius sempiternum est (2. ant). Dein habetur universalitas *quoad subditos:* omnes reges servient ei (2. ant.), loquetur pacem gentibus 3. ant.). Rex erit in lucem gentium (5. ant.). Iure ergo adclamatur *perfecta universalitas:* Christus-Rcx est « saeculorum princeps » et « Rex gentium » (hymn.). Eadem universalitas paulo aliter affirmatur ab antiphonis Laudum. — (2) Antiphonae Matutini praecipue *factum dignitatis regalis a Deo conditum esse* extollunt. Christus est Rex a Deo constitutus (1. ant.), qui gloria et honore eum coronavit (2. ant.), ipse Deus primogenitum eum posuit (8. ant.), thronus cius stabilis est itaque coram Deo sicut sol et luna (9. ant.). Octo Psalmi nocturnorum omnes sunt Psalmi « regales ». — (3) Lectiones I. nocturni huic dignitati regali *fundamentum struunt dogmaticum* legendo Coi 1,3-23. Translati sumus in regnum dilecti Filii Dei, qui est *imago Dei,* ut homo est primogenitus omnis creaturae: in hoc radicatur potestas eius regalis, « in ipso condita sunt universa in caelis et in terra ». Altera radix huius dignitatis invenitur in eo, quod est *Caput corporis Ecclesiae,* « ut sit in omnibus ipse primatum tenens ». Rex est tertio.

quia fuit « *pacificans per sanguinem* Crucis eius sive quae in terris, sive quae in caelis sunt ». — (4) Lectiones II. noct. desumptae ex Encycl. « Quas primas » *conclusiones deducunt ex* hac dignitate regali. Christus debet regere *in mentibus hominum,* quia ipse est Veritas, *in voluntate* hominum, quoniam in eo voluntas divina et humana perfecte concordant, *Rex* est demum *Cordium,* nam benignitate et mansuetudine animos allicit omnium (I. lect.). Dein enarratur *natura huius principatus: triplex* habetur potestas. Potestas *legislative,* cui oboediri debet, secunda est *iudiciaria,* qua « praemia et poenas hominibus adhuc viventibus iure suo defert », et est demum *exeeutionis,* « utpote cuius imperio parere omnes necesse sit » (II. lect.). Demum *character* huius regni dilucidatur: est praecipuo modo quidem spirituale, non de hoc mundo, sed turpiter erraret, qui « a Christo *homine* rerum civilium quarumlibet imperium abiudicet, cum is a Patre ius in res creatas absolutissimum sic obtineat, ut omnia in suo arbitrio sint posita » (III. lect.). — (5) Lectiones III. noct. referentes homiliam S. Augustini, exponunt Evangelium dc *regali dignitate* Christi. — (6) *Affectus varii excitantur,* praecipue in hymnis. Adorationem *latriae* erga Christum Regem respirat integrum officium: « Te nos ovantes Regem supremum dicimus » (hymn. Vesp.), « Jesu tibi sit gloria, qui sceptra mundi temperas » (doxologia diei). — Regi nostro *fidelitatem* promittimus: « Tibi volentes subdimur, qui iure cunctis imperas! » (hymn. Mat.). — Precari iubemur *pro extensione universali* Ecclesiae: « Tuo amore devios ovile in unum congrega!» (hymn. Vesp.). — Obsecrare monemur Deum, ut restituatur *honor publicus* regali maiestati Christi: « Colant magistri, indices, leges et artes exprimant, submissa regum fulgeant tibi dicata insignia » (hymn. Vesp.). — Deprecari excitamur *pro pace mundi:* « Non arma flagrant impia, pax usque firmat foedera » (hymn. Laud.).

c. *Ideae Missae.* Regalis dignitatis una radix est passio et mors Christi, ideo canitur *ant. ad intr.* hymnus apocalypticus: « Dignus est Agnus qui *occisus* est, accipere virtutem... » *Collecta* doctrina S. Pauli fundatur: humanum genus origine unum ob peccatum originale dissociata est, « disgregata », iam non una grex, sed multae hostiliter infensae, medicina invenitur in obsequio erga Christum Regem, idcirco precamur, ut « cunctae familiae gentium, peccati vulnere disgregatae, eius suavissimo subdantur imperio ». *Epistola* fundamentum rcgalitatis declarat, sicut in I. noct. brevius ex Coi 1,12-20: est unio hypostatica. *Graduate et Versus alleluiaticus* describunt universalitatem regni Christi. Universalitas extollitur *localis:* « Dominabitur a mari usque ad mare »; dein universalitas *personalis:* « Et adorabunt eum omnes reges terrae, omnes gentes servient ei »; demum universalitas *temporalis:* « Potestas eius potestas aeterna, quae non auferetur, et regnum eius, quod non corrumpetur » (vers, allot). Haec triplex universalitas tamen solummodo pedetentim se exserit, *de iure* est perfecta, *de facto* sub indice lis est, adversarii destruere et impedire conantur hanc universalitatem, quae demum tantum in fine saeculorum perfecta erit. In *Euangelio* Christus indolem potestatis regiae Pilato explicat (Jo 18, 33-37). *Ant. ad offert,* loquitur de haereditate Christi iuxta Ps 2,8 quae est subiectio gentium sub cius imperio, *secreta* proleptico modo iam ipsum Summum Pontificem offert, ut cunctis gentibus unitatis et pacis dona concedantur. *Praefatio* recenter composita stilum tamen praefationum antiquarum optimum prae se fert cclebratque Regis universorum aeternum sacerdotium quo redemptionem humani generis peregit, haec redemptio completa universale regnum

constituit, cuius regni qualitates enumerantur: sanctitas, iustitia, amor et pax. Regem gloriae in solio sedentem salutat *ant. ad coin.,* nosque de militia eius gloriantcs Deum precamur, ut cum Ipso in caelesti sede iugiter regnare possimus *(postcom.).*

i) Festum Dedicationis Archibasilicae SS. Salvatoris (9. nov.).

1°. Historia basilicae, a. Basilica in aedibus Lateranorum fundata est, has aedes immensas Nero confiscavit sicque deinceps ad fiscum imperialem pertinebant. Aedes Constantinus in dotem accepit a Fausta uxore, sorore Maxentii, dein Papae Miltiadi dono dedit, ibique celebratum est primum concilium contra Donatistas « in domo Faustae in Laterano » (Optat. Milevit. PL 11,931). Exinde aedes factae sunt residentia Romani episcopi, per decursum saeculorum « *patriarchium* » appellatae. Quando basilica privata Lateranorum in christianam basilicam cultualem transformata sit, quaeve fuit dies dedicationis, nescimus. — b. Titulus primigenius basilicae fuit SS. *Salvatoris,* cui Sergius III. a. 904 addidit titulos S. Joannis Baptistae et S. Joannis Evangelistae. — c. *Ulteriores sortes* archibasilicae: saec. XIII-o mirabilibus operibus musivis exornata fuit a Nicolao IV., translata dein sede papali Avenionem, paulatim iniuria temporum fatiscere coepit, duobus quoque incendiis consumpta (1308 ct 1360). Plures Summi Pontifices instaurationibus excolebant aedes, Innocentius X. autem versus 1650 immutationem (=rifacimento) arte quae Baroca vocatur, totius aedis fieri iussit per architectum Fr. Borromini. Unica apsis remansit stilo antiquo, quam Leo XIII. instaurare curavit operibus musivis ad pristinum exemplar resuscitatis.

2°. Historia festi dedicationis, a. In *Sacramentariis Romanis* nullum festum legitur de anniversario dedicationis huius archibasilicae, etsi in Martyrologio Hieronymiano memorantur dedicationes S. Mariae Maioris (5. aug.), S. Petri ad Vincula (1. aug.), S. Sixti (6. aug.), SS. Hippolyti et Laurentii (2. nov.), de Laterano et de basilicis SS. Petri et Pauli nihil refertur. Solummodo *saec. XII-o* habentur iam annotationes de dedicatione harum basilicarum in Ordinibus Romanis. *Cur dies 9. nov.* electus sit ut anniversarius dedicationis, *variae hypotheses* referuntur a Card. Schuster. (1) Fortasse fuit dies 9. nov. *communis dies* anniversarius basilicarum SS. Salvatoris Romae exstantium, vel (2) quia hoc die Orientales memoriam *imaginis Salvatoris Berytensis* agunt. Beryti (=Beirut) enim a. 765 9. nov. Judaei in imagine quodam Domini Crucifixi latus ex odio pugione perforaverunt, statimque copiosus sanguis exinde profluxit (Holweck p. 380). — (3) Fortasse agitur de anniversario *dedicationis per Sergium* (904-911) peractae, qui archibasilicam totam instauravit. — b. Praesertim *canonici et eremitae S. Augustini* inde a saec. XIH-XIV. ubique terrarum celebrare coeperunt hunc diem festum 9. nov. et etiam anniversarium commune basilicarum SS. Petri et Pauli, inde festum hoc etiam alibi recoli coepit, in Missali Curiae legitur iam saec. XIV-o, as.sumptumque est quoque in Missali Piano (1570). Sanctus Pius X. festum ad gradum dp. II. cl. evexit.

3°. Indoles festi. Anniversarium dedicationis archibasilicae celebratur ab universa Ecclesia, quia iuxta inscriptionem Clementis XII. (1730-1740) « Sacrosancta Lateran. ecclesia *omnium Urbis et orbis ecclesiarum mater et caput* » est. Ratio est, quia haec archibasilica habetur ut ecclesia cathedralis Romani Pon-

tificis, saltem fere inde a saec. VIII-o. Antea enim vix possumus loqui hodierno sensu de quadam ecclesia cathedrali Papae, etsi alii episcopi revera talem ecclesiam possidebant. Romae aliter res se habebat, nam Romanus Pontifex ob systema stationale summis festis et decursu Quadragesimae in variis titulis liturgiae praefuit. Residentia papalis (patriarchium) tunc tantum quasi centrum Urbis facta est, quando etiam gubernium Romae Papae obvenit, tunc paulatim ecclesia Laterani etiam cathedralis evasit eo magis, quia liturgia stationalis pedetentim evanuit.

k) Festum Dedicationis basilicarum SS. Petri et Pauli (18. nov.).

1°. Historia basilicae S. Petri, a. Saec. II. certo iam visitata fuerunt monumenta sepulcralia SS. Petri et Pauli, ut clarum est e notitia *Gaii presbyteri* Romani dicentis: « Ego vero apostolorum tropaea possum ostendere. Nam sive in Vaticanum, sive ad Ostiensem viam pergere libet, occurrent libi tropaea eorum qui Ecclesiam illam fundaverunt » (Euseb. Hist. eccl. II, 25,7). — b. In *colle Vaticano Constantinus* super monumentum S. Petri construi iussit basilicam magnificam quinque habens naves, pulcherrimcque exornatam marmore et auro. In arcu triumphali navis centralis inscriptio legebatur imperatoris: « Quod duce te mundus surrexit in astra triumphans Hanc Constantinus victor tibi condidit aulam n. — c. Inde a saec. IV-o innumeri peregrini « limina » Apostolorum visitabant. Basilica Vaticana exuvias condens S. Petri quasi significatio primatus evasit. Circa Vaticanum muri contra infestationes Saracenorum construi iussi sunt, inde nomen a *Civitas Leonina* n in usum venit a Papa Leone IV. (847-855). Sic per totum medium aevum basilica Vaticana intacta servata est, centrumque fuit fidelium. — d. *Ulteriores sortes basilicae.* Sace. XV-o basilica S. Petri iam ruinam minabatur, *Nicolaus* V. ergo a. 1452 instaurationem Bernardo Rossellino commisit. Post 1455 nil iam factum est, *Julius II.* (1503-1513) iterum aggressus est opus. Conceptio cius fuit ecclesiam funditus novam aedificandi, ideoque architecto suo excellenti, Bramante, mandavit basilicam antiquam omnino destruere, quae dein operatio revera ad finem perducta est. Per centum et decem annos dein nova basilica aedificata est, dum *Urbanus VIII.* eam 18. nov. 1626 consecrare potuit.

2°. Historia Basilicae S. Pauli, a. Acta apocrypha S. Pauli et itineraria loquntur dc loco martyrii Apostoli gentium ad *Aquas Salvias* et de sepulchro cius « *in praedio Lucinae* », ubi monumentum quoque erectum fuit in eius honorem, dc quo presbyter Gaius saec. II-o mentionem fecit (cf. superius 1°. a.). — b. Super hoc sepulchro *Constantinus* Af*agnus* basilicam minus amplam construi iussit, quae dein 386 a Valentiniano II., dein Theodosio Magno amplificata fuit. Tota moles basilicae cum monasterio adjacente a Joanne VIII. (872-882) inuris munita est, quae nomen accepit *Joannopolis.* Ipsa basilica paulatim inter pulcherrimas connumerata est, cum quinque navibus, 80 columnis, quando gloria huius domus a. 1823 incendio consumpta est. Adiuvante toto orbe catholico iuxta antiqua exemplaria basilica instaurata fuit, sub pontificatu Leonis XII. et Gregorii XVI., Pius IX. 10. dee. 1854 novam basilicam sollemniter consecravit. \nniversarium dedicationis tamen mansit dies traditionalis 18. nov., de quo nunc breviter agendum est.

3°. Historia anniversarii communis dedicationis basilicarum sufficienter dilucidata nondum est. Sacramentarii Romani, antiqui Ordines Romani, Marty-

rologium Hieronymianum silent de die 18. nov. et communi anniversario, solum inde a saec. XIII-o inveniuntur vestigia celebrationis in fontibus liturgicis (cf. supra j. 2°. b.). Etsi officium et Missa de Communi dedicationis ecclesiae sumi debent, sicut et 9. nov., festum hodiernum exprimere vult obsequium Ecclesiae universalis erga primatum Romani Pontificis, iuxta id quod innuitur *inscriptione antiqua,* nunc iam deperdita, posita quondam ab Innocentio III. in instaurata ab eo apside:

Summa Petri sedes est haec sacra principis aedes,
Mater cunctarum decor et decus ecclesiarum,
Devotus Christo qui templo servit in isto,
Florens virtutis capiet fructusque sahib's.

l) Festa Domini minora in aliquibus locis celebrata.

In Missali Romano nunc sequentia festa pro aliquibus locis adsignantur, de quibus brevissime adhuc tractare lubet.

1°. Commemoratio Passionis DNJChristi (Fer. III. post Dom. Sexagesimae). Festum concessum *Congregationi Passionis et Crucis Christi* a. 1776 et multis dioecesibus Italiae, dein transiit fere in universum orbem Latinum, sed reformatione Kalendarii per Pium X. in multis locis disparuit. Nunc colitur in cathedrali Tudertina (=Todi), in dioecesibus Melphictensi (=Molfetta) et Rapollensi (=Rapolla), (Holweck p. 44).

2°. Eucharistici Cordis Jesu (Fer. V. post Oct. Corporis Christi). Concessum cum officio et Missa *dioecesi Romanae* et dioecesibus petentibus 9. nov. 1921 (AAS 1921, 545). (Cf. supra 4. c. 6°. c.).

3°. Fugae in Aegyptum (17. febr.). Primo concessum fuit a. 1747 pro Portugallia, festum dein ante Kalendarii reformationem in permultis dioecesibus Latinis celebratum fuit. Nunc vero colitur in dioecesi Bracarensi, penes Passionistas, in Ordine militari Teutonico, apud Patres Societatis Missionis ad Afros (Holweck p. 37).

4°. Lanceae et Clavorum Domini (Fer. VI. post Dom. L Quadr.). Festum concessum est ad instantiam *Caroli IV. imperatoris* a. 1353 pro Germania et Bohemia. Nunc colitur penes Passionistas et in Basilica Vaticana et Parisiis (Holweck p. 69).

5°. Orationis Domini (Fer. III. post Dom. Septuag.). Oratio intelligitur Christi facta *in Monte Olivarum,* festum primo approbatum est pro dioecesi Bahiac in Brasilia a. 1828. (Holweck p. 43).

6°. Quinque vulnerum Domini (Fer. VI. post Dom. III. Quadr.). Festum ortum est saec. XIV-o *in monasterio Fredeslariensi* (=Fritzlar) in Germania, approbatum fuit a. 1733. Nunc colitur a Passionistis (Holweck p. 72).

7°. Sanctissimi Redemptoris (23. oct.). Festum est *anniversarium recuperationis cuiusdam* imaginis Christi spinis coronatae et a Mauris sublatae ignominiisque cumulatae quae dein a Trinitariis recuperata et triumpho *Matritum* (=Madrid) delata est 23. oct. 1682., ubi adhuc colitur in ecclesia Trinitariorum calceatorum. Festum nunc recolitur penes Trinitarios, Passionistas, Congreg. SS. Redemptoris et in Patriarchate Latino Hierosolymitano et quibusdam dioecesibus Galliae (Holweck p. 362).

8°. Sacratissimae sindonis DNJChristi (Fer. VI. post Dom. II. Quadr.). Non est festum sindonis celebris Taurinensis, a duce Sabaudiae Carolo II. (1489-

1496) comparatae, quae 4. maii colitur (Holweck p. 117), sed est festum mobile *sepulturae Christi sindone involuti* apud Passionistas (Holweck p. 70).

9°. S. Spineae Coronae (Fer. VI. post Cineres). Item hoc festum non est reliquiarum Spineae Coronae, sed potius *festum coronationis Christi.* A. 1240 iam habebatur festum Spineae Coronae, quia anno superiore Ludovicus IX. reliquiam spineae coronae transtulit Parisios, at hoc festum celebrabatur 11. aug., die anniversario (Holweck p. 261). Die 4. maii, concomitante Festum Inventionis, medio aevo festum quoddam coronationis Domini cum spinea corona celebratum est, in Hispania, Germania, Scandinavia, Anglia (cf. Holweck p. 117), et in Hungaria (Radô, Libri lit. I, 79. 106. 119). Festum Fer. VI. post Cineres est festum approbatum *a. 1605 pro archidioecesi Monregalensi* (=Monreale) et adhuc colitur in Basilica Vaticana et quibusdam dioecesibus Italiae (Holweck p. 47).

Litteratura.

Quoad dominicas postpentccostalcs. f. *de Puniet,* Le Sanctoral romain et les dimanches après la Pentecôte, *in:* Vie et arts lit. 1925-26, 343-349, 385-392. — *M. Righetti,* Storia liturgica II (1946) 215-219. — *II. Schmidt,* Die Sonntage nach Pfingsten in den romischen Sakramenlaren, *in:* Miscell. lit. C. Mohlberg I (1948) 451-493. — *L. Brou,* Etudes historiques sur les oraisons des dimanches après la Pentecôte dans la tradition romaine, *in:* Sacris erudiri 22 (1949) 122-224. — A. *Chavasse, in:* Eph. Lit. 1950, 161-213.

Quoad festum SS. Trinitatis. *St. Kegel,* O beata Trinitas. Vom Sinn u. Werdcn des Drcifaltigkeitsfestes, *in:* Bened. Monatschr. 1924, 169-176. — W. *Lampen,* Jean Pecham OFM et son office de la S. Trinité, *in:* La France franciscaine 1928, 211-229. — *F. Cabrol,* Le culte de la Trinité dans la liturgie et l'institution de la fête de la Trinité, *in:* Eph. Lit. 1931, 270-278. — A. *Klaus,* Ursprung und Verbreitung der Dreifaltigkeitsmesse, Werl i.W. 1938. — *M. Righetti,* Storia lit. II (1946) 220-222. — *Radô Polikârp,* Szentharomsâg ünnepe és Urnap (=Festum SS. Trinitatis et Corporis Christi), *in:* Vigilia 1949, 403-407. — *P. Brotoe,* Zur Geschichte des Dreifaltigkeitsfestes, *in:* AfLw 1950, 65-81. — *J. Brinktrine,* Quomodo magnis anni sollemnitatibus SS. Tritinatis mysterium significetur et celebretur, *in:* Eph. Lit. 1952, 367-368. — *J. A. Jungmann,* Um die Ilerkunft der Dreifaltigkeitsprafation, *in:* ZfkTh 1959, 461-465. — W. *Diirig,* Dreifaltigkeitsfest, *in:* LtfThK 2. ed. Ill (1959) 562.

Quoad festum Corporis Christi. *B. Fisen,* Origo prima festi Corporis Christi, Lcodii 1628. — *P. Browe,* Die Ausbrcitung des Fronleiehnamsfestes, *in:* JfLw 1928, 107-143. — A *Mitterwicser,* Geschichte des Fronleiehnamsfestes in Bayern, München 1930. — *Ch. van Oast,* Corpus Christi, *in:* Myster. Christi 1930-31, 241-247. — A. *Tamborini,* Il Corpus Domini a Milano, Roma 1935. — *M. Righetti,* Storia lit. II (1946) 222-227. — *R. M. Gallet,* Bibliographia bij het Fest. Corporis Christi, in: Studia Eucharistica 1946, 415-450.— *De Amicis,* Caerem. parochorum 4. ed. 1948, 373-377. — L. *Hébert,* Leçons de liturgie, 25. ed. 1952, 343-352. — G. *Baldesclv,* Sacre cerimonie, 9. ed. 1952, 222-226. — W. *Lurz,* Ritus und Rubriken der hl. Messe Würzburg 1952, 702-705. — *L. M. J. Délaissé,* λ la recherche des origines de l'office du Corpus Christi dans les manuscrits liturgiques, in: Scriptorium 1950. 220-239. — *F. Pieri,* Orvieto c Bolsena in relazione al Corpus Domini. Cànni storici c critici, Orvieto 1956. — *F. Callaey,* Origine e sviluppo della festa del Corpus Domini, *in: A Pinlanti,* Eucharistia, Roma 1957, 907-933. — C. *Lambot,* L'ufficio de S.mo Sacramento, *ibid.* 1957, 907-933. — A. *Walz,* L'Aquinate in Orvieto, *in:* Angelicum 1958, 176-190. — *F Callaey,* L'origine della festa del « Corpus Domini », Rovigo 1959. — *K Gastgchcr,* Um die Veugestaltung der Fronleichnamsprozession, in: Seelsorger 1959/60, 372-375. — W. *Ditrig-A. Jungmann,* Fronleichnam, in: LfThK 2. ed. IV (1960) 405-407.

Quoad festum SS. Cordis Jesu. xV. *Nilles,* De rationibus festorum SS. Cordis Jesu ct purissimi Cordis Mariae, 5. ed. Oeniponte 1885. — *Idem,* Kalcnd. manuale utriusque Ecclesiae, ibid. II (1897) 478-489. — *P. Lebrun,* Le Bx Jean Eudes et le culte public du (’<* m de Jésus. Paris 1917. — *J. Bainvel,* La dévotion au Sacré-Cœur. 5. cd. Paris 1919. — K *Ruhtstàtter,* Die Herz-Jesu-Verehrung des deutschen Mittelalters, Paderborn 1919. — *H K'oldin* Ub r d< n Gegenstand der llerz-Jesu-\ndacht, *in:* (Linzcr) Theol-prakt. Quarta^ hr 1920 330-336, 514-518. — A. *Hamon,* Histoire de la dévotion au Sacré-Cœur.

5. ed. 1-IV. Pans 1923-1931. — St. *Jean Eudes,* Oeuvres diverses sur le Coeur de Jésus, *in;* Oeuvres choisis, Paris 1937, tome VIII. — L. *Lercher,* Instil Theol. dogm. 3. ed. III (1942) 247-260. — *M. Righetti,* Storia lit. H (1946) 227-229. — *J. Stierli,* Cor Salvatoris. Wege zur Herz-Jesu-Verehning, Freiburg i. B. 1954. — *J. Hanimann,* Le Coeur du seigneur, Paris 1955. — *J. Arragan,* Aspects du cidte du Sacré- Coeur, *in:* L'ami du clergé 1957, 305-310. — *J. Calveras,* La voz del Papa Pio XII. Enciclica Ilaur etis aquas. Traduccion y coinentario, Barcelona 1958. Ad quem librum cf. sap.enter dicta per cl. G. Filograssi, *in:* Gregorianum 1959, 271-296. (Intorno all'oggetto dei culto al Cuore di Gesti nclla Haurietis aquas). — A. *Bea-11. Rahner - II. Rondet-F. Schwendimann,* Cor. Jesu. Commentationes in Litteras Encyclicas Pii XII. Haurietis aquas, Romae 1959. tom. I-II.

Quoad lesta minora Domini. In genere. *F. G. Holweck,* Calendarium liturgicum festorum Dei et Mariae, Philadelphia (USA) 1925. — In specie. *J. Pennacchi, De* inventa Hierosolymis Cruce Domini, Romae 1892. — *11. Kellner,* Heortologie 3. ed. Freiburg i. Br. 1911, 247-252 (Kreuzauffindung u. Kreuzerhôhung). — *M. Righetti,* Storia lit II (1946) 229-233 (Le feste in onore della S. Croce). — A. *Jox,* Die Reliquien des kostbaren Blutes, Luxemburg 1880. — *J. de Vathaire,* La transfiguration, *in:* Vie et arts lit 1923-24, 435-440. — *J. B. Ferreres,* La transfiguration de N. Seigneur, *in:* Ephem. Theol. Lovan. 1928, 630-643. — *J. Card. Schuster,* Liber Sacramentorum, ed. germ. IX (1931) 68-73 (Christkonigsfest). — *Idem,* Fest und Weihe der Erzbasilika des allerheiligsten Erlôsers, *ibid.* 124-131. — *Idem,* Weihe der Kirchen der HH. Petrus u. Paulus, *ibid.* 149-156. — *H. Marucchi,* Basiliques et églises de Rome, Tournai 2. ed. 1909, 81-109, 110-134, 135-148. — C. *Manz,* 1st die Messe De inventione S. Crucis im Sacr. Gelasianum gallischen Ursprungs? *in:* Eph. Lit. 1938, 192-196. — *B. Capelle,* Aux origines du culte de la Croix, *in:* Quest lit. par. 1946, 157-162.

G) De festis B. Mariae Virginis in anno liturgico.

/Vgendum est de hac materia ordine insequenti:

1. De cultu BMV liturgico in genere.
2. De festo Immaculatae Conceptionis.
3. De festo Purificationis MBV.
4. De festo Annuntiationis BMV.
5. De festo Assumptionis Deiparae.
6. De festo Nativitatis BMV.
7. De festis minoribus BMV.

1. De cultu liturgico BMV in genere.

Tractanda sunt sequentia: a) Cultus liturgicus BMV in Ecclesia primaeva (saec. I-IIL). — b) Cultus liturgicus BMV aetate aurea (saec. IV-VI.). — c) Cultus liturgicus BMV aetate media.

a) Cultus liturgicus BMV in Ecclesia primaeva (s. I-III.).

1°. Radix seu fundamentum hyperduliae dogmaticum cultus liturgici clare inveniri potest etiam hac aetate monumentis litterariis tam ieiuna, radix nempe: *Marium esse matrem Dei,* quia id quod ab ea natum est, filius est Altissimi. Ideo partus virginalis qua radix omnium privilegiorum laudatur a Symbolo Apostolico: « Qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria virgine ».

a. Dilucide hoc fatetur S. *Ignatius Antiochenus* (t 107): « Deus noster Jesus Christus in utero gestatus est a Maria iuxta dispensationem Dei ex semine quidem David, Spiritu autem Sancto » (Ad Eph. 18,2 RJ n. 42).

b. Idem inculcat versus 140 apologeta *Aristides,* iam paulo exactius: «Christiani a DNJChristo originem ducunt. Hic Dei altissimi filius esse creditur, qui in Spiritu Sancto de caelo descendit ad salvandos homines et ex

sancta virgine genitus sine semine et sine corruptione carnem assumpsit et apparuit hominibus, ut eos a polytheismi errore revocaret » (15. RJ n. 112).

c. Ob hanc dignitatem Maria comparatur *primae matri generis humani, Evae* iam a *S. lustino* versus 155: « Eva enim cum virgo esset et incorrupta, sermone serpentis concepto inoboedientiam et mortem peperit. Maria autem virgo, cum fidem et gaudium percepisset, nuntianti angelo Gabrieli laetum nuntium... quod nasceretur ex ea sanctum esse Filium Dei, respondit: Fiat mihi secundum verbum tuum » (Dial. c. Tryph. lud. 100 RJ n. 141).

d. Haec comparatio *uberius expolitur* a S. *Irenaeo Lugdunensi* versus 185; « (Eva) inoboediens facta et sibi et universo generi humano *causa* facta est *mortis:* sic et Maria habens praedestinatum virum et tamen virgo oboediens, et sibi et universo generi humano *causa* facta est *salutis...* Quod enim alligavit virgo Eva per incredulitatem, hoc virgo Maria solvit per fidem » (Adv. haer. III. 22,4 RJ n. 224). Irenaeus ergo iam *partes Mariae* extollit *in Redemptione:* est causa salutis. Dc hac comparatione patristica cf. uberius M. Schmaus, Mariologie 1955, 262-273.

c. *Tertullianus* circa 206 exactius determinat virginitatem BMV *post partum:* « (angelus) non enim poterat *posteriorem* mulierem nominare, de qua Christus nasci non habebat, id est *virum passam,* sed illa quae erat praesens, quae erat virgo, et mulier vocabatur per vocabuli huius proprietatem, secundum primordii formam, virgini et ita universo mulierum generi defensam » (De virgin, velandis 6. RJ n. 330). Pulcherrimum est eius effatum de comparatione *Evae et Mariae:* « Deus imaginem et similitudinem suam, a diabolo captam, aemula operatione recuperavit. In virginem enim adhuc Evam irrepserat *verbum aedificatorium mortis,* in virginem aeque introducendum erat Dei *Verbum exstructorium vitae,* ut, quod per eiusmodi sexum abierat in perditionem, per eumdem sexum redigeretur in salutem. Crediderat Eva serpenti, credidit Maria Gabrieli. Quod illa credendo *deliquit,* haec credendo *delevit* » (De came Chr. 17. RJ n. 358).

f. Eodem fore tempore S. *Hippolytus conceptionem virginalem* vocat traditionem apostolicam: « Credamus igitur, fratres dilecti, secundum traditionem apostolorum, quod Deus Verbum e caelis descendit in sanctam Virginem, ut ex ea incarnatus sumpta anima humana, rationis inquam participe, factus omnia quaecumque homo est, excepto peccato, salvaret eum qui ceciderat » (C. Noetum 17 RJ n. 394).

g. *Origenes* paulo post 233 *conceptionem* virginalem exhibet ut *casum singularem:* » Quemcumque enim de utero effusum marem dixeris, non sic aperit vulvam matris suae, ut Dominus Jesus, quia omnium mulierum non partus infantis, sed viri coitus vulvam reserat » (In Lc 14 RJ n. 476). Iure ergo dicit *conceptionem hanc,* quae synecdochice exprimitur qua « sanctus uterus », *veneratione* dignam esse: « Matris vero Domini eo tempore vulva reserata est, quo et partus editus, quia sanctum uterum et omni dignatione venerationis venerandum ante nativitatem Christi masculus omnino non tetigit » (ibid.). Origenem autem ob hanc enuntiationem non esse perperam intelligendum, clare demonstratur Hom. in Levit, post 244 scripta, in qua monetur fidelis unusquisque. « ne Maria, quae iuxta prophetas semine non suscepto peperit masculum, putaretur immunda esse *genito* Salvatore... Non enim simpliciter erat mulier, sed virgo » (8,2 RJ n. 495).

2°. Picturae catacumbarum eandem convictionem demonstrant, etsi fatendum est, has picturas *non esse certo* factas ad finem *cultualem,* quamvis hoc nullo modo impossibile est. Vetustissima imago Deiparae in catacumba S. *Priscillae* conspicitur e med. saec. II., Maria sedet stola vestita, velo cooperta, brachiisque filiolum amplectitur, super caput Mariae stella octangula coruscat vir quidam longo vestimento indutus stellam digito monstrat, fortasse propheta Isaias de partu virginali vaticinatus. In eadem catacumba *alia* cerni potest *effigies* saec. II. exeuntis: senex vir sedens digito demonstrat iuvenculam albis vestitam, sinu suo infantem amplexam, capite nudo. Haec virgo videtur Maria esse, senex (episcopus?) eam ut exemplum virginitatis commendat, imago enim scpulchrum ornat virginis cuiusdam sacratae. Saec. III-o Maria iam saepius conspici potest depicta *cum magis Parvulum adorantibus,* vel in actu adnuntiationis. *Pocula vitrea deaurata* saec. III-lV-i saepissime repraesentant Mariam, plerumque manibus ad orationem extensis, inter SS. Petrum et Paulum, vel cum S. Agnete; haec pocula (vulgo « vetri dorati n) epulis eucharisticis inserviebant (cf. MEL I, n. 3567. 3570. 3568. 3620. 3754).

3°. Apocryphorum testimonium corroborat hoc factum, simulque videtur nobis etiam *vestigia cultus liturgici* suppeditare, inquantum in quibusdam textibus inveniri possunt voces repercussae orationum seu cantilenarum liturgiae. Evangclia apocrypha enim, praecipue *Protoevangelium Jacobi* (saec. II-IIL), dein *De ortu et infantia Salvatoris* Ps. Matthaei (saec. III-IV.), dein *Evangelium de nativitate Mariae* (saec. V.) permulta habent elementa legendaria traditionibus fide dignis permixta de B. Maria Virgine. Narratur in iis de parentibus Mariae, Anna et Joachim, de nativitate Virginis, de eius infantia, praesertim eius praesentatione anno aetatis suae tertio. Etsi scripta haec plerumque gnosticismo infecta sunt, procul dubio *spiritum venerationis erga BMV* exprimunt; conceptio virginalis et maternitas divina in eis apertissime praedicatur, insuper, ut diximus, vestigia deprehendi possunt textuum liturgicorum.

a. Iam adesse debuit *veneratio Mariae,* cum talia verba descripta sunt: n Anna, Deus exaudivit orationem tuam, concipies et paries et celebrabitur semen tuum *in universo mundo* « (Protoev. lacobi c. 4. ed. Thilo p. 185), vel in benedictione principis sacerdotum super Mariam unius anni, cum dicitur: « Deus patrum nostrorum benedic huic puellae, et da illi nomen celebratum aeternum, in omnibus generationibus » (ibid. c. 6. Thilo p. 195). *Virginalis conceptionis* fides resplendet in verbis angeli ortum nuntiantis Salvatoris: « Invenisti gratiam apud Deum, quia castitatem elegisti, ideoque virgo sine peccato concipies et paries filium... Nam sine virili commixtione virgo concipies, virgo paries, virgo nutries... Ideoque quod nascetur ex te, solum erit sanctum, quia solum sine peccato conceptum et natum vocabitur filius Dei » (Ev. de nativ. Mariae c. 9 Thilo p. 332 s.). Verbis obstetricis testimonium habetur fidei *de perpetua virginitate BMV:* « Domine, Domine, miserere: adhuc hoc nec audivi, nec in suspicione habui, ut mamillae plenae sint lacte, et natus masculus matrem suam virginem ostendat! Nulla pollutio in nascentem facta est, nullus dolor in parturiente! » (Ps. Matth. c. 13. Thilo p. 379). Mariae partes quoque extolluntur in *dispensatione gratiae:* verbis angeli Joachimo nuntiantis ortum filiae: « Erit beatitudo eius super omnes sanctas feminas, ita, ut nullus possit dicere, quia fuit talis antea aliqua, sed et postea nunquam erit similis ei ventura in hoc saeculo, et semen cius erit benedicta ct mater benedictionis aeternae constituetur » (ibid. c. 3. Thilo p. 345).

b. *Vestigia textuum liturgicorum* opinamur adesse in sequentibus casibus. *(1) Germina* deprehendi videntur *megalynarii* cuiusdem in honorem Virginis: « Mariam? .\iagnificavit Dominus nomen tuum in cunctis generationibus, et in ultimis diebus manifestabit Dominus in te pretium redemptionis suae filiis Israel» (Protoev. lac. c. 7. Thilo p. 201), vel: «O .Mariam! Magnificatum est nomen tuum ct eris benedicta in universa terra! » (ibid. c. 12. Thilo p. 219, uterque textus a sacerdotibus pronuntiatur). *Aliud megalynarion latet* in verbis angelicis: « Beata es Maria, quoniam in mentem tuam habitaculum Domino praeparasti. Ecce veniet lux de caelo, ut habitet in te, et per te universum mundum resplendeat » (Ps. Matth. c. 9. Thilo p. 366 s.). — (2) *Nisus* quoque *liturgicus* cerni potest verba salutationis angeli transformandi in orationem *(«Ave Marian primigenium), sic* e.gr.: «Noli timere, Maria: invenisti enim gratiam apud Deum. Ecce concipies et paries regem, qui imperat non solum in terra, sed etiam in caelis et regnabit in saecula saeculorum, amen » (Ps. Matth. c. 9. Thilo p. 367-8), apposita doxologia clare ostendit usum liturgicum. Alius *textus salutationis* per angelum factae: « Ave Maria, virgo Domini gratissima, virgo gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu prae omnibus mulieribus, benedicta prae omnibus hactenus natis hominibus » (Ev. de nativ. Mariae c. 9. Thilo p. 332). — (3) *Textum liturgicum sapiunt* verba angelica directa *ad S. Annam:* «Sola sine exemplo, sine corruptione, sine virili commixtione, virgo filium, ancilla dominum, ct gratia et nomine et opere Salvatorem mundi generabit n (ibid. c. *4.* Thilo p. 325).

4°. Textus procul dubio liturgicus quoque inventus est honorem Mariae concinens *in papyro coptico saec. III.*. cuius textus adhuc hodie in liturgia gracca in usu est et bene notus etiam in Occidente: « Sub luam misericordiam confugimus, Dei genitrix, nostras deprecationes ne despicias in necessitate, sed a periculis libera nos: sola casta, sola benedicta! » Usum liturgicum testantur adicctae notae musicae (cf. DAL I, 2, coi. 2296 s. et Mercenier 1940. Quest lit. paroiss. 33-36).

b) Cultus liturgicus BMV aetate aurea (saec. IV-VI).

Sicut tota vita Ecclesiae interna et liturgia hac aetate florere coepit, ita etiam cultus liturgicus BMV his saeculis incrementa accepit: ecclesiae in cius honorem exstructae sunt, imagines eius venerari coeperunt, textus compositi sunt liturgici, festaque peculiaria Virginis gloriosae exorta lateque divulgata sunt.

1 . Ecclesiae et imagines, a. Romae (1) prima basilica in honorem Deiparae erecta est verisimiliter *in regione trans Tiberim.* Summus Pontifex Iulius L (337-352) aedificavit « Basilicam Iulii trans Tiberim, regione XIII., *iuxta Callistum* » i.e. diaconiam seu stationem actionis caritativae a Papa Callisto (217-222) constructam. Saec. VI-VII-o haec basilica habita est ut basilica S. Mariae, certo non constat, num iam temporibus Iulii in honorem BMV dedicata fuit. — Certum est basilicam *Liberianam in Esquiliis* aedificatam a Papa Xysto III. i 132-110) in memoriam Concilii Ephesini Sanctae Virgini dedicatam fuisse, qui his versibus hoc factum posteritati commendavit: « Virgo Maria tibi Xistus nova templa dicavi Digna salutifera munera ventre tuo Te genitrix ignara viri te denique feta Visceribus salvis edita nostra salus ». Opere musivo idem Xvstus III. ecclesiae *arcum triumphalem* exornavit; quo repraesentantur scaenae

annuntiationis BMVirginis, adoratio a magis exhibita, dein praesentatio Jesu in templo et fuga in Aegyptum. In medio arcus triumphalis sistitur cathedra vacua, « ctimasia » (=praeparatio), quae parata stat ad excipiendum venturum ludicem, a dextris et sinistris S. Petrus ct Paulus cerni possunt. Scaenae hae intimam relationem habent ad Mariam, eximiique sunt testes eius venerationis. — (2) *Effigies* BMVirginis Romanae adhuc inveniuntur *in Coemeterio Maiore* S. *Agnetis* in Via Nomentana e saec. IV-o, opera udo illita (=affreschi) repraesentatur Sancta Virgo lapillis indicis exornata, quae capite velato stat ante conspectum divini Filii, idcirco imago haec vocari solet « Advocata nostra ». — (3) In *Catacumbis Comodillae* autem e saec. V-o cernitur effigies udo illita super sepulchrum Tuiturae quae ad thronum BMVirginis ducitur a SS. Felice et Adaucto, SS. Virgo sinu suo Filium, manu *insigne* consulis: mappulam portat, effigies ideo iure haberi potest prima repraesentatio *Mariae Reginae.* — b. *Ephesi* sedes universalis concilii fixa est in *ecclesia Sanctae Mariae,* in qua S. Cyrilhis Alexandr. encomium dixit eiusdem Deiparae: « Salve, o Maria, mater Dei, cuius nomini in urbibus, pagis, et insulis ecclesiae dedicantur recte credentium! » (PG 77, 1035). — c. *Constantinopoli* imperatrix Pulcheria (t 453) pulcherrimam ecclesiam BMVirgini dedicavit, cuius imaginem depictam a. 451. ab Eudoxia dono accepit, quae imago antiquissima habetur inter imagines *amouibiles,* nominata « *Hodegetria* » (=dux viae) et a S. Luca Evangelista picta censetur. — d. *Imagines* tales amovibiles seu tabulae pictae inde a saec. V-o iam permultae in usu fuerunt, praecipue in Oriente. Sic imagines multum veneratae erant: Constantinopoli, in suburbio Blachernae nuncupato; ista Diospoli in Syria; dein altera in Hogeazwan in Armenia iuxta piorum opinionem depicta a S. Bartholomaeo, permultaeque aliae, quae in domibus fidelium, imo in cellulis monachorum et anachoretarum ferventi cultui fidelium expositae erant. — c. In *Palaestina* Hikelia (=Vicellia) vidua Romana templum in honorem Deiparae aedificari iussit tempore luvenalis episcopi (425-458) secus viam inter Ilierosolymam et Bethlehem. — f. Alibi quoque *in Oriente* hoc aevo multa templa in laudem Virginis surrexerunt: Nicopoli exstructa est per S. loanncm Silentiarium (Hesychastem) inter 472-481, imperator Zeno (474-491) templa mariana aedificavit in Monte Garizim loco ecclesiae destructae Samaritanorum, et in urbe Cysico; lustinianus Magnus autem (527-565) innumeras fere ecclesias sua munificentia aedificari iussit. — g. Etiam *Occidens* in hac felici concertatione iners manere non potuit: in Gallia, Hispania, Italia magnus numerus ecclesiarum Deiparae laudes saec. V-VI-o concinit (cf. Righetti II, 236-239 et Schuster, ed. germ. VIII, 9-35).

2°. Textus liturgici mariani. His saeculis IV-VI. permulti textus liturgici in honorem Deiparae exorti sunt, speciminis instar quidam recenseantur.

a. Verisimiliter iam saec. IV-o exeunte in Oriente orta est *commemoratio BMVirginis in anaphora* Missae, in fere omnibus liturgiis Orientis enim invenitur, etiam in liturgiis monophysitarum a. 451 ex Ecclesia dissidentium. Textus primigenius verisimiliter hic fuit: « Praecipue (exairetôs) sanctae, gloriosae Deiparae et semper virginis Mariae » (Baumstark JfLw 1921, 14-15), textus dein titulis Mariae auctus in omnibus liturgiis (S. Jacobi, Marci, Basilii, Chrysostomi cf. Brightman I, 56. 129. 406. 388) sic sonat: « Praecipue omnino sanctae (panagias) immaculatae (achrantou), superbencdictae, gloriosae Dominae nostrae Deiparae ct semper virginis Mariae ». Textus hic, fortasse iam

ante Ephesinum in *Canone* ecclesiae *Romanae* locum invenit: In primis gloriosae semper virginis Mariae Genetricis Dei et Domini nostri Jesu Christi » quae formula ab orientali textu *tribus differt:* virginitatis perpetuae memoria ante titulum inaternitatis divinae fit — huic titulo adiicitur « ...Dei et DNJesu Christi » — nomen Mariae non in fine refertur totius phraseos, sed in medio. Commemoratio haec Virginis gloriosae dilucide cultum eius super omnes Sanctos, i.e. hyperduliam testatur.

b. At etiam *alia commemoratio* semper Virginis fit in Oriente, *cantus chori* quoque laudat Mariam; aetate praecedente iam deprehendimus vestigia talis evolutionis. (1) verba angeli et Elisabeth coniunguntur ad Mariam per fideles salutandam. In *liturgia* S. *Jacobi* recitatur ante commemorationem Mariae: « Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, ct benedictus fructus ventris tui, quia Salvatorem peperisti animarum nostrarum n, dein statim adiungitur « ekphonesis »: «Praecipue etc.». — (2) Etiam alia salutatio « *magnificationis* » *(megalynariori)* locum invenit in *liturgia Byzantina.* Post commemorationem enim Mariae a choro cantatur in liturgia S. *Chrysostomi:* « Nulla lingua par est digne benedicere, mens confunditur etiam supermundialis hymnis te celebrare Deipara, suscipe tamen fidem nostram, tu, quae bona es, cognoscis enim pia nostra desideria, nam tu es advocata (prostaris) Christianorum: te magnificamus! » (Brightman 388). *Nunc* solet cantari hoc megalynarion: « Dignum est certe te praedicare, Deipara, semper beatam et omnino immaculatam, et matrem Dei nostri, quae venerabilior es Cherubim, et incomparabiliter gloriosior Seraphim, Deum Verbum incorrupte enixa, te veraciter Dei genetricem magnificamus! ».

c. Exemplum *textuum liturgicorum* haberi possunt cantus seu *antiphonae* in honorem vetustissimi festi Mariae, *Assumptionis* nimirum compositae. Primus quidem fons est Antiphonale S. Grcgorii (in textu antiphonarii de Compïègne saec. IX. PL 78, 800), ubi inventus est cantus exstaticus ad exemplar « Magnificat » compositus. « Maria cxultavit in spiritu et dixit: Benedico te, qui dominaris super omnem benedictionem. Benedico habitaculum gloriae tuae, benedico te, cui factum est habitaculum in utero meo, ct benedico omnia opera manuum tuarum, quae oboediunt tibi in omni subiectione. Benedico dilectionem tuam, qua nos dilexisti. Benedico omnia verba quae exierunt de ore tuo, quae data sunt nobis. In veritate enim credam, quia sicut dixisti sic fiet, alleluia! ». Eliam aliae antiphonae sunt in hoc antiphonario, (piae adhuc nunc cantantur in officio Assumptionis. « Assumpta est Maria in caelum » et « Maria virgo assumpta est ad aethereum thalamum ¶ (I Vesp.), dein « Exaltata est sancta Dei genitrix » (Mat.), demum « Hodie Maria virgo caelos ascendit » (II Vesp.). Textuum horum *antiquitas* demonstratur eo, quod inveniuntur etiam in aliis fontibus: in « *Transitu Mariae* » edito a *Wilmart* (1933 cf. Litt.) et in alio manuscripto independente a priore, publici iuris facto a *Capelle* (An. Boli. 67, 21-18) uterque derivatur ab antiquo quodam summario (Abriss, résume) Transitus Mariae, composito in usum liturgicum. quod summarium quum tardissimo iam saec. VI-o in usu debuit esse, nam ex eo hausit etiam loannes Thessalonicensis (t versus 630). concinnator celebris homiliac de dormitione Mariae (cf !.. Brou \fLw 1952, 91-92). Optimum cerni heie potest exemplum e procul dubio plurimis compositionibus liturgicis.

d. Primi *textus poetici mariant* quoque memorari debent. S. *Ambrosius* et *Prudentius* t 405) non cecinerunt in laudem Deiparae, *Caelius Sedulius* versus

430 edidit suum « Carmen paschale » virgiliana phrasi optime referens vitam Christi, cuius carminis partes ut hymni in liturgia adhuc in usu sunt (A solis ortus cardine, Crudelis Herodes). Pars huius carminis est *prima salutatio BMV nota* in Occidente (Carm. paseh. II, 63-69): « Salve sancta parens enixa puerpera regem ' Qui caelum terramque tenet per saecula cuius | Numen et aetemo complectens omnia gyro | Imperium sine fine manet quae ventre beato , Gaudia matris habens cum virginitatis honore | Nec primam similem visa es nec habere sequentem | Sola sine exemplo placuisti femina Christo ». Primus versus introitum constituit Missae votivae BMV. *Primus hymnus peculiaris* sui iuris compositus est ab *Ennodio* (1521) in honorem Virginis, iuxta Dreves hymnum ad usum liturgicum Mediolanensis ecclesiae concinnavit adhuc diaconus: « Ut virginem fetam loquar | Quid laude dignum Mariae? | Det partus, ornet, exigat | Quod clausa porta, quod patens | Exposcit ipsa suggerat... » (D. B. hymn. I, 34). Saec. VI-o ortus est hymnus in liturgia adhuc usitatus « *Quam terra pontus sidera* » privilegia celebrans Deiparae: « Mirantur ergo saecula | Quod angelus fert semina | Quod aure virgo concipit | Et corde credens parturit » (D. B. hymn. I, 41), hymnus fortasse compositus est a celebri poeta *Venantio Fortunato* (t 600), episcopo Pictaviensi.

3°. Festa BMVirginis saec. IV-VI. nunc partim iam obsoleta sunt.

a. *Festum unicum marianum* valde probabiliter iam ante Ephesinum (431) celebratum fuit « *Mnêmê tes hagias aeiparthenou Theotokou* » (Memoria sanctae semper virginis Deiparae), ut investigationes M. Jugie commonstrant (cf. Litter. 1923 et Baumstark 1891). Festum hoc unicum fundamentum hyperduliae celebrat: *divinam maternitatem* et quidem a primo momento spectatam, nimirum ab annuntiatione, inde etiam nomen aliud huius festi fuit « *Euangelismos* » (annuntiatio). Pericopa festiva erat Lc 1, 26-38 (annuntiatio angelica), complu-ribus locis adiuncta est 1, 39-56 (visitatio Mariae). — (1) *Occasione huius festi* praedicavit *Proclus,* episcopus Cyzicenus ante Ephesinum Constantinopoli. praesente Nestorio adhuc orthodoxo a. 428-29: « Virginalis sollemnitas (panegyris) linguam nostram hodie provocat ad laudis praeconium... Continet enim celebritas haec castimoniae argumentum totiusque sexus feminei habet tdoriationem ac mulierum gloriam, eius, quae in tempore mater ac virgo est » (Encomium in s. Deiparam PG 65, 680-692). *Aliud encomium* huius festi extollit hyperduliam Virginis sanctae: « Omnes memoriae (mnernai) sanctorum mirabiles sunt, nihil tamen huius diei sollemniis aequale ad gloriam... nihil eiusmodi est, ut cum Dei Genitrice Maria comparari possit... Nihil in mundo eiusmodi est, qualis Dei Genitrix Maria. Cunctas res creatas, o homo, cogitatione percurre, ac prospice, num quidquam sanctae Virginis ac Dei Genitricis Mariae aequale sit, aut ipsa fortasse maius... » (PG 65, 717). *Epitheta ornantia* enumerat SS. Mariae idem Proclus: est nova Eva, nova Sara, Rebecca, Debora. Elisabeth, est Mater et ancilla, est nubes, « concepit enim de Spiritu Sancto, quem illaesa integritate peperit, est thalamus, in ea etenim ut nuptiali thalamo Deus Verbum inhabitavit, arca, non quae legem portaverit, sed quae legislatorem peperit » (PG 65, 720). Hoc *festo complexivo* ergo semper conceptio et maternitas virginalis celebrabatur. — (2) *Theodorus,* episcopus Petrae in Palestina versus 530 adhuc affirmavit: « *Semel in anno* memoriam Dei Genitricis celebramus » (H. Usener, Der hl. Theodosios, Leipzig 1890, 38): *Basilius Seleucensis* hoc festo unico cecinit laudes SS. Mariae, hyperduliam inculcans:

« Si Petrus beatus appellatus est clavesque regni caelorum concreditas habuit, cur non prae omnibus una beata praedicetur, cui Eum datum est parere, quem ille confessus est? Si Paulus vas electionis cognominatus est... quale vas erit Dei Mater? Non aureae instar arcae, quae manna cepit, sed caelestem panem alvo comprehendit » (PG 85, 449). — (3) Festum hoc unicum Mariae etiam *in Occidente* notum fuit saec. V-o, Ravennae enim S. *Petrus Chrysologus* quatuor habet sermones « De annuntiatione « seu « De incarnatione » (Serm. 110-143. PL 52, 575-588), qui *immediate ante homilias Nativitatis Domini* leguntur. Hoc unicum festum enim plerumque *Dominica ante festum Nativitatis* proxima celebratum est, pericopa erat annuntiationis: « Audistis hodie, fratres carissimi, angelum cum muliere de hominis reparatione tractantem... Agit, agit cum Maria angelus de salute, quia cum Eva angelus egerat de ruina » (Sermo 142 PL 52, 579). S. Chrysologus semper de *annuntiatione* tractat hoc festo, simulque *partum virgineum maternitatemque divinam* laudibus extollit: « Blando motu, affectu pio virginem sibi Deus in matrem, servam sibi vertit Dominus in parentem... Cum Deus, quem tota creatura non capit, totum se intra pectus recepit et condidit humanum » (Sermo 140. coi. 577). Festum hoc dominicale apte inservivit *prodromi instar* festi natalitiis, ut idem Chrysologus indigitat: « Quae mandat Deus, exsequitur angelus, implet Spiritus, efficit virtus. Virgo credit, natura suscipit, cacli narrant, annuntiat firmamentum, stellae, magi praedicant, pastores adorant, pecora cognoscunt » (Sermo 141. coi. 578). — (4) Videtur quod *hoc* festum in ecclesia *mozarabica* fixam sedem *die 18 dec.* accepit, si enim Nativitas Domini casu die dominico celebretur. Dominica proxima incidit in 18. dec., ideo Cone. Toletanum X. anno 656 decretum edidit in omnibus ecclesiis « sollemnitatem gloriosae dominicae matris « die 18. dee. celebrandam esse. Textus Missae legitur *in sacramentariis mozarabicis* (MEL VI, 50-53), extollens « gloriam Salvatoris, quo modo virginem dignetur, ut concipiat, quo modo matrem remuneratur, ut pariat ». Praeprimis laudatur perpetua virginitas, aetemusque Dei Filius, « qui virgineae matris uterum sic intravit, ne rumperet, sic aperuit, ne signata ullo modo violaret » (coi. 51). — Etiam *liturgia Ambrosiana* memoriam huius festi antiquissimi conservavit: Dom. ante Natale Domini vocatur « *Dominica de exceptato* » i.e. Dei Verbo, *excipere* idem est ac concipere, textus liturgici conceptionem virginalem celebrant. Simplici etymologia populari, cum iam terminus « *exceptato* » non fuit intellectus « *expectationem* » perperam intelligentes, creaverunt festum « *Expectationis partus* ».

b. *Festa agriculturae mariana.* Sicut *Romani feriis paganis* celebrare consueverunt singula momenta rerum rusticarum per « ferias sementinas », dein per « ferias messis », demum per « ferias vindemiales » (cf. supra B. 5. b. 1°), hac autem feriae sensum christianum acceperunt in feriis (prius Trium dein) Quatuor Temporum, sic fuit *etiam in Oriente.* — (1) In *Syria* inveniuntur enim vestigia talis celebrationis christianae rerum rusticarum: festum *sementis* (zar'a) mediante mense ianuario, festum de *spicis* seu aristis (sebla) mediante mense main, demum festum de *frugibus* vineae et arborum mediante mense augusto. In Oriente haec festa habent indolem *apotropaeicam* ut videri potest ex apocryphis saec. IV-V.: festum hiemale institutum est « ut locustae in terra absconditae perirent, segetesque rusticorum prosperarentur », festum vernum (inaii) « propter aves muscasque nigras ne e terra prodirent segetesque corrumperent », festum autem mediante augusto « propter agros fructusque vi-

neae et arbores quae ferunt fructus » (Holweck p. 267). — (2) Festa haec reruin rusticarum Christiana statim ab initiis *sub protectione SS. Mariae* posita sunt, ideoque occurrunt nomina « Solemnitas Deiparae, festum sementis », vel « Mariae Matris quae praesidet seminibus » aut « BMVirginis de semine » (=15. ian. cf. Holweck p. 9 s.); dein: « Mater Dei quae protegit aristas » seu » Mater Dei occasione spicarum » (cf. PO 10, 53. 57, Holweck p. 131). Festa haec ergo sensu stricto non erant festa mariana, sed festa apotropaeica et protectiva agriculturae sub tutela Mariae sanctissimae. — (3) Paulatim tamen festa haec evaserunt SS. Virginis et quidem festum *Natalis Mariae* seu Dormitionis SS. Virginis, festum futurum Assumptionis sic die 15. aug. celebrari coeptum est (cf. inf. 5). Ecclesia autem *Alexandrina* Coptorum die 21. ian. colere coepit festum Requiei Deiparae i.e. mortis Mariae (Holweck p. 14). — (4) Ecclesia *Gallicana* vero 18. ian. recolebat « Festivitatem sanctae Mariae », ut testantur *Kalendaria* Corbeiense et Floriacense, *Martyrologia* Hieronymianum, Eptemacense, Lucense praecipue autem S. *Gregorius Turonensis* de BMVirgine dicens: « Huius festivitas sacra mediante mense undecimo celebratur », hoc est ianuario. Festivitati interfuit ipse Gregorius « in oratorio Marcianensis domus Arverni territorii (=Auvergne) ubi eius reliquiae continentur. Adveniente vero hac festivitate ego ad celebrandas vigilias ad eum accessi » (De gloria mart. c. 9). Festum in *Lectionario Luxoviensi* vocatur simpliciter « Festivitas sanctae Mariae » (Salmon I, p. CXI), eodem modo in *lectionario Gallicano* saec. VIII., ubi dies 17. ian. assignatur: « In festivitate s. Mariae quae est XVI. kal. febr. » (Clm 6229 Salmon I, p. CVH). Satis mature haec festivitas evasit « Depositio s. Mariae » seu « Adsumptio », de qua cf. infra 5. a. 1°.

c. Sic via strata fuit ad *specialia festa* BMVirginis, Assumptio autem non solum ianuario, sed etiam mense augusto celebrari coepit Hierosolymis, ut Dormitio Mariae. Eodem saeculo VI-o iam *Annuntiatio* quoque peculiare festum die 25. mart, accepit (cf. inf. 4).

c) Cultus liturgicus BMVirginis media aetate.

1°. Ortus variorum festorum marianorum peculiarium saec. VII-VIII. in Oriente cerni potest. Saec. VII-o ad festum Assumptionis et Annuntiationis accesserunt festa *Nativitatis BMVirginis* dic 8. sept. (cf. inf. 6.) et 21. nov. *Introductionis in Templum* (cf. inf. 7. a. 13°). Festa haec mariana, excepta 21. nov., exeunte saec. VII. etiam *Romae* publice celebrari coeperunt sub Papa *Sergio I.* (687-701): « Constituit autem, ut diebus Adnuntiationis Domini, Dormitionis et Nativitatis sanctae Dei Genitricis semperque Virginis Mariae ac sancti Symeonis, quod Ypapanti Greci appellant, letania exeat a Sancto Hadriano et ad sanctam Mariam populus occurrat » (Lib. pont. ed. Duchesne I, 376).

2°. In territorio liturgiarum typi Gallicani.

a. A saec. VII-o iam inveniuntur festa mariana. In *Gallia* celebrabatur 18. ian. Festivitas sanctae Mariae seu Adsumptio (supr. b. 3°. b.), vestigium autem habetur festi Nativitatis Virginis (cf. inf. 6. a. 2°.). In *Hispania* vero ritu mozarabico Assumptio celebrata est semper die 15. aug.

b. *Cultus* autem *liturgicus* BMVirginis *latius patet* quam eius festa, *textus*

enim *liturgici* vivide testantur *cultum Deiparae,* abundant enim ideis mariologicis, titulis SS. Virginis, piisque affectibus erga Dei Genitricem. Sufficiat obiter inspicere *liturgiam mozarabicam,* quippe quae multo plures habet monumenta textualia. (1) Laudatur *maternitas divina·.* « Salutem mundi prima suscepit uirgo plena gratia Dei et ideo vera Mater Filii Dei » (MEL VI, 14. D. II. Adv. inlatio), Salvator « nec gerentem honore fraudat, nec Genetricem labore contristat... neque enim fas erat, ut traheret illa suspiria, quae omnium gaudia pariebat » (ibid. col. 50, Dies S. Mar. « missa »). Mater haec est « virgo electa ante saecularia tempora thalamo Dei regis » (593. Adsumpt. s. Mar.), ideoque — (2) extollitur *virginitas perpetua.* Maria est « virgo ante conceptum, virgo semper futura post partum, Deum suum prius mente, dehinc ventre concepit » (14. Dom. II. Adv. inlatio). Christi « fuit solius sine corruptione conceptio et sine dolore de Matre Virgine inviolabilis partitudo » (52. Dies S. Mar. inlatio), prorumpit ergo in pium affectum: « O admiranda ubique potentia Salvatoris! Ostendit in Matrem virginitatis aeternae miraculum... » (94. Juliani mr. inlat.). — (3) Maria ideo *castitatis est exemplar·,* virgines hortantur, « ut non Evae essent participes, sed Mariae, nec corruptae parentis, sed incorruptae sociae Virginis in Christo maneant, Christum diligant et concipiant, Christum pariant ct in Christo maneant » (491. De virginibus inlatio). Christus enim « qui virgo ex Virgine natus, virginitatem in virginibus remunerat incorruptam » (ibid. 490. post nomina). S. loannes Evangelista comparatur Mariae, Christus loanni, « quem coelibem cligerat, matrem suam virginem commendavit... Matrem gloria pariendi honorat, et discipulum recumbendi honore glorificat » (70. S. loannis inlatio). — (4) Maria est *typus Ecclesiae,* ut clare edicitur inlatione noctis paschalis, qua « nocte progenerat mater Ecclesia sine corruptione concipiens et cum gaudio pariens: exprimens in se utique formam Virginis genitricis » (250). Ratio huius « typicitatis » est: « partus Mariae: fructus Ecclesiae » (56. Nat. Dom. inlatio). Iure itaque B. Virgo vocatur « omnium credentium mater » (594. Adsumptio), mater etiam SS. Eucharistiae, nam « hostiam immaculatam maternus uterus impolluta virginitate produxit, pudor edidit, sanctificatio genuit, integritas fudit » (55. Nat. Dom. post nomina). — (5) *Titulis honoris* cumulatur SS. Maria: est « gloriosa Maria », seu « Virgo gloriosa » (400.401). Est « Verbi in terra sacrum effecta templum » (101), quae « adsumptionis gratia coram te (Deo) suffragatricem pro nobis effecisti incomparabilem » (407), Unigenitus autem Dei est « ancillae suae filius, dominus matris suae » (56).

c. Etiam *liturgia Celtica* partes habet in hac concertatione mariana, sufficiat allegare hymnum marianum S. Cuchuimnc: « Cantemus in omni die | Concinnantes varie | Conclamantes Deo dignum | Hymnum sanctae Mariae. | Bis per chorum, hinc et inde | Collaudemus Mariam, | Ut vox pulset, omnem aurem Per laudem vicariam. Maria de tribu Inda | summi Mater Domini | opportunam dedit curam aegrotanti homini » (An. hymn. 51, 305).

3°, Aevo Carolingico inde a saec. VIH-o cultus liturgicus marianus varia incrementa nactus est. *Carolus Magnus* Aquisgrani, urbe capite imperii sui, Capellam Palatinam, i.e. ecclesiam palatii sui Mariae Virgini dedicavit, cui reliquias Deiparae (crines et vestimentum) comparavit, quae per totum medium aevum peregrinorum innumeram multitudinem alliciebant. *Hymni* compositi sunt m honorem SS. Mariae, quorum celeberrimus est hymnus exinde in liturria usitatissimus « Ace *maris stella* », qui prima stropha sua argumentum

sequentium stropharum continet et indicat (« *Ave* » = 2. stropha; « *maris stella* » = 3. str. bonum omen vitae nostrae vincula solvit, lumen profert; « *Dei mater alma* » = 4. str. monstrans se esse matrem; « *atque semper virgo* » = 5. str. singularis, inter omnes mitis; « *felix caeli porta* » — = 6. str. per semetipsam iter parans tutum ad Jesum videndum, cf. A. Strucker, Litg. Zeitschr. 1932-33, 82-84). *B. Alcuinus,* consiliarius Caroli Magni (t 803) init probabiliter qui *Sabbati diem* cultui BMVirginis dedicavit, in eius Supplemento ad Sacramentarium Gregorianum legitur Missa votiva, cuius praefatio ad laudes excitat Deiparae: « Et te in veneratione sanctarum virginum exultantibus animis laudare, inter quas intemerata Dei genitrix Virgo Maria, cuius devote commemorationem agimus, gloriosa effulsit. Quae et Unigenitum tuum... » (G. Richter, Sacrament. Fuldens, η. 315). *Paulus diaconus* aevo hoc (t 799) hymnos quoque marianos composuit, inter eos: «Quis possit amplo famine praepotens Digne fateri praemia Virginis? » (An. hymn. 50, 123).

4°. Aevo reformationis monasticae (saec. X-Xl.) quum duce congregatione Clunyacensium optimi viri Sedi Apostolicae operam praestiterunt in instauratione Ecclesiae, Maria Virgo habebatur qua *signum magnum* in opere innovationis spiritualis exsequendo.

a. Deipara *duplici peculiari novoque titulo* recoli coepta est, cuius cultus vestigia etiam in cultu liturgico deprehendi possunt. Unus titulus est *misericordiae* (Regina misericordiae, mater misericordiae), ob nimia peccata aetatis huius maxime misericordia opus erat Dei, quae per intercessionem Mariae efflagitata fuit. *Hermannus Contractus* monachus Augiensis (t 1054) huius misericordiae extitit laudator cantilena admirabili « *Salve regina misericordiae* », quae dein cito cantus vespertinus evasit (cf. Cl. Blume, Reichenau u. die marianischen Antiphonen, *in:* Kultur d. Reichenau II, 821-825), ipse etiam probabiliter auctor est alterius cantus « *Alma Redemptoris mater* ». *Alter titulus* novus Mariae Sanctissimae est *Reginae;* dum imagines et statuae Deiparae aevo Carolingico SS. Virginem sine corona repraesentant, inde a saec. X-o saepissime regio diademate, corona aurea exornantur (Beissel p. 52-55). Opinio publica de partibus Mariae reginae mundi apte exprimitur *oratione* cuiusdam presbyteri saec. Xl-i: « Non ignoro, o beata regina mundi! quia te in multis offendi et castitatis atque virginitatis, cuius tu mater es, ego in meo corpore signaculum violavi innumeris etiam peccatorum sordibus involutus sum, nec dignus invenior, te totius munditiae principem pollutis labiis invocare: verumtamen o ianua caeli, fenestra paradisi, vera mater Dei et hominis, quia septies in die laudem dixi tibi, et quamvis peccator, quamvis indignus, omnibus tamen canonicis horis tuae laudis obsequium non fraudavi » (Petr. Damiani, De horis canon, c. 10. PL 145, 230). Inde a saec. X-o exeunte enim etiam *horae BMVirginis* in usum venerunt, canonicoque officio adiectae fuere.

b. Variis *devotionis actibus* recentioribus tunc SS. Virgo coli coepta est, inter quos memorari debet *cultus gaudiorum* Beatissimae Matris, in aetate Gothica deinceps plenius evoluta. Primum vestigium penes S. *Petrum Damiani* invenitur et quidem in forma externa liturgica. Quidam monachus enim solebat SS. Mariam transeundo ante altare eius cotidie hac antiphona salutare: « Gaude Dei Genitrix virgo immaculata, — gaude quae gaudium ab angelo suscepisti — gaude quae genuisti aeterni luminis claritatem — gaude, mater — gaude sancta Dei genitrix virgo, tu sola mater innupta! — Te laudat omnis

factura! — Genitrix lucis, intercede pro nobis! » (Disp. de variis apparitionib. et miraculis c. 4. PL 145, 588).

c. Alius actus devotionis quoque saec. XI-o notus fuit, salutatio per Aoe *Maria, e* qua aetate Gothica prex rosarii orta est. Clericus quidam fatuus, frivolus et ineptus nihil aliud solebat facere, quam « ante sacrosanctum altare quotidie beatae Dei Genitricis accedere, et reverenter verticem curvans, angelicum hunc et evangelicum versiculum decantare: Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus... Quam fideliter aeterna sperabunt, qui beatae reginae mundi quotidiana horarum *omnium* vota persolvunt? » (Petr. Dam., De bono suffragior. c. 3. PL 145, 564).

d. Etiam *nomen Mariae* hoc aevo iam recoli coepit, ut *S. Anselmus* testatur: « Indignus hoc unum rogo, hoc unum precor, et obsecro in nomine dilecti filii tui, dona mihi misero iugem et perennem memoriam suavissimi nominis tui. Sit cibus dulcissimus, cibus suavissimus animae meae. Adsit mihi in periculis, adsit in angustiis, adsit in principio laetitiae meae » (Oratio 49. PL 158 ,948).

e. *Poetae mariant* saec. X-XI. SS. Virginem praecipue ut reginam venerati sunt mundi et caeli. Saec. X-o hymnus in territorio *Aquilegiensi* exortus sic cantat: « O sancta mundi domina! | Regina caeli inclita, | O stella maris, Maria, | Virgo mater deifica! | Emerge dulcis filia, | Nitesce iam virguncula, | Florem latura nobilem, | Christum Deum et hominem! » (An. hymn. 50, 139). Simili modo celebrat hymnus eiusdem saeculi *Hymnarii Moissacensis* Mariam: « Regina mundi nobilis, | Mater Dei et hominis, | Nata in mundo similis | Non est tibi ex feminis » (An. hymn. 2, 61). *Petrus Damiani* dignitatem regalem Mariae in festo Assumptionis canit: « Regina mundi hodie | Thronum conscendit gloriae, | Illum enixa filium, | Qui est ante luciferum » (PL 151. 968) S. *Anselmus* Cantuarensis vero in Oratione ad RMV. dicit: « Regina caeli inclita, | Orbis lampas siderea, | Meas absterge lacrimas, | Et peccatorum nebulas! » (An. hymn. 48, 99). Nil mirum, quod hoc aevo *officia rhytmica* quoque Mariam ut reginam celebrabant, officium quoddam deperditum suppeditavit dein etiam antiphonas quae aetate Gothica a Fratribus Minoribus assumptae sunt ut *antiphonae finales BMV.* in officio: « *Aoe regina caelorum* » et « *Regina caeli laetare* » (cf. A. Weissenbàck JfLw 1929, 307). Harum antiphonarum voces repercussas invenimus in poematibus *Godefridi* abbatis Vendomensis (1093-1132): « Virgo semper pretiosa, | Super omnes speciosa, | Stella maris, caeli porta, | Ex qua mundo lux est orta » (An. hymn. 50, 405).

5°. Aevo Gothico (saec. XII-XV.) cultus liturgicus SS. Virginis novis incrementis auctus est.

a. *Festa Deiparae* fere innumera exorta sunt, e quibus speciali mentione digna sunt sequentia. *Saec. XII-o orta* sunt: *Festum Praesentationis BMV.* in templo (cf. 7. a. 13°), dein praecipue *Festum Immaculatae Conceptionis* (cf. 2), Saec. XHI-o primo celebratum fuit festum *Visitationis BMV.* (cf. 7. a 4°), festum purae originis occidentalis, hoc saeculo divulgatum fuit festum Romanum *Dedicationis BMV. de Nive* (cf. 7. a 6°). Inter particularia festa mentione dignum est *Festum inventionis pueri Jesu in templo,* quod late divulgatum fuit usque ad reformationem S. Pii X., cuiusve institutionem Wenceslaus, episcopus Vratislaviensis (Vroclav, Breslau) anno 1395 his cohonestavit motivis: • Sane desiderabile est piis mentibus et ipsius Virginis dulcissimae inconsola-

bilem tristitiam de filii sui amissione unigeniti et ineffabilem laetitiam de eiusdem inventione pertractare, cum et tristitiae et laetitiae magnitudines praedictarum de inmensitate amoris processisse dinoscantur pectoris virginalis » (Franz, Messe p. 165-167). Memoranda sunt etiam festa compassionis, de quibus paulo fusius tractandum est.

b. *Festa compassionis cum B. Virgine.* (1) Aetas Gothica Mariam sub aspectu maternitatis coepit considerare et quidem realismo Gothico congruenter *uti matrem humanam.* Effigies et statuae artis Gothicae Mariam iam plerumque sine corona repraesentabant, cum filiolo divino qui matrem aspicit, pomoque, flore vel avicula ludit. Vultus beatissimae Matris non tam dignitatem Deiparae, quam amoenam speciem maternitatis humanae prae se fert (Beissel p. 84-88). Inde etiam spiritualitas Gothica individualisme propensa relationi necessitudinique subiectivae induisit erga Matrem Dei. Sic excoluit *compassionem* cum *gaudiorum* tum *dolorum* SS. Virginis, quae compassio etiam in cultum liturgicum penetravit. — (2) *Compassio gaudiorum* est vetustior forma privatae devotionis, iam saec. XI-o bene nota (cf. supra 4°. b.), quae prius devotio videtur fuisse extraliturgica. Orationes privatae, prosaico vel rhytmico stilo compositae permultae exortae sunt. Memoria digna sunt poemata *Jo. Hoveden* canonici Angli (f 1272) « Quindecim gaudia Virginis gloriosae » concinens (Dreves-Blume, Ein Jahrtausend lat. Hymnendichtung I, 342). Fere eodem tempore haec devotio etiam in aulis regiis *Hungariae et Poloniae* usitata fuit, quod eius popularitatem demonstrat. S. *Cunigunda* enim, regina Poloniae, filia regis Belae IV. Hungariae, a. 1277 in aula regia Poloniae constituta « vidit in visione quandam virginem pulcherrimam indutam pallio mirabili, quae habebat litteras insertas per totum pallium de septem gaudiis beatae Virginis Mariae, excepta una plica pallii, in qua non erant litterae. Quod videns puella, coepit mirari... Ad quam domina: Ego sum, inquit, mater Domini, tu autem hoc pallium meum decorasti. Sed quia hesterna die non recitasti septem gaudia mea, quae solebas semper recitare, ideo pallium istud non est per omnia ornatum » (Annales Polonor. MGII Script. 19, 641). Quam longe lateque diffusa fuerit haec devotio privata erga gaudia Mariae, exemplo « Regni mariani » hungarici quoque ostenditur: codices vulgati sermonis hungarici exeuntis medii aevi permulti continent tales devotiones populari intelligentiae accommodatas gaudiorum marianorum, numerosioresque sunt prae ceteris. — (3) Plerumque *septem gaudia* terrestria BMVirginis numerata sunt: 1. Gaudium de annuntiatione angeli concepta, 2. de nativitate Jesu, 3. de adoratione per magos praestita, 4. de praesentatione in templo, 5. de resurrectione Domini, 6. de missione Spiritus Sancti, 7. de assumptione corporea. Minor quidem, sed tamen affuit cultus etiam *septem gaudiorum* caelestium BMV. iuxta manuscr. Lipsiense saec. XV.: « Gaude et laetare mecum, 1. quod gloria mea excellit omnium Sanctorum iucunditatem, 2. quia sicut sol illuminat diem, sic lumen claritatis meae illuminat totum orbem caelestem, 3. quia tota militia caelestis oboedit mihi et veneratur, 4. quia filio meo et mihi est semper una voluntas et semper exaudit cunctas preces meas, 5. quia Deus ad beneplacitum meum remunerat omnes servitores meos hic et in futuro, 6. quia proxima sedeo Sanctae Trinitati, et vestita sum corpore glorificato, 7. quia certa sum quod haec gaudia semper stabunt et nunquam finientur » (Franz, Messe p. 164). — (4) Inde a saec. XIV-o iam *textus quoque liturgici* inveniuntur *in honorem gaudiorum BMV. Tres Missae* legi solebant in honorem gaudiorum: 1. Missa * *Venite ad me**, con-

tinnata ut fertur ab Innocentio IV., revera medium saeculum XIII. non fuit alienum a tali devotione, textum invenit Ad. Franz in Missali Pataviensi (Passau) impresso a. 1514 (Messe p. 164 nota 3.); haec Missa legitur etiam in Missali Strigoniensi pro Hungaria a. 1511, impresso Basileae, sed invenitur Missa « De septem gaudiis « iam in quodam Missali ms Pataviensi XIV. saec-i (cf. Rado, Libri lit. I, 103). — 2. Missa « *Vultum tuum* » e codice Bambergensi saec. XV-i, cum oratione: « Deus qui beatissimam Virginem Mariam in conceptu et in partu virginitate servata et pueri Jesu necnon trium magorum veneratione et in templo quadruplici gaudio laetificasti, quique eius gaudia eius filio resurgente et in caelum ascendente multiplicasti: praesta quaesumus, ut ad illud ineffabile gaudium, quo tecum assumpta gaudet in caelis, ipsius meritis et intercessione pervenire mereamur » (Franz l. c. nota 4.). Substantialiter eadem Missa legitur in Missali fratrum heremitarum Ord. divi Pauli primi heremitae Venctiis a. 1514 impresso (pro eremitis Paulanis Hungariae, Croatiae et Poloniae). — 3. Missa « *Gaudeamus... de cuius exultatione* » legitur in codice Sangallensi saec. XV-i (Franz l. c. p. 165). — (5) *Festa autem septem gaudiorum* variis diebus celebrata sunt medio aevo, imo etiam aetate posttridentina. Sic in *Lusitania* saec. XIV-o 8. apr. vel Fer II. post Dom. in Albis celebrabant festum (Holweck p. 81), die 24. sept, in dioecesi *Misnensi* (Meissen) a. 1485, item in archidioecesi *Pragensi* a. 1520 (Holweck p. 327). Dom. proxima 4. iul. fiebat festum adhuc saec. XVI-o in dioec. *Noviomensi* (Noyon) (Holweck p. 238), Dom. I. sept. a. 1610 in dioec. *Audomaropolitana* (St. Orner); saec. XVII-o 5. iul. in archidioec. *Parisiensi* celebratum est festum cum officio a S. Joanne Eudes composito (Holweck p. 216), quod nunc quoque ab Eudistis 8. iul. recolitur. Aliis variis diebus celebratur etiam in nostra aetate, in *Brasilia,* republica *Aequatoriana* et *Mexicana,* in *Argentina* (Holweck p. 111. 165. 126). Uti Missa votiva celebrata fuit in *Hungaria* medii aevi exeuntis « M. de septem gaudiis» in supradictis Missalibus manuscriptis. Optanda foret permittente Ecclesia cultus huius tam salutaris instauratio. — (6) Altera devotio Gothica est *compassio cum doloribus BMVirginis;* dolores quoque vario numero celebrati sunt. *Tres dolores* Deiparae memorat adnotatio manuscripta anni 1486 Missalis cuiusdam impressi (in Bibi. Metropolit. Strigoniensi Incun. XV. I. 139), per octo dies legi debebant octo Missae BMV. et fidelis « debet omni die confessionem facere et se maxime custodire a vicijs et in aurora esse in ecclesia vel in domo propria, aut in secreto loco et habere ante se crucifixum et flexis genibus orare et denote legere oraciones infrascriptas »; tres autem dolores sunt: 1. *dolor:* « Tu ipsum (= Christum) *audiendo* captum, ligatum, blasphematum, suspirationes, lamentationes, vlulaciones: et amarissimas passiones tunc habuisti n; 2. *dolor:* « Tu *obuiasti* eum et tam amarificata fuit anima tua, ut nec stare nec respondere poteras unico filio tuo propter passionem tuam »; 3. *dolor:* « Unicum filium tuum sine culpis exigentibus *interfecerunt:* quales amarissimas passiones tunc habuisti! n — *Quinque dolores* saepe referuntur in libellis orationum privatis (Franz, Messe p. 163), qui sunt: 1. Prophetia Simeonis, 2. amissio pueri Jesu, 3. captivatio Christi, 4. crucifixio, 5. sepultura. — Plerumque autem *septem dolores* Mariae numerati sunt, duo dolores accesserunt ad dictos quinque, ut 2. fuga in Aegyptum, ut 7. et ultimus ascensio Christi (!) — (7) *Missam dc doloribus quinque* inveni in Missali supra laudato a. 1486 et in alio Missali impresso a. 1512 manuscriptam in calce folii impressi (Bibi Univers. Budapest RMK. 62): » Salve parens perturbata n. Sine enumeratione

dolorum compositae sunt Missae « *De compassione heatae Virginis* n, duos textus ex Hungaria cf. in libro meo (Nyomtatott lit. konyveink kézirasos bejegyzései = Notae manuscr. librorum lit. impressorum, Budapest 1944, p. 20-22).

c. Aevo Gothico coeperunt officium diei *antiphonis mariants* concludere, devotio quaedam popularis liturgica fuit haec ultima salutatio Matris Dei ante decubitum. Prius « *Salve regina* » cantari coeptum est, fratres praedicatores cotidie Completorio absoluto hoc obsequium Deiparae praestiterunt inde ab a. 1221. *Gregorius IX.* ordinavit a. 1239 feriis VI. post Completorium a Salve regina » decantandum esse, S. *Ludovicus IX.* autem « volebat, ut pueri... et propinqui semper ad completorium assisterent cum ipso, in cuius fine specialis antiphona beatae Mariae alta voce cantabatur » (Thomassin. Vet. et. nov. eccl. disc. I, 2. c. 87, n. 2). Usus hic novus fuit, invectus 1249 a fratribus minoribus, teste epistola generalis *Joannis de Parma,* singulis diebus post Completorium iuxta partes anni antiphonae « Salve regina », « Alma redemptoris », « Ave regina caelorum », et « Regina caeli » cantandae praescriptae sunt (L. Wadding. Annales minorum III, 208), qui usus dein saec. XIV-o etiam in breviarium Curiae Romanae assumptus est (cf. uberius Baumer, Gesch. Brev. p. 261.342, Eisenhofer II, 554-555, Righetti II, 560-562).

d. Devotio popularis non stricte liturgica aevi Gothici fuit a *Planctus Mariae* », seu « Planctus Crucis ». Saec. XII-XIII-o ortus est mos e sequentia quadam certas strophas per varias personas decantandi, praecipue in *Vesperis Fer. VI. in Morte Domini,* in presbyterio sub « magna Cruce ». — (1) W. *Lipphardt* refert de plus quam 50 fontibus manuscriptis talis « *planctus* » *in Germania* (cf. 1932 et 1934 in Litt). Ortus huiusmodi planctus cerni potest in « *Planctu Monacensi* » (Miinchener Marienklage », ms e monasterio Tegernsee oriundum), qui duas habet strophas latinas, 27 strophas vero germanicas, « *Planctus Bordenholmensis* » autem scriptus a. 1475 iam 900 versibus constat. Beata Virgo Maria, evangclista loannes, et « tres Mariae » (Magdalena, Maria Cleophae et lacobi), quandoque etiam prophetae sunt personae huius cantus dramatici. Repraesentatio haec extraliturgica in tota Germania usitatissima etiam in *Bohemia* et *Italia* pluries cognita fuit. Sic *II. Maschek* planctum dramatizatum invenit (cf. 1936 in Litt.), scriptum ante 1416 e monasterio Smichôw Bohemiae, cuius auctorem putat esse Ernestum de Pardubitz archiepiscopum Pragensem, planctus hic independens est ab aliis huiusmodi operibus. *F. Barbudri* autem e fragmentis reconstituere potuit « planctum Crucis » seu « Virginis » exeuntis medii aevi, quo Tergesti (Trieste) usi sunt (cf. Litt. 1936). — (2) *In Gallia* autem modus *simplicior planctus* in usu fuit. Tolosae, ut *Du Cange* refert, *Fer. V. Coenae Domini* ad Matutinum tenebrarum cantatus est planctus B. Virginis « a duobus puerulis post matutinum et debent esse monachi, si possunt inveniri... Et omnes candelae exstinguuntur post matutinum, sc. post Kyrie eleison ...excepta una candela quae remanet accensa usque planctus finiatur, ad denotandum, quod in ista die tota fides remanserit in sola Virgine Maria, quia omnes discipuli erraverunt seu dubitaverunt secundum magis et minus, excepta virgine Maria. Ita planctus dicitur in cathedra praedicatorii et debet esse coperta et circumcincta de cortinis albis, praedicta cathedra, ad finem quod dicentes sive cantantes praedictum planctum non possint videri a gentibus, nec ipsi videant gentes, ut securius possint cantare sine timore, quia forte videndo gentes turbarentur » (Glossarium ed. 1733-36, VI, 353, 1). Planctus talis maxime cognitus et usitatus fuit *Godefridi S. Victoris*

(Vu. hymn. 20, 156-8): « Planctus ante nescia | Planctu lassor anxia | Crucior dolore. | Fili, dulcor unice, | Singulare gaudium | Matrem flentem respice, | Conferens solatium ». Godefridus (=Geoffroi de Breteuil) subprior fuit celeberrimi monasterii augustiniani Parisiensis (t 1194). Cantilenae huius *versio fidelis hungarica* saec. XIII-XIV. facta reperta est in codice quodam Lovaniensi a. 1923 a Rob. Gragger (« ômagyar Mâriasiralom »), unde fere certum haberi potest, quod tunc in Hungaria haec cantilena modo descripto cantata fuit, quae ceterum diu in usu mansit. Jo. Kajoni nimirum etiam hunc planctum ad usum tempore Quadragesimae edidit adhuc a. 1676 in suo Cantionali catholico (p. 204).

2. De festo Immaculatae Conceptionis BMV.

Festum hoc diei 8., in Oriente 9. decembris est recentissimum inter festa maiora BMV., signum tamen nostrae aetatis, cultum Marianum magis magisque promoventis.

a) Historia festi Immaculatae Conceptionis.

1°. Prima vestigia festi in Oriente quaerenda sunt. a. Puritatem absolutam BMVirginis inde a conceptu quidem Patres ab initio fassi sunt. Sufficiat allegare satis clarum testimonium S. *Ephraem* ex anno 370 in carminibus Nisibenis: « Revera quidem tu (Domine) et mater tua soli estis, qui omni ex parte omnino pulchri estis, non enim in te, Domine, labes est, nec ulla in matre tua macula » (Carmen 27. RJ n. 719). Eodem fere tempore S. *Ambrosius* talia dixit: « Suscipe me non ex Sara, sed ex Maria, ut incorrupta sit virgo, sed virgo per gratiam ab omni integra labe peccati » (Exp. in Ps 118. 22,30 RJ n. 1314). S. *Proclus* Constantinopolitanus (t 446) affirmat Mariam formatam esse e bono seu puro luto (Or. 6. RJ n. 2141 a.). Huc pertinet effatum quoque S. *Justini* comparantis Mariam cum Eva virgine adhuc incorrupta (cf. supra 1. a. 1°. c.), incorruptio enim haec asserta implicite continet etiam absolutam immunitatem a peccato originali, quali tunc Eva insignita erat.

b. *Festi tamen peculiaris indicia* tantum saec. VIII-o inveniuntur, unde verisimile est, tale festum iam saeculo superiore celebratum fuisse. *Andreas Cretensis* archiepiscopus (inter 711-726) poema liturgicum (canon) concinnavit pro die « 9. dec. Conceptione sanctae ac Dei aviae (theopromêtôros) Annae » (PG 97, 1305-1316), conceptionem quidem S. Annae laudat contra spem naturae factam, at hac occasione simul *celebrat integram sanctitatem* BMVirginis: « Tu casta es, quem in spiritu propheta praevidit, ex quo lapis iste praecisus est, qui divino robore idolorum aras contrivit » (PG 97, 1308). Specialis et singularis sanctitas ab Andrea extollitur: « Hanc hodie, ceu solam immaculatam tmonon paramômon) omnes nos per eam salutem consecuti, cordis exsultatione beatam dicamus » (ibid.). *Titulis* exornatur Maria in conceptione sua passiva: « Virgo deipara, impollutum tabernaculum... nubem te hortumque et lucis portam, mensam ac vellus cognoscimus, o Dei casta mater... casta columba!... rubus incombustus; candelabrum aureum, pretiosa virga... terrigenarum gloria, peccatorum advocata, una Christianorum spes » (PG 97, 1309. 1312. 1316. 1315). — Simili modo festi huius peculiaris testis est *Joannes Euboeensis* florens versus 7 It. qui festivitatem hanc sic extollit: « Hoc igitur est principium Novi Testamenti, principium est novae arcae ad Deum excipiendum in ?\nnae utero

exstructae, quae est ex radice Judae, Davidis et Jesse » (Orat, in Concept. Deiparae PG 96, 1476). Puella quae concipitur, vocatur « *prorsus immaculata,* Trinitatis sponsa, thalamus immaculatus (PG 96, 1481), *dies festi* autem est iuxta eum « licet non ab omnibus agnoscatur, in qua b. Joachim et Anna generationis Mariae semper Virginis ac Dei Matris nuntium acceperunt, *die nono mensis decembris* » (ibid. 1500). *Andreas* supra laudatus ergo paulo exaggerat rem dicens: « Festive hodie celebrat orbis terrae, a Deo exhibitam Annae conceptionem » (PG 97, 1312). — Festum tamen saec. IX-o invenitur, cuius egregium encomium cecinit *Georgius Nicomediensis* (860-880), dicens « miracula *oeconomiae* « praecessisse ortum Mariae et ortum Christi, quae sunt: « Nascitur virgo ex sterili, Deus ex Virgine corporaliter gignitur, ambobusque novam Deus creaturam (neourgia) molitur » (Encom. in Concept. S. Annae PG 100, 1356). *Festum* ideo laudatur ab eo: « Cum itaque hodierna festivitas illustrioribus sollemnitatibus miraculorum in ipsa consummatorum ratione praeeat... par omnino est, ut tamquam principio ac causae universorum bonorum, venerationem ei adhibeamus, impensiorique eam gaudio celebremus » (ibid.). Hoc saeculo festum Conceptionis fortasse iam publicum et feriatum evasit, ut Passaglia (op. in Litt. 1854 cit. III, 1750) ex oratione quadam imperatoris Leonis Philosophi (896-903) concludit.

c. Omnes *libri liturgici orientales* tum festum continent, tum laudibus abundant privilegii Immaculatae Conceptionis, adeo, ut *Jos. Besson S.J.* superior missionum in Syria et Perside (t 1691) ducentis fere locis e libris liturgicis orientalibus probare potuit tribus patriarchis constantem fidem Orientalium Immaculatae Conceptionis, ita, ut patriarchae subscripserunt declarationi: « ...dominam nostram Virginem purissimam sanctam Mariam semper liberam exstitisse et immunem a peccato originali, ut explicuerunt antiqui ss. patres longe plurimi, magistri orientalis ecclesiae » (Nilles, Kalendar. I, 351).

c. Festo huic ultimam manum apposuit imperator Byzantinus *Manuel Comnenus* (t 1181), id referens inter « festa omnino feriata » (teleôs aprakta), « quia tunc Genetricis Christi conceptio celebretur » (iuxta commentarium Theodori Balsamon ad Nomocanon Photii, Tit. VII. c. 1. PG 104, 1068 s.).

2° Festum Conceptionis BMV. in Occidente. Non potest dici festum hoc in Occidentem per unam portam solummodo intrasse, plures enim reapse patebant.

a. Prima fuit procul dubio *Italia meridionalis,* Sicilia et Neapolis, ubi permulti Italograeci vixerunt. In Kalendario marmoreo Neapolitano saec. IX-i iam legitur festum orientale: « Conceptio s. Annae » die 9. dee.

b. Inter ceteras partes Europae festum primo penes *Anglos* invenitur; unde festum acceperunt, certo non constat. (1) Factum autem indubium est, quod festum *ante invasionem Gulielmi Expugnatoris* (1066) prima parte saec. Xl-i iam quibusdam in ecclesiis celebrabant. Kalendaria Veteris monasterii *(Oldminster)* et Novi monasterii (Newminstcr) in Wintonia (= *Winchester)* festum habent die 8. dee., primum scriptum est a. 1030, alterum inter 1035-1059; *mutatio diei* 9. *in S dec.* fortasse inde venit, quod sic identitas habetur cum 8. sept, festo Nativitatis Mariae sanctissimae (VI. id. sept, et VI. id. dee.) novem menses ergo computantur a conceptione ad nativitatem. *Textus liturgici* eiusdem aetatis anglici referuntur in Missali quodam Exoniensi (=Exeter), quod nominatur episcopi *Leofrici,* versus a. 1050, ubi *orationes* leguntur, *benedictiones* episcopales autem Missae habentur in Benedictionali Exoniensi (cf. Hamp-

son, Calend. medii aevi I, 433 et F. E. Warren, The Leofric Missal, Oxford 1883, 268). Oratio quidem plenitudinem mysterii ignorat, sed tamen conceptionem Mariae recolit: « Deus qui b. Mariae virginis conceptionem angelico vaticinio parentibus praedixisti, praesta huic praesenti familiae tuae eius praesidiis muniri, cuius conceptionis sacra sollemnia congrua frequentatione veneratur » (cf. Warren l. cit.). Relationes necessitudinesque *ecclesiae Angliae cum Roma* notissimae sunt, at etiam *cum Neapoli* vigentes exstiterunt, codex Evangeliorum « Book of Lindisfarne » nominatus systema pericoparum continet Neapolitanum saec. VII. (DAL XII, 1, 756). S. Theodorus, archiepiscopus Cantuariensis (1690) qua metropolita heptarchiam Anglicam moderans et temperans Graecae erat originis, relationibus autem etiam ulterius exstantibus facile supponi potest Anglos festum hoc ex Oriente mutuasse. — (2) Post impugnationem a. 1066 Normanni festum suppresserunt, sed *mature revixit.* Probabiliter iam *Helsinus* abbas Rameseiensis (=Ramsay) inter 10S0-87 festum restituit in suo monasterio. Legendarium quidem indicari potest quod de eo narratur: in periculo naufragii apparuit ci S. Nicolaus, patronus nautarum, eique liberationem promisit, si « diem conceptionis Matris Domini NJChristi solemniter celebrabit », *verum* tamen esse potest *festum* per eum introductum, resp. restitutum fuisse (cf. PL 159, 319 s.). Certe hoc fecit *Anselmus iunior,* nepos S. Anselmi Cantuariensis a. 1128-29 festum restituens (cf. Kellner p. 189 nota 4). Saec. XII-o etiam *in aliis monasteriis* Benedictinis assumptum est festum Conceptionis Mariae, sic in abbatia Redingensi (= Reading) per abbatem Hugonem, in monasterio S. Petri Wcstmonasteriensi (=Westminster), per Osbertum a Clara, dein in abbatia Worcestrensi per decanum Warinum. *Eadmer,* discipulus S. Anselmi. monachus Cantabrigiensis (t 1124), historiographus Angliae, qui tractatum conscripsit « De conceptione sanctae Mariae » (ed. Thurston-Slater 1904. in Lilt.), ipse quoque fervens fautor festi erat. Anno 1129 *Synodus Londiniensis* recepit festum. — (3) At etiam in Anglia festum obiectumque eius *adversarios nactum est.* sic prae primis Rogerium Sarisburiensem et Bernardum episcopum S. David Meneviensem (t 1147). Sic factum est, ut tandem solummodo a. 1328 in universa Anglia festum Conceptionis assumptum est a *Concilio Cantuariensi,* ubi festum hoc publicum renuntiatum est, quia « venerabilis Anselmus, praedecessor noster... post alia quaedam BMV. antiquiora sollemnia Conceptionis festum superaddere dignum duxit » (Cone. Cantuar. a. 1328. can. 2.).

c. *In Gallia* primo festum celebratum esse videtur (1) in *Normandia,* ubi saec. XII-o in monasterio *Fiscamniensi* (=Fécamp) iam celebratum fuit cum praefatione propria (A. Salaville, L'Immaculée Conception en Normandie, in: N. Dame 1913, 361). In dioecesi *Rotomagensi* (=Rouen) tempore episcopi Rotrici (1165-83) festum habebatur Conceptionis aequale festo Annuntiationis (cf. Pl. 207. 1179), Rotomagum enim arctas habuit relationes cum Anselmo iuniore, fautore festi, qui annis 1116-17 ibi versatus est, lingo vero Ambiensis, inter 1130-16 archiepiscopus Rotomagensis antea abbas fuit monasterii Redingensis in Anglia, ubi festum celebratum est (cf. Holweck p. 403). Simili modo invenitur festum in abbatiis *Gcmneticensi* (=Jumièges) et S. *Audoeni* (=St. Ouen) Normandiae. — (2) Inde a Normandia *in alias partes quoque Galliae* diffundi coepit festum Conceptionis, eiusque idea festiva. Ideo etiam in Gallia *adversarii* surrexerunt. inter eos S. *Bernardus,* qui canonicos Lugdunenses festum inducere conantes acriter reprehendit circa a. 1140: « Miramur satis quod visum fuerit hoc tempore quibusdam vestrum voluisse mutare colorem optimum,

novam inducendo celebritatem, quam ritus Ecclesiae nescit, non probat ratio, non commendat antiqua traditio... Virgo regia falso non eget honore, veris cumulata honorum titulis... Nulla ratione placebit contra Ecclesiae ritum praesumpta novitas: mater temeritatis, soror superstitionis, filia levitatis » (Ep. 174. PL 182, 333. 336). — (3) Saec. XIII-o tamen *in omnibus fere dioecesibus Galliae* festum celebrari coeptum est. *Normanni* in universitate Parisiensi diem Conceptionis Mariae recolebant ut festum eorum patronale, quasi « nationale », quod « *festum nationis Normannicae* » vocitari consuevit (Kellner p. 191). Minus recte tamen Kellner opinatus est, festum in Europa a Normannis introductum fuisse, qui id in Sicilia et Italia meridionali cognovissent, at festum ante Normannos penes Anglos celebratum fuit.

d. *Hungaria* exemplo est etiam *alterius viae possibilis* ad cognoscendum hoc festum. Invenitur enim Conceptio Mariae 8. dec. iam in *Sacramentario Boldvensi* inter 1192-95, una cum «Repraesentatione Mariae Virginis »; festa haec assumpta videntur immediate a Byzantio, ubi Bela III. rex illius temporis (t 1196) in curia imperatoria Manuelis Comneni educatus fuit. Ideo in omnibus libris liturgicis Hungariae exinde festum Conceptionis invenitur (Rado, Libri lit. mss I, 39. 71. 75. 82. 91. 96. 102. 109. 116. 128. 157. 165.). *Duos hymnos* Dreves e fontibus hungaricis edidit Conceptionem celebrantes « Novum surgant in gaudium » et « In plausum grati carminis » (An. hymn. 4, 44). Fortasse *memoria* tam maturae constantisque celebrationis festi in Hungaria est illa *legendaria traditio,* quod festum in Gallia institutum est per clericum qui frater fuit regis Hungariae (Anal. Bolland. 1884, 208, relatum a Righetti II, 257).

3°. Ulteriores sortes festi, a. Saec. XIII-XIV. festum Conceptionis pacifice .susceptum est *in tota fere Europa,* praecipuum impulsum accepit divulgatio per ordinem *Fratrum Minorum,* cuius capitulum generale Pisae habitum a. 1263 celebrationem universo ordini praescripsit. *Roma* non suscepit festum, etsi in multis ecclesiis *Italiae* imo etiam in quibusdam ecclesiis *Urbis* celebrationem toleravit. Hic status optime notatur a S. *Thoma* medio saec. XIII-o dicente: « Licet Romana ecclesia conceptionem beatae Virginis non celebret, tolerat tamen consuetudinem aliquarum ecclesiarum illud festum celebrantium » (III q. 27. a. 2. ad 3). *Ctiria papalis Avenione* residens sub loanne XXII. 1316-1334 coepit celebrare hoc festum (Vacandard 1912. cf. Litt. p. 688). *Cone. Basileense* ob revocationem Summi Pontificis schismaticum evasum sess. XXXVI. 17. sept. 1439 festum pro toto orbe promulgavit, qui conatus tamen successu caruit. — b. *Sixtus IV.* 28 febr. 1476 Bulla sua « Quum praeexcelsa meritorum insignia » indulgentiis iisdem ditavit festum ac celebritatem Corporis Christi, invitatque ad « Missam et officium Conceptionis Virginis gloriosae iuxta piam, devotam et laudabilem ordinationem dilecti filii magistri *Leonardi de Nogarolis* » celebrandum (Extrav. commun. III. 12, 1). Cuius officii oratio hodiedum in usu est, clare enuntians mysterium Immaculatae Conceptionis. A. 1488 aliud quoque officium a *Bernardino de Bustis* concinnatum (« Sicut lilium ») permisit celebrare, quod tamen sat cito officio Leonardi cedit. In editione S. Pii V. officium hoc tamen *expunctum substitutumque* est officio Nativitatis Virginis sanctissimae, mutato ubique vocabulo « nativitas » in « conceptionem ». — c. *Innocentius XII.* 15. maii 1693 praescripsit, ut festum « Conceptionis BMV Immaculatae *cum octava* ubique terrarum in posterum recitetur » (Roskovany II, 397), quindecim annis autem elapsis *Clemens XI.* mandavit, festum hoc « ubique terrarum sicut alia festa *de praecepto* servari et celebrari ac sub

praecepto observationis festorum comprehendi » (Roskovâny II, 400). — d. Superiori saeculo mansit honor *sollemnis proclamationis dogmaticae* mysterii Immaculatae Conceptionis, quod auditis universi orbis episcopis die 8. dec. 1854 in Basilica Vaticana feliciter factum est. *Pius IX.* beatae memoriae in Bulla dogmatica « *Ineffabilis Deus* « nullam edidit ordinationem liturgicam, enimvero « praedecessores nostri — ut ait — vehementer gloriati sunt apostolica sua auctoritate festum Conceptionis in Romana Ecclesia instituere ac proprio officio propriaque Missa, quibus praerogativa immunitatis ab haereditaria labe manifestissime asserebatur, augere, honestare et cultum iam institutum omni ope promovere... Insuper summopere laetati sunt decernere, Conceptionis festum ab omnibus habendum esse eodem censu ac numero, quo festum Nativitatis. idemque Conceptionis festum cum octava ab universa Ecclesia esse celebrandum ⁊ (Roskovâny VI, 93). — e. *Officium et Missa noviter* confecta editaque sunt 25. sept. 1863, praescriptaque omnibus, « etiam si sint ritus a Romano diversi ac licet singulari privilegio concessa fuerint, etiam cuicunque Ordini regulari » (CRit d 3119). — f. *Octava* iam a. 1955 suppressa est in simplificatione rubricarum sicque mansit (NCR Calend.). Attamen per quinque annos festum hoc non potuit celebrari, si in *Dominicam Adventus* ceciderit, inde vero ab 1961 sollemnitas haec amoena iam iterum in Dominica cadens *praefertur* per exceptionem a regula generali (NCR 15). — g. *Ieiunium et abstinentia vigiliae,* quia difficultates continenter obstant observantiae legis, s. C. Cone. 25. iul. 1957. « obligationem deinceps ad pervigilium festi Conceptionis Immaculatae BMV pro omnibus christifidelibus ubique terrarum commorantibus » transferre praecipit (AAS 1957, 638).

b) Indoles festi Immaculatae Conceptionis.

Praecipue novum illud officium a Pio IX. a. 1863 ordinatum Missaque eius clare resplendent mysterium insigne huius diei.

1°. Beata Virgo in primo instanti conceptionis suae iam *immunis fuisse* praedicatur. « In conceptione sua accepit Maria benedictionem a Domino et misericordiam a Deo salutari suo » (3. ant. I. Noct.), ita ut merito cani debet: « Dili usa est gratia in conceptione eius, et speciosa apparuit inter filias hominum « (1. ant. II. Noct.). Quod hoc *a primo instanti* intclligendum est, inculcatur lectione desumpta e *Prov 8, 22-35,* quae lectionem Missae constituit pluriesque in decursu officii recurrit. Existentia aeterna Immaculatae hac lectione extollitur *per accommodationem liturgicam:* id quod Scriptura de aeterna *sapientia* affirmat, applicatur *Mariae* sanctissimae, in consiliis divinae Providentiae ab aeterno existentis: « Dominus possedit me in initio viarum suarum... ab aeterno ordinata sum ct ex antiquis antequam terra fieret ». *Praeordinatio* haec in Veteri Lege annuntiata fuit *typis:* Maria est *nova Eva,* nova mater generis humani. serpentis caput virgineo pede conterens, ideoque laudatur pluribus vicibus, ut *vera Judith,* quae terrigenas ab inimico salvavit, gloria idcirco, Ecclesiae est: » Γη gloria Jerusalem, tu laetitia Israel, tu honorificentia populi nostri » (Grad.). Optime laudatur ergo conceptio in *sequentia saec. XV.*: « Haec concepta miro more Est ut rosa cum nitore, ' Est ut candens lilium | ...Sicut ros non corrumpitur Quando in terra gignitur ' Elementi rubigine: ¡ Sic Virgo non inficitur, Cum in matre concipitur Originali crimine » (J Kehrein, Lat. Scquenzen, Mainz 1873, 144).

2°. Conceptio haec miranda per gratiam et privilegium singulare Dei effecta est.

a. « *Adiuvit* cum Deus mane diluculo, sanctificavit tabernaculum suum Altissimus » (2. ant. II. Noct.), dicitur de Maria. Per hanc operationem Beata Virgo comparatur *Ecclesiae,* cuius typus, primumque membrum est: « Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei, fundavit te Dominus in montibus sanctis » (3. ant. II. Noct.). Gloriam Mariae ab omnipotentia Dei derivari affirmatur in ant. ad communionem: « Gloriosa dicta sunt de te Maria, quia fecit tibi magna qui potens est ».

b. *Singulare privilegium* laudatur praecipue in postcommunione: « Sacramenta... illius in nobis culpae vulnera reparent, a qua immaculatam beatae Mariae conceptionem singulariter praeservasti » *Singularitas* huius unici privilegii revelatur iam in *Paradiso, lectiones* ideo I. Noct. enarrant historiam peccati originantis, ant. ad Benedictus iterum adiungit huic carmini *Redemptionis* veritatem: « Inimicitias ponam inter te et mulierem et semen tuum et semen illius, ipsa conteret caput tuum, alleluia ». Versiculus II. Noct. autem *gratias* refert Beatae Virginis: « In hoc cognovi, quoniam voluisti (=singulariter elegisti) me, quoniam non gaudebit inimicus meus super me ». Pulchre canit ideo *sequentia* quaedam saec. XIV.: « Fidelis Dei verna ' De Christi da lucerna | Quod Pater hanc ab aevo | Perfecit sine naevo... Sed amplius hic egit, | In matre, quam elegit, i Supremus hanc compegit | Ex forma non infecta » (« Diem sacram celebremus » An. hymn. 9, 54).

c. Privilegium hoc gratiae *intuitu meritorum Christi* Immaculatae donatum fuit, quod iam oratione Missae et oflicii liquide constat: « qui ex morte eiusdem Filii tui praevisa eam ab omni labe praeservasti... ».

3°. Beatissima Virgo celebratur immunis ab omni labe originalis culpae, quod iam ant. initialis oflicii *in genere* enuntiat: « Tota pulchra cs Maria ct macula originalis non est in te! » (1. ant. I. Vesp.). Hanc immunitatem iam *Paulus diaconus* aevo Carolingico cecinit in hymno Assumptionis: « Rerum misertus sed sator, *inscia* | Cernens *piaculi viscera* Virginis, ' Hic ferre mortis crimine languido | Mandat salutis gaudia saeculo » (Hymnus « Quis possit amplo famine » An. hymn. 50, 123). Lect. 4. oflicii (Pseudo-Hieron.) limpide declarat hanc *immunitatem totalem:* « *Bene* plena, quia ceteris per partes praestatur, Mariae vero simul se tota infudit plenitudo gratiae. *Vere* plena, quia, etsi in sanctis Patribus et Prophetis gratia fuisse creditur, non tamen eatenus plena, in Mariam vero totius gratiae quae in Christo est, plenitudo venit ». « Nihil inquinatum in eam incurrit: Candor est lucis aeternae ct speculum sine macula », sic laudat hanc immunitatem sensu magis *negativo* Resp. lect. 5-ae. Lectione Evangelii *culmen* attingitur celebrationis huiusmodi immunitatis, annuntiatione nempe angeli: « Ave, gratia plena», quod statim cantu ant. ad offertorium repetitur a populo. Merito laudatur haec sanctitas a *sequentia saec. XIV*: « Thronus veri Salomonis, | Quem praeclaris caeli donis | Ornavit rex gloriae. | O regina pietatis, | Et totius sanctitatis ' Flumen indeficiens » (« Ave virgo gloriosa, caeli iubar » II. A. Daniel, Thesaur. hymnol. 5, 132). Omnia privilegia Mariae exultando *comprehendit* conclusio officii festivi: « Hodie egressa est virga de radice Jesse — hodie sine ulla peccati labe concepta est Maria — hodie contritum est ab ea caput serpentis antiqui, alleluia » (ant. Magn. II. Vesp.).

4°. Pii affectus excitantur textibus liturgicis — a. Ecclesia *gratias agit Deo* in persona Sanctae Mariae, quae quodammodo unam personam cum ea constituit: « Gaudens gaudebo in Domino, et exsultabit anima mea in Deo meo, quia induit me vestimentis salutis... quasi sponsam ornatam monilibus suis » (ant. intr.), canitur nomine Immaculatae simulque nomine etiam Ecclesiae, similiter gratiae aguntur labiis Mariae: « Beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna qui potens est, alleluia! » (Magn. I. Vesp.).

b. Haec communio cum Matre-Sponsa Dei Ecclesiam Matrem Sponsam Christi allicit ad *imitandam Mariam:* «Trahe nos Virgo immaculata, post te curremus in odorem unguentorum tuorum » (5. ant. Vesp.). Epistola Missae monemur quasi ore Beatae Virginis: « Beatus homo, qui audit me, et qui vigilat ad fores meas cotidie... qui me invenerit, inveniet vitam et hauriet salutem a Domino ».

c. Sanctitas haec eximia Mariae sic ordinatur *in sanctificationem fidelium:* « ...ut sicut illam tua gratia praeveniente ab omni labe immunem profitemur, ita eius intercessione a culpis omnibus liberemur » (secreta).

d. Ingens *gloria Deiparae concinenda* annuntiandaque est: « Sanctimonia et magnificentia in conceptione eius: annuntiate in omnibus populis gloriam eius! »(1. ant. III. Noct.). Consimili modo aliae ant.: « Laetamini omnes, in Domino: et confitemini memoriae sanctitatis eius », nam *ratio festivi gaudii* est: «Notum fecit Dominus opus suum: in conspectu gentium revelavit gloriam Genitricis suae. » (2. et 3. ant. III. Noct.). Iure igitur dicitur acclamatio liturgica: « Immaculata Conceptio tua, Dei Genitrix Virgo, gaudium annuntiavit universo mundo » (Versic. Nonae), vel ut medio aevo canebatur: « In honorem Mariae Virginis | Quae nos lavit a labe criminis, | Celebremus hodie: | Dies est laetitiae! » (Guéranger, Avent p. 458).

3. Dc festo Purificationis B. Mariae Virginis.

Cf. superius C. 4., et est ab a. 1961. festum Domini (NCR Var. 45 a.).

4. Dc festo Annuntiationis B. Mariae Virginis.

a) Historia festi Annuntiationis.

1°. Proto-Annuntiatio. Festum Annuntiationis *stricte* dictum vocamus *festum peculiare* eventus evangelici annuntiationis Virgini beatissimae ab angelo factae, quae novem mensibus festum nativitatis praecedit, cuius ergo dies est 25. mart. Ante hoc festum Annuntiationis proprie dictum tamen praecise annuntiatio iam obiectum fuit festivae celebrationis. — a. Festum *primigenium et unicum marianum Ecclesiae primaevae,* quod praecipue Dominica Natale Christi antecedente celebratum est, vocabatur *Euangelismos, Annuntiatio,* quia matemitatein divinam sub aspectu Incarnationis seu conceptionis activae sanctissimae Virginis angelica voce annuntiatam recoluit (cf. supra 1. b. 3° a.). Festum proprium Annuntiationis ex hoc festo sicut e quodam nucleo ortum est. (piando desivit celebrari festum unicum Marianum diesque Annuntiationis in relationem positus est cum die natali Domini. — b. Quae *ante* hoc festum peculiare diei 25. mart, occurrunt festivae celebrationes, *non sunt stricte dicta festa Annuntiationis.* (1) Sic S. *Augustinus* perspicue mentionem facit *annuntiationis 25. mart,* quin festum designet, eodem die etiam *passio* Domini me-

moratur, ut patet sine celebratione ulla liturgica: « Sicut a maioribus traditum suscipiens Ecclesiae custodit auctoritas, octavo enim kalcndas April. (=25. mart.) creditur conceptus, quo et passus » (De Trinitate IV, 5 PL 42, 894), traditio praedicta saltem de morte iam legitur penes *Tertullianum:* « Mense rnartio temporibus paschae, die VIII. kal. aprilium, die prima azymorum... omnis synagoga liliorum Israel eum interfecit » (Adv. ludaeos c. 8. PL 2,656). — (2) S. *Leo* loquitur de annuntiatione Ep. 16. ad universos episcopos Siciliae de servanda temporum ct mysteriorum distinctione locutus, cum fine proposito « ut in christiana observantia nihil inordinatum, nihil pateretur esse confusum, discernendae sunt *causae sollemnitatum* » (PL 54,698). Ordo rerum gerendarum exordium sumit ab Incarnatione, « unde aliud tempus est, quo annuntiante angelo beata virgo Maria fecundandam se per Spiritum Sanctum credidit et concepit « (ibid. 697), dein sequitur nativitas, circumcisio, praesentatio etc. Opinamur S. *Leonem Magnum loqui de festo unico mariano,* quod ante Nativitatem celebrabatur, saltem in dominica ante festum, non agitur ergo adhuc de peculiari festo annuntiationis. — (3) Festum *Hierosolymitanum* Annuntiationis ignotum est, etsi certum haberi potest, iam saec. V. aliquod festum exstitisse. In comperto est basilicam super spelaeum domus Mariae in Nazareth per S. Helenam constructam fuisse, insuper valde probabile est, talem basilicam mysterium suum titulare peculiari quoque festo celebrasse, ut Cabrol coniicit (DAL I, 2, 2246 s.), nullo modo vero adstipulamur coniecturae eiusdem auctoris diem huius celebritatis fuisse diem quadragesimum post Pascha (cf. supra E. 4. a. 1°. c.), qualis autem fortasse fuerit coniecturae instar proponimus. Non fuit certe 25. mart, quoniam Hierosolymis saec. V-o nativitas Domini adhuc 6. ian. celebrata est, sed fuit forte *dies 7. apr.,* dies unde novem mensibus numeratis dies nativitatis est 6. ian. Armeni schismatici enim « Festum clarissimae annuntiationis Deiparae » hoc die celebrant (Nilles II, 578), Armeni enim schismatici repudiabant festum 25. dee. Bene notum est, Armenos saec. V-o multa ex Hierosolymis quoad annum liturgicum mutuasse, probabile ergo festum 7. apr. in Terra Sancta considerari potest, saltem saec. V.

2°. Ortus festi proprii Annuntiationis 25. mart. a. Quando festum peculiare ortum est, non liquet. Certum est festum hoc originem duxisse in Oriente, verisimiliter saec. VI-o, nam saec. VII-o festum iam stabilitum apparet. Iuxta Chronicon Alexandrin, enim Heraclius imperator festo Annuntiationis 25. mart 624 profectus est in bellum adversus Persas (ed. Dindorf I, 713, PG 92, 488). — b. Cone. Quinisextum seu *Trullanum* a. 692 sancivit usum diu iam exsistentem huius festi: « In omnibus s. Quadragesimae ieiuniorum diebus, exceptis Sabbatis et Dominicis et sancti Euangelismi (=Annuntiationis), dici, praesanctificatorum liturgia celebranda est » (Can. 52. Mansi 11,968). Penes Syros festum Annuntiationis tam magni aestimatum est, quod « in quemcunque diem inciderit, celebrat Ecclesia, quod si inciderit in Fer. VI. Crucifixionis, liturgia celebratur » (Nilles II, 101 nota 2.). — c. Saec. VIII. ergo ineunte, S. *Andreas Cretensis* perpulchre laudat festum hoc iam diu celebratum: « Hodie fausta nuntia virginalis habet festivitas: ...O mysterium! Nescitur exinanitionis modus, conceptionis ratio ineffabilis est, angelus miraculo ministrat (leitourgei), uterus Virginis Filium suscipit, Spiritus Sanctus mittitur, Pater de supernis complacet, communique consilio commercium initur, in quo et per quod salutem consecuti consonis Gabrieli vocibus ad Virginem clamemus: Ave gratia plena, Dominus tecum, ex qua salus, Christus Deus noster, assumptam naturam humanam ad

se revocavit. Obsecra, ut salutem consequamur animarum nostraruml » (PG 97, 1329).

3°. In Occidente festum peculiare Annuntiationis sat mature invenitur, a. Primum manifestum vestigium divulgationis huius festi peculiaris habetur in canone Cone. Toletani X. a. 656, e quo omnino certum est in Hispania fuisse ecclesias, quae « festivitatem gloriosae matris 0 statuto quodam die, « qua invenitur angelus Virgini Verbi conceptum et nuntiasse verbis et indidisse miraculis » celebrabant. Hunc diem *fuisse* 25. *mart,* evidens est ex vetito: « Eadem festivitas non potest celebrari condigne, cum interdum Quadragesimae dies vel paschale festum videtur incumbere, in quibus nihil de Sanctorum sollemnitatibus convenit celebrari m (Mansi 10, 33 s.). Quibus clare constat, in regno Wisigothico quasdam ecclesias morem habuisse die 25. mart, celebrare Annuntiationem. Revera quoddam kalendarium mozarabicum habet hoc die inscriptum: a Equinoxis (=aequinoctium) verni et die mundi primus, in quo die Dominus ct conceptus et passus est », aliud vero die 20. mart, scribit: a Conceptio sanctae Mariae virginis » (MEL V, 458). Dies dein pro festo collectivo 'Mariae *electus est 18. dec.* (cf. supra 1. b. 3°. a. (5).). In fontibus liturgiae *Gallicanae* festum Annuntiationis deest, habetur vero *festum* S. *Mariae 18. ian.* (supra 1. b. 3°. b. (4).) — b. *Romae* festum Adnuntiationis *publice* institutum est a *Sergio* Papa (687-701) per insertionem festi iam exsistentis in systema stationale Urbis (cf. supra 1. c. I0.). Festum iam antea versus medium saec. VII. Romae inductum fuisse ostenditur eo, quod in Gregoriano primigenio deest (in Paduano saltem), item in Evangeliario Wirceburgensi, adest solum in Gelasiano primigenio et Gregoriano S. Hadriani I. — c. Inde a saec. VHI-o *ubique in Occidente* Annuntiatio festum fuit ab omnibus acceptum, exceptis Hispanis sub Arabum ditione viventibus, quorum Missale Mixtum et breviarium dein retinuit festum 18. dec., at eodem ritu et textibus idem festum etiam 25. mart, celebrat inde a saec. XV-o (cf. PL 85, 170 et 734). — d. *Octavam* festum hoc universim numquam habuit, quibusdam in locis tamen decursu medii aevi etiam octava occurrit, quae dein in aliquibus ecclesiis et ordinibus usque 1911. remansit, praesertim in territorio olim reipublicae serenissimae Venetae subiecto (Holweck p. 61). — e. *Leo XIII.* 27. maii 1895 festum Annuntiationis ad *ritum dp. I. cl. evexit,* quia « ab antiquissimis temporibus institutum et penes Latinam Ecclesiam ct Graecam pari solemnitate celebratum est, siquidem dominicae Incarnationis mysterium tamquam ceterorum fundamentum sacra liturgia profitetur » (CRit d 3850) nunc quoque est festum I. cl. (NCR Calend.), si impeditur, transfertur in Fer. II. post Dom. in Albis (NCR 96 a.). — f. Ad *Missam sollemnem* celebrans et ministri sacri in ora suppedanei utrumque genu flectunt (piando a choro verba cantantur «Et incarnatus est...», idem faciunt si iam consederint; unico genu genuflectunt quando ad altare recitant haec verba (iuxta NCR 518. b.).

b) Indoles festi Annuntiationis.

1°. Nomina festi varia sunt decursu temporum. Vocatur enim hoc festum *Euangelismos* = Annuntiatio, Angeli vel BMVirginis, *Enanthrôpêsis* = Incarnatio, *Conceptio Christi,* Adnuntiatio Christi vel Annuntiatio dominica, Annuntiatio sanctae Mariae de conceptione, *Mariae salutatio, Initium redemptionis* (DAL I, 2, 2242).

2°. Festum incarnationis. Festum est enim rememoratio mysterii diei quo filiatio divini Verbi humana mirando modo effecta est. Incarnatio *per virtutem Spiritus Sancti* extollitur lect. 2. « Egredietur virga de radice Jesse et flos de radice eius ascendet. Et requiescet super eum Spiritus Domini... », enimvero — ut Resp. eiusdem lectionis enuntiat, — « virtus Altissimi obumbrabit tibi, quod enim ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei ». Haec incarnatio *decretata fuit « inter ipsa mundi primordia »,* tunc cum Deus praenuntiavit « futurum semen mulieris, quod noxii capitis elationem sua virtute contereret, Christum sc. in carne venturum » (4. lect.). *Sublimis illius instantis* recolitur memoria, quando « ingreditur haec infima Jesus Christus, Dominus noster, de caelesti sede descendens, et a paterna gloria non recedens, novo ordine, nova nativitate generatus » (6. lect.). Oratio diei festiva prima sua parte celebrat hoc mysterium: «Deus qui de BMVirginis utero Verbum tuum, angelo nuntiante, carnem suscipere voluisti ».

3°. Festum parthcnogenescos. Recolitur *prophetia* magnifica Isaiae prophetae, *signum dominicum:* « Ecce virgo concipiet et pariet filium » (I. lect.), statimque adiicitur *adimpletio* vaticinii in Resp. « Missus est Gabriel angelus ad Mariam virginem... Ecce concipies et paries et vocabitur Altissimi Filius ». Exstatico impetu celebratur *parthenogenesis:* « Sancta et immaculata virginitas, quibus te laudibus efferam, nescio, quia quem caeli capere non poterant, tuo gremio contulisti » (6. Resp.). Mirabiliter laudat parthenogenesim *hymnus liturgiae byzantinae:* « O intaminata virgo tamquam vellus plane divinum, te praepara excipiendo Numini, quod in te velut imber descendat, ut torrentes transgressionis praeceptorum exsiccet. — Esto paratus, o divinae munditiae liber, quippe tibi Sanctus Spiritus digito inscribebat, Sapientia divina sed incarnata, quae insipientiae meae praevaricationem e medio tollat » (Guéranger, Carême p. 581).

4°. Festum Genitricis Dei. Conceptioni mirabili Mariae a. simul etiam *idea inaternitatis divinae* adiungitur, secunda pars orationis festivae hanc extollit: « ...vere eam Dei Genitricem credimus... », 3. Resp. cantu liturgico idem exprimit: « Suscipe verbum, Virgo Maria, quod tibi a Domina per angelum transmissum est, et paries Deum pariter et hominem, ut benedicta dicaris inter omnes mulieres ». — b. Congratulari monemur, quia *maternitas est radix totius dignitatis* Mariae: « Congratulamini mihi, omnes, qui diligitis Dominum, quia cum essem parvula, placui Altissimo et de meis visceribus genui Deum et hominem» (7. Resp.). (1) *Gaudium ob hanc maternitatem* describitur in praefatione Gelasiani limioris (saec. Vlll-i): « Nam in hoc se matrem Domini fuisse cognovit quia illum cum gaudio protulit, quam incorrupta concepit. Laetatur, quod caeli Dominum clausis portavit visceribus, quod virgo edidit partum. O admirandam divinae dispensationis operationem! Quae virum non cognoscit, et mater est et post filium virgo est, duobus enim gavisa est muneribus, miratur, quod intacta peperit, exultât, quod nutrivit, redemptorem... » (Mohlberg, Frank. Sacr. Gelas, n. 681). — (2) *Causa huius gaudii* prima est, quod mediante Maria accepimus omnes gratias, i.e. *vitam novam:* «Tu regis alti ianua | Et aula lucis fulgida: ! Vitam datam per virginem ' Gentes redemptae plaudite » (Hymn. Laud.). — (3) *Secunda* causa gaudii est, quod in dogmate maternitatis *continentur omnes veritates fidei* sicque eo omnes errores confutantur, idcirco ipsa Dei Genitrix provocatur ad gaudendum: « Gaude, Maria Virgo! Cunctas

haereses sola interemisti, quae Gabrielis archangeli dictis credidisti, dum Virgo Deum et hominem genuisti et post partum Virgo inviolata permansisti » (8. Resp.). Revera dogmate fundamentali matemitatis divinae ceterisve privilegiis ex illa resultantibus *refellitur atheismus,* quia Dei operatio optime et maxime in mariologia considerari potest; interimitur *materialismus,* praecipue per dogma assumptionis corporeae; *naturalismus* refutatur per Immaculatam Conceptionem; per ipsam maternitatem divinam *in genere* spectatam dissolvitur *arianismus, specialiter* considerata vero diluit *nestorianismum,* quia non solum mater Christi, sed etiam Dei genitrix est; obiurgatur *monophysitismus,* enuntiatur enim Maria etiam mater humana; opponitur *Protestantium* erroribus anthropologicis de naturae humanae corruptione; *pelagianismum* conculcat Mater « gratia plena », dispensatrixque gratiarum; per almam sociam Redemptionis autem iugulantur omnes errores *soteriologici.* Vere pleno iure exaltari potest maternitas divina, *ut illuminatio totius mundi,* Deus « per beatae Mariae sacri uteri divinae gratiae obumbrationem universum mundum illuminare dignatus est » (orat. Gelasiani Wilson p. 169).

5°. Festum annuntiationis angelicae. Dies festivus hodiernus rememoratio est etiam facti, quando « Missus Gabriel de caelis ' Verbi baiulus fidelis | Sacris disserit loquelis Cum beata Virgine » (Sequentia saec. XII. Dreves-Blume, Ein Jahrtausend II, 241). *Ministerium angelicum in annuntiatione* speciali consideratione dignum est (III q. 30. a. 4).

a. Primo mentem Mariae *attentam reddit* per salutationem, dies hodiernus est etiam *Natale salutationis angelicae,* ideo statim Invitatorium intonat « *Ave Maria,* gratia plena: Dominus tecum », idem resonat in Vesp. et Laud. 2. ant., et repetitur in offertorio Missae, conchiditurque hac salutatione totum officium: « Gabriel angelus locutus est Mariae, dicens: Ave, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus! » (Magn. II. Vesp.).

b. Angelus secundo instruere *debuit Mariam* circa mysterium Incarnationis, *praenuntiando* conceptum et partum mirabilem: « Ne timeas, Maria, invenisti gratiam apud Dominum: ecce, concipies et paries Filium » (3. ant.); dein *ostendendo* dignitatem prolis: « Dabit ei Dominus sedem David patris eius et regnabit in aeternum! » (4. ant.); demum *demonstrando* modum conceptionis eius: « Spiritus Sanctus in te descendet, Maria, et virtus Altissimi obumbrabit tibi! » (Magn. I. Vesp.). Functionem hanc angeli concinne canit hymnus saec. XIII-i: « Missus sacer a supernis | Ad Mariam angelus, Castitatis uberalem | dictis his adfatus est: | Ave virgo gloriosa, | Plena Dei gratia! | Spiritus divinus tuam | Implet innocentiam, | Regum rex egrediatur, | Ut de tuo utero, | Tamquam sponsus speciosus De cubili proprio » (Dreves-Blume, Ein Jahrtausend II, 239).

c. Angelus demum tertio intendit animum Beatae Virginis inducere *ad consensum praestandum,* « quod quidem fecit exemplo Elisabeth, et ratione ex divina omnipotentia sumpta » (S. Thomas), ut breviter haec dicuntur ant. 5.: « Ecce ancilla Domini: fiat mihi secundum verbum tuum », fuse autem narratur in Evangelio diei, poetice autem exprimitur sequentia saec. XII.: « Metum pellit, dat solamen. Nam per sacrum, inquit, Flamen | Et virtutis obumbramen Deo gravidaberis. | Ad hoc fecit argumentum De cognata (=Elisabeth) documentum Et caeleste sacramentum Insperati foederis » (Dreves-Blume II. 241 s.).

5. De festo Assumptionis Deiparae.

a) Historia festi Assumptionis.

1°. Proto-Assumptio. *Post* festum *unicum marianum* Ecclesiae primaevae festaque agriculturae *primum* festum *peculiare* Mariae intemeratae est procul dubium festum Assumptionis eius. — a. Proto-Assumptio considerari potest ut primum festum marianum *peculiare,* quod *Natale Mariae* sanctissimae, i.e. *transitum eius* de hoc saeculo in patriam caelestem celebravit, quin iam assumptionem *corporalem specialiter* considerasset. *Primario* enim *mors* Deiparae commemorata fuit, inde etiam *nomina* festi: Natale sanctae Mariae, Koimesis = Dormitio vel Pausatio, Depositio, Transitus BMV. (1) *Prima celebratio* talis festis probabiliter *Hierosolymis orta est saec. V-o* Lectionarium enim Hierosolymitanum, quod Armeni conservabant, festum annotat die 15. aug. ut « diem Mariae Deiparae » cum tribus pericopis lectionum Missae et Ps. 131, 8 cantando (a Surge Domine in requiem tuam... »), lectionarii huius textus graecus iuxta O. Heiming scriptus est inter 439-460 (AfLvv 1954, 409-411). Hoc die sermonem habuit *Chrysippus* presbyter Hierosolymitanus (inde ab a. 455) de Deipara (edit, a M. Jugie PO 19, 336-343). — (2) *Locus festi* fuit *Kathisma* i.e. ecclesia Mariae secus viam inter Bethlehem et Jerusalem, ab Hikelia aedificata medio saec. V-o; seriore tempore ecclesia *Gethsemani,* ubi sepulchrum BMV. ostendebant (cf. B. Capelle 1943. in Litter.). — (3) *Dies electus festi 15. aug.* iamdudum aliquo modo festum fuit characteris Mariani, ut dictum est (supra 1. b. 3°. b.), facile ergo evadere potuit festum speciale Natalis Mariae seu Proto-Assumptionis. Dies 15. aug. *non fuit anniversarium* ecclesiae Marianae Hierosolymis, ut Baumstark putavit (Liturg. comparés 202), dedicatio enim celebrata est 2. vel 3. dec. (Capelle 1. cit.). Probari item vix potest ingeniosa hypothesis *electionis astronomicae diei* a De Fleury excogitata: dies 15. aug. est dies, quando sol intrat in signum Virginis (Righetti II, 250), sol vero Christi, signum caeleste zodiaci « \zirgo » nominatum autem symbolum haberi potest BMVirginis. — b. Quodam modo etiam festum « Festivitas sanctae Mariae » *die 13 ian. in Gallia* celebratum Proto-Assumptio haberi potest, evasit enim dies Assumptionis in liturgia Gallicana, quae festum nunquam die 15. aug. celebravit (cf. supra 1. b. 3°. b. (4), de Missa Assumptionis Gallicana infra 2°. b.).

2°. Dies festus peculiaris Assumptionis 15 aug. a. In *Oriente* saec. \ I-o festum iam multi celebraverunt, sic e.gr. S. *Theodosius* coenobiarcha Palestinae, qui monasterium fundavit prope Hierosolymas (hodie Der Dôsi) et inter a. 493-529 archimandrita generalis fuit omnium coenobiorum Terrae Sanctae, cuius tempore magnum concursum populi fuisse festo 15. aug. refertur ab eius biographis (Theodor, de Petra et Cyrillo Scythopolensi, cf. II. Usener, Der. hl. Theodosios, Leipzig 1890, 38. 144). *Jacobus de Sarug,* monophysita Syrus (451-521) optime novit hoc festum, scripsit enim hymnum in honorem diei Deiparam Virginem collaudantem (Zingerle, Proben syrischer Poesie ans Jacob v. Sarug, in: Zeitschr. deutsch. Morgenland. Gesellschaft 1859, 44 s.). *Mauritius imperator dein* festum in toto suo imperio celebrandum indixit iuxta Nicephorum Callisti (Hist. eccl. 1. 17. c. 28.).

b. In *Gallia* festum saec. VII-o iam celebratum fuit. Missa *festi 18. ian.,* olim « Festivitatis sanctae Mariae » iam inscribitur in Missali Gothico « *Missa*

in adsumptione sanctae Mariae Matris Domini nostri n (PL 72, 244-248), quae etiam in liturgiam Mozarabicam transsumpta est, ut probavit B. Capelle (cf. Mise. Mohlberg 1949, p. 36-46, missa mozarab. in MEL VI, 592-598). Festum ergo Galliae Assumptionis utique die 18. ian. celebratum, ut primigenium et autochthoninn considerari debet. (1) Missa haec Gallicana procul dubio memorat *mortem Deiparae:* « ...nec per assumptionem sensit inluviem (=sordes), quae vitae portavit auctorem » (or. post nomina), festum hoc est « dies prae ceteris honorandus, quo fidelis Israhel egressus est de Aegypto, quo Virgo Dei Genitrix dc mundo migravit ad Christum » (contestatio), i.e. dies sepulturae Virginis gloriosae, Ps. 113 (In exitu Israel de Aegypto) enim canebatur ad sepulturam (Capelle l. cit. II, 58 nota). — (2) Ut *festi obiectum* tamen non solum mors, sed *et assumptio* extollitur: « Generosae diei dominicae Genitricis inexplicabile sacramentum, tanto magis praeconabile, quantum est inter homines assumptione Virginis singulare » (PL 72, 244). Assumptio *opus est Redemptoris,* qui « beatam Mariam famulantibus apostolis transtulit ad honorem » (ibid.). Sic tandem « veteres gemitus in nova gaudia » vertenda sunt: « Parum fortasse fuerat, si te Christus solo sanctificasset *introitu,* nisi etiam talem matrem adornasse! *egressu.* Recte in ipso suscepta es in assumptione feliciter, quem pie suscepisti conceptura per fidem » (contestatio).

c. *In Occidente* festum invenitur *in regno Wisigothico* saec. VII-o (MEL VI, 400-407): « Missa in diem adsumptionis sanctae Mariae », quae celebrata est iuxta kalendaria manuscripta *die 15. aug.* (cf. ibid. p. L.). Obiectum festi fuit *corporalis* assumptio Deiparae, in inlatione enim Missae Virgo sacratissima comparatur Enoch et Eliae, quos « ut corpore vivos mansio caelestis utrosque detinet », dein adiungitur: « ...merito quidem et gloriosior virgo Maria caeli petivit intimum n (l. c. coi. 404). Haec assumptio Mariae sanctissimae laudatur ut « laetabunda adsumptio, incomprehensibilis inlibata adsumptio, novi miraculi gloria, vera adsumptio in sede superna » (l. c. coi. 401.406).

d. *Romae* Papa Sergius festum hoc publicum reddidit (687-701, cf. supra l. c. 1°). (1) In *Gelasiano primigenio,* saec. VII. textus Missae leguntur a In assumptione sanctae Mariae n (Missa II, XLVII Wilson p. 193 s.), in qua vestigia indubia assumptionis detegi possunt. In hoc festo iuxta orationem 2. « terrenis corporibus ... per virginem Mariam ineffabile mysterium » coniunctum est, evidenter per assumptionem *corpoream,* munera offeruntur in hac sollemnitate, « quia ad tua praeconia recurrit, ad laudem quod vel talis (i.e. corpore) assumpta est » (secr.), transitus Mariae fuit occursus cum Filio, ideo precatur in postcommunione Ecclesia, « ut veniente sponso Filio tuo unigenito accensis lampadibus eius digni praestolemur occursum ». — (2) In *Gregoriano primigenio* ut patet nondum habetur festum, in Gregoriano a *Hadriano I.* transmisso iam adest festum (ed. Lietzmann n. 147-149) « Adsumptionis sanctae Mariae » 15. aug., diem celebrans « in qua sancta Dei genetrix mortem subiit temporalem, nec tamen mortis nexibus deprimi potuit, quae filium tuum dominum nostrum de se genuit incarnatum » (n. 148); tres vero orationes (n Famulorum tuorum » « Subveniat » ct « Mensae caelestis » n. 149) identicae sunt cum orationibus Missalis Romani, usitatis usque 1950. — (3) *Gelasiana iuniora saec. VHI-i* alias habent orationes quae etiam a Gelasiano primigenio differunt (cf. ed. Mohlberg n. 199). — (4) Primum tamen vestigium festi non in sacramentariis, sed in libro pericoparum evangelicarum, in *Lectionario Wirceburgensi* invenitur (med. saec. VII): « Die XV mensis aug. Natale sanctae Mariae »

cum *euangelio* de Martha et Maria (Lc 10, 38-42), quod commune evangelium erat sanctarum virginum ct *alio euangelio* « Beatus venter qui te portavit » (Lc 11, 27-28), prima pericopa usitata fuit in ritu Romano usque ad 1950 (cf. DAL V, 1, 906). Festum hoc lectionarii videtur fuisse magis mortis Mariae seu transitus sub influxu Byzantino. Festum ergo inde a saec. V1I-VIII. ubique in Occidente celebratum fuit, ubi ritum Romanum amplexi sunt.

3°. Ulteriores sortes festi Assumptionis, a. *Vigilia* Assumptionis nondum invenitur in Gelasiano primigenio, adest autem in *Gelasianis iunioribus* (e.gr. ed. Mohlberg n. 198), saec. VIII-o, textus tamen Missae nullam habent specialem relationem ad Assumptionem, sed generalibus tantum terminis loquuntur de « venerabili sollemnitate, festivitate quam praevenimus ». *Gregorianum Hadriani* item habet iam Missam vigiliae (ed. Lietzmann n. 147), oratio super oblata edicit scopum Assumptionis, Mariam « idcirco de praesenti saeculo nequam transtulisti, ut pro peccatis nostris apud te fiducialiter intercedat », oratio autem « ad complendum » celebrat « sanctae Dei genetricis requiem ». Ab hoc tempore festum Assumptionis *ubique cum vigilia* celebrabatur, quae nunc ab a. 1961 est Vigilia II. cl. (NCR 31. b.). De translatione ieiunii et abstinentiae cf. supra 2. a. 3°. g.). — b. *Octava* quoque festi sat mature celebrari coepit, exemplo Leonis IV. (847-855), Nicolaus I. a. 866 hanc octavam parem dixit esse cum octavis Paschatis, Pentecostes, Natalis Domini (Mansi XV, 403). Octava haec abolita est iam ab a. 1955 (NCR calend.). — c. Festum maiora incrementa accepit a. 1950 cum Pius XII. fidem universae Ecclesiae inde a multis saeculis elapsis semper manifestatam de corporea assumptione Deiparae totius Ecclesiae votis annuens die 1. nov. Romae in foro ante Basilicam S. Petri patente sollemniter *divinitus revelatum dogma* esse definivit (Const. Apost. « Munificentissimus Deus » AAS 1950, 767-770). Ut fides sollemniter definita aptius exprimeretur per s. liturgiam, Summus Pontifex *novam Missam novwnque officium* edi iussit, Missam decr. S. C. Rit. 31. oct. 1950, officium autem decr. 27. apr. 1951. In *textu Missae* omnia nova sunt, excepto versu alleluiatico « Assumpta est Maria in caelum ». *Nova elementa* huius *officii* recentis vero sunt: Hymni tres (I. Vesp., Mat., Laud.), momentum corporeum Assumptionis magis extollentes, quod item facit oratio festalis. Ex antiphonis solum 2. et 3. Noct. Π-i et 2. 3. Noct. Ill-i mutatae sunt in alias, ceterae manserunt. Novae lectiones habentur in Noct. I-o, 1. lect. refert privilegiorum omnium radicem, matemitatem divinam in Protoevangelio praesagitam, 2. et 3. lect. (1 Cor 15, 20-26. 53-57) resurrectionem tractant universalem. Nova est lect. 6. desumpta ex Const. Ap. « Munificentissimus Deus », concinne resumens historiam definitionis dogmatis, demum novum est Evangelium historiae salutationis Elisabeth (Lc 1, 41-50), tresque lectiones III. Noct-i, depromptae ex homilia S. Petri Canisii qui optime rationem reddit tum festi, tum Evangelii recenter electi. Nova item sunt capitula omnia (Vesp., Laud, et Horarum), desumpta e libro Judith (13, 22. 24-25; 15, 10).

4°. Benedictio herbarum in festo Assumptionis, a. Talis benedictio praeprimis in *Germania* invenitur inde a saec. X-o. In *Gallia* videtur non reperiri, tres occurrunt penes Leroquais (Pontificaux manuscrits II, 384. 441. 165), sed libri in quibus leguntur, sunt originis Germanicae (Pontif. Wormatien saec. X., Ritual. Coioniens, saec. XII., Rit. Trcvircnse saec. XV.). In manuscriptis *Hungariae* medii aevi non inveni talem benedictionem, sed legitur in Obsequiali Strigo-

niensi impresso a. 1496, inde in Rituali Strigoniensi. — b. *Scopus* benedictionis primigenius probabiliter fuit *transmutatio superstitionis paganae* in Sacramcntale christianum, cuius rei vestigium fortasse deprehenditur penes Reginoncm Prumiensem (f 915): «Non licet in collectione herbarum medicinalium aliquas observationes vel incantationes attendere, nisi tantum cum symbolo divino et oratione dominica, ut Deus et dominus noster honoretur » (De synodalibus causis l. II. c. 374. ed. Wasserschleben p. 357). *Finis* huiusmodi Sacramentalis luit *benedicere herbas medicinales,* ut vis naturalis plantis indita adhuc superna benedictione roboretur, sicque herbae « aegris corporibus prodessent ad medicamentum » (Franz, Benediktionen I, 398). Accessit ut finis *effectus apotropaeicus* multique alii effectus intenti et efflagitati, e.gr.: « ...ut omnis, qui secum portaverit, non dampnetur in indicio, nec in igne nec in aqua, neque in aliquo ferro laesionem sentiat, nec infamiam, nec invidiam, nec irrisionem, neque obprobria, neque veneficia, neque accusationes, neque iracundiam, neque captivationem, neque diversas machinationes omnium hominum, neque invidias, neque illusiones aliquas ac fraudes vel tristitiam nunquam patiatur, et si praegnans mulier tempore pariendi secum habuerit, liberabitur et non morietur et in quacumque domo repositae fuerint, nec scandalum nec periculum patiatur », (textus saec. XIV. Franz p. 409 s.). — c. *Plantae* ad benedictionem allatae e libris liturgicis colligi possunt (Franz p. 406): vinea seu pervinca (Immergriin), verbena officinalis (Eisenkraut), hypericon perforatum (Johanniskraut), valeriana officinalis (Baldrian), agrimonia eupatoria (Odermennig), ligusticum levisticum (Liebstockel), antirrhinum minus (Orant), arnica montana (Maricnkraut), dein herbae communes ut brassica (Kraut, Kohl), allium (Knoblauch), cepa (Zwiebel). — cl. *Dies ad benedictionem* electus fuit praecipuus *15. aug.* Multae enim plantae et herbae in Germania nomine Mariae nuncupantur, *rosae* vero et *lilia specialiter Deiparae devota* sunt, Virgo enim sacratissima a liturgia nominatur « flos campi et lilium convallium » (Cant 2, 1). Quoniam dein in regionibus septentrionalibus messis mensibus iul.-aug. habetur, cum etiam flores et herbae hortorum et camporum maturescunt, pronum fuit herbarum benedictionem die festo Assumptionis figere. At etiam aliis diebus habebatur talis benedictio, praecipue 8. sept, festo Nativitatis Mariae sanctissimae, dein Festo SS. Trinitatis, et SS. Petri et Pauli, e.gr. in Alsatia, ut A. Pfleger ostendit (1936 in Litt.). — e. *Historia ritus* ab Ad. Franz describitur Benediktionen I, 398-413). *Initio valde simplex* fuit, absolvebatur duabus orationibus, quarum prima identica est cum or. 1. hodierni Rit. Romani. Hic ritus saec. X-i saec. XII-o *auctus est* oratione festali « Veneranda nobis » Gelasiani iunioris (ed. Mohlberg n. 1093); saec. XV-o autem orationes et ritus congruenter spiritui Gothico, *multiplicari coeperunt.* In Agenda quadam Moguntina saec. XV-i novem orationes prolixae leguntur, inter eas una in forma praefationis (Franz 101-103 η. IV.), iuxta Agendam Misnensem a. 1512 fit processio cum cantu, sex responsoria cantantur, quinque recitantur orationes (Franz 403 s-n. V.), Agenda Swerinensis septem profert orationes, quarum prima est exorcismus florum, frondium et fructuum (Franz 404 n. VL). — f. Ritus hodieque vigens habetur in *Rit. Romano tit. IX. c. 3, 11.* Ritus constat Ps. 64. et versiculis tribusve orationibus, quarum secunda *effectus intentos* edicit: « ...ut hominibus, pecoribus, pecudibus et iumentis contra morbos, pestes, ulcera, maleficia, in‹ mtationes. veneficia serpentum ct aliorum venenosorum animalium et bestia-

ruin morsus nec non quaecunque venena remedium praestent, atque contra diabolicas illusiones ct machinationes et fraudes tutamen ferant ».

b) Indoles festi Assumptionis Deiparae.

Missa officioque noviter constructis exprimitur fidei dogma a Pio XII. definitum: « Divinitus revelatum dogma esse: Immaculatam Deiparam, semper Virginem Mariam expleto terrestris vitae cursu, fuisse corpore et anima ad caelestem gloriam assumptam », et quidem « ad sui Filii honorem... ad Matris augendam gloriam et ad totius Ecclesiae gaudium » (Denz 2333).

1°. Hoc festo *celebratur* etiam Immaculata Deipara: Maria *Assumpta* consideratur etiam ut *Immaculata, uno* enim *conspectu* comprehenditur eius privilegium singulare: Mater Dei potuit, debuit et est a primo momento existentiae suae immunis a peccato originali, speciali immunitate pollet sanctitatis, huiusque *privilegii coronatio est Assumptio eius corporalis.* Statim ergo primo hymno (I. Vesp.) adclamamus ei: « Tu perpes hostis femina | Praenuntiata daemonis | Oppleris una gratia ¡ Intaminata origine ». Lectione 1. prophetatur privilegium hoc radicale: « Inimicitias ponam inter te et mulierem... », hoc audatur ant. nova: « Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus » (2. ant. II. Noct.), praedicatur 5. lect.: « Hodie Virgo immaculata, quae nullis terrenis inquinata est affectibus, sed caelestibus educata cogitationibus, non in terram reversa est, sed cum esset animatum caelum, in caelestibus tabernaculis collocatur». Iure ergo applicatur Mariae vox Psalmi: «Caeli annuntiant iustitiam eius et omnes populi vident gloriam eius (2. ant. III. Noct.).

2°. *Celebratur* expletus terrestris vitae cursus i.e. *finis vitae terrenae,* quia eo aperiebatur via ad gloriam Deiparae. Finis hic non patiebatur resolutionem corporis: « Praesidis mentis docilis ministra ' Haud caro tabo patitur resolvi, | Spiritus imo sine fine consors ¡ Tendit ad astra » (Hymn. Mat.); 2. lect. de universali resurrectione agit, omnes homines resurgunt, in Mariae corpore vero non habuit potestatem mors, quia morte praeventa vel fortasse etiam non praeventa, sed omni modo *iam ante resurrectionem* corporaliter assumpta est, merito ideo Mariae pleno sensu ac plenissimo accommodari potest effatum S. Pauli: «Novissime autem inimica destruitur mors». Quia hoc eminenti sensu de B. Virgine valet, loquens adducitur in Resp. subsequent!: « Sicut cedrus exaltata sum in Libano, et sicut cypressus in monte Sion ».

3°. *Magis* extollitur corporalis Assumptio *novo* officio, etsi etiam antea supponebatur. Nunc vero quod nova oratio dicit: « ...qui Immaculatam Virginem, Mariam, Filii tui Genitricem, corpore ct anima ad caelestem gloriam assumpsisti », explanate canitur in hymno (Vesp.): « Merces piaclo debita | Devicta mors te deserit,) Ahnique consors Filii ' Ad astra ferris corpore ». Idem pulcherrime annuntiatur ct declaratur 7. lectione: « Nec dies quidem ullus Mariae felicior laetiorque contigit, si et animae *et corporis* felicitatem eo die illi collatam ritu contemplemur: ideoque si antea unquam, tunc vel maxime spiritus ct anima et *corpus* eius in Deum vivum mirabiliter exultavit, ipsaque summo iure dicere potuit: « Respexit humilitatem ancillae suae, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes: quia fecit mihi magna qui potens est ».

4°. *Celebratur* Assumptio ad caelestem gloriam, statim primis duabus ant. I. Noct.: « Exaltata est sancta Dei Genitrix super choros angelorum ad caelestia regna « et « Paradisi portae per te nobis apertae sunt, quae hodie gloriosa cum angelis triumphas ». Idem canitur versiculo I. Vesp. *Quae dona* Maria accepit, enumeratur 8. lectione: « Beata quae non modo credidisti, sed fidei etiam omnisque virtutis fructum et finem hodie consecuta es et eius quem tantopere amasti atque desiderasti, iucundissimo conspectu nunc demum perfrui meruisti. Emmanuelem in castellum mundi huius intrantem, tamquam hospitem, hospita excepisti: hodie ab illo vicissim in regale suum palatium exciperis, et tamquam mater tali Salomone digna magnifice primum honoraris ». Merito cecinit iam S. *Petrus Damiani* saec. XI.: « Assumpta super angelos | Excedit et archangelos, | Cuncta sanctorum merita ! Transcendit una femina! » (An. Hymn. 48, 33).

5°. Assumptio eiusve *sollemnizatio* « ad sui Filii honorem, immortalis saeculorum Regis ac peccati mortisque victoris » facta est, mirabili Assumptione enim resplendet *potentia regalis Christi,* victoris super peccatum gloria manifestatur plene in Conceptione Immaculata, cuius consequentia est Assumptio, triumphus super mortem et corruptionem corporis. Apposite ergo dicit praefatio Assumptionis vetusta: « ...ad tua praeconia recurrit, ad laudem quod vel talis assumpta est » (Gelasian. Wilson p. 193).

6°. Item fit *celebratio* ad Matris augendam gloriam. Festum hoc *locum tenet principem* — ut S. *Petrus Canisius* 7. lectione dicit: « Inter has ferias, quae tot saeculis religiose hactenus observantur festum Assumptionis maximum reputatur ». Assumptio *auget gloriam* Beatissimae Virginis ut Reginae et Matris: « Felix hic planeque venerandus dies est, qui Reginam et Matrem nobis potentem simul et clementem in regno Dei constituit, ac confirmavit, ut eamdem, quae iudicis Mater assidue manet, matrem misericordiae nobis faventem et apud Christum patrocinantem nostraeque salutis negotia fideliter procurantem habemus » (lect. 9.). Idem laudatur doxologia hymni ad Mat.: « Laus sit excelsae Triadi perennis, ! Atque reginam statuitque nostram | Provida Matrem ». Omnis gloriae cumulatio exhibetur hymno Laudum: Maria Immaculata, « bis caput senis redimita stellis » (2x6=12 stellae: Immaculatae signum), terra polusque « reginam potentem » celebrat, ut advocata nostra « asseclas fidei tueatur », « transfugasve colligat » oves; gratiarum est dispensatrix, nam • sontibus veniam precatur», cstque sic «spes certa salutis». Haec magna gloria ergo iure extollitur *laudibus* olim viduae *ludith* tributis, in Maria Assumpta enim plenissime verificantur. Ideo lectio Missae sumitur e libro ludith (13, 22-25; 15, 10) et capitula omnia officii, revera Beatissima Virgo « ad nihilum redegit inimicos nostros », per Assumptionem praecipue infidelium materialismum, gloriam cius « hodie ita magnificavit », praesertim per Assumptionem, « ut non recedat laus eius ab ore hominum ».

7”. Festum Assumptionis provocat *ob coronationem privilegiorum* summum totius Ecclesiae gaudium. Hoc iam hymnus saec. X-i « In assumptione B. Mariae » expressit: «Gaude visceribus, Mater, in intimis Felix Ecclesia, quae sacra replicas Sancta festa Mariae » (An. hymn. 51, 144). — (1) Gaudium capit Ecclesia ex eo. quod intercessione \ssumptae « ipsius *gloriae mereamur esse consortes* » (oratio), iuxta id quod Petrus Damiani cecinit: « Pro nobis Virgo

virginum, Tuum deposce Filium, | Per quam *nostra* susceperat, | Ut *sua* nobis praebeat » (An. hymn. 48, 33). — (2) Causa *secunda* gaudii est, quod Assumpta Virgo fiducialis est *intercessor pro peccatis nostris,* nam « idcirco de praesenti saeculo transtulisti (eam), ut pro peccatis nostris apud Deum fiducialiter intercedat » (secr. Vig.). Oratione mire dilucida haec veritas edicitur in liturgia *Mozarabica:* « Domine Jesu Christe, qui sic Virginem Matrem honorificasti, quousque Adsumptionis gratia eam coram te suffragatricem pro nobis effecisti incomparabilem », ideoque populus festo hoc die his verbis benedicitur: « Exoratu Virginis sacrae Mariae vestra sint merita, et radicitus coram Christo abolita peccamina » (MEL VI, coi. 407). — (3) *Tertia* causa gaudii invenitur in intima *coniunctione cum Deo,* Ecclesia petit, ut ¶ corda nostra caritatis igne succensa ad Deum iugiter adspirent n, (secr.), sicque confidere jossumus non fore inanem petitionem nostram, a ut meritis et intercessione jeatae Virginis Mariae in caelum assumptae, ad resurrectionis gloriam perducamur » (postcom.). Sic autem verificatur gaudium diei huius, ut Adamus a S. Victore apte exprimit: « Felix dies hodierna, | Qua conscendis ad superna, ! Pietate tu materna | Nos in imo respice! » (D. B. Hymn. I, 270).

6. De festo Nativitatis B. Mariae Virginis.

a) Historia festi Nativitatis.

1°. Festum hoc in Oriente primum celebrari coeptum est. a. Primus testis festi est S. *Romanus* celeberrimus hymnographus (« melodus ») Graecus, oriundus e Berytho (=Beirut) Syriae, qui — ut reccntiores convincunt — tempore Anastasii I. (491-518) Constantinopolim se recepit ibique diaconi vices agebat in ecclesia S. Mariae Blachernensi urbis. Romanus carmen liturgicum « *kontakion* » composuit pro festo « 8. Septembris in nativitatem (genesion) omnino sanctae Deiparae » (textus: J. B. Card. Pitra, Analecta sacra spicilegio Solesmensi parata, I. Paris 1876, 198-201). Festum ergo prima parte saec. VI-i iam celebratum fuit, Romanus enim *festum populare supponit:* « In sancta tua nativitate quam festive celebrat tuus quoque populus e vinculo peccatorum solutus, dum clamat: Sterilis parit Deiparam vitaeque nostrae nutricem! » (str. 1. p. 198). *Obiectum* huius festi est nativitas Mariae sanctissimae, S. Anna enim mater Mariae, gratias Deo reddens adducitur in poemate: « Magnum hoc mihi, bone (Deus), factum est, ut parerem filiam quae pariat te aeternum ante saecula et omnia possidentem Deum tu, qui post partum servas Domini matrem, qualis est: virginem » (str. 8. p. 200).

b. *Divulgationem* huius festi ostendit S. *Andreas Cretensis* archiepiscopus (711-726), qui «canonem » i.e. poema liturgicum « in natale sanctissimae dominae nostrae Deiparae » concinnavit (PG 97, 1316-1329). (1) Festum ut videtur *iam dudum existons* recolitur: « Saliat ac ducat choros *universa* terra, etiam laetetur David, quod ex eius familia ac semine virga prodierit... Intemerata Deipara, Filius tuus te omni creatura eminentiorem demonstrat, tuam ex Anna nativitatem magnificat, omnesque hodie gaudio laetificat... Exsultet caelum, laetetur terra, quippe Dei caelum sponsa Dei in terris nata est » (PG 97, 1316. 1320. 1321). — (2) Gloriosa puellula mox nata *titulis cumulatur honorificis:* « Intemerata Deipara... nostrae facta es thesaurus vitae, portaque inaccessibilis luminis... aureum thuribulum facta es, in tuo siquidem utero ignis Verbum habitavit », iure idcirco Maria appellatur « a Deo germinans virginitatis flos,

castitatis decus, radix vitae » (coi. 1321. 1324. 1328). — (3) Simul etiam fortiter *inculcatur memoria matris Annae:* quippe « quae a generationibus est praefinita castae Virginis mater... (cui) hodie, pia religiosaque Anna, orbis gratulatur... (quae) laetatur ac gloriabunda clamat: Quae eram sterilis, Dei genui matrem, qua est soluta Evae damnatio, submohisque partus in tristitiis » (coi. 1317. 1321. 1325).

c. Subinde *ubique invenitur festum 8. sept.,* qui dies iuxta probabilem sententiam P. de Puniet (1925-26 cf. Litt.) fortasse fuit anniversarium dedicationis basilicae S. Mariae secus Piscinam probaticam Hierosolymitanam inde a saec. V-o, ubi erat secundum traditionem venerandam domus S. Annae in ecclesiam transformata, quae deinceps nomine S. Annae nuncupari coepit. In nonnullis libris liturgicis *Armenis* die 9. sept, celebratur Nativitatis festum congruenter diei 9. Conceptionis, *Abyssini* autem die 1. maii recolunt nativitatem (Holweck p. 114).

2°. In Occidente a. *Gallia* aliquo modo videtur celebrasse Nativitatem, J. Leroy, cui G. Morin adstipulatur (1938 et 1945-6 in Litt.) provocant ad praefationem Gallicanam *Missalis Gothici* vestigium celebrationis ostendentis: « Cuius sicut gratulati sumus ortu, tripudiavimus *partu,* ita glorificamur in transitu » (PL 72, 246). In *Kalenclariis Sonnatii* cp. Remensis (614-631) et S. Willibrordi (695) festum invenitur, libri liturgici pauci remanentes textus non afferunt. — b. Ignotum fuit festum Nativitatis in regno *Wisigothico,* exeunte medio aevo solum inductum fuit teste Missali Mixto: « Post alia quaedam ipsius (Mariae) antiquiora solemnia non fuit contenta devotio fidelium, quin Nativitatis solemnem diem superadderet hodiernam » (cf. Miss. Mixt. PL 85, 815). — c. *Mediolani* tempore Beroldi (c. 1124) festum nondum celebratum est, Borella tamen sparsim in quibusdam manuscriptis saec. XI-i celebrationem Nativitatis iam invenit (in Righetti II, 405). — d. *Romae* festum invenitur iam *in Gelasiano,* saec. VII-o ergo iam notum et in usu erat, publicam celebrationem stationariam, ut audivimus Sergius Papa (687-701) invexit, influxus Byzantinus saec. VII-o hoc sufficienter declarat, cuius vestigium est etiam ant. Magn. II. Vccp. verbotenus e tropario Graeco versa. Festum Nativitatis dein ubique in Occidente celebratum est; *octavam* ineunte pontificatu Innocentii IV. (1243-1251) accepit ex voto Summi Pontificis, quae octava simplificatione rituum 23. mart. 1955 dein sublata est (NCR 66. 67).

b) Indoles festi Nativitatis BMV.

1. Celebratur gloriosa Nativitas Mariae parvulae, a. gloriosa primo ob ortum *terrenum nobilissimum,* oriunda enim est e prosapia gloriosa davidica: « Nativitas gloriosa Virginis Mariae ex semine Abrahae, ortae de tribu Inda, clara ex stirpe David » (1. ant. utrarumque Vesp. et Laud.). Idcirco liturgia canit: « Regali ex progenie Maria exorta refulget! » (3. ant.). — b. Gloriosa est haec nativitas propter *sequelas saluberrimas:* vita eius exemplo est omnibus fidelibus « Nativitas est hodie sanctae Mariae Virginis, cuius vita inclyta cunctas illustrat ecclesias » (2. ant.), ideoque « corde et animo Christo canamus gloriam, in hac sacra solemnitate praecelsae Genitricis Dei Mariae » (1. ant.). — c. Gloriosa haec vita *ab aeterno praedestinata* est a Deo: « Ab initio et ante saecula creata sum, et usque ad futurum saeculum non desinam, et in habitatione sancta coram ipso ministravi » (dicitur in capitulo Vesp.

Laud., Tert.). Idem affirmatur Epistola Missae (Prov 8, 22-35), eodem sensu ac festo Iinmae. Conceptionis (supra 2. b. I0.).

2°. Celebratur dignissima Nativitas, a. primum eius *radicatis ratio:* « Gloriosae Virginis Mariae ortum dignissimum recolamus, quae et GèniVncw *dignitatem* obtinuit, et Virginalem pudicitiam non amisit ⁊ (Magn. I. Vesp.). Dignitatis enim fundamentum est maternitas divina e qua omnia alia privilegia prodeunt usque ad dignitatem coronationemque regalem, e nativitate ergo Matris Dei regalis dignitas quoque processit: « Nativitatem hodiernam perpetuae Virginis Genitricis Dei Mariae solemniter celebremus, qua celsitudo throni processit, alleluia! » (Bened.). — b. Haec dignitas *gratuita Dei donatione* data est sanctissimae Virgini, ideoque « corde et animo Christo canamus gloriam in hac sacra solemnitate praecelsae Genitricis Dei Mariae » (5. Resp.). Ex Maria enim « ortus est sol iustitiae, Christus Deus noster, qui solvens maledictionem, dedit benedictionem, et confundens mortem, donavit nobis vitam sempiternam» (6. Resp.); idem dicitur in ant. Magn. II. Vesp. Dignitas Mariae *in Christo laudanda est:* « Felix namque es sacra Virgo Maria, et omni laude dignissima, quia ex te ortus est sol iustitiae, Christus Deus noster » (8. Resp.).

3°. Celebratur supplex Nativitas, pro omnibus intercedens, a. *In genere* laudatur ct annuntiatur *intercessio Mariae:* « Cum iucunditate Nativitatem beatae Mariae celebremus, ut ipse pro nobis intercedat ad Dominum nostrum Jesum Christum. » (5. ant.). Intercessio haec neminem excludit: ⁊ Ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto femineo sexu: sentiant omnes tuum iuvamen, quicumque celebrant tuam sanctam Nativitatem » (8. Resp.). Eodem sensu exprimitur hoc oratione Gelasiani: « Adiuvet nos, quaesumus Domine, sanctae Mariae gloriosa intercessio, cuius etiam diem, quo felix eius est inchoata nativitas, meminimus » (Wilson p. 197). — b. *In specie* nativitas Mariae sanctissimae *pacem annuntiavit* mundo, reconciliationem per futuram Redemptionem, cuius mater praedestinata erat parvula, ideo pro pace precatur oratio: « ...pacis tribuas incrementum ». Pax intelligitur mentis et corporis, pax demum vera ct ultima, vita aeterna: « Per te sumus terrigenae | Simulque iam caeligenae, | Pacati pace nobili | More inaestimabili » iuxta hymnum Nativitatis saec. X-i (An. hymn. 5, 63). Precatio pro pace hoc festo Nativitatis iam S. *Romano* familiaris fuit: « Deus altissime... tu solus hominum amator, da pro clementia tua *pacem* populo tuo, custodi pios imperatores, cum pastore gregem in *quiete,* ut cum fide clamet: Sterilis parit Deiparam, vitaeque nostrae nutricem » (Str. 12. Pitra, Anal. I, 201). — c. Praecipue *remissionem peccatorum* intercessione misericordi Mariae efflagitat secreta Missae « In Nativitatis eius sollemniis, nostris nos piaculis exuens, oblationem nostram tibi faciat acceptam Jesus Christus, Dominus noster ».

7. De festis minoribus B. Mariae Virginis.

Agendum est a) De festis minoribus BMV in universa Ecclesia celebrandis, dein b) De festis minoribus pro aliquibus locis, demum c) De festis minoribus BMV patronatus nationalis.

a) De festis minoribus BMVirginis in universa Ecclesia.

Tredecim nunc numerantur festa BMVirginis quae ab universa celebrari debent Ecclesia, ordine Kalcndarii recensenda.

1°. Apparitio BMVirginis die. 11. febr. Festum est rememorativum celebris *apparitionis Immaculatae* ad ripam fluvii Gave in confinibus *civitatis Lapurdanae* (=Lourdes) puellae S. Bemadettae Soubirous die 11. febr. 1858 factae. Primum festum concessum est 1890 dioecesi Tarbiensi (=Tarbes) ad quam locus apparitionis pertinet. Quinquagenario apparitionis *Sanctus Pius X.* festum pro tota Ecclesia Latina ritu dupl. mai. praescripsit 13. nov. 1907 nunc est festum III. cl. (NCR Var. n. 3.).

2°. Septem dolorum BMV. Fer. VI. post Dom. I. Passionis. Obiectum festi primigenium non tam fuerunt septem dolores, sed *compassio cum Virgine perdolente,* ideo festum appellari solebat: Compassio, Transfixio, Lamentatio, Intimi doloris BMVirginis. De compassione iam egimus (superius 1. c. 5°. b. (6. 7).), primum peculiare festum indictum est a Cone. Coloniensi a. 1423, a saec. XVI-o autem hac Fer. VI. praesertim agi solebat in Gallia et Italia. Benedictus XIII. festum dupl. mai. universae Ecclesiae Latinae praescripsit a. 1727. Officium et Missa adhiberi debebant festi 15. sept. Hoc festum tamen non fiebat III. cl. in reformatione S. P. Joannis XXIII. a. 1960 inaugurata, sed reductum est ad commemorationem (NCR Var. 5. 1), quia idem officium, eadem Missa dicuntur die 15. sept. Sed qua privilegium adiicitur: « Peculiaria pietatis exercitia quae cum populi concursu in honorem BMV Matris dolorosae peragi consueverunt, continuari possunt. Permittuntur etiam eo die, duae Missae festivae de septem doloribus BMV. » (NCR Var. 25).

3°. Beatae Mariae Virginis Reginae dic 31. maii. a. *Historia festi.* (1) Sollemnitas haec, qua festum, prorsus nova est. Saec. X-.XI. quidem peculiari devotione colere coeperunt Mariam sanctissimam qua reginam (cf. superius 1. c. 4°. a.), at aliud est *cultus* privatus vel etiam publicus, aliud autem *festum,* manifestatio huius cultus. Sic multo ante festum quoddam iam colebatur Beata Virgo ut Regina, festa prima Mariae reginae *solum saec. elapso* paulatim celebrari coeperunt. Sic a. 1824 concessum est festum *Reginae caeli* Philippinis (Oratorianis) Panormitanis Dom. II. post Pascha celebrandum, a. 1840 autem ecclesiae Soc. Jesu Thermis in Sicilia Dom. II. maii (Holweck p. 104. 153). Tota Hispania et plurimae dioeceses Americae Latinae autem a. 1870 acceperunt indultum celebrandi festum Mariae *Reginae Sanctorum Omnium* die 31. maii, eodem die Seminarium SS. Petri et Pauli in Urbe recolendi Mariam ut *Reginam Apostolorum* a. 1916 (Holweck p. 142. s.). At festa haec fuerunt festa particularia, regalis quoque dignitas Mariae celebrata sub titulo particulari. — (2) *Festum BMV Reginae* instituit *Pius XII.* pro tota Ecclesia Latina Const. Apost. « Ad caeli reginam » die 1. nov. 1954 edita, sequenti anno autem edita sunt officium ct Missa recentis festi. Gradus est festi II. cl. (NCR Calend.).

b. *Fundamentum dogmaticum* huiusmodi festi noviter indicti optime elucidatur praelaudato documento apostolico. (1) *Praecipuum fundamentum* regalis dignitatis est procul dubio *divina maternitas* Mariae. Praeter hoc autem Regina dicenda est etiam, « quia ex Dei voluntate in aeternae salutis nostrae opere eximias habuit partes... inde procul dubio concludere licet, quemadmodum Christus novus Adam, non tantum quia Dei filius est, Rex dici debet, sed etiam quia Redemptor est noster, ita quodam analogiae modo Beatissimam Virginem esse Reginam non tantummodo quia mater Dei est, verum etiam, quod nova veluti Heva cum novo Adam consociata fuit». — (2) At regalis dignitas etiam ideo competit Mariae, quia *per Immaculatam Conceptionem*

• excellentissimum dignitatis gradum super creata omnia adepta est... qua maior sub Deo nullatenus intelligitur ». — (3) Maria etiam ideo regali dignitate pollet, quia « obtinuit etiam aliquam illius efficacitatis participationem, qua eius Filius ac Redemptor noster in mentes et voluntates hominum regnare iure meritoque dicitur », revera Beatae Virgini *in gratiarum largitione* concessa est paene immensa potestas (Leo XIII.). — (4) *Tituli regales* congeruntur a Pio XII. ad illustrandam convictionem universam de excellentissima dignitate Deiparae, vocatur enim: Mater regis totius universi (S. Greg. Naz.), Domina, Dominatrix, Regina totius humani generis (Andreas Oret.), terrigenarum omnium Domina (Germanus Constant.), omnis creaturae Domina (Jo. Damasc.), omnium Domina (Gregorius II.), Regina caeli et terrae (Bened. XIV.), « Ecclesiae theologi appellarunt eam rerum omnium creaturarum reginam, mundi reginam, universorumque Dominam ». Reapse « nunquam illa fides elanguit, qua elocemur Deiparam Virginem Mariam in universo terrarum orbe materno animo regnare ». De regali dignitate BMV. optima profert M. Schmaus, Mariologie, 1955, 369-381.

4°. Visitatio B. Mariae Virginis die 2. iul. a. Hoc festum creavit spiritualitas Gothica cognatos Domini eorumque vitae singula momenta libenter recolens, memoria est visitationis Virginis penes cognatam Elisabeth. A Fratribus Minoribus fuit festum indictum pro toto ordine a. 1263, cur 2. iul. electus sit, nescitur. Ecclesiae Latinae *universae* festum ritu dupl. praescripsit Urbanus VI., quod Urbano vita functo iterum indixit Bonifatius IX. 9. nov. 1389 cum vigilia et octava. *Scopus festi* fuit Virginem Mariam invocare, ut visitaret Ecclesiam schismate foedatam ovesque errantes ad unum ovile Christi reducat. — b. *Tres viri* fere eodem tempore adlaborabant ad festum textibus liturgicis exornandum. Primus fuit *Adam Easton* card. S. Caeciliae (t 1397), composuit tres hymnos festi (« In Mariae vitae viam », « O Christi mater caelica », « De sacro tabernaculo virtutum flos egreditur » Drevcs-Blume L 443-445). Secundus fuit *Raimundus de Vineis* magister generalis O.P. (t 1399) officium rhytmicum hodieque in ordine Praedicatorum usitatum concinnans « Ex ore infantium matres illustrantur »; tertius autem *Jo. Jenstein* archiepiscopus Pragensis, cancellarius Bohemiae (t 1400). — c. *Pius V.* festum retinuit quidem, sed *officium proprium abolevit* Commune festorum BMV substituendo vigiliam et octavam supprimendo. *Pius IX.* ex exilio suo Romam redux 31. maii 1850 festum ad *dupl. II. cl.* evexit. — d. Festum non solum Matrem Visitantem operaque caritatis exhibentem celebrat, sed *dies natalis* est etiam *Cantici sublimis « Magnificat ».* Ps. 44 in Introitu in persona Sanctissimae Virginis canitur: « Eructavit cor meum verbum bonum », i.e. Magnificat. Evangelii quoque lectio hoc cantico clauditur. — Nunc est festum II. cl. (NCR Calend.).

5°. B. Mariae Virginis de Monte Carmelo die 16. iul. Festum hoc primum erat particulare Ordinis Carmelitarum, *dies electus* est anniversarium visionis S. *Simeonis Stock* die 16. iul. 1251, quando a B. Virgine scapulare accepit (de quo cf. supra De poenitentia G. 3. c. 2°. c. (4).). Festum *pro Carmelitis* indictum est inter 1376-86, approbatum a Sixto V. a. 1587, pro *universa Ecclesia* autem solum 24 sept. 1726 a Benedicto XIII. praescriptum est sub ritu dupl. mai. In reformatione S. P. Joannis XXIII. a. 1960 festum reductum fuit in commemorationem (NCR Var. 5. b), cum privilegio tamen, quod si dies 16. iul. venerit in Sabbato, fit officium de S. Maria in Sabbato, sed ant. ad Bened. et oratio

ad omnes Horas canonicas dici *debent* de BMV de Monte Carmelo, Missa vero celebrari *potest aut* propria ut supra, *aut* de BMV in Sabbato (NCR Var. 50).

6°. Dedicatio BMVirginis ad Nives die 5. aug. Festum hoc anniversarium est dedicationis Basilicae S. Mariae Maioris in Exquiliis a Sixto III. peractae (cf. supra 1. b. 1°. a. (1).). Dies et festum quidem nondum occurrit in Sacramentariis antiquissimis, solum in Martyrologio Hieronymiano. *Legendaria narratio* medio aevo exorta refert hac die, nonis augusti, quo tempore in Urbe maximi calores solent esse, noctu partem collis Exquilini nivibus contectam fuisse, arca nive conspersa deinde electa est ad aedificandam basilicam S. Mariae. Narratio haec iuxta recentiores a consuetudine Romana perperam intellecta originem duxit pavimentum basilicae in festo dedicationis foliis rosaceis candidis a summitate tecti demissis contegendi, quae lectio ideo a commissione reformationi breviarii a Benedicto XIV. delegata expungenda proposita fuit, sed usque hodie immutata remansit (Baumer-Biron, Hist, du brév. II, 396). Praecipue ob hanc narrationem festum hoc saec. XIV-o *per totam Europam divulgatum fuit,* invenitur e.gr. in Missali quodam Cassinensi a. 1418 (Rado, Libri lit. I, 151), in multis codicibus Hungariae (ibid. 75. 80. 90. 116. 128. 156), multae ecclesiae hoc titulo dedicatae fuere, candidam immaculatamve indolem Mariae festo hoc laudabant. Sequentia quaedam Gallica e.gr. sic laudat Mariam in Missa festiva: « O nive candidior, | Sole pretiosior, | Mundi lux amoena, | Cunctis stirpe clarior, | Proleque fecundior, Virgo Deo plena » (Ann. hymn. 10, 87). S. Pius V. festum praescripsit *universae Ecclesiae Latinae,* a. 1913 restitutus est titulus nativus « dedicationis ». Nunc est festum III. c. l. (NCR Cal.).

7°. Festum Immaculati Cordis BMVirginis die 22 aug. a. Iam saec. XVII-o coeperunt cor B. Virginis venerari, ipse S. *Joannes Eudes* auctor cultus liturgici SS. Cordis Jesu etiam cultum liturgicum « Sanctissimi Cordis » Mariae promovit. Inde ab a. 1646 cum suis sodalibus religiosis 20. oct., sequenti anno autem 8. febr. *festum* huiusmodi celebravit *cum officio et Missa* ab eodem composito. Permulti episcopi Galli festum pro dioecesi praescripserunt, iuxta Jo. Eudes versus 1672 festum simpliciter « in Gallia » celebratum est. Attamen his solummodo per laudatum virum aliosve viros et mulieres via parata est cultui liturgico, SC.Rit. enim 8. iun. 1669 festum *repudiavit* (Holweck p. 32). — b. *Apostolica Sedes* primum ineunte saec. XIX. festum « *Purissimi Cordis*» approbavit, praecipue Pio VII. regnante, qui festum hoc concessit *Dorn. III. post Pent,* celebrandum clericis regularibus Matris Dei a. 1805.; *Dom. post oct. Assumptionis* recolendum a. 1907 concessit Capuccinis et Eremitis S. Aug.; diem *16 sepi,* prosequi concessit clero Assisinato a. 1814; a. 1815 vero Anconat permisit diem *1. iun.* festivum habere (Holweck p. 202. 296. 322. 180). — c. *Pius IX.* officium Missamque propriam concessit petentibus, sed festum universae Ecclesiae Latinae celebrandum solummodo *Pius XII.* indixit (CRit d 4. maii 1914), postquam iam a. 1942 « bello atrocissimo per orbem fere totum ingravescente, infinitas populorum aerumnas miserans, pro sua in Matrem caelestem pietate ac fiducia genus hominum illius Cordi benignissimo » commendavit (Brev. Rom. lect. 6.). Nunc habet festum gradum II. cl. (NCR Calend.). — Partes in festo inducendo habere affirmantur apparitiones Sanctae Virginis in Fatima anno 1917.. item enixae preces Alexandrinae Mariae da Costa, defunctae anno 1955. in Balazar Portugalliae (cf. Palestra del Clero 1959, 926).

8°. Festum Sanctissimi Nominis Mariae die 12. sept. Nomen Mariae recolere iam antiquis notum fuit, S. Anselmus iam precabatur nomen invocans B. Virginis (cf. superius 1. c. 4°. d.), festum tamen peculiare ineunte solummodo novo aevo celebrari coeptum est. Dioecesi Conchensi (Cuenca) in Hispania a. 1513 Leo X. diem festum *15. sept,* frequentare permisit, fortasse quia octava est Nativitatis Mariae. Sixtus V. a. 1587 festum ad diem *17. sept,* transtulit, die hoc multae dioeceses Hispaniae et Galliae sollemnitatem SS. Nominis Mariae recolebant. Eudistae autem festum die *22. sept,* agebant, quia puellis hebraeis duabus post natalem hebdomadibus nomen imponi solebat. Pro *universa Ecclesia* Latina festum a *Beato Innocentio XI.* indictum fuit, Dom. infra oct. Naliv. BMV. celebrandum, ad gratias Deo referendas *ob victoriam prope Vindobonam 12. sept. 1683* super Tureas reportatem. In reformatione S. Pii X. Festum ideo affixum est diei victoriae 12. sept. (cf. Holweck p. 320. 323. 325. 317). Festum est III. cl. (NCR Calend.).

9°. Septem dolorum BMVirginis die 15. sept. Concessum est tale festum Ordini Servorum BMV a. 1668 a Clemente IX. Dom. III. Sept, celebrandum. Plures dioeceses festum receperunt, Pius VII. 18. sept. 1814 id *universae Ecclesiae Latinae* praescripsit, S. Pius X. autem 1908 ad gradum dupl. II. cl. evexit, dein diem 15. sept, ad celebrandum festum assignavit (CRit d 4308 I, h.). Septem dolores qui recoluntur sunt: 1. Prophetia Simeonis. 2. Fuga in Aegyptum. 3. Amissio pueri Jesu duodennis. 4. Occursus cum Jesu crucem baiulante. 5. Statio ad Crucem. 6. Contemplatio vulnerum post mortem. 7. Sepultura Domini. Festum remansit II. cl. (NCR Calend.).

10°. Festum BMVirginis de Mcrcede die 24. sept. Festum est rememorativum « descensionis » seu apparitionis B. Virginis 1. aug. 1218 ad fundandum ordinem religiosum ad redemptionem (« pro mercede ») captivorum. Mercedarii *1. aug.* celebrabant festum iuxta concessionem a. 1615, eodem saec. XVII-o pro Gallia ct Hispania idem festum concessum est *Dom. proxima Kalendis aug.* celebrandum. *Universa Ecclesia Latina* a. 1696 obligata fuit ad hoc festum observandum, dies festi pro lubitu assignatus est *24. sept,* per Card. Collorado (cf. Hollweck p. 285. 327). Festum hoc inde ab a. 1961 reducitur ad commemorationem (NCR Var. 5. g.).

11°. Festum B. Mariae Virginis a Rosario die 7. oct. De notione, momento, historia et legibus SS. Rosarii abunde egimus superius (De Eccl. orante G. 3. e.), nunc restat solummodo de festo SS. Rosarii quaedam dicere. — a. *Primum festum* hucusque cognitum SS. Rosarii est inventum in Breviario *Dertusae* (=Tortosa) in Hispania a. 1547, Dom. HI. apr. celebratum cum officio rhythmico, Missa et sequentia propria (An. hymn. 17, 29 et 8, 69). Verbeta officii celebrant singula mysteria Rosarii non omnino eadem ac hodierna: « Speciosa plus quam rosa ' Jesse virga floruit, | Cuius florem et odorem | Puer clausus sentiit... Ut praedixit, flos revixit, ' Mortis pulso nubilo, ' Super caelos fertur mclos ' Angelorum iubilo. ' Hinc effulsit, quem induisit, | Lux et odor spiritus, ' Et in thronis Salomonis ' Matrem locat caelitus. | Illic cernat flos, ne spernat, ' Spinas unde natus est, | Sed florere et transferre | Faciat, quo vectus est ». — b. *Festum* tamen *futurum* universae Ecclesiae natum est in memoriam victoriae navalis super classem Turearum 7. oct. 1571 ad Naupactum *(Lepanto)* in Echinadis insulis duce loanne dc Austria reportatae, primo anniversario victo-

riae in Url>e festum S. Pius V. indixit. Sequenti anno (1573) festum hoc simplex « *BMV de victoria* » Gregorius XIII. transtulit in Dom. I. octobris, sed iis tantum ecclesiis, in quibus capella vel altare SS. Rosarii exstaret. — c. Decretum Gregorii XIII. 1573 etiam titulum festi mutavit in *festum* SS. *Rosarii,* pie reputans victoriam insignem precibus processionique Confraternitatum SS. Rosarii Urbis die 7. oct. 1571 eo anno in Dominicam I. oct. incidente esse adscribendam. Sic festum — interim particulare — SS. Rosarii ortum est. Primo centenario victoriae, a. 1671 Clemens X. benigne concessit omnibus indiscriminatim ecclesiis *Hispaniarum.* — d. Festum hoc SS. Rosarii Dom. I. octobris, (civili modo computandum) *universale totius Ecclesiae Latinae* evasit, cum exercitus Caroli VI. imperatoris duce Eugenio principe Sabaudiae (Savoia) supremam victoriam 5. aug. 1716 super Tureas apud Petro-Waradinum reportavit, *Clemens XI.* etenim festum sub ritu dupl. mai. universae Ecclesiae celebrandum indixit. *Leo XIII.* a. 1887 ritum festi ad dupl. II. cl. evexit, officium Missamque ordini Praedicatorum concessa omnibus praescripsit. *Sanctus Pius X.* demum 28. oct. 1913 diem nativum (7. oct.) festi restituit. — e. In reformatione S. P. Joannis XXIII. anni 1960 denominatio festi mutata est in titulum: « *Festum BMV. a Rosario* » (NCR Var. 12. c.), gradus remansit festi II. cl. — *Hymnus* « Caelestis aulae nuntius » in breviario I. Vesperis assignatus — quia nunc I. Vesp. non dicuntur — praemittitur Matutino ut hymnus, omissa conclusione (NCR Var. 54). Festum hoc ius habet ad *sollemnitatem externam* in Dom. prima octobris (NCR 358. b.), de qua cf. De Eccl. sacrif. G. l.nr. 16. b. 5°.

12°. Festum Matemitatis BMVirginis die 11. oct. a. Diu non est visum necessarium festum Matemitatis BMV inducere, quia materna dignitas omnibus festis Sacratissimae Virginis implicite recolitur praecipue autem festo natali Domini celebratur. Ob venerationis marianae pietatisque augmentum festum peculiare *primum inductum* est Dom. III. maii pro *Lusitania* a. 1751, quod etiam in pluribus dioecesibus Americae Lusitanae (= Brasilia) receptum fuit. — b. Decursu saec. XIX-i *multis dioecesibus* concessum fuit festum Matemitatis, diebus tamen diversissimis. A. 1820 *Dom. IV. post Pascha* assignatum est festum pro dioec. Ariano in Italia; a. 1826 *Sabb. post Dom. I. Adv.* selecta est pro domesticis sacellis ducis Villa Hermosa; a. 1833 concessa est dies *Dom. III. maii* pro dioec. Aversana in regno tunc Neapolitano; Pius IX. a. 1847 annuit celebritatem festi duplicem dioec. Modoetensi (=Monza) in Longobardia: unum festum *Sabb. ante Dom. IV. Quadr.,* alterum *Sabb. post Dom. in Albis;* a. 1888 dioec. Platina (=Piazza) in Sicilia *Dom. IV. sept,* agendum festum recepit; a. 1895 dioec. Mandelensi (=Poggio Mirteto) festum Matemitatis concessum fuit *Dom. ultima sept,* recolendum (cf. Holweck p. 164. 417. 157. 72 et loi. 345. 348). Attamen haec festa omnia fuere particularia. — c. Dies insignis *festi futuri* universalis evasit *dies 11. oct.,* nam huic dici fixa est celebritas Matemitatis a. 1914 pro basilica S. Mariae Maioris, pro dioec. Lauretana et pro universo ordine Servorum Mariae et Congr. Lucionensi Filiorum Mariae Immaculatae (Holweck 354). *Pius XI.* fortasse ob has rationes videtur fixisse sedem festi huius pro universa Ecclesia Latina, cum a. 1931 « universo orbe catholico plaudente solemnia celebrarentur expleti saeculi decimi quinti postquam in Ephcsina synodo b. Maria Virgo, de qua natus est Jesus, contra Nestorii haeresim Mater Dei a Patribus, Caelestino Papa praeeunte, conclamata est ». *Finis* autem institutionis festi legitur: (1) ut per festi celebrationem divinae Maternitatis « tam excelsi mysterii *doctrina altius* fidelium animis insideret », (2) ut

SS. Virgo familiaque Nazaretana « prae omnibus *exemplum* proponeretur imitandum », demum (3) praecipue imitaretur « tum dignitatis ac sancti *connubii.* tum *educationis* iuventuti sancte tradendae » (Encycl. « Lux veritatis » 24. dec. 1931). Festum habet gradum II. cl. (NCR Calend.).

13°. Festum Praesentationis BMVirginis die 21. nov. a. Mariam fuisse triennem Templo *traditam* (« praesentatam ») ibique educatam ad servitium Dei per octo annos refertur ab apocryphis (Protoev. Jacobi c. 7. et Ev. de nativ. Mariae c. 6.). Festum huius facti ortum est verisimiliter *Hierosolymis,* electio dici 21. nov. fortasse explicari potest ut anniversarium dedicationis ecclesiae S. Mariae Novae a. 543 a Iustiniano Magno extractae, etsi dicta ecclesia minime in area Templi sita fuerit. *Constanthwpoli* festum sub patriarcha Germano I. (715-730) celebrari coeptum est, qui ex Hierosolymis oriundus erat (II. Chirat 1945 in Litt.). A. 1166 imperator *Manuel Comnenus* festum « Ingressus (eisodia) Deiparae in Templum » publicum feriatum renuntiavit. — b. Festum *in Occidente* saec. XII-o invenitur *in Anglia,* Kalendarium Wintoniense (=Winchester) habet festum « Oblationis s. Mariae in templo Domini cum esset trium annorum » (Hampson, Cal. medii aevi I, 432. 445). Festum fortasse per Normannos notum factum est, qui id in Sicilia videre potuerunt. Eodem saeculo etiam in *Hungarian* pervenit festum « Repraesentationis Mariae », invenitur enim in Sacramentario Boldvensi 1192-1195 (Rado, Libri lit. I, 39). Rex Bela III. (t 1196) in aula imperatoria Manuelis Comneni educatus est, inde intelligitur, cur inveniantur festa Byzantina, ut Praesentationis, saec. XII. exeunte in Hungaria (cf. M. Zalân, Eph. Lit. 1927, 188). Veri nominis divulgatio tamen exinde coepit, cum miles *Phil, de Maizieres,* legatus regis Cypri Lusignan, in Curia Avenionensi Summo Pontifici *Gregorio XI.* splendorem huiusmodi festi in Oriente enarravit eumque permovit ad festum in Curia celebrandum. — c. Inde festum *ut particulare cito divulgatum est,* a. 1373 iam Parisiis in Capella regia sollemnibus frequentatum fuit, a. 1374 regnum Navarrae recepit festum, a. 1381 Divodurae (=Metz), a. 1420 Coloniae (=Koln) inductum fuit, a. 1464 Paulus II. celebrationem pro Saxonia concessit. Sixtus IV. a. 1172 festum quibuslibet ecclesiis ut facultativum concessit, inter festa ad libitum celebranda (Baumer-Biron, Hist. brév. II, 110). Festum fere ubique frequentatum S. *Pius V.* in suos libros reformatos (1568 et 1570) tamen non recepit, quod multis petentibus fecit a. 1585 *Sixtus V.* — *Clemens VIII.* in sua emendatione breviarii a. 1602 officium festi correxit festumque ad ritum dupl. mai. evexit, nunc habet gradum festi III. cl. (NCR Var. 3. et Calend.).

b) Festa BMVirginis pro aliquibus locis concessa.

Festa Mariana pro aliquibus locis concessa seu particularia breviter enumerantur secundum ordinem Missalis Romani.

1°. Desponsatio BMV die 23. ian. Festum agi coepit cum approbatione legati apostolici in provinciis ecclesiasticis *Remensi, Senonensi* (Sens) et *Rotomagensi* (Rouen) ineunte saec. XV. Nunc agitur in quibusdam ecclesiis et dioecesibus Italiae, in patriarchatu Hierosolymitano et in quibusdam ordinibus religiosis (Stigmatini, Carmelitae, Eudistae etc.). (Holweck 16).

2°. BMV dc Bono Consilio die 26. apr. Die 25. apr. allata est imago B. Virginis e Scodra in Albania a. 1167 *Genestanun* (=Genazzano) in dioec. Prae-

nestina, per duos viros Albanenses, multaque miracula narrantur facta esse in ecclesia Augustinianorum, ubi imago collocata fuit. Pro civitate Genestana festum hoc die concessum est a. 1727, quod festum *in diem sequentem* translatum est ob diem S. Marci per Pium VI. a. 1789 simulque concessum omnibus *Augustinianis.* Cito ad permultas dioeceses festum transiit, sed in reformatione Kalendarii 1913 suppressum ab anno 1916 in quibusdam revixit (cf. Holweck p. 87).

3°. BMV titulo Auxilium Christianorum die 24 maii. Quando Pius VII. post longam captivitatem redux 24. maii 1815 Romam ingressus est, in gratiosam recordationem sequenti anno instituit hoc festum ritu dupl. mai. in *Urbe* celebrandum, quod hodiedum in multis dioecesibus *Italiae et Galliae* ordinibusque religiosis celebratur praecipue penes *Salesianos,* quorum Patrona principalis est Maria Auxilium Christianorum (Holweck p. 137).

4°. BMV Omnium gratiarum Mediatricis die 31. maii. Benedictus XV. 12. ian. 1921 concessit hoc festum cum Missa et officio propriis universo *Belgio et Hispaniae* cum ritu dupl. II. cl. recolendum. B. Virgo iure vocatur Mediatrix, quia Mater est Salvatoris, per quem universa gratia in animas hominum descendit. Hoc festum et sequens (n. 5.) adhuc huic diei assignantur in Missali Romano, sed ob occurrentiam cum festo universali Mariae Reginae non celebrantur (Holweck p. 144). De fundamento dogmatico cf. dilucide scripta a M. Schmaus, Mariologie 1955, 339-384.

5°. BMV Reginae Sanctorum Omnium et Matris pulchrae dilectionis die 31 maii. Obiectum huius festi est iuxta Holweck (p. 143 et 92) apparitio Reginae caeli a. 1228 *Illiturgi* (=Andujar) in Hispania. Occasione huius apparitionis cuidam pastori factae inventa est parva statua B. Virginis, dicta « opus s. Lucae ». In loco apparitionis templum magnificum et sumptuosum aedificatum est, ubi maximo honore habetur dicta statua, nuncupata « *Nostra Domina de Capite* » (vulgo Cabeza). Festum iam saec. XVIII-o antiquum erat, concessum expresse est dein pro universa *Hispania* a. 1870 et adoptatum a permultis dioecesibus *Americae.* Festum in reformatione Kalendarii sublatum est, sed in Missali adhuc legitur.

6°. BMV Reginae Apostolorum: Sabb. post Ascensionem. Obiectum festi est veneratio BMVirginis *praesidentis collegii Apostolorum in Coenaculo Hierosolymitano* post ascensionem Domini. Festum institutum est a. 1890 ad preces PP. Pallottinoruin cum ritu dupl. II. cl., praesertim a missionariis celebratur (Soc. Verbi Divini, Soc. Divini Salvatoris, Soc. Missionum Lugdunensium, cf. Holweck p. 172).

7°. BMV Matris de Gratia die 9. iun. Cum a. 1863 *Exolduni* (=Issoudun) in Gallia fundata fuerit Sodalitas Nostrae Dominae de Corde Jesu cultus « *Dominae* SS. *Cordis* », qua patronae rerum difficilium et desperatarum cito divulgari coepit, adeo, ut saeculo elapso ad finem vergente plures ordines religiosi et dioeceses obtinuerunt festum sub praedicto titulo. Festum dein novum titulum accepit a. 1913. « *Matris de Gratia* », quod festum deinceps patronale factum est Congr. Mission. SS. Cordis Jesu, colitur adhuc in dioec. Triventina -Trivento) et Baiocensi (=Bayeux) et in Congr. Sororum ab Assumptione. Obiectum festi est « *omnipotentia supplex* » B. Virginis, qua omnia deprecari valet a Filio suo (Holweck p. 141. 185).

8°. BMV de Perpetuo Succursu die 27. iun. Imago quaedam stilo Byzantino depicta, variatio quaedam picturae celebris « *Hodegetria* » (=dux viae) nuncupatae, a. 1499 ex insula Creta *in Urbem* allata est, ibique in ecclesia S. Matthaei collocata et diu venerata. Post ecclesiae destructionem imago latuit, a. 1865 autem inventa est, Pius IX. imaginem dono dedit *ecclesiae S. Alphonsi,* simulque festum concessit petentibus Dom. ante 24. iun. recolendum. Dies festus dein a. 1913 designatus est 27. iun., celebraturque ab ordinibus quibusdam, praecipue a Congr. SS. Redemptoris et aliquibus dioecesibus Americae Septentrionalis (Holweck p. 195. 210 s.).

9°. Humilitatis BMV. die 17. iul. B. Virgo ut exemplum eximium humilitatis inde a medio saec. XIX. in multis dioecesibus, praecipue *Italiae* celebrata fuit diversis diebus a S. Sede concessis. Dies 17. iul. electus fuit a dioec. *Pistoriensi,* hac die etenim imago quaedam Deiparae a. 1490 copiosum fudit sanguinem, quae imago a. 1716 incoronata adhuc veneratur (Holweck p. 227).

10°. BMV Matris misericordiae Sabb. ante Dom. IV. iul. Titulus hic — ni fallor — *vetustissimus* est inter particularia festa mariana in Missali Romano relata. Rememorativum est apparitionis in Valle S. Bernardi prope civitatem *Savona* in Italia. Festum iam anno sequente apparitionem celebratum fuit a. 1537. In universa *Liguria* et in *Corsica* festum actum est die 18. mart., die primae apparitionis, in aliis: *Florentina* et *Apuana* (=Pontremoli) dies secundae apparitionis frequentata est: 8 apr. Festum Dom. IV. iul. celebrandum concessum fuit a. 1832 principatui *Maceratae,* quod transpositum est in Sabbatum praecedens (Holweck p. 57. 81. 249).

11°. BMV titulo Refugium peccatorum die 13. aug. Intercessio expiatoria Deiparae per peculiare festum primum celebratum est a monialibus « *Dominae Nostrae de Refugio* » nuncupatis a. 1652, festum et officium approbatum est per episc. Nanceiensem (=Nancy), dies fuit festi 30. ian. Simile festum accepit a S. Sede Confraternitas Immaculati Cordis Mariae titulo *Refugium Peccatorum,* Parisiis a. 1836 erecta; festum concessum fuit a. 1838, quod dein plures dioeceses *Galliae* receperunt. Huius festi dies erat Dom. ante Septuagesimam, sublatus in reformatione Kalendarii a. 1913. Dies 13. aug. est dies a *Redemptoristis* celebratus et nunc assignatur huic festo (Holweck p. 20. 26. 263).

12°. BMV de Consolatione: Sabb. post 28. aug. B. Virgo apparuit a. 1315 in civitate *Panormitana* (=Palermo) mulieri cuidam aegrotae, cuius renes suo proprio cingulo cinxit sicque eam repentine sanam reddidit. Huius « consolationis » cingulique memoriam servat et recolit pia Confraternitas « *Cincturatorum BMV de Consolatione* « festum autem Eremitis S. Augustini concessum est a. 1675 pro Dom. post festum S. Patris Augustini (28. aug.), inde ab a. 1914 festum celebrandum est Sabb. praecedente (Holweck p. 303).

13°. BMV titulo Salus Infirmorum: Sabb. ante Dom. ultim. aug. Sub hoc titulo seu « *de salute* » variae colebantur imagines Deiparae, ante quas saepe repentinae sanationes accidere solebant, quibusve imaginibus festa a S. Sede concessa fuere. Festum praesens est imaginis antiquissimae, quae Romae in ecclesia S. Magdalenae venerationi exposita est, ante (piam S. Pius V. post victoriam navalem a. 1571 grates persolvisse traditur. Imago haec incoronata est a. 1668 et 1868, festum Dom ultima aug. celebratum est Clericorum Regul. Infirmis Ministrantium (Holweck p. 300).

14°. BMV Divini Pastoris Matris die 3. sept. Hoc festum est imaginis rniraculosae Matris Divini Pastoris, « *Divina Pastora* » nuncupatae in ecclesia Capuccinonim *Hispalensi.* Concessum est per Pium VII. pro Dom. II. post Pascha, translatum post reformationem Kalendarii in 3. sept. In multis dioecesibus Hispaniae celebratur (Holweck p. 109; 308).

15°. Puritatis BMVirginis die 16. oct. S. Sedes huiusmodi festum concessit variis diebus recolendum, primum a. 1751 Lusitaniae, dein ditioni Venetiarum, regno Neapolitano, Etruriae, ordini Theatinorum et Servitarum, festum eorum Dom. III. oct. celebratum transpositum est a. 1914 in 16. oct. (Holweck p. 371. 358).

16°. BMV Immaculatae a Sacro Numismate die 27. nov. Die 27. nov. 1830 moniali *Catharinae Labouré* Parisiis apparuit B. Virgo eique iniunxit ut cudantur numismata in honorem Mariae sine labe conceptae quae numismata iam a. 1832, permittente archiepiscopo Quclen cusae sunt. *Sorores S. Vincentii* Congreg. Missionum (n Lazaristae ») hoc numismate cultum Immaculatae vehementer promoverunt, plurima etiam referuntur miracula ope huius numismatis patrata. Ideo Leo XIII. anniversario die apparitionis a. 1894 festum concessit Immaculatae a S. Numismate praecipue a praedictis Congregationibus celebrandum (Holweck 388).

17°. BMV Divinae Providentiae Matris: Sabb. ante Dom. III. nov. Quantum scimus Deipara sub titido huiusmodi primum coli coepta est saec. XVII-o. B. Virgo a. 1610 apparuit *Messanae* in Sicilia tempore famis, ecclesia in memoriam huius eventus exstructa titulum accepit « S. *Mariae de Providentia* ». Dedicatio huius ecclesiae versus medium saec. XVII-i celebrata fuit *Dom. II. oct.,* Theatini eodem tempore *Dom. II. post. Epiph.* festum Mariae de Providentia recolebant. Exinde multis in locis festa huiusmodi variis diebus frequentanda in usum venerunt, festum de quo nunc agimus est *Barnabitarum,* qui inde ab. a. 1663 imaginem BMV venerantur in ecclesia S. Caroli (« ai catinari ») in *Urbe.* Festum liturgicum concessit cis Leo XIII. a. 1888 pro *Dom. II. nov.,* in reformatione translatum *in Sabb.* hanc Dom. sequens (Holweck p. 368. 22. 393. 395).

18°. Translatio Almae Domus BMV die 10. dec. Dies hic est anniversarium secundae translationis *domus BMV Nazarethanae, prima* est dies adventus domus 10. maii 1291 post cladem Acconensem in *Tersactum* (= Tersatto) in Dalmatia, *secunda* translatio facta est in territorio *Piceni* (le marche) in Italia, locus a nemore lauri *Lauretum* (= Loreto) denominatus est. Festum translationis 10. dec. concessum est a. 1632, primum pro toto Piceno, dein receptum fuit in Etruria et Statibus Ecclesiae, in reformatione Kalendarii sublatum, a. 1916 restitutum in omnibus dioecesibus Italiae colitur (Holweck p. 124. 406).

19°. Exspectatio Partus BMV. dic 18. dec. Hoc festum in ecclesia Mozarabica ortum est dc quo cf. supra 1. b. 3°. a. (5). Festum huius diei retentum est in *Hispania* etiam postquam ritus Romanus receptus est, expresse approbatum solummodo a Gregorio XIII, a. 1573. sub tit. « Exspectatio Partus. » Saec. XVII-XVII1. festum receptum est in ditione *Venetiarum, Etruria* et *Statibus Ecclesiae,* sublatum in reformatione Kalendarii, nunc colitur fere in universa *Hispania, Romae* in basilica S. Mariae Maiore, et in quibusdam ordinibus, ut apud Servitas (Holweck p. 410).

c) Festa BMV patronatus nationalis.

1°. Regina Liguriae dic 25. mart. In festo Annuntiationis celebratur B. Virgo ut Regina Liguriae (Holweck p. 61).

2°. Regina Poloniae 1. apr. Deipara a. 1656 1. apr. in cathedrali Leopolensi a rege *Joanne Casimiro* regina Poloniae declarata est. Officium Maternitatis pro dioecesi Cracoviensi a. 1889 hoc dic recitandum praescriptum est (Holweck p. 79. 115).

3°. Patrona Catalauniae 27. apr. *BMV de Monteserrato* colitur ut patrona principalis; imago haec vetustissima inventa est in praeruptis latebris Montis Serrati a. 880, ubi dein monasterium aedificatum est, centrum religiosum nationis Catalaunae. Festum pro Dom. post 25. apr. concessit Leo XIII., in reformatione Kalendarii assignatus est die 27. apr. (Holweck p. 89, 93).

4°. Commemoratio BMV, cuius dos est Anglia die 4. maii. Ordinarii Angliae 29. iun. 1893 *Westmonasterii* coadunati Angliam S. Mariae dedicabant, simulque Petro ap. Huius actus commemoratio habetur in Missa ex permissione Sedis Ap. 4. maii die festi Martyrum Jo. Fisher et Thom. More (Holweck p. 118).

5°. Patrona Bavariae 14. maii. *Maximilianus dux Bacariae* a. 1620 post victoriam ad Montem Album reportatam gratias agens Monachii statuam BMV in foro principali collocavit, ubi colitur ut Patrona Bavariae. Festum concessum est a Benedicto XV. a. 1916, officium rhythmicum a. 1917. (Holweck p. 130.).

6°. Patrona Australasiae die 24. maii. BMV titulo Auxilium Christianorum est Patrona principalis totius Australasiae inde ab a. 1888. (Holweck p. 137).

7°. *BMV de Monte Carmelo* est Patrona Rcipublicae Chilcnae et Boliviae (16. iul.). (Holweck p. 226).

8°. Nostra Domina Galliae die 15. aug. *Ludovicus XIII.* die 10. febr. 1638 seipsum, familiam et subditos suos cum universo regno dedicavit B. Virgini, simulque ordinavit die festo Assumptionis omnes huius facti memoriam facere debere (Guéranger, L'année lit., Pentecôte IV, 484).

9°. Patrona Reipublicae Dominicanae dic 24. sept. S. *Maria de Mercede* colitur ut Patrona Reipublicae Dominicanae (San Domingo) (Holweck p. 327).

10°. Magna Hungarorum Domina die 8. oct. Anno 1038 primus rex S. *Stephanas instante* sollemnitate Assumptionis moribundus hanc *dedicationem fecit:* « Regina caeli, reparatrix inclita mundi, tuo patrocinio s. Ecclesiam cum episcopis et clero, regnum cum primatibus et populo supremis precibus committo, quibus ultimum vale dicens manibus tuis animam meam commendo » (Vita auct Ilartwicko c. 22., Vita maior c. 15.). Festum anniversario millenario occupationis Hungariae Claud. Card. Vaszary primas Hungariae a Leone XIII. obtinuit 28. iul. 1896 pro Dom. II. oct., translatum dein post 1914 in 8. oct. (Holweck p. 352).

11°. Austriae Patrona dic 8. dec. Ferdinandus III. imperator a. 1647 Vindobonae statuam Immaculatae exstrui iussit in foro principali ut signum dedicationis regni sui hereditarii cum inscriptione: « Virgini Deiparae conceptae, per quam principes imperant, in peculiarem Dominam, Austriae Patronam singulari pietate susceptae ». Immaculata exinde colitur ut Austriae Patrona (Guéranger, l. c.).

12°. Patrona Novae Hispaniae dic 12. dec. Diebus 9-12 dec. a. 1531 B. Virgo apparuit in Nova Hispania (= Mexico) indigenae neophyhito Joanni Didaco (Juan Diego), simulque imago *BMV de Guadalupe* in Hispania multum

venerata inventa est. Locus iste apparitionis Guadalupe nominatus, locus peregrinationum et miraculorum factus est, basilica et monasterium exstructa sunt a. 1695, cum autem a. 1737 pestis Mexican» cessit, Nostra Domina de Guadalupe electa est in Patronam principalem Novae Hispaniae a Cone, national! Mcxicano a. 1756, quod Benedictus XIV. et Leo XIII, ratum habuit (Holweck 89. 407).

Litteratura.

Quoad cultum Jiturg. BMV in genere. A. *Baumstark,* Mneme tes hagias Theotokou kai aeiparthenou Marias, *in:* Rom. Quartalschrift 1891, 55-56. — *St. Beissel,* Verehrung Uns. L. Frau in Deutschland wâhrend d. Mittelalters, Freib. i. Br. 1896. — *Ncubcrt,* Marie dans l'Église anténicéenne, Paris 1908. — M. *Jugie,* Abraham d'Éphèse et ses écrits, *in:* Byz. Zeitschr. 1913, 37-59. — *Idem,* La première fête mariale en Orient et en Occident, in: Échos d'Orient 1923, 129-152. — *Idem,* Les homélies mariales attribuées à S. Grégoire le Thaumaturge, *in:* Anal. Boll. 1925, 86-95. — *II. Leclercq,* Marie Mère de Dieu, XXIV. Culte liturg. DAL X, 2 (1932) 2035-2043. — IV. *Lipphardt,* Marienklagen, u. Liturgie, in: JfLw 1932, 198-205. — A. *Wilmart,* L'ancien récit de l'Assomption, in: Anal. Reginensia (Studi e testi v. 59), Roma 1933, 323-357. — W. *Lipphardt,* Studien zu d. Marienklagen. Marienklagen u. germanische Totenklage, *in:* Beitr. z. Gesch. d. deutscli. Sprache u. Liter. 1934, 390-444. — *F. Barbudri,* Un Planctus Crucis o Pianto della Vergine ricostruito con frammenti laudatici triestini, *in:* Archiv. Romanicum 1936, 163. 199 (cf. AfLw 1952, n. 818). — *II. Maschek,* Eine deutsche Marienklage aus d. 15. Jh., *in:* Beitr. z. deutsch. Spr. u. Lit. 1936, 325-340. - *O. Menzinger,* Mariologisches aus d. vorephesinischcn Liturgie, Regensburg 1938. — P. *Bruylants,* Les origines du culte de la S. Vierge à Rome, *in:* Quest lit. paroiss. 1938, 270-281. — *E. Campana,* Maria nel culto cattolico, Torino 1944. — *B. Capelie,* Vestiges grecs et latins d'un antique Transitus de la Vierge, *in:* Anal. Boll. 1950, 21-48. — *L. Brou,* Restes de l'homélie sur la Dormition de l'archévêque Jean de Thessalonique dans le plus ancien antiphonaire connu, in: AfLw 1952, 84-93. — A. *Vcrmeersch,* Die Muttergottesfeste, Innsbruck 1958.

Quoad Immaculatam Conceptionem. C. *Passaglia,* De immaculato conceptu BMV. Romae 1854-55. — A. *Roskovany,* B. Virgo in suo conceptu Immaculata, t. I-IX. Budapest 1873-1881. — *E. Bishop,* On the origins of the Feast Conceptio Immaculata BMV., London 1904, in: Liturgica hist. p. 238-259. — *Thurston-Slater,* Eadmeri monachi Cantuar. tract de Concept. S. Mariae, Frib. Brisg. 1904. — *II. J. Kellner,* Entstehung u. Verbreitung d. Festes d. Unbcfleckten Empfangnis, in: Heortologie 3. ed. 1911, 181-199. — *E. Vacandard.* Les origines de la fête et du dogme de l'immaculée Conception, *in:* Études de crit. et hist, relig. III (1912) 218-307. — F. G. *Holweck,* Calend. festor. 1925, 402-405. — *L.Eisenhofer,* Handb. d. Lit. 2. ed. 1941, I, 593-595. — A. *Cecchin,* La Concezione della Vergine nella liturgia della Chiesa Occidentale anteriore al sec. XIII., *in:* Marianum 1943, 58-114. — M. *Righetti,* Storia lit. II (1946) 255-263. L'Immaculée Conception de la B. V. Marie (Journées d'études Cap-de la Madeleine 1954), Ottawa 1955.

Quoad Annuntiationem BMV. F. *Cabrol,* Annonciation, *in:* DAL I, 2 (1907) 2241-2255. — *H. J. Kellner,* o. cit 1911, 175-177. — F. G. *Holweck,* op. cit. 1925, 60-61. — *L. Eisenhofcr,* op. cit. I (1941) 592-593. — M. *Righetti,* II (1946) 264-266.

Quoad Assumptionem BMV. G. *Morin,* Note liturg. sur l'Assomption, *in:* Messager des fidèles (= Rev. Bén.) 1888, 342-351. — F. *Cabrol,* Assomption (Fête), in: DAL I, 2 (1907) 2995-3001. — *//. J. Kellner,* op. cit 1911, 177-181. — *Ad. Franz,* Die kirchl. Benediktionen I (1912) 398-413. — F. G. *Holweck,* op. cit. 1925, 265-269. — *B. Capelle,* La fête de l'Assomption dans l'hist critique, *in:* Eph. theol. Lovan. 1926, 33-45. — V *Wilmart,* L'ancien récit latin de l'Assomption, in: Anal. Reginensia (Studi e testi v. 59) Roma 1933. — A. *Pflcger,* D. elsàssische Krauterweihe, in: Arch. f. elsas. Kirchengesch. 1936, 205-268. — *W. Zimmermann,* Weihkrauterbüschel aus Baden u. bei Banater Bauem, in: Branch u. Sinnbild, Karlsruhe 1940, 271-288. — *L. Eisenhofcr,* o. cit. I (1941) 595-596. — *B. Capelle,* La fête de la Vierge à Jérusalem au VI. siècle, in: Le Muséon 1943, 1-33. — M. *Righetti,* o. cit. II (1946) 247-255. — A. *Raes, Aux* origines de la fête de l'Assomption en Orient, *in:* Orient, chr. Period. 1946, 262-274. — *B. Botte,* Le lectionnaire et la fête de la Theotokos à Jérusalem au V. siècle, in: Sacris erudiri 1949, 111-122. — *B Capelle,* La messe gallicane de l'Assomption, son rayonnement, ses sources, *in:* Mise, lit C Mohlberg II (1949) 33-59. — *Idem,* Vestiges grecs et latins d'un antique Transitus

de la Vierge, *in:* Anal. BolL 1950, 21-48. — *J. Ternus,* Zur hist-theol. Tradition d. Himmelfahrt Mariens, *in:* Scholastik 1950, 321-360. — *L. Brou,* Restes de l'homélie sur la Dormition de l'archévêque Jean de Thessalonique dans le plus ancien antiphonaire connue, m: AfLw 1952, 84-93.

Quoad Nativitatem BMV. *H.J. Kellner,* o. cit. 1911, 174-175. — *F. G. Holweck,* Cal. fest. 1925, 312. — *P. de Puniet,* La fête de la Nativité de la Vierge el ses premiers témoins, *in: Vie* arts lit. 1925-6, 481-489. — *J. Leroy,* Un texte peu remarqué sur la fête de la Nativité de N. Dame, *in:* Rev. scienc.rel. 1938, 282-289. — *L. Eisenhofer,* o. cit. I (1941) 593. — G. *Morin,* Une préface du Miss. Gothicum supposant la fête de la Nativité de N. Dame en pays gallican dès le VII. siècle, *in:* Rev. Bén. 1945-46, 9-11. — Al. Rig/ietti, o. cit. II (1946) 263-264.

Quoad festa minora. *F. G. Holweck,* Calendarium festorum Dei et Mariae, 2. ed. Philadelphia 1925. — *M. Zalân,* Das friiheste Vorkommen d. Festes Praesentatio BMV im Abendlande, *in:* Eph. Lit. 1927, 188-189. — *M. J. Kishpaugh,* The Feast of the Presentation of the Virgin Mary in the Temple, Washington 1941. — *H. Chirat,* Les origines de le fête du 21. nov., *in:* Mélanges Podéchard, Lyon 1945, 127-134 (cf.AfLw 1954, n. 445). — *//. Leclercq,* Présentation de Marie (Fête de la), *in:* DAL XIV, 2 (1948) 1729-1731. — La Royauté de l'immaculée (Journées d'études Université Laval 1955), Ottawa 1957. — *F. Lakner,* Der Kult des unbefleckten Herzens Marias, *in:* Cor Jesu, Romae 1959, I, 723-780

H) De cultu Sanctorum in anno liturgico.

Cultus Sanctorum publicus ab Ecclesia cis exhibitus apte inseritur anno liturgico, docente Ecclesia: « Per liturgicum iter, quod demum singulis annis nobis patet, Ecclesiae opera, sanctitatis effectrice, permoti, ac subsidiis exemplisque Sanctorum caelitum, imprimisque immaculatae Virginis Mariae, accedamus cum vero corde, in plenitudine fidei, adspersi corda a conscientia mala et abluti corpus aqua munda (Heb 10, 22), ad Sacerdotem Magnum, ut cum eo vivamus et consentiamus, ac possimus per ipsum penetrare usque ad interiora velaminis, ibique caelestem per omne aevum honorare Patrem » (MDei n. 168).

Materia tractanda absolvitur sequentibus capitibus:

1. De cultu liturgico Sanctorum in genere.
2. De festis SS. Apostolorum.
3. De festis Sanctorum eximiorum.
4. De festis SS. Angelorum.
5. De festo Omnium Sanctorum.

1. De cultu liturgico Sanctorum in genere.

Missas seu cultum publicum Sanctorum non derogare cultui Deo debito iam demonstratum est (superius Eccl. sacrificant. D. 1.). Restat probandum a) quis sit finis cultus liturgici Sanctorum, dein agendum est b) De cultu liturgico SS. Martyrum, demum c) De cultu liturgico Sanctorum non-martyrum.

a) De fine cultus liturgici Sanctorum.

Docente Ecclesia finis triplex cultus liturgici Sanctorum distingui potest.

1°. *Primus finis* cultus Sanctorum liturgici est per cultum Sanctorum exempla fidelibus *proponere:* « *Per* liturgici anni decursum non modo lesu Christi mysteria, sed Sanctorum etiam caelitum festa celebrantur. Quibus in festis, etsi *de inferiore ac subiecto ordine* agatur, Ecclesia semper tamen eo contendit,

ut nempe *sanctitatis exempla* christifidelibus proponat, quibus iidem permoti, Divini ipsius Redemptoris virtutibus se exornent » (MDei n. 164).

a. Idem dicitur *voce Ecclesiae oranti:* « ...quorum (= Sanctorum) dum sollemnia frequentantur, copiosiora nobis fidei proponuntur exempla, ‖ seu aliter ‖ ...ut quos veneramur officio, etiam piae conversationis sequamur exemplo » (Leonian. apr. M. XXI. et iul. M. XVII. Feltoe p. 9 et 51).

b. Hoc eo fit, quod singuli caelicolae speculi instar *resplendent virtutes Christi.* Unus Sanctorum non potest *totam* virtutem Domini vita sua exhibere, sed *partem* solummodo, sicque unus praecellere potest alio, omnesque vero infinite superantur a virtute Christi. *Varia ergo ratione* resplendent Sancti virtutem Christi, docente Ecclesia: « In aliis siquidem *apostolatus* studium refulsit, in aliis vero nostrorum heroum *fortitudo* ad sanguinis usque effusionem viguit, in aliis constans *vigilantia* enituit, qua divinum praestolabantur Redemptorem, in aliis autem *virginalis* splenduit animi candor ac modesta praestitit *humilitatis* suavitas, in omnibus denique incensissima efferbuit erga Deum, erga proximos *caritas.* Quae omnia sanctitudinis decora s. liturgia nostros ante oculos ponit, ut eadem salutariter intueamur, et ut quorum gaudemus meritis, accendamur exemplis » (MDei n. 165).

2°. Cultu liturgico, praeprimis festis Sanctorum caelitum auxilium eorum imploratur, magistra Ecclesia: « At aliud praeterea est, cur Sanctis caelitibus a christiano populo habeatur cultus, ut sc. eorum imploretur auxilium, ‖ et quorum delectamur praeconiis, sublevemur eorum patrociniis (S. Bernard.). Inde facile eruitur, cur s. liturgia plurimas precum formulas nobis praebeat, quibus Sanctorum caelitum patrocinium invocetur ‖ (MDei n. 166). Praecipue *sequentia implorantur* a Sanctis: *expiatio a peccatis* per supplicationem eorum: « Da nobis sanctos martyres tuos pro nostris supplicare peccatis (Leonian. Feltoe p. 18); dein in genere invocantur ad *remedia huius vitae simulque futurae* imploranda: « Sancti tui Domine quaesumus et praesentis vitae nobis remedia conferant et futurae » (ibid. Feltoe p. 34); item invitantur ad supplicandum pro *recta fide:* « ..ut praedicationis claritatem nulla iuris inferni subdola doctrina commaculet » (Feltoe p. 39); coluntur Sancti, « ut eorum et patrociniis confidamus et fidem *congrua devotione* sectemur ‖ seu Deus nos « sanctorum martyrum festivitatibus exercet, ut ad constantiam fidei et ad *perseverantiam* beata commemoratione perducit » (ibid. Feltoe p. 53 et 52). exposcitur *temperatio poenarum:* «intercessione sanctorum... continuata censura peccantibus temperetur » (p. 92), demum festivitates Sanctorum « ad sublimia exempla *patientiae* triumpho nos, quas hodie celebramus, ‖ accendunt (p. 95).

3°. Tertius finis cultus Sanctorum elucet ex ipsis vocibus Ecclesiae orantis: Deo grates referuntur *ob sanctitatem electorum suorum.* Festo enim « ..dies sacrata celebratur, quam beatorum martyrum tuorum sanguis... profusus magnifico *nominis tui honore* signavit » (Leonian. Feltoe p. 17). Idcirco dignum et iustum est gratias agere, « quoniam plena sunt omnia saecula misericordia tua. (piam recurrentibus, data lege, temporibus, etiam in huius diei festivitate veneramur, agnoscentes ad magnum pietatis tuae pertinuisse consilium, ut sanctus tuus Johannes, cuius natalem ad *nominis tui gloriam* celebramus, tot donis mirabilis nasceretur » (Feltoe p. 31). Hostias imponimus altaribus in festis Sanctorum « *potentiam* tuam in Sanctorum tuorum passionibus hono-

rando » (Feltoe p. 34); gratiae demum agendae sunt, quoniam *congaudet totum corpus* Ecclesiae de sublimium glorificatione membrorum » (ibid. p. 54).

b) De cultu liturgico SS. Martyrum.

Primum locum Martyres Christi tenent in cultu liturgico, primi enim venerationem etsi localem prae omnibus nacti sunt.

1°. Fundamentum dogmaticum cultus SS. Martyrum, a. Prima ratio cur cultus duliae testibus sanguinis debetur est, quod martyr *immediato introitu dignus est citae aeternae.* Sic enim semper intellecta sunt *effata Domini:* « Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum caelorum » et « Qui perdiderit animam suam propter me et evangelium, salvam faciet eam » (Mt 5, 10 et Mc 8, 35). Salvatio *instantanée* Martyrum resplendet in dictis Martyrum Scilitanorum a. 180: « *Hodie* martyres in caelo sumus. Deo gratias! » et alius: « Deo gratias conferimus, qui dignatus est nos *hodie* martyres accipere in caelis pro confessione eius » (Th. Ruinart, Acta sincera ed. 1859, 133). Ratio autem cur Martyres statim visionis Dei beatificae participes fiant redditur eo, quod martyrium *eundem effectum habet ac Baptismus,* ideoque Martyrium in Passione SS. Perpetuae et Felicitatis nominatur « baptismus secundus, » versus a. 202, eodem fere tempore vero *Tertullianus* haec habet: « Est quidem et nobis secundum lavacrum, unum et ipsum, sanguinis scilicet... Hic est baptismus, qui lavacrum *et* non acceptum repraesentat *et* perditum reddit » (De bapt. c. 16). Idem docet versus 244 *Origenes:* « Audi nunc, quantae sint remissiones peccatorum in Evangeliis. Est ista prima, qua baptizamur in remissionem peccatorum, secunda remissio est in passione martyrii » (In Lev. hom. 2, 4). Ideo S. *Cyprianus* exhortatus est plebem suam: a Non vereamur occidi, quos constet, *quando* occidimur, coronamur » (Exhort, mart. 3, 4). — b. Secunda ratio cultus Martyrum invenitur in eo, quod iuxta consensum maiorum nostrorum aetate catacumbarum, Martyres *instrumenta sunt Spiritus Sancti,* dicente Domino: «Et cum duxerint vos tradentes, nolite praecogitare quid loquamini, sed quod datum vobis fuerit in illa hora, id loquimini. *Non* enim *vos* estis loquentes, sed Spiritus Sanctus » (Mc 13, 11). Spiritum ergo Sanctum peculiari modo Martyres inhabitantem voluerunt fideles revereri etiam tunc, quando Martyres adhuc viventes titulis « dominus » ct « domina » honorabant. Ideo fratres maiores Perpetuae 22 annos natae iure dixerunt: « Domina soror, iam in magna dignitate es, et tanta, ut postules visionem, ct ostendatur tibi, an passio sit an commeatus. » — c. Sed saepius protestati sunt cultum Martyrum *non derogare cultui adorationis Deo debitae,* sic iam medio saec. II-o: « (Christum) utpote filium Dei adoramus, martyres vero tamipiam Domini discipulos et imitatores merito diligimus propter eximiam ipsorum erga regem et magistrum nostrum benevolentiam » (Mart. S. Polycarpi).

2°. Historia cultus liturgici Martyrum, a. Saec. I-o Martyribus tantum illa *veneratio caelestis* tributa esse videtur, quae legitur in Apocalypsi: « Vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei ct propter testimonium, quod habebant, et clamabant voce magna dicentes: Usquequo Domine, sanctus et verus, non indicas et non vindicas sanguinem nostrum de iis, qui habitant in terra? Et datae sunt illis singulae stolae albae et dictum est illis ut requiescerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conservi eorum et fratres eorum qui interficiendi sunt sicut ct illi » (6, 9-11).

b. Saec. II-o *in Oriente cultus Martyrum* iam florens invenitur, epistola ecclesiae Smyrnensis enim refert de tali cultu: « Nos postea ossa illius gemmis pretiosissimis exquisitiora et super aurum probatoria tollentes, ubi decebat, condidimus. Quo etiam loci nobis ut fieri poterit, in exaltatione et gaudio congregatis, Dominus praebebit natale martyrii eius diem celebrare, tum in memoriam eorum, qui certamina iam pertulerunt, tum ut posteri exercitati, et parati sint, ad eadem sustinenda » (c. 18.). Primum hic nominatur mortis dies « *natalis* », *genethlios,* ad vitam aeternam enim nati sunt per gloriosam mortem. Usus hic memoratur simpliciter tamquam bene notus, supponi potest ergo antiquior saec. II-o. Quod etiam invocari possunt Martyres defuncti ex inscriptionibus sepulchralibus videri potest.

c. *In Occidente* saec. II-o *peculiaris cultus* Martyrum nondum invenitur, videtur cultus talis ex Oriente inductus esse, ut Delehaye opinatur primum in Africam, dein inde Romam pervenit cultus liturgicus Martyrum. *Romae* revera in Kalendario Filokaliano Martyres saec. I-II-i desunt, Flavius Clemens consul, duae Domitillae, Acilius Glabrio, Telesphorus Papa, senator Apollonius, lustinus philosophus etc. *Primi Martyres* in Depositione Martyrum dicti Kalendarii sunt Callistus Papa (t 222), Pontianus et Hippolytus (f 235), versus hoc tempus ergo videtur incoepisse cultus liturgicus Martyrum. *Medio saec. III-o iam floruit,* nam Syxtus II. occasione coctus liturgici in catacumbis celebrati cum diaconis suis captus est 6. aug. 258, dies hic autem eo anno cadebat in Fer. VI., ct verisimiliter anniversarius fuit cuiusdam Martyris (Meffert, Urchristcntum 1922, 459). Saec. III-o *singulae civitates* seu dioeceses habebant sua festa peculiaria Martyrum, celebrata ad monumentum sepulchrale vel loculum in catacumbis. S. *Cyprianus* medio saeculo III-o scripsit: « Die eorum quibus excedunt, adnotate, ut commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare possimus n (Ep. 37, 2). De S. *Gregorio Thaumaturgo* episcopo Neocesarcac in Ponto (240-270) idem refertur a Gregorio Nazianzeno: « Omni circa regione undique peragrata ac perlustrata addidit... legem ferens, ut iis, qui pro fide dccertassent, dies sollemnes (panêgyreis) celebrarentur, cumque alii in alium locum corpora Martyrum deduxissent, per anniversarium circuli ambitum congregati laetabantur, in honorem Martyrum ferias agentes » (Vita Greg. Thaum. PG 46, 953).

d. Decursu saec. IV-i quidam dies Martyrum una cum cultu eorum *etiam in alias ecclesias* recepti sunt, sicque quorumdam Martyrum festa *universalia* evaserunt. Sic S. *Gregorius Nazianzenus* sermonem habuit in S. Cyprianum affirmans: « Neque enim Carthaginensi tantum ecclesiae, ncc Africae... verum etiam occiduis omnibus regionibus ac prope etiam orientali omni atque australi et septentrionali orae, quocumque illius fama et admiratio pervagata est » (Or. 24. 12 PG 35, 1184). S. *Augustinus* vero in laudem S. Vincentii Martyris Hispaniae sermonem dixit: « Quae hodie regio, quaeve provincia ulla, quousque vel romanum imperium vel christianum nomon extenditur, natalem non gaudet celebrare Vincentii? » (Sermo 276, 4 PL 28, 1257). Iste Martyr Vincendus revera in dissitis etiam regionibus colebatur, sic in civitate Eitha Syriae a. 354 ecclesia ei dedicata exstitit (DAL X, 2, 2447). Cultus tamen localis diu remansit simul cum cultu Martyrum universalium, ut videri potest ex sermone *Maximi Tauriiensis* (+ 165): « ...praecipue eorum sollemnitas tota nobis veneratione curanda est. quae in *nostris* domiciliis proprium sanguinem fuderunt. Nam. licet universi sancti ubique sint, et omnibus prosint, illi tamen nobis interve-

aiunt, qui et supplicia pertulerunt pro *nobis.* Martyr enim cum patitur, non sibi tantum patitur, sed et *civibus...* Cuncti igitur Martyres devotissime percolendi sunt, sed *specialiter* ii venerandi sunt a nobis, quorum reliquias possidemus » (Horn. 81. PL 57, 427). — De veneratione reliquiarum cf. De Eccl. orante F. 4. a.

3°. Modus cultus liturgici Martyrum. *Martyrum localium nomina* praeprimis in *diptychis* ecclesiae particularis inserta fuere, intra Missarum sollemnia recitanda, *natalitia* autem eorum celebritate prius ad sepulchrum, dein etiam in ecclesiis aliis frequentata sunt, ut pulchre refertur medio saec. III-o, anniversaria haec « vigiliis, hymnis ac sacramentis etiam sollemnibus honoramus, ut eorum patrocinia atque suffragia in conspectu Domini orando quaeramus, honorando mereamur » (Passio Saturnini vers. 250, Ruinart, Acta sincera 177). — *Missae* celebratae sunt penes sepulchra in monumentis seu memoriis, vel trophaeis Martyrum, in catacumbis supra sarcophagum eorum. Inde a saec. IV-o *subtus altare* recondebantur Martyrum corpora, qua « victimae triumphales », de quibus S. *Ambrosius* dixit: « Succedebant victimae triumphales in locum, ubi Christus hostia est. Sed ille *super* altare, isti *sub* altare, qui illius redempti sunt passione » (Ep. 22, 13). *In vigiliis* legebantur acta seu gesta Martyrum vel Passiones historiam captivitatis, somniorum, acta in tribunali, cruciatus dein mortem triumphalem fusius enarrantes, quibus aliquando — ut in Passione Perpetuae et Felicitatis — etiam diurni commentarii (diario, Tagebuch) inserta sunt, vel demum Legendae, i. e. commentaria posterioris temporis quae factis historicis iam errores commentaque admiscent. Lectiones has avide audiebant fideles, ut medio saec. III-o refert *Pontius diaconus* S. Cypriani, eius biographes: « Vos de eo multum, aut si fieri potest, totum desideratis *audire,* concupiscentes ardore flagranti vel facta eius cognoscere, etsi interim *viva verba* tacuerunt » (Vita Cypr. 1. Ruinart p. 252).

c) Dc cultu Sanctorum non-martyrum.

1°. In nucleo quodammodo semper in Ecclesia convictio aderat invocationis ct venerationis Sanctorum non-martyrum. immo etiam semina cultus cuiusdam liturgici vix denegari possunt. Optime sciebant — a. *defunctos* in pace Christi, praesumpta eorum salvatione, *invocari posse.* Ideo saepissime primis iam saeculis inscriptiones scpulchralcs invocant defunctos, e. gr. « Gentianas fidelis in pace... in orationibus tuis roges pro nobis, quia scimus te in Christo » (DAL X, 2, 2448). — b. z\ fortiori invocabantur « *confessores* », i. e. fideles pro fide detenti, nam etiam vivi intercedere potuerunt pro lapsis eorum-(|uc poenas abbreviare. Gressus solum deerat, ut etiam *post mortem* talis confessoris invocationes ad cum dirigi potuerunt. — c. Elapso tempore persecutionum cito deprehenderunt venerandos ct invocandos esse defunctos, qui iure sumebantur fruitionis vitae aeternae participes. Primum tales simpliciter « *martys* » i. e. *testis* vocati sunt, ideo quidam episcopi ct Papae martyris titulo adhuc coluntur (e. gr. S. Mclchiades), etsi sanguinis effusione non potuerunt glorificare Christum. Etiam vestigia cultus *liturgici* adsunt, sic in Leoniano cultus S. Silvestri Papae, de quo dicitur in orationibus: « Hanc igitur oblationem, quaesumus Domine, placatus intende, quam in S. Silvestri confessoris et episcopi tui commemoratione suppliciter immolamus, ut et nobis proficiat huius pietatis affectus, et illum beatitude sempiterna glorificet » (Feltoe p.

118). — d. Post confessores stricte dictos cito saec. IV-o veneratio incoepil *episcoporum,* qui post mortem — nisi evidenter indigni fuerint — ob vitae conversationem doctrinamve eorum sanam putabantur certo vitam aeternam adeptos esse ideoque in diptycha ecclesiae eorum inscripti sunt et etiam invocati. Titulo « *sanctis* » statim decorati sunt, *nimboque* Sanctorum praediti in imaginibus depictis. Ideo S. *Augustinus* enumerans testes traditionis de peccato originali de episcopis fere coaevis sic eflatur: « Dicit tibi sanctus Innocentius... Sanctus Gregorius dicit tibi... Dicit tibi sanctus Basilius... Dicunt tibi ore uno tot sancti episcopi Eulogius, Joannes, Ammonius, Zoninus, Zoboenus... » (cont. Julian, pelag. l. I. c. 7). — c. Item coli invocarique coeperunt *apotactitae* (= renuntiantes) seu *monazontes* (= monachi) et sanctae *virgines,* qui voto castitatis se Deo voverunt, hoc votum tamquam vivum martyrium consideratum est iam saec. IV-o, vita eorum « martyrium secundum » seu « martyrium conscientiae » (syncidèseos cf. O. Casei JfLvv 1925, 5).

2°. Saec. IV-o iam *cultus liturgicus* paulatim Sanctorum non-martyrum introduci coepit. — a. *In Oriente* coli coeperunt sancti *monachi* S. Antonius (I 358), S. Hilarion (t 371), Theodosius Antiochiae, Marcianus in Syria. Inter *episcopos* cito venerationi expositos primus est S. Athanasius Magnus, de quo orationem dixit a. 379 2. maii S. Gregorius Nazianzenus, eum cum viris Veteris Legis conparans virtutibusque minime imparem praedicans (Or. 21. PG 35, 1081-1128!). Sermonem hunc evidenter in coetu liturgico habitum aggreditur quidem excusatione: « Virtutem autem laudans Deum laudabo, a quo virtus hominibus fluit », sed tamen eximiam sanctitatem Athanasii vividis describit verbis, sermonique finem adiiciens, formaliter orationem ad eum dirigit: « O carum et sacrum caput!... Nos utinam ipse benignus desuper et placidus aspicias, atque hunc populum gubernes... meque siquidem pacatae futurae sint, in vita teneas, gregemque mecum pascas, sin autem Ecclesia bellis flagratura est, reducas aut assumas, tecumque et cum tui similibus colloces, tametsi magnum sit quod postulo » (coi. 1128). Cito dein ipse Gregorius Nazianzenus, Nyssenus, et Basilius Magnus venerati evaserunt. — b. In *Occidente* primi Sancti non-martyres fuerunt S. Silvester et S. Martinus quibus versus 500 communiter ecclesia dedicata fuit in Urbe, dein S. Eusebius Vercellensis, S. Ambrosius et Severus Ravennatcnsis viri saec. IV-o viventes.

3°. Liturgia Gallicana et Mozarabica proprios colebat Sanctos, similiter etiam Africana. Sed *Angii* kalendarium Romanum receperunt, propriosque Sanctos paulatim adiunxerunt; Sancti item Romani assumpti sunt etiam in *Gallia,* (piando ritus Romanus sub Carolo Magno introductus fuit, sed fere statim Sancti proprii iamdudum venerationi gaudentes interpolati sunt. Notandum est secus quod etiam *Romae duplex series Sanctorum* colebatur, multum enim differunt Sancti in Gelasiano ct in Sacramentario Gregoriano, seriem eorum contexit V. Leroquais (Sacramentairs I. p. XLIV-XLVI et Bréviaires I, p. CXXX-CXXXII). Quando mixtio elementorum Gelasiani ct liturgiae Gallicanae Romanam liturgiam in *Franco-Romanam* mutavit, decursu saec. IX-X-i plures Sancti venerati sunt quam eousque. Insuper proprios Sanctos singulae dioeceses immo ecclesiae quoque assumebant, ita ut praeter Sanctorale Gelasiano-Gregorianum sat magnae differentiae usque ad Tridentinum vigebant

J . \umerum Sanctorum etiam hoc augebat, quod per decem saecula *vencratio ct recognitio Sanctorum* solum ab *episcopis* dependebat. Primus Sanctus

in synodo Romana canonizatus est S. Udalricus antistes Augustae (= Augsburg t 973) a. 993 per Joannem XV., exinde plerumque *Apostolica Sede* interveniente Sancti renuntiati sunt, seu ad « elevationem » i. e. canonizationem aequivalentein permissionem a Romano Pontifice postulabant, ut S. Ladislaus rex Hungariae ad canonizationem regis Stcphani, eiusve filii Emerici et Gerardi Martyris licentiam accepit a S. Gregorio VIL a. 1083. Sanctorum canonizatio denique *omnino reservata* est Romano Pontifici ab Alexandro III. a. 1170, decretum in Corpus luris assumptum est: « ...etiamsi per eum miracula plurima fierent, non liceret vobis ipsum pro sancto absque auctoritate Romanae ecclesiae publice venerari » (Deer. Greg. IX. 1. III, tit. 45, 1). Demum etiam veneratio minus publica seu restricta, « *beatificatio* » quoque unice S. Sedi reservata fuit per Urbanum VIII. Constit. ap. « Coelestis Hierusalem » 5. iul. 1634 (§ 1, 2). Exinde ius canonizationis et beatificationis penitus elaboratum est, cuius summa delineamenta leguntur in CIC (can. 1999-2141).

2. De festis SS. Apostolorum.

Tractandum est nobis a) De cultu liturgico Apostolorum in genere, dein b) De festo SS. Petri et Pauli, item c) De natalitiis singidorum Apostolorum, demum d) De festis secundariis Apostolorum.

a) De cultu liturgico Apostolorum in genere.

1°. Fundamentum dogmaticum cultus Apostolorum. Apostoli excedunt dignitate ceteros Martyres et Confessores triplici ratione, a. Primo intimo nexu excellunt relate *ad Christum Dominum:* immediate ab ipso Christo vocati sunt, etiam designatio potestatis a Christo visibili facta est. See. Leonianum Christus posuit caelestis Hierusalem fundamenta, « quae duodecim solidata lapidibus apostolorum » fuit a Christo Domino (Missa XXL Feltoe p. 46). Apostoli — ut ait d llcrbigny — ex ipso trunco vitis orti sunt, primi directique palmites, unde postea nascuntur ramuli, necesse ergo semper fuit, ut Apostoli summo cultu a fidelibus venerentur (Theol. Eccl. I, 169). — b. Secundo excellunt Apostoli etiam speciali nexu cum *Spiritu Sancto,* nam *doctrinae* revelationem immediate accipiebant, Ecclesia autem per eos « initium divinae cognitionis accepit », sicque « in apostolica soliditate fundata est » (Leonian. Missa III. Feltoe p. 37 et M. VI. p. 39). Dein Apostoli singulari charismate *infallibilitatis* quoque pollebant, magisterium accipiebant universale et dotem infallibilitatis ratione ac vi apostolatus (cf. Zubizarreta L 395). Sic tribuit Dominus, « ut praedicationis apostolicac claritatem nulla iuris inferni subdola doctrina subvertat » (Leonian. Missa IV. Feltoe p. 37). — c. Demum tertio speciali relatione *ad Ecclesiam* quoque augetur dignitas Apostolorum, in connexione cum Petro primi lapides fundamentales immediate a Domino positi sunt, Deus enim — ut ait Leonianum — « in ipsis Ecclesiae fundamenta constituens, quorum beatissimum Petrum gratiae electionisque primitias in apostolicae dignitatis culmen » adseivit (Missa II. p. 37).

2°. Historia cultus Apostolorum, a. In duplicem classem Apostoli dividi possunt iuxta Kellner (p. 208-210). (1) In *Imperio Romano* sunt mortui et sepulti sequentes fere Apostoli. Petrus et Paulus Romae, Philippus in Phrygia, fortasse civitate Ilierapoli, Andreas in Graecia civitate Patras; de Joanne Apostolo non liquet, fortasse Ephesi morte placida quievit. Verisimile est quatuor

ex Apostolis Hierosolymis fuisse tumulatos: Jacobum Maiorem et Minorem, Matthiam et Judam Thaddaeum. Apostoli titulo honoratus est S. Barnabas, qui in civitate Salamina in insula Cypro sepultus est, Lucas evangelista in Graecia, Marcus Alexandrine sepulchrum invenit. — (2) *Extra limina Imperii* versati sunt ibique tumulati Bartholomaeus et Simon Zelotes in Armenia. Matthaeus in Aethiopia, Thomas in India, sed pars ex eius exuviis etiam Edessam allata est. — (3) Fide omnino digna habenda sunt natalitia SS. Petri et Pauli, Andreae, et fortasse Lucae et Marci. — b. Inde a saec. IV-o videmus conatum SS. *Apostolos coniunctim celebrandi.* (1) *Constantinus Magnus* ante Nicaenum iam construi iussit basilicam Omnium Apostolorum, « Mnêmê ton apostolôn » seu Apostoleion nuncupatum, ubi dein ipse sepeliri voluit, quaeve dein a lustiniano Magno tota denuo aedificata fuit et 29. iun. 550 sollemniter dedicata. In hanc basilicam pedetentim reliquiae plurium Apostolorum recondita sunt (Timothei, Andreae, Lucae). — (2) Idem imperator *Romae* in aedibus Lateranis ciborium ornari iussit imaginibus duodecim Apostolorum corona argentea coronatorum teste Libro pontificali (ed. Duchesne I, 72). Opinamur huius opificii vestigium invenire in praefatione quadam Leoniani 29. iun.: « ...qui in montibus sanctis caelestis Hierusalem fundamenta posuisti, quae duodecim lapidibus apostolorum *chorus ecclesiae tuae* spiritali constructione declarat » (Missa XXI. Fcltoe p. 46). — (3) Demum etiam *Hierosolymis* idem Constantinus omnes Apostolos veneratus est: in ecclesia Anastaseos s. sepulchrum Domini duodecim columnis circumdedit, singulasque columnas urnis argenteis exornavit (DAL I, 2, 2632 et 2634). — (4) *Festum collectivum Omnium Apostolorum* Romae celebratum fuit, saec. V-VI-o; in Leoniano Missa legitur cum oratione: « Omnipotens sempiterne Deus, qui nos omnium apostolorum merita sub una tribuisti celebritate venerari » (Leonian. ibid.). Hanc Missam fuisse infra octavam Petri ct Pauli celebratam eruitur e Gelasiano (II, XXXV, Wilson p. 185). Festum hoc seu Missa adhuc saec. IX,cognitum fuisse videtur, eius nempe meminit Radulphus Bituricensis (= Bourges, 840-866): « ...de festis s. Andreae et omnium apostolorum » (PL 119, 717). — c. *Singula festa* Apostolorum lente admodum exorta sunt praesertim eorum celebratio universalis. Sacrament Leonianum tria habet festa Apostolorum (29. iun., 30. nov. et 27. dec.), Lectionarium Luxoviense item duo (22. febr. et 29. iun.), Comes de Silos adiicit his duo festa (30. nov. ct 27. dec.), in Gregoriano primigenio quatuor sunt festa apostolica (1. maii, 29. iun., 30. nov., 27. dec.), quibus in Gelasiano primigenio additur 21. dec. — Inde a saec. IX-o omnia natalitia Apostolorum iam recoluntur, tum in Oriente, tum in Occidente; Bonifatius VIII. a. 1298 ea ad ritum dupl. evexit.

b) Dc festo SS. Petri et Pauli.

1°. Deo disponente qui « ineffabili sacramento ius apostolici principatus in *Romani nominis arce* posuit, unde se evangelica veritas per tota mundi regna diffunderet » (Leon. 29. iun. Missa V. Feltoe p. 38), SS. Petrus et Paulus eodem die, verisimiliter 29. iun. sub Nerone, fortasse non eodem anno, Romae martyrio coronati fuere. Nativa celebratio certe *communis* erat utriusque Apostoli et iam medio saec. III-o frequentata, quod demonstratur notitia e Kalend. Filokaliano deprompta: « III. kal. iulii, Petri in catacumbas, et Pauli Ostense, Tusco ct Basso conss. » (II Lietzmann, Die drei alteren Martyrologien 1911,

3), i. e. anno 258. Iuxta textum Martyrologii Hicronymiani a P. Kirsch reconstructum: « Romae Petri et Pauli apostolorum, Petri in Vaticano, Pauli via ostiensi, utrumque in catacumbas » (JfLw 1923, 38). Romae ergo praeter duo sanctuaria adhuc tertium erat Apostolorum: «Ad catacumbas», quod seriore tempore usque adhuc vocatur S. Sebastiani ad catacumbas, ubi principes Apostolorum a. 258 durante persecutione Valeriana ad tempus reconditi fuere; veneratio eorum communis testificationem nanciscitur picturis insculptis (« graffiti »), e. gr. « Paule et Petre in mente habete Sozomenum et tu qui legis ». Saec. IV-o hoc loco Monumentum apostolicum exstructum fuit, ubi veneratio Apostolorum tunc iam in locum proprium restitutorum tamen satis diu perduravit.

2°. Saec. IV-o festum 29. iun. celebratum fuit per triplicem polyliturgiam. ut nobis nota supra relata Hicronymiani versus 400 descripta demonstrat. — a. Triplex ergo fuit hoc die conventus liturgicus: unus in Basilica *Vaticana* a Constantino Magno a. 326 exstructa in honorem S. Petri, alter in honorem ntriusque Apostoli in *Monumento Apostolorum,* tertius demum in honorem S. Pauli in Basilica S. *Pauli* ad Viam Ostiensem. Revera hymnus a S. Ambrosio concinnatus (iuxta Dreves, Bardcnhcwer et Kirsch cf. JfLw 1923, 37) haec dicit: « Tantae per Urbis ambitum | Stipata tendunt agmina, | *Trinis* celebratur viis | Festum sacrorum Martyrum. » Festum praecessit *duplex vigilia,* una in Bas. Vaticana, altera in Bas. Ostiensi, sicque fuit usque ad saec. VIII. — b. Celebratio haec *triplex sat diu* videtur perdurasse. Sacramentarium enim Gelasianum tria fert formularia: « In natali S. Petri proprie. — In natali apostolorum Petri et Papii. — In natali Pauli proprie » (Missa XXX. XXXI. XXXII. Wilson p. 181 s.). Nostra opinione haec recte interpretantur a J. P. Kirsch de triplici statione supradicta. Attamen iam in ipso Gelasiano statio S. Pauli in diem sequentem « pridie kal. iul. n ergo 30. iun. translata est, tantus debuit esse triplicis stationis labor. — c. Celebratio tamen communis seu collectiva Apostolorum Petri et Pauli *vestigia reliquit* etiam sempiterna, in textibus enim liturgicis principes Apostolorum fere semper coniuncti apparent, quod sine illo Monumento apostolico, ubi ad tempus communiter reconditi fuerunt, vix ac ne vix quidem sic se haberet. Ad probandum sufficit relegere 28 formulas Missarum Sacramentarii Leoniani.

3°. Divulgatio festi SS. Petri ct Pauli, a. S. Ambrosius testatur festum saec. IV-o *Mediolani* celebratum fuisse. In libro eius de virginitate sermo exhortatorius ad consecrandas virgines, est festo SS. Petri et Pauli habitus, ut elucet ex ipso sermone: « Noctem habebat Petrus antequam Christum videret... Hies factus est Petrus, dies Paulus, ideoque hodie natali eorum Spiritus Sanctus increpuit dicens: Dies diei eructat verbum, hoc est, ex intimo thesauro cordis fidem praedicant Christi. Et bonus uterque dies, qui nobis verum lumen evomuit » (c. 19, 124 PL 16, 313). — b. Praxim *Afrorum* refert S. Augustinus quinque habens sermones de hoc festo, ibique dicens: « Istum diem beatissimorum Apostolorum Petri et Pauli passio consecravit... Celebramus diem festum, Apostolorum nobis sanguine consecratum... Debuimus tantorum Martyrum diem, hoc est SS. Apostolorum Petri et Pauli maiore frequentia celebrare » (PL 39, 1348. 1352. 1365). Caput 21. Joannis legebatur hoc festo fidelibus Hipponensibus, quae « recens sancti evangelii lectio hodiernae sollemnitati conveniens est » (coi. 1353). — c. In *Syria* Theodoretus episcopus Cyrensis

inter 123-458 inter festa Sanctorum primo loco affert festum Petri et Pauli: « Pro festis vestris (sc. paganis) Petri et Pauli, et Thomae et Sergii et Marcelli et Lcontii et Panteleemonis et Antonini et Mauricii aliorumque martyrum solemnitates peraguntur » (Grace, affectionum curatio Sermo VIII. PL 83, 1033). — ‹l. *Constantinopoli* festum sollemnitate auctum est a. 491, ut refert Theodor. \nagnostes circa 530: *a* Festus quidam senator Urbis Romae, de civilia quaedam negotia ad imperatorem Anastasium missus, cum venisset Constantinopolim, hortatus est, ut principis apostolorum Petri ac Pauli memoria magno cum honore cultuque celebraretur. Quamvis igitur antea quoque celebrata fuisset, deinceps post petitionem Festi longe maiori splendore ea festivitas peracta est » (Eccl. hist. II, 16 PG 86, 190 s.). — e. S. Leo Magnus medio saec. V-o iam iure dicere potuit: « Hodierna festivitas, prater illam reverentiam quam *toto terrarum orbe promeruit,* speciali et propria nostrae Urbis exsultatione veneranda est, ut ubi praecipuorum apostolorum glorificatus est exitus, ibi in die martyrii eorum sit laetitiae principatus » (Sermo 82. PL 51, 422). Ceterum talia cecinit iam Prudentius a. 405 Romae versatus: « Fama nam terras in omnes percucurrit productrix | Hic *patronos* esse *mundi* quos precantes ambiant » (Peristeph. PL 60, 257).

c) De natalitiis singulorum Apostolorum.

1°. S. Mathias 24. febr. Ignota mansit vita huius Apostoli qui Spiritu Sancto inspirante electus fuit in locum proditoris (Act 1, 15-26), praedicasse fertur in Aethiopia, at reliquiae eius S. Helena ex Hierosolymis misit *Romam,* partim autem civitati *Treoirorum,* quae Mathiam patronum sibi principalem elegit. *In Oriente* colitur 9. aug. a Graecis et a Syris, Copti 16. mart, eius martyrium celebrant (Nilles I, 243. II, 701. 716). Festum quod in antiquis Sacramentariis Romanis desideratur, primum invenitur in Antiphonario Basilicae Vaticanae saec. XI., cultus eius inter IX.-XI. saec. coepisse videtur.

2°. S. Marcus Evangelista 25. apr. Secundum traditionem ininterruptam luit primus episcopus Alexandriae, ibique reliquiae eius colebantur. In *Oriente* dies 25. apr. celeberrimus est in commemoratione S. Marci, Graeci, Syri, Copti, \rmeni, Slavi eum celebrant. Etsi Marcus *Romae* adiutor S. Petri exstitit, festum eius tamen solum a saec. IX-o ibidem invenitur. Reliquiae eius saec. VIII-o ab Alexandria Venetiam translatae sunt, ideo patronus est principalis ditionis olim Venetiae.

3°. SS. Philippus ct lacobus Minor 11. mai. a. Philippus secundum traditionem in Phrygia, civitate Hierapoli sepultus est, lacobus vero, frater Domini, Hierosolymis est martyrio coronatus. Philippus *in Oriente seiunctim* colitur a lacobo, 14. nov. penes Graecos et Syros (Nilles I, 329. 463. 486). lacobus Minor in Oriente celebratur 27. dee. una cum loanne, Martyrologium Hieronymianum habet notam: « 27. dec. Adsumptio S. Johannis evangelistae apud Ephesum et ordinatio episcopalis s. lacobi fratris Domini, qui ab apostolis primus ex ludaeis Hierosolymis episcopus est ordinatus. » — b. Duo Apostoli *Romae coniuncti sunt* in celebratione, quia reliquiae eorum oblatae et reconditae sunt in Basilica Apostolorum, quae a Pelagio I. (556-561) exstrui coepit ad exemplum ›| \postolii « Constantinopolitani. Basilica Romana in memoriam grati animi aedificata est post liberationem Urbis e manibus Gothorum a. 554. Dies dedicationis fuit 1. maii, ideo festum amborum Apostolorum hoc die deinceps celebratum fuit. *Ant. ad intr.* resplendet angores obsidionis Urbis: « Clama-

verunt ad tc Domino in tempore afflictionis suae ct tn de caelo exaudisti eos » A. 1873 reliquiae Apostolorum dcnuo inventae sunt. — c. Inde ab a. 1956 festum perpetuo translatum est in diem 11. maii, primum diem liberum post I. maii, in quo festum S. Joseph Opificis deinceps celebrandum est.

4°. S. Barnabas Apostolus 11. iun. Operam apostolicam exserit in Insula Cypro, ibique in civitate *Salamina* depositus est; a. 488 reliquiae eius inventae sunt, ideo verisimiliter *die inventionis 11. iun.* ab Ecclesia Graeca honoratur. Copti Barnabam « unum ex 72 discipulis » 9. dec. celebrant (Nilles I, 177. II, 700). Secutus traditionem Graecam, S. Barnabam in Martyrologium primus S. Beda Venerabilis inseruit, festum tamen seriore tempore solum celebrari coepit (DAL II, 1, 497 s.). Nunquam habuit vigiliam, cuius rationem Beleth his reddit: « Barnabas non habet ieiunium, propterea quod non sit ex numero apostolorum. Nec profecto dicitur apostolus, nisi cum erat Pauli socius, ut ceteri ad praedicandum missus sit d (PL 202, 24).

5°. S. lacobus Maior Ap. 25. iul. lacobus fuit filius Zebedaei et frater loannis Apostoli. Ab Herode Agrippa iniusto indicio inter a. 41-43 Hierosolymis gladio occisus, ibi quoque sepultus est, sepulchrum eius saec. VI-o adhuc notum veneratumque fuit. Martyrium lacobi prope Pascha factum est, *Graeci* recte eum 30. apr. venerantur una cum Syris. S. lacobus nunquam praedicavit in *Hispania* Evangelium, sed translatio eius in Compostellam facta historica veritate non videtur carere, quae saec. IX-o iam testes habet ideoque inter saec. VI-IX. locum habuit. 25. iul. est dies anniversarius translationis.

6°. S. Bartholomaeus Apostolus 24. aug. Nathanael seu nomine patronymo Bartholomaeus (= filius Ptolemaei) secundum traditionem diem supremum in *Armenia* obiit, ibique sepultus est. *Reliquiae* cius plures in locos venerunt, iuxta Theod. Anagnostem et Procopium pars earum in civitatem *Duras* in Mesopotamia allata est, alia pars secundum Gregor. Turonensem (De glor. mart, c. 33) vero in Insulas *Liparienses.* Inde ob incursiones Saracenorum reliquiae translatae sunt a. 808 in *Beneventum,* Otto III. a. 1000 partem reliquiarum Romam attulit, ibique in *Insula Tiberina* ecclesiae recenter constructae donavit, insula haec ideo exinde a S. Bartholomaeo nuncupatur. Festum eius *in Oriente* variis diebus celebratur, Copti 10. spt. et 27. nov., Armeni 8. dec.. Graeci una cum Barnaba eum die 11. iun. recolunt, Martyrologium Hieronyinianum 13. iun. habet annotationem: « S. Bartholomaci in Persia.» 24. aug. est dies cuiusdam translationis (Nilles II, 696. 710 et DAL II, 1, 499 s.).

7°. S. Matthaeus Apostolus 21. sept. S. Matthaeus see. traditionem in *Aethiopia* vita functus iuxta Venantium Fortunatum in civitate Naddaver se-)ultus est. Inde sacc. X-o pars reliquiarum in civitatem *Salernitanam* deducta uit, ubi dux Normannorum Rob. Guiscardus saec. XI-o ci magnificam ecclesiam aedificari iussit, quam S. Gregorius VII. dedicavit. Latini recolunt diem 21. sept.. Graeci et Syri 16. nov., Copti vero 21. oct. (Nilles I. 463, II, 70S).

8°. S. Lucas Evangelista 18. oct. Lucas in Graecia mortuus est et in civitate *Thebana* sepultus iuxta Paulinum Nolanum. Reliquiae eius una cum exuviis S. Andreae 3. mart. 357 iussu Constantii imperatoris *Constantinopolim* translatae sunt. Dies. 18. oct. est verisimiliter dies genuinus mortis, invenitur iam in Kalend. Carthaginensi et ab omnibus ritibus observatur.

9°. SS. Simon ct ludas-Thaddaeus Ap. 28. oct. Apostolus *Simon Zelotes* seu *Canaeus,* quod idem significat, in Armenia fidem praedicavit, quae tunc Persis sublecta fuit, idcirco dicitur in Persia martyrium subiisse. *ludas-Thad*

daeus Verisimiliter nunquam reliquit Palaestinam, iuxta traditionem dubiam (Ps. Abdias, Hist, certaminum Apost. VI, 7-23) simul cum Simone Zelote actionem missionariam exercens in civitate Suanir vel Suana occisus est. Ideo ab occidentalibus una cum Simone colitur, cur autem dic 28. oct., nescimus. Sacramentaria antiqua festum adhuc ignorant, quod dein solum in libris Franco-Romanis occurrit. Orientales duos hos Apostolos separatim celebrant, Simonem 29. apr. vel 10. maii, ludam Thaddaeum autem 16., 20. vel 22. maii, vel 19. iun., et etiam 20. aug. (Kellner p. 225).

10". S. Andreas Apostolus 30. nov. Historice omnino certum est S. Andream in civitate *Patras* in Achaea supremam luctam victoriosam pugnasse (Acta eius fide digna edita cf. Anal. Boll. XIII, 373-378). Dies 30. nov. recurrit iam in Kalend. Gothico Ulfilae et in omnibus libris liturgicis legitur Orientis et Occidentis. Reliquiae eius iussu Constantii imperatoris *Constantinopolim* delata sunt a. 357, et etiam *Roma* partem ex iis accepit; Simplicius (468-483) primum sanctuarium Andreae in Urbe dedicavit.

11°. S. Thomas Apostolus 21. dec. In prioribus Ecclesiae saeculis post principes Apostolorum maxime ab omnibus gentibus Thomas celebrationi gaudebat. Certa haberi debet cius praedicatio apostolica penes *Parthos,* cuius iam Origenes meminit (Euseb., Hist. eccl. III, 1), dein in *Indiam* secessit, ibique convertisse fertur regem Gundaphar, cuius nummi inter 20-50 cusi revera reperti sunt. In civitate *Calamina* Indiae supremum diem obiit, quae verisimiliter identica est cum suburbio urbis Madras, Mailapur nuncupato. Pars *reliquiarum* eius 3. iul. 384 per mercatorem quendam allata est *Edessam,* ut referi S. Ephraem Carmine 42. Nisibeno, lamentationem adducens diaboli: « Apostolus (piem interfeci in India, praevenit me Edessam. Hic et illic totus est... Ossa portaverat mercator ille, vel potius illa portaverant eum... Hic mercator lucratus est, et magnus factus et regnavit. Aerarium eius valde me depauperavit, Edessae enim apertum est, et ditavit magnam urbem auxilio suo. » Reliquiae, uti ex hoc testimonio patet, remanebant *etiam in India,* celeber peregrinator saec. XIII-i, Marcus Paulus (= Marco Polo) de iis refert: « In provincia Maabar, quae est India maior, servatur corpus beati Thomae Apostoli, qui in illa provincia pro Christo passus est. Quiescit autem eius corpus in civitate quadam parva, ubi multi sunt christiani et Saraceni, debito honore sanctum venerantes corpus » (Nilles II, 651). E reliquiis Edessenis translata est pars a. 1258 in Insulam *Chios,* inde autem *Orthonam* in Apulia prope Mare Adriaticum, ubi adhuc hodie veneratio eis exhibetur. *Festum* S. Thomae colitur variis diebus: Syri et Maronitae recolunt id 3. iul., die translationis Edessenae, martyrium vero eius frequentant una cum Graecis 6. oct., quod festum ab Armenis celebratur 22. aug.; dies 18. oct. sacer est Aethiopis, qua « commemoratio praedicationis S. Thomae ap. in India »; Copti recolunt 2. iun. festum Apostoli (Nilles I, 478. 296, II, 597. 702). In Urbe Symmachus (198-511) ei oratorium dedicavit in ecclesia S. Andreae; festum eius occurrit primo in Sacr. Gregoriano dic 21. dec., qui fortasse dies est translationis.

12°. S. Ioannes Ap. et Evangelista 27. dec. cf. superius C. 2. d. 5°.

d) De festis secundariis Apostolorum.

Festa secundaria Apostolorum vocantur festa eorum extra natalitia, et recensentur see. ordinem Kalendarii.

1°. Festum Cathedrae S. Petri 22. febr. Historia sat intricata huius festi (ante 1960 duplicis) succincte enarramus vestigia sequentes recentioris investigationis (Th. Klauser 1927, P. J. Kirsch 1925, D. Balboni 1954 cf. Litter.).

a. *Romae* prima parte saec. IV-i exstitit festum cum titulo « *Natale Petri de cathedra* » et quidem VIII. kal. mart. i. e. 22. febr. Festum hoc aenigmaticum inde a pluribus decenniis optime explicari potest quoad eius *diem:* (1) festum *familiare* popularis aurae fuit « Carae cognationis, » seu « Caristiae » i. c. carorum societatis, cum, ut Valerius Maximus ait « convivium etiam solemne maiores instituerunt, idque Caristia appellaverunt, cui praeter cognatos et allines nemo interponebatur, ut si (pia inter necessarias personas querella esset orta, apud sacrae mensae et inter hilaritatem animorum et fautoribus concordiae adhibitis tolleretur » (Fact, et diet, memorab. l. II, 1, 8). — (2) Festum hoc familiare *praecessit festum publicum* gentilium « *Feralia* » 21. febr., quo memoria acta est cognatorum *defunctorum.* Ad familiam pertinebant etiam libertini, clientes, tales saec. II-III-o consueverunt collegia constituere sicque die hoc patronum suum venerari. — (3) Balboni merito opinatur, tali modo etiam christianos egisse, « in societatem se iunxisse et Petrum patronum sumpsisse, (pii Romae corpus Christianorum constituerat, ita libere VIII. kal. mart, christiani convenire poterant » (Eph. Lit. 1954, 118). Quia dies natalities fuit 29. iun., dies hic 22. febr. erat *natalitius principatus Petri,* quo praecise *caput est « collegii »* i. e. Ecclesiae, ideo vocatur a duobus testibus primis huius festi « natale. » Chronographus Vitalis in a. 345 scribit: « Apostolus Petros cathedram episcopatus sedit in urbe », Filokalus autem a. 354 respective a. 336: « Natale Petri de cathedra. » Sic festum paganum populare transformatum est in christianum cum novo sensu vigens.

b. *In Gallia* saec. V-o exortum est *festum Petri Apostoli* independens a praecedente Romano, die 18. ian., quo praecipue *primatus* Petri recolebatur, ut notat Kalend. Gellonense: « XV. kal. febr. secundum Gallos Cathedra sancti Petri apostoli »; revera in Missali Bobiensi ct Lectionario Luxoviensi, Epistolario sancti Pauli saec. VIII. et adnotationc Evangeliarii S. Kiliani saec. VII-VIII. festum hoc habetur ianuarii (Salmon, Lect. de Luxcuil I, 66). Festum hoc celebrat « diem, in quo omne ius gentium ludaeorumque sortitus est (sc. Petrus), (piem diem ipsa divinitas consecravit delegando caelorum claves, vel pontificalis cathedrae contulit dignitatem, » et laudatur « Deus, qui hodierna dic beatum Petrum post te dedisti caput Ecclesiae » (Gothicum).

c. Duplex hoc festum, 18. ian. et 22. febr., singularem ct *miram interpretationem* nactum est versus 600, compilator enim Gallicanus recensionis Martyrologii Ilieronymiani inveniens in fontibus *Romanis* diem *22. febr.,* in *Gallicanis* autem diem *18. ian., sine ullo fundamento arbitrarie* adiecit his festis: « XV. kal. febr. (= 18. ian.). Cathedra petri in *Roma,* et « VIII. kal. mart. (= 22. febr.). Cathedra Petri in *Antiocia* », quin alicubi duplex festum revera celebratum fuisset, Gallicana liturgia enim paulatim celebrare consuevit diem 22. febr. loco festi 18. ian.

d. *Romae* autem eodem tempore (saec. VII-VIII.) *festum deesl in fontibus* liturgicis (Sacr. Gelas., Gregor., Comes Wirceburg.), quod a *Kirsch* explicatur per systema stationale, quod praecise tunc se maxime evolvit sicque festa Sanctorum minime passum est (JfLw 1925, 51 s.), *Balboni* vero rectius provocat ad factum quod sacramentariorum codices nobis traditi omnes longe ab Urbe scripti sint (Eph. Lit. 1951, 122). Non videtur verisimilis talis suppressio

festi in Urbe, quod « cathedra » *i.* e. sede sua totius orbis principatum gignit: « Ex hac cathedra nostrae ecclesiae id est catholicae prolatam institutionem cognoscimus, congaudemus, credimus et confitemur » (sermo leonianam prodens speciem, a Morin editus Rev. Bon. 1896, 343). In libris *Franco-Romanis,* iam in Gelasianis limioribus (saec. VIII-i) invenitur festum 22. febr. et per totum medium aevum in Europa celebratum fuit.

e. Adnotatio Mart. Hieronymiani *de duplici cathedra,* Romana et Antiochena, etsi *nunquam usu liturgico* verificata fuit, tamen *in praxim inducta est.* Paulus IV. enim secutus consilium Card. Sirleto, 6. ian. 1558 utriusque festi celebrationem universae praescripsit Ecclesiae. Sic usque 1960 *eodem officio et Missa* colebatur S. Petrus duobus distinctis diebus, solum titulus fuit alius, Romanus diei 18. ian., Antiochenus 22. febr. Commissio ad reformandum breviarium a Benedicto XIV. instituta supprimere voluit a. 1742 festum 18. ian., sed conatus successu caruit. Reformatio autem S. P. loannis XXIII. expunxit festum 18. ian., festum autem 22. febr. evexit ad II. cl. (NCR Var. 8. a. et 7. b.).

2°. Festum Conversionis S. Pauli 25. ian. Prima vice in Martyrologio Hieronymiano invenitur festum: « VIII. kai. febr. Romae *translatio* Pauli apostoli », versus a. 600, in recensione Bernensi additur « *et conversio* » (JfLw 1925, 58).

a. Festum hoc extra Urbem ortum est, non invenitur in fontibus liturgicis Romanis saec. IV-IX., sed habetur in fontibus liturgiae typi Gallicani. Miss. Gothicum habet Missam, recensio Francica Gelasiani, Gregorianum « fusionatum » a Ménard editum, Martyrologia Franciae, in quibus modo « translatio », modo « conversio » Pauli legitur. — b. Obiectum festi nullo modo potest esse translatio quaedam S. Pauli. Non potest esse translatio *ante* Constantinum Magnum facta, nam non habet talem S. Petrus cum Paulo aliquod tempus in communi loco quiescens; non potest esse translatio *post* Constantinum facta, quia semper inde in Bas. S. Pauli venerationi expositus fuit. — c. Ut Kirsch demonstravit, obiectum festi exclusive est conversio Pauli prope Damascum facta, « *translatio* » autem sparsim etiam « *conversionis* » *habet significationem. Tertullianus* iam tali sensu usus est vocabulo (Adv. ludaeos c. 9), S. *Hieronymus* de Paulo dicit: « ...revelatione compulsus ad fidem quae in actis apostolorum scribitur, in vas electionis de persecutore *translatus* est » (De viris illustr. c. 5. cf. JfLw 1925, 63). — d. *Dies 25. ian.* electus fuit probabiliter, ut festum aeque distans habeatur S. Pauli, festum enim Gallicanum S. Petri fuit 18. ian. *octavus dies* est: 25. ian., dignus visus ut tunc S. Paulus recolatur. Festum nunc ab 1961 est III. cl., ad matutinum dicuntur tres lectiones de actibus apost., quae olim I. Noct. erant assignatae (NCR Var. 43).

3°. Festum expunctum S. loannis ad Portam Latinam 6. maii. *Tertullianus* iam meminit facti, dicens Romam quam felicem esse, « ubi Petrus passioni dominicae adaequatur, ubi Paulus loannis exitu coronatur, ubi Apostolus loannes posteaquam in oleum igneum demersus nihil passus est, in insulam relegatur » (De praescr. haeret, c. 36. 3). *Festi origo Romae* quaerenda est, in Gregoriano Hadriano enim legitur Missa « Prid. non. maias i. e. VI. die mensis maii Natale Sancti Iohannis ante Portam Latinam » Missa haec etiam in Gregoriano Paduano habetur, ipsa ecclesia autem tantum altera parte saec. VH-i erecta est. ex eodem tempore celebratur etiam festum, quod cito receptum est

in Gallia, habetur enim in Miss. Gothico (Kl. Gamber, Wege z. Urgregor. 1956, 41). Festum inde ab a. 1961 iam non celebratur (NCR Var. 8. c.).

4°. Festum Commemorationis S. Pauli 30. iun. Ut supra b. 2°. dictum est, hoc festum est *transpositio secundae stationis festi Petri et Pauli* in sequentem diem, quod iam in Gelasiano observatur. In Gregoriano primigenio, ergo tempore S. Gregorii Magni haec transpositio iam facta esse videtur (Kl. Gamber p. 44). Textus Missae fere identica est cum Missa 25. ian. Conversionis Pauli, excepta Epistola, quae olim in vigilia legebatur (Gal 1, 11-20), Evangelic e festo S. Barnabae desumptio et Postcommunionc.

5°. Festum expunctum S. Petri ad vincula 1. aug. — a. *Ecclesia* cuius *dieni dedicationis* 1. aug. signat, est valde vetusta, Sixtus III. una cum Eudoxia luniore, uxore imperatoris Valentiniani III. versus 430 restauravit ecclesiam, nomenque eius mutavit in alium titulum, ut inscriptio nunc iam destructa Xysti III. dixit: « Cede prius nomen, novitati cede vetustas, | Regia laetantor vota dicare libet. | Haec Petri Paulique simul nunc nomine signo : Xystus apostolicae sedis honore fruens. » Ecclesiae ergo *titulus* erat « SS. *Apostolorum Petri et Pauli,* » Concilio Ephesino a. 431 subscripsit legatus Xysti III. « Philippus ecclesiae apostolorum presbyter ». — b. At post saeculum *titulus* hic iam *modificatus* est; a. 554 diaconus Arator « in ecclesia S. Petri quae vocatur *ad vincula* » poema suum dixit de actibus Apostorum (PL 68, 81). *Triplex traditio* distingui potest quoad *catenam* in basilica asservatam, dicitur enim partem catenae esse custoditam Romae e captivitate Petri *Romana* oriundae, haec traditio est genuina saec. V-i. Quod huic pars alterius catenae, e carcere Petri *Hierosolymitano* adnexa fuit, est traditio saec. VIII-i; quod haec catena alteri catenae per *miraculum* connexa est, iam est traditio medii aevi exeuntis (Marucchi, Basil, et églis. de Rome, p. 313 s.). Vincula inquisitioni *archeologicae* subiecta fuere, II. Grisar ostendit ea esse revera antiqua, consimilesque catenis seu vinculis in excavationibus Pompeianis inventis. Inscriptio in abside basilicae vetustissima meminit harum catenarum: « Inlaesas olim servant haec tecta catenas, | Vincla sacrata Petri, ferrum pretiosius auro. » — c. Festum primo memoratur versus 600 in Martyrologio Hieronymiano, cuius recensio Epternacensis haec habet: « Romae statio ad S. Petrum ad vincula » et: « Ad vincula Eudoxiae apostoli Petri osculant populi catenas » (ed. de Rossi-Duchesne, AA. Sanctor, nov. 11. p. 98). *Textus liturgicus* invenitur in Gregoriano Hadriani I.. qui « titulum apostolorum, qui appellatur Eudoxiae ad vincula, totam eius novitcr restauravit ecclesiam » (Lib. pontif., ed. Duchesne), in Gelasiano primigenio festum deest. Deinceps in omnibus libris liturgicis legebatur, a. 1960 expunctum est e festis Ecclesiae universae (NCR Var. 8. g.).

3. De festis Sanctorum eximiorum.

Sub Sanctis eximiis intelligimus *Sanctos (pii ad omnem sanctitatis fontem propinquitate quadam speciali referuntur,* ad Christum nempe Salvatorem. Prae omnibus Sanctis excellit singulari suo statu in ordine salutis Beata Virgo, quae ideo cultu hyperduliae colenda est dc cuius cultu iam sufficienter actum est. Remanent nunc alii, qui propius ad Christum referuntur: S. *loseph,* sponsus Virginis Immaculatae et nutritor Domini, SS. *loachim et Anna,* parentes Deiparae et S. *loannes Baptista,* praecursor Christi. Tractandum ergo est a)

De festis S. loseph, dein b) De festis SS. loachim et Annae, demum c) De festis S. loannis Baptistae.

a) De festis S. loseph.

1°. Initia cultus S. loseph. Cultus nutritoris Domini *ignotus* fuit primis saeculis, quia tunc exclusive martyres colebantur, S. loseph vero nec ullibi monumentum sepulchrale habuit, nec certa habetur memoria de eius mortis loco et tempore. SS. *Patres* tamen saepe loquuntur de nutritore Domini elogia eius efferentes, quin ullum vestigium eius cultus deprehendi possit. Saec. VIII-IX. kalendaria Coptica notant diem 20. iul. ut memorialem « fabri loseph, » qui dies secus alibi non legitur (Kellner p. 205). loseph Melodus a Syracusa, hymnographus Graecus, hymnis celebravit S. loseph (Righetti II, 299).

2°. Festum S. loseph 19. mart. a. *Priinum vestigium* huius diei habetur in Martyrologio Fuldensi saec. X-i: « In Bethleem sancti loseph » (Anal. Boll. I, 19), de festo tamen nondum agitur. Aetate tamen bellorum Cruciatorum saec. XII-o, Crucigeri milites in *Nazareth* splendidam construxere ecclesiam in honorem S. loseph, eodem saeculo *Bononiae* quoque iam exstitit ecclesia S. loseph, nil ergo mirandum quod etiam *festum eius* 19. mart, hoc saeculo invenitur, sic in Sacramentario Boldvensi Hungariae inter 1192-95 (Rado, Libri lit. mss I, 37). *'

b. Saec. XIII-o habetur iam officium in honorem patris putativi Christi in ms quodam Bruxellensi (Rev. Bén. 1897, 148). Festum et cultus S. loseph praecipue a *fratribus Minoribus* propagatum fuit, celebres contionatores huius ordinis, S. Bernardinus a Siena (|1444) et Bemardinus a Feltre (f 1494) miro modo laudes eius concinerunt.

c. Electio *diei 19. mart,* fortasse, ut opinantur Berenzi et Righetti, originem ducit e festo paganorum « *Quinquatria* » nuncupato (Ovid. Fasti III, 821). Festum hoc a die 19. mart, incipiens per quinque celebratum fuit dies, quod praecipue opificibus, ut sutoribus, sartoribus, et artificibus, ut pictoribus, poetis, musicis sacrum fuit. Quinque horum dierum memoria popularis permanere *potuit* penes populum, sicut etiam diem lovis per totum medium aevum sollemnitate quadam populari recolebant. Pronum potuit esse *memoriam* S. *loseph tali diei* statuere, quia opifex fuit, talis dies autem notus potuit esse ex usibus popularibus; quae omnia utique solum hypothesis instar proponuntur.

d. *Cultus a S. Sede concessus* solum exeunte medio aevo coepit, sed exinde mira expertus est incrementa. *Sixtus IV.* ex ordine fratrum Minorum (1471-84) festum concessit ut *simplex, Gregorius XV.* autem a. 1621 festum ut festum *fori* praescripsit, quae feriatio usque hodie see. ius commune valet. *Clemens X* festum evexit ad gradum *dupl. II. classis* (1670-76); *officium* hodieque usitatum compositum est sub Clemente XI. a. 1714, *hymnorum trium* auctor est loannes Escalar, O. Carm. Hispanus (1624-1700). *Pius IX.* S. loseph declaravit *patronum universae* Ecclesiae a. 1870, festumque evexit ad gradum *dupl. l. cl.* V 1920 in nova editione Missalis Romani primo impressa est *praefatio* S. loseph propria. Inde ab a. 1956 festum diei 19. mart, *titulo auctus* est « Sponsi BMV et universalis Ecclesiae Patroni, » et est festum I. cl. (NCR Calend.).

3 . Festum expunctum Patrocinii S. loseph Fer. IV. ante Dom. III. Pasch. Tale festum iam celebratum fuit ab a. 1680 a *Carmelitis* Italiae et Galliae, i 1809 insertum est Kalendario cleri *Romani,* a. 1817 autem *Pius IX.* exten-

dit festum ad *universam* Ecclesiam, Dom. III. post Pascha celebrandum. Reformatio Kalendarii Sancti Pii X. festum hoc Patrocinii seu Sollemnitatis S. loseph reposuit in *Fer. IV.* secundae hebdomadae post Pascha, recolendum ut *dupl. I. cl. cum octava* communi; sollemnitas autem haec *penitus abolita* est decreto SCRit 24. apr. 1956, titulusque « Ecclesiae universalis Patronus » adiunctus festo principali diei 19. mart.

4°. Festum S. loseph Opificis Sponsi BMV. 1. maii. Pius XII. 1. maii 1955 condidit novum festum S. loseph cum titulo « Sollemnitas S. loseph Opificis, Sponsi BMV, Confessoris, opificum patroni, » decreto supra citato autem textus *liturgici* inducendi in Missale et Breviarium Romanum parati et editi sunt. Festum prima vice die 1. maii 1956 celebratum fuit, festum SS. Philippi et lacobi autem in perpetuum translatum in diem 11. mensis maii, tamquam in sedem propriam (AAS 1955, 406). Festum hoc S. loseph est I. cl. (NCR Calend.).

b) De festis SS. loachim et Annae.

1°. De cultu liturgico S. Annae, a. In *Oriente* cultus matris Deiparae saec. Vl-o iam floruit, lustinianus Magnus a. 550 *Constantinopoli* basilicam S. Annae dedicavit (Procopius, De aedif. 1. I. c. 3). *Graeci* recolunt S. Annam ut matrem SS. Deiparae die 25. iul., *Syri* celebrant eam 26. iul. (Nilles I, 222. 479), *Copti* 19. nov. habent festum « Obdormitionis S. Annae matris Dominae Deiparae » (II. 710). — b. *Festum* quoque *collectivum amborum parentum* Deiparae in Ecclesia orientali celebratur, sic *Armenorum* Menologium recolit die 25. iul. simul SS. loachim et Annam una cum mulieribus Myrophoris, i. e. unguentum portantibus (Nilles II, 594). *Graeci* autem et *Syri* post festum Nativitatis Mariae celebrant festum « SS. ct iustorum Deipatrum loachim et Annae » (I. 272. 481). — c. In *Occidente* quoque satis mature incoepit cultus liturgicus S. Annae, inquantum *Romae et Neapoli* saec. VIII-o iam invenitur. (1) *Romae* iam exstitit quidam cultus *reliquiarum,* iuxta Bannister Papa Constantinus (708-715) hunc cultum invexit, quia a. 710-711 Constantinopoli versatus est tempore lustiniani II. ecclesiam S. Annae restituentis. Ecclesia S. Angeli in Peschcria Urbis revera in Indice reliquiarum primo loco adducit reliquias S. Annae; Leo III. autem (795-816) ecclesiae S. Mariae ad praesepe obtulit « vestem in orbiculis chrisoclabis, habentem historias Annuntiationis et SS. loachim et Annae » (PL 128, 1219, cf. DAL I, 2, 2165). In Kalendario marmoreo Neopolitano saec. VIII-i autem die 25. iul. legitur: « N(atale) S. Euprax. S. .Anne » (DAL II, 1, 1592). — (2) In Missali quodam Italico saec. X-i Litaniae Omnium Sanctorum invocant etiam S. Annam, cuius *festum* saec. XIII-o iam passim invenitur *in Italia,* sic in Missali Veronensi et Missali S. Crucis Carthusianorum in Urbe (Ebner, Quellen u. Forschungen 1896, 143. 159. 293). — (3) *In Gallia* repentur saec. XI-o *canticum* in honorem S. Annae, in codice S. Viventii Burgundiae: « O fulgens clara stirpe Davidica | Micans quasi solis iubar in aethera | Ex qua processit Anna insigniter gloriosa ¡ Et felix meritis fulgens praecipuis » (Tommasi Op. omn. IV, 327, Wilmart E. Iit. 1928, 266). — (4) In *Anglia* saec. XII-o indubie cultus floruit S. Annae. Osbertus prior Westmonasteriensis sermonem edidit de S. Anna, cum duabus precationibus rhythmicis, duabusque aliis ad S. Annam directis; in praefatione opusculi, scripta ad Simonem episcopum Wigomensem (= Worcester, 1125-1150) dicit: « Solemnitas

eius festiva singulis annis in Wigornensi recensetur ecclesia » (Wilmart art. citatus in Litt. 1926, 13.). Saec. XIII. Aciam ab Eynsheim refert consuetudinem popularem Angliae: « Solent quidem universi marium transvectores sicut maris stellam attendere, ut cursum dirigant, ita *Mariae Matrem* precibus advocare et muneribus corrogatis ambire » (Wilmart, Eph. Lit. 1928, 543). — (5) In *Hungaria* inter 1192-1195 iam *Missa* legitur in honorem S. Annae in Sacramentario Boldvensi: « Omn. semp. Deus, universa nobis adversantia propitiatus exclude, ut intercessione S. Annae genitricis b. Mariae matris filii tui noxia cuncta submoveas et omnia nobis profutura concedas » (Rado, Libri lit mss I, 51). — (6) Capitulum generale *Fratrum Minorum* a. 1254 festum S. Annae indixit in ordine celebrandum exinde in multis aliis libris liturgicis invenitur. Saec. XIV-o festum 26. iul. iam valde divulgatum fuit in Germania. Anglia, Suecia, Hungaria, Austria, Bavaria et Bohemia. — d. Cultus demum *a* S. *Sede promotus* fuit, Sixtus IV. (1471-1484) festum inseruit in Kalendarium; *officium* solummodo in appendice breviarii locum obtinuit. In novo Missali et Breviario *Pii V.* festum *abolitum* fuit, concessumque tantum Franciscalibus. *Gregorius XIII.* autem multis episcopis petentibus festum *restituit. Leo XIII.* utriusque parentis gloriosae Virginis festum a. 1879 evexit ad gradum *dupl. II. cl.,* rationem reddens, quia « filiorum gloria parentes coronet, nil mirum si Ecclesia et a primaevis temporibus praecipuo cultu ac religione prosecuta sit sanctum patriarcham loachim, eiusque beatam coniugem Annam. » Festum nunc quoque est II. cl. (NCR Calend.).

2°. Festum S. loachim 16. aug. a. Patris Deiparae cultus eodem tempore et modo coepit ac S. Annae, festum cius *simul* celebratur *in Oriente* cum S. Anna (cf. supra 1°. b.). Festum *peculiare* in Oriente habet penes Coptos, qui 14. apr. recolunt memoriam « S. loachim patris Dominae Deiparae, » ut diem « obdormitionis » eius (Nilles II, 701. 717). — b. In *Occidente,* quantum hucusque scimus cultus eius liturgicus non invenitur *ante saec. XIV.,* ineunte hoc saeculo *Missa* legitur in quodam Missali OFM (Montis Cassini) « ad honorem et reverentiam b. loachim » (Ebner, Quellen u. Forschungen p. 103). Saec. X\ -o iam *textus liturgici alii* habentur, sic *sequential* « Benedictus es caelorum reginae genitor » (Anal. Boll. 6, 398). et « O virtutum vir perfecte » (An. hymn. 8, 148), dein *hymnus* saec. XV-i « O pater summae, loachim, puellae » (Act. SS. mart. III. 80), *orationes* rhythmicae « Ave, Mariae genitor, cunctarum rerum cognitor » (A. hymn. 29. 32) et « Αχώ, sancte patriarcha, loachim. de quo est archa » (An. hymn. 29, 52), demum etiam *versus liturgici* ex eodem saeculo ▯ Lux est orta verae laetitiae, sit mens laeta, expers moestitiae » (Chevalier. Repert. hymnol. n. 29262) et « Salve sancte loachim, virginis dans esse » An. hymn. 28. 302). *Dies* S. loachim in Occidente fuit his temporibus 16. 17) sept, vel 9. (10) dec. (Zkth 1902, 777). — c. *lulius II. festum* concessit pro *dic 20. mart.,* festum S. loscph sequente, festum tamen in editionibus Pianis expunctum est. a Gregorio vero XIII. a. 1581 iterum assumptum. Gregorius XV. a. 1622 *officium* ad meliorem formam redigere iussit. *Clemens XII.* ad postulationem Imperatoris a. 1738 annuit, « ut, ne festa dc praecepto multiplicentur, debitus tamen honor genitori matris Dei non denegetur, ▯ festum a die 20. mart transponatur in *Dominicam post Assumptionem* Deiparae, sub ritu dupl. mai. *Leo XIII* 1879 etiam festum S. loachim ad dupl. II. cl. evexit (cf. supra l c.), in reformatione S. *Pii X.* a. 1913 vero festum fixum fuit in diem 16. aug. Festum est festum II. cl. (NCR Calend.).

c) De festis S. loannis Baptistae.

1°. Initia cultus S. loannis Bapt. a. Initio solummodo Martyres recolebantur in Ecclesia cultu locali et particulari, *duo Martyres* tamen: protomartyr *Stephaniis* et *Joannes Baptista* in *universa* Ecclesia cultu liturgico gaudebant, statim, ac cultus liturgicus magis possibilis factus est. S. loannes Bapt. eximior omnibus aliis reputatus est, eventus enim miraculosi in *praedictione* eius nativitatis et in ipsissimo *ortu eius* excellentiam clarissime demonstrabant. loannes fuit maximus inter *prophetas* dein *praecursor* Domini, a quo *elogium* meruit: « Anien dico vobis, non surrexit inter natos mulierum maior loanne Baptista! » \It 11, 11). — b. Cultus liturgicus Baptistae saec. IV-o ubique invenitur, primum in *Palestine,* ubi corpus eius discipuli in civitate Samariae, tunc *Sebaste* clamata, sepelierunt, dum sub luliano apostata (361-363) populus templum in honorem Baptistae constructum evertit ossaque eius impie igne combussit, quorum tamen partem christiani feliciter salvare potuerunt. *Reliquias* inde accepit ecclesia *Alexandrina,* sicque Baptista etiam in Aegypto honoratus est. *Africae* animus ab *Augustino* panditur, undecim enim sermones habuit in festo loannis, simul etiam *rationem* explicans *festivi diei 24. iun.:* « Illum oportet crescere me autem minui... Indicaverunt hoc: dies natales amborum. In luce res agitur, testis est ipse sol: ab hodierno die minuuntur dies, a natale Domini crescunt dies. Dominus enim lesus Christus, gubernator auctorque creaturae, rector mundi, siderum fabricator, temporum ordinator, quoniam quando voluit natus est, diem sibi elegit, quo nasceretur, quo bene significaretur, et praecursori suo ipse dedit diem » (G. Morin, Sermon. XXII., S. Aur. Aug. tractat, inediti. München 1917, 84 s.). *Romae Constantinus* Magnus ad Ostia Tiberina, ubi portus est, ecclesiam Baptistae dedicavit, idem fecit Constantinopoli. *Taurini* S. Maximus (t 465) sermonem festivum in laudibus Baptistae habuit, S. Paulinus Nolanus (f 431) vero poema in eius honorem cecinit (Carmen XXVII). — c. Festum — ut videtur — *Orientis primaevum* in honorem Baptistae celebratum fuit *mense ianuario,* teste annotationis liturgicae papyri e Faiyum oriundae: « Die quinto Tybi (= ian.). Electus sanctus loannes baptista praedicans poenitentiam in universo mundo, in remissionem peccatorum nostrorum » (MEL I. n. 1571). Huius festi celebratio remansit penes *Annenos,* qui S. loannem recolunt in fine octavae Epiphaniae, decollationem in octavis Paschatis, translationem partis cuiusdam reliquiarum in Armeniam per S. Gregorium Illuminatorem autem celebrant post octavam Pentecostes (Nilles II, 599). *Aliae ecclesiae Orientis* vero festum hoc ianuarii die 7. *ian.* recolunt ut e Synaxim sancti ct gloriosi prophetae et praecursoris Domini ». Graeci enim solent post maiora festa Domini et Deiparae die festum sequenti memoriam eorum Sanctorum frequentare, qui primam partem habent in mysterio festi. Idcirco post Epiphaniam in Oriente debuit Baptista recoli, in Epiphania enim in Oriente praevalet idea baptismi Domini (Nilles I. 63. 468). — d. A saec. V-o dein *cyclus festivus* quidam Baptistae pedetentim evolutus est; *nativitas* cius celebrata est die 24. iun., *decollatio* eius 29. aug., *conceptio* 23 (24) sept., et *inventio capitis* praecursoris 24. febr. *Ecclesia Latina* inde a reformatione Tridentina tantum festa 24. iun. et 29. aug. recolit, etsi antea passim omnes praedictae festivitates celebratae sunt. Singula festa breviter exponenda veniunt.

2°. Festum Nativitatis S. loannis Bapt. 24. iun. a. Festum hoc probabiliter primum *in Occidente* celebratum fuit, nam orientales habebant festum mense ianuario, festum autem iunii dependet a festo Nativitatis Domini, in *Occi-*

dente orto, Joannes enim sex mensibus ante Dominum natus est. S. *Augustinus* hanc relationem evidenter exponit ut vidimus (supra 1°. b.), inter dies festivos, ceterum quoque relationem inter Dominum et praecursorem extollit: «Natalis dies carnis nulli prophetarum, nulli patriarcharum, nemini apostolorum celebravit Ecclesia, solos duos natales celebrat: huius et Christi » (Sermo 287, 1 PL 38, 1301). *Dies* computatus est *more Romano,* Christus natus est VIII. Kal. ian. (= 25. dec.), loannes ergo VIII. Kal. iul. (= 24. iun.). — b. Festum nativitatis loannis ideo celebrari potuit, quia Baptista creditur in matris utero occasione visitationis Virginis sanctissimae *a peccato originali liberatus gratiaeque infusione* ditatus esse. Id quod *Innocentius III.* a. 1208 profitendum praescripsit: loannem Baptistam esse « sanctum et iustum et in utero matris suae Spiritu Sancto repletum » (Denz 421), antiquitas Christiana uno ore confessa est. — c. In *Urbe* festum nativitatis Baptistae saltem a saec. V-o per *polyliturgiam* celebratum est, cuius vestigia iam in Sacramentario *Leoniano* clare deprehendi possunt. *Prima* Missa fuit *vigiliae,* quae videri potest in praefatione: « ...exhibentes sollemne ieiunium quo beati Iohannis Baptistae natalitia praevenimus. » *Secunda* Missa duabus formulis prostat (XIII, II-III), in quibus « nativitas honore debito » celebratur « in die festivitatis hodiernae. » *Tertia* Missa est « *ad fontem* », i.e. in oratorio baptisterii (XIII, IV-V), iterum duabus formulis; etiam secunda formula pro baptisterio concinnata fuit, ut praefatio ostendit: « ...sacrae purificationis effectum aquarum natura conciperet sanctificandis Iordanis fluentis ipsum baptismi lavit auctorem... » (Feltoe p. 28-32). — *Gregorianum* Hadrianum item *tres* habet Missas, vigiliae, dein « in prima Missa» et « item ad Missas », cum oratione adnexa « ad fontem » (ed. Lietzmann n. 123. 124. 125). — *Gelasianum* habet solum Missam vigiliae et « in natali » (II, XXV et XXVI). — In *Gelasianis iunioribus* iam ordo Gregorian! habetur: « Prima missa in *nocte* » post Missam *vigiliae,* dein « Missa in *die* » cum praefatione mox allegata Leoniani (ed. Mohlberg n. 161. 162. 163). — *Ratio polyliturgiae* redditur ab Amalario: « Beatus baptista Joannes tribus insignibus triumphis excellenter refulsit. Ad hoc enim venit, ut viam Domini praepararet exemplo suae conversationis, qui triumphus celebratur in *vigilia* eius. Per baptismi ministerium claruit, insignis huius ministerii triumphus recolitur in *prima* missa. Nazareus vero permansit ex utero matris suae, hoc donum recolitur in *secunda* missa in die » (Lib. official. III. c. 38 ed. Hanssens II. 373). — *Alias rationes* adducit *Durandus* saec. XIII-o, testificans hunc usum adhuc alicubi viguisse: « In quibusdam ecclesiis habent missam in *mane,* quia nativitas fuit sicut aurora, nativitas vero Christi fuit quasi ortus solis... Habet etiam *aliam propriam* missam sicut et alii sancti, quae dicitur circa tertiam. Prima missa est *vigiliae* » (Durandus Rat. div. offic. l VII. c. 14, 2). — d. Liturgiae typi *Gallicani* omnes celebrant hoc festum, quod saec. VI-o iam inter maxima festa anni computatum est, iuxta Concilium Agdense a. 505 enim festum Natalis Baptistae cum Paschatc, Natali Domini, Epiphania, Ascensione Domini et Pentecoste inter « maximos dies in festivitatibus » numeratur (can. 22). — e. In *Oriente* ritus Byzantinus 24. iun. celebrat natalem « venerandi, gloriosi prophetae, praecursoris et Baptistae Joannis » Syris et Syromaronitis quoque celebre est hoc festum, « in quo sol exsultat » (Nilles I, 187. 477. 488).

3°. Decollatio S. loannis Bapt. dic 29. aug. a. Festum hoc in *Oriente* ortum est. titulus est « Abscissio venerandi capitis sancti, gloriosi prophetae, praecursoris et Baptistae loannis » penes Graecos et Syros (Nilles I, 481.

489). — b. Festinn hoc secundum Λ. Baumstark est *dedicatio ecclesiae* S. loannis in *Sebaste* medio circiter saec. IV-o, in qua Praecursoris ossa recondita fuere (Lit. comparée p. 195). Ex Oriente *in Africani* festum hoc decollationis *non* videtur fuisse receptum, S. Augustino adseribuntur quidem sermones 307. et 308. cum titulo « In decollatione b. Joan. Bapt. », sed non constat de festo: « Cum sanctum evangelium legeretur, crudele spectaculum ante oculos nostros constitutum est, caput sancti loannis in disco », sed non liquet, num festum hoc peculiare fuerit. Merito dicit Roetzer festum decollationis in Africa ignotum fuisse (Predigtcn d. Aug ais lit. gesch. Quellen p. 49). — c. Liturgiae vero typi *Gallicani* optime noverunt festum hoc. Lectionar. *Luxoviense* saec. VII. habet « Legenda in passione S. Johannis bapt. » (LXIV. ed. Salmon I, 184-187); eodem tempore Missalc *Bobiense* (PL 72, 520 « in passione S. Johanni »), et Missale *Gothicum* « In diem passionis S. Joh. Bapt. et martyris » (’), in cuius immolatione dicitur: « Inter has sacramentorum epulas martyris caput cum evangelica recordatione miscetur » (PL 72, 296 s.). — d. In liturgia *Mozarabica* Kalendaria die 29. aug. habent festum virginum Fidei, Spei et Caritatis (MEL V, 476 s.), festum decollationis autem habetur *24. sept.* (ibid. 480 s.; Missa legitur MEL VI, 437-442 et 834 officium). — e. *In Urbe* festum hoc *ignotum* fuit, Leonianum et Gregorianum id non habent, Gelasianum in territorio Gallicano redactum festum assumpsisse videtur e liturgia Gallicana. Gelasiana limiora ideo festum iam celebrant, inde in liturgiam Franco-Romanam receptum hodieque celebratur, ut festum III. cl. (NCR calend.).

4°. Festum Conceptionis S. loannis Bapt. die 24. sept, nunc in ritu Romano iam non vigens. — a. Festum hoc e simplici calculo ortum est: si Baptistae nativitas celebratur VIII. Kal Iul. (= 24. iun.), tunc computatis novem mensibus gestationis conceptio cadit in VIII. Kal. oct. (= 24. sept.). In *Oriente* die 23. sept, « Conceptio venerandi, gloriosi prophetae, praecursoris et Baptistae loannis » in fastis ecclesiae *Graecae* vetustissimum est festum, ideoque colitur quia praenuntiatum fuit per angelum, *Syris* idcirco festum 23. sept, est « Annuntiatio conceptionis loannis Bapt. », eodem die *Copti* quoque conceptionem praecursoris recolunt (Nilles L 282. 482 et 489, II, 707). — b. Quod *Occidentem* attinet, saec. VIII-o in Kalendario marmoreo *Neapolitano* legitur festum mense septembri, die « XXIII. C(onceptio) S. Joh. Bap. et S. Sossi » (D.AL II, 1. 1591 s.), ut omnes norunt, Kalendarium hoc influxui orientali subiectum fuit. In liturgia *Romana* festum Conceptionis *deest* in omnibus Sacramentariis antiquis, etiam in Gelasianis Iunioribus, et Gregorianis fusionatis, nec invenitur in liturgia *Gallicana et Mozarabica,* ubi hoc die Decollatio Baptistae recolitur (cf. 3°. d.). — c. *Medio aevo* tamen festum Conceptionis Baptistae celebrari coepit *etiam in Occidente.* Latina *Martyrologia* antiqua omnia hoc festum annuntiant 24. sept., festum deinde in *Kalendariis* et etiam in *textibus* librorum liturgicorum medii aevi a saec. XII-o saepe invenitur, praecipue *in Gallia,* sic in Psalterio S. Bavonis in Gand saec. XII., in aliis quoque Psalteriis (Leroquais, Psautiers I, 155. cf. adhuc I, 32. 67. 190. II, 224), breviario Cameracensi e prima parte saec. XIII-i et aliis (Leroquais, Bréviaires I, 184, et 178 178. 201. II, 68. 160. 291.). Alibi quoque *in Europa* festum occurrit, praesertim *in Hungaria,* ubi iam inter 1192-95 Sacramentarium Boldvense tum festum in Kalendario, tum textum Missae continet, etiam multa missalia (Rado, Lib. Iit. I, 38. 70. 81. 90. 109. 116. 128.). *In Italia* festum legitur in dioec. Veronensi saec. XII. (Ebner, Quellen u. Forschungen p. 85), *in Germania* in Kalendario

Missalis Salzburgensis (ibid. p. 351), in Missali Pataviensi (= Passau) a. 1459 (Radô I, 160), et etiam in territorio *Slavico,* sic in Missali Poloniae a. 1379, Missali Wratislawiensi a. 1476, et Pragensi a. 1492. (Radô I, 112. 164. 174). Post saec. XV. libri *Latini* festum *omiserunt, sec.* coniecturam Nilles ob verecundiam, ne quis crederet, Baptistam labis originalis fuisse expertem (I, 283).

5°. Inventio capitis praecursoris 24. febr. Festum est ecclesiae orientalis, die 24. febr. enim recolitur *a* prima et secunda inventio pretiosi capitis S. loannis Bapt. praecursoris ». *Duae inventiones* recoluntur, quia *duae* prostant *narrationes* de inventione capitis. — a. Prima narratio est *Sozomeni* (Hist. eccl. VII, 21): ex Hierosolymis monachi sectae Macedonianae adhaerentes secum tulerunt caput Baptistae in Ciliciam, inde Valens Chalcedonem, unde dein Theodosius a. 391 caput Constantinopolim transtulit eique ecclesiam dedicavit. — b. Altera inventio refertur a *Rufino* (Hist. eccl. II, 28), iuxta quam a monachis *Emesam* translata ibique inventa fuit per Marcellum presbyterum et hegoumenum monachorum. Episcopus Uranius dein 24. febr. 452 sollemniter levavit reliquiam, in cuius honorem a. 760 grandis ecclesia aedificata est. — c. Tertia inventio facta esse dicitur in *Comane* Cappadociae, (piando 25. maii caput iterum repertum est, Emesa enim saec. VIII-o in potestatem Saracenorum redacta est, ideo Theodora imperatrix una cum filio Michaele reliquiam Constantinopolim transtulit (Nilles I, 165). — d. *Vestigia festi 24. febr.* inventionis capitis passim inveniuntur etiam in *Occidente.* In *Gallia* semel occurrit in Sacramcntario Gironensi (= Girone) saec. XII. exeunte; quater autem in *Hungaria,* saec. XIV. et XV-o in tribus Missalibus Posoniensibus et in Missali archicp. Palôczi Strigoniensis (1423-1439) (cf. Radô, Lib. lit. mss I, 70. 155 et Leroquais Missels, I, 332). Festum tamen ob festum S. Matthiae primo die libero i. e. *27. febr.* in Occidente celebratum est.

4. De festis Sanctorum Angelorum.

Tractantes de cultu liturgico SS. Angelorum primo a) De cultu SS. Angelorum in genere erit agendum, dein b) De cultu et festis S. Michaelis archangel», item c) De festis SS. Gabrielis ct Raphaelis, demum d) De festo SS. Angelorum custodum disserendum est.

a) De cultu SS. Angelorum in genere.

1°. Fundamentum dogmaticum cultus Angelorum. Eaedem rationes valent analogice de cultu Angelorum ac de cultu et veneratione Sanctorum. — a. *Primo* quidem Angeli quoque *sunt Sancti,* inquantum post lapsum quorundam Angelorum ceteri ad visionem Dei — superata tentatione — feliciter perventi in bono confirmati sempiternae beatitudinis participes facti sunt. *Veneratio* ergo iis *debita* est, sicut Sanctis in caelo degentibus, quinimo *magis* honorandi videntur, ob eorum praestantiam, Angeli enim « fortitudine et virtute sunt maiores » (2 Pt 2, 11). — b. *Secundo:* ratio intrinseca *venerationis* Sanctorum est *communio Sanctorum,* nam caelicolae pertinent ad corpus Christi mysticum. cpia ad Ecclesiam triumphantem. Haec ratio quidem directe non valet de Angelis, quippe qui *non* sunt membra corporis Christi mystici, attamen quoniam « per donum gratiae *homines* mereri possunt tantam gloriam, ut Angelis aequentur secundum singulos .Angelorum gradus, quod est homines ad ordines \ngelorum assumi » I q. 108 a. 8), ideo caelicolae cum Angelis *quasi*

unam societatem constituunt, ita, ut S. Augustinus dicere potuit, quod « non erunt duae societates hominum ct Angelorum, sed *una,* quia omnium beatitudo est adhaerere uni Deo » (De civ. Dei l. XII. c. 1). *Atqui* si homines caelicolae venerari ct invocari possunt, idem dicendum est ob hanc unitatem etiam de Angelis. — c. *Tertio:* ratio intrinseca *invocationis* Sanctorum est, ut *bonitas divina magis elucescat.* Providentia enim operatur per causas secundas in producendis effectibus intentis, Angeli vero pertinent ad has causas secundas, certae enim classes eorum deputantur ad ministerium hominum. Angeli nimirum *illuminant* homines fortificando intellectum humanum per actionem intellectus angelici, qua hominibus proponunt veritatem sub similitudine sensibilium (I q. **111** a. 1), dein influunt etiam in *voluntatem* humanam, eam inclinando ad amorem Dei per modum suadentis (I q. 106 a. 2) *Atqui* si caelicolis gratiae agendae sunt iique invocari possunt ut agant in salutem hominum, idem valet etiam de Angelis. — d. *Quarto:* ratio, *cur Deus vult* Sanctos et etiam Angelos pro hominibus intercedere eosque adiuvare posse, est ex parte *adiuvantium* augmentum felicitatis accidentalis Sanctorum et Angelorum, ex parte autem hominum *adiutorum* maior experientia bonitatis divinae et incrementum fiduciae erga Patrem caelestem, qui Angelis suis mandavit de nobis, ut custodiant nos in omnibus viis nostris (Ps 90, 11).

2°. Nil mirum ergo, quod iam inde *a primis Patribus* christiani convicti erant de utilitate et congruentia cultus Angelorum. Persuasio maiorum nostrorum de praestantia Angelorum edicitur iam in Pastore Hermae: « Sancti Angeli Dei primi creati sunt, quibus tradidit Deus omnem creaturam suam, ut augeant et aedificent et dominentur totius creaturae » (Vis. 3,4,1 RJ n. 83). — a. S. *Iustinus* versus 155 clare loquitur de cultu Angelis praestando: nos — dicit eximius Pater — minime sumus athei, veneramur enim Patrem « et Filium, qui ab eo venit et nos ista docuit, et ceterorum qui illum assectantur eique assimilât: sunt bonorum Angelorum exercitum, et Spiritum propheticum colimus et adoramus » (Apol. I. 6 RJ n. 113). — b. *Athenagoras* apologeta circa 177 idem dicit: « ...et multitudinem Angelorum et ministrorum agnoscimus, quos Creator et opifex mundi Deus per Verbum suum distribuit et ordinavit, ut circa elementa, caelos, mundum et quae in eo sunt, eorumque temperationem versarentur » (Legatio pro christ. 10 RJ n. 161). — c. *Origenes* medio saec. III. saepe loquitur de Angelis, e. gr.: «Post Dei unigenitum vere ministri Dei. ut Gabriel, Michael et alii angeli atque archangeli » (C. Celsum VIII. 13 PG 11, 1533). Angeli sunt « Dei vere satrapae, praesides, duces exercitus (stratégoi) et procuratores » (ib. coi. 1572). Ili Angeli « ipso orationis tempore ab eo, qui orat, quibus ipse indigeat admoniti quae possunt, veluti generali accepto mandato, perficiunt » (De orat. 11. PG 11, 449). Quidam Angeli *custodiunt fideles:* « Unicuique fidelium, etsi minimus sit in Ecclesia Dei adesse Angelus dicitur, qui etiam semper videre faciem Dei Patris a Salvatore perhibetur » (Peri archon, II. 10, 7 PG 11. 240). Quod *cultum Angelis* praestitum attinet, primo intuitu videtur huiusmodi cultum negare: « Angelos a nobis invocari recta ratio non patitur... Ut Angeli nobis propitii sint, nostrique gratia omnia faciant, satis est, si quantum per humanae naturae vires licet, erga Deum ita simus affecti, ac illi » (C. Cels. V, 5 PG 11, 1185). At Origenes heic solummodo de cultu *falso* locutus est, praecipue quia Celsus calumniatus est christianos Angelos *adorare,* solum hoc negat Origenes, ut clare videtur ex alio textu: « Laudamus eos quidem et beatos praedicamus, quibus a Deo res nostra generi utiles com-

missae sunt, sed honorem Deo debitum illis non habemus n (ibid. VIII, 56 col. 166-3). Ipse Origenes affert *textum orationis* ad Angelum: «Veni Angele, suscipe sermonem conversum ab errore pristino... et suscipiens eum, quasi medicus bonus confove atque institue! » (In Ez. Hom. I, 7). — d. Pulchre adhortatur S. *Ambrosius* ad invocationem Angelorum adducens exemplum Elisaei ab inimicis circumdati, qui Deo instigante « respexit et vidit Angelorum millia. Advertistis igitur, quod servulos Christi ii magis custodiunt, qui non videntur, quam qui videntur. Sed et illi, si custodiant, vestris custodiunt orationibus advocati » (Ep. 21, 11 PL 16, 1052).

3°. Negari tamen non potest in Ecclesia primaeva fuisse etiam tales qui veritatem extollentes *in cultum superstitiosum* erga Angelos inciderunt. Iam tempore S. *Pauli* hoc invenitur, qui quosdam Colossenses acriter reprehendit de falso cultu Angelorum. Nemo eos — scribit Apostolus — praemio privare (katabrabeuein) praesumat, suo arbitrio loquens de veneratione ct falso cultu (thrcskeia) Angelorum (Coi 2, 18). Cultus tamen falsus in eadem regione permansisse videtur, nam *Cone. Laodtcienum* a. 343-381 ordinat: « Quod non oportet christianos, relicta Dei ecclesia, abire et angelos nominare, congregationes (synaxeis) facere, quod est prohibitum. Si quis ergo inventus fuerit huic occultae idololatriae vacare, sit anathema » (can. 35. Mansi II, 569 s.).

b) De cultu et festis S. Michaelis Archangel!.

1°. Cultu peculiari inter omnes Angelos videtur primum S. Michael \oneratus esse. — a. *Nomen Michael* (= quis est ut Deus?) est nomen in *Veteri Testamento* saepius occurrens, datum personis *humanis* (Num 13, 14, 1 Par 12. 20. 2 Par 21, 2.). Idem nomen datur ab eadem Scriptura etiam *Archangelo,* (pii est « unus de principibus primis... adiutor.... princeps magnus qui stat pro filiis n Israel (Dan 10, 13. 21; 12, 1). In *Novo Testamento* idem Michael occurrit in epistola *Indae* (9): a Cum Michael archangelus cum diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore, non est ausus indicium inferre blasphemiae, sed dixit: Imperet tibi Dominus! » Hoc versu antiqua refertur traditio diabolum voluisse Moysis corpus in loco celebri beneque noto sepeliri, ut fortasse occasio daretur adorationi idololatricae corporis, cui Michael strenue restitit. Altera pugna narratur in Apocalypsi (12, 7-12): « Michael et angeli cius praeliabantur cum dracone, et draco pugnabat et angeli eius et non valuerunt, neque locus inventus est eorum amplius in caelo n, quibus significatur bellum continuum Michaelis angelorumque eius contra diabolicas potestates per totam peregrinationem Ecclesiae. — b. Michael Archangelus nondum habuit *festum,* cum iam consensus populi christiani persuasus fuit de eius *functionibus.* S. Michael bnim — suggerentibus antistitibus fidelium — praecipue *tribus titulis* iam antiquitus invocatus est. (1) Michael est *hodaegus* seu dux viae animarum, quod in textibus epigraphicis et liturgicis apparet, sicut in offertorio Missae pro defunctis: « Signifer sanctus Michael repraesentet eas in lucem sanctam. » \lii Angeli adimant Michaelem in hoc negotio, idcirco dicitur anima « accersita ab \ngelis » (cf. MEL I. n. 2879 et 3153). Narratio *saec. IV-i* « Hist, losephi fabri lignarii » refert precationem Christi ad Patrem pro loseph emortuo: « mittas Michaelem angelorum tuorum principem atque Gabrielem praeconem lucis omnemque angelorum tuorum lucem et totus eorum ordo ambulet cum anima patris mei losephi, donec perduxerint cum ad te » (MEL II, n. 5199) Sed eadem fuit persuasio iam *ineunte saec. III-o.* in Passione Perpetuae

et Felicitatis narratur somnium Saturi de salvatione futura: « Passi, inquit, eramus, et exivimus de carne et coepimus ferri a quatuor Angelis in Orientem » (Ruinart ed. 1859, p. 142). Ideo dicitur in officio Michaelis: « /Vrchangele Michael, constitui te principem super omnes animas suscipiendas » item: «Venit Michael Archangelus cum multitudine Angelorum, cui tradidit Deus animas Sanctorum, ut perducat eas in paradisum exsultationis » (Vesp. ant. 3. et Resp. 5). (Cf. A. Recheis, Engel, Tod und Seclcnreise, Roma 1958). — (2) Michael est dein *defensor populi Dei,* successoris antiqui Israel, cui in Veteri Lege protector erat, nunc vero invocatur « ...veni in adiutorium populo Dei, » nam omnis populus christianus honorem illi exhibens, securus potest esse de eius adiutorio: « ...cuius honor praestat beneficia populorum et oratio perducit ad regna caelorum » (1. ant. II. noct. et Resp. 4.). Idea haec protectionis iam saec. II-o viguit, Hermas dicit: « Nuntius ille magnus et honestus Michael est, qui populi huius habet potestatem et gubernat eos » (Simii. VIII, 10). Per totum medium aevum Michael multorum regnorum electus patronus fuit, praecipue Imperii Romani-Germanici. — (3) Demum Michael colitur etiam nt *praepositus paradisi,* utique relate ad homines et Angelos solos *sibi* subiectos i. e. aequales vel inferiores ordine, non relate ad omnes Angelos. Hoc sensu dicitur de eo: » Michael praepositus paradisi, quem honorificant Angelorum cives » (ant. 2. II. noct. et Resp. 4.). Haec praerogativa Michaelis etiam eo exprimitur, quod *identificatus est* a Traditione cum Angelo *anonymo* Apocalypseos, liturgiam caelestem peragente: « Et vidi septem Angelos stantes in conspectu Dei et datae sunt illis septem tubae, et *alius* Angelus venit et stetit ante altare habens thuribulum aureum et data sunt ei incensa multa, ut daret de orationibus sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum Dei. Et ascendit fumus incensorum de manu Angeli coram Deo » (8. 2-4). Textus hic allegatur in officio S. Michaelis (3. ant. I. noct.). Idem Angelus i. e. Michael apparuit *David regi* in area Oman lebusaei, ideoque de S. Michaele dicitur: « Stetit angelus iuxta aram templi, habens thuribulum aureum in manu sua » (Resp. 2.).

2°. Loca cultualia venerationis S. Michaelis in *Oriente* iam saec. IV-o exstiterunt. — a. Cultu peculiari colebatur S. Michael in civitate *Chona* ad ripam fluvii Lycos in Phrygia, ubi fons aquae erumpebat c rupe grandi per intercessionem seu apparitionem Archangcli, fons hic cum basilica ibi aedificata centrum fuit peregrinationum et sanationum miraculosarum. Dies apparitionis dictus est *6. sep.,* imperator Manuel Comnenus ideo festum apparitionis S. Michaelis in Chonis hoc die recolendum ut semifestum in toto imperio suo indixit (Nilles I, 271). — b. Iuxta Sozomenum (Hist. eccl. II, 3) *Constantinus* Magnus ecclesiam construxit in honorem S. Michaelis in loco *Anaplus* nuncupato, sito in promontorio Hestiae ad Bosporum quod sanctuarium, Sosthenion, seriore tempore Michaelion nominatum centrum evasit peregrinationum. *Justinianus Magnus* saec. VI-o in promontorio exadversum sito *aliam* quoque *ecclesiam* S. *Michaelis aedificavit.* Constantinopoli dein in medio aevo quindecim adhuc ecclesiae in honorem Archangcli surrexerunt. — c. In *Aegypto* medio circiter saec. IV-o *Didymas Alexandrinus* testatur de cultu S. Michaelis insimul etiam S. Gabrielis; « gratiosum Archangelorum par » nomen dedit ecclesiis, aedibus oratoriis « non solum in civitatibus, sed ct in vicis, privatim et domibus et agris, eaeque auro, et argento et chore ornatae sunt, et pergunt homines in loca longius dissita » (De Trin. II. PG 39, 589). Ecclesia Alexan-

drina decrevit « pro incremento Nili, pro caeli salubritate, pro benedictione frugum » singulis mensibus die 12. festum celebrandum S. Michaelis (Nilles II, 697. 702). — d. Quod cetera attinet *festa Orientis,* monendum est, festa S. Michaelis quoad dies differre ab Occidente, dum festa Virginis sanctissimae, partiin etiam Apostolorum et quorundam Sanctorum, praecipue S. loannis Baptistae iisdem diebus recoluntur tum in Oriente tum in Occidente. Festum fere universale Orientis pro S. Michaele habetur *8. πον.,* quo die frequentatur « *Synaxis archistrategi Michaelis et reliquarum incorporearum virtutum* », penes Graecos, Syros et Syromaronitas (Nilles I, 319. 463. 486). Solum *Italograeci* celebrant sub influxu Romano die 8. maii « Apparitionem (phanerosis) Archangeli Michaelis in Monte Gargano » (Nilles II, 548).

3°. Festa propria Occidentis, a. Cultus S. Michaelis iam saec. V. ineunte praecipue in *Italia* floruit. Fere in omnibus maioribus civitatibus exstiterunt ecclesiae Archangclo dedicatae, in Umbria autem prima parte saec. V-i numerosae ecclesiae et oratoria constructae sunt in eius honorem, sub titulo « Sancti Angeli » vel etiam « Sanctorum Angelorum » (DAL I, 2, 2148.) Celeberrima fuit ecclesia *Romae in Via Salaria* Michaeli dedicata, huius basilicae dedicatio iam in Sacramentario Leoniano celebratur, ubi quinque formulae prostant pro prid. Kai. Oct. (= *30. sept.),* ut « Natale Basilicae Angeli in Salaria ». Textus Missarum clare ostendunt indolem *dedicationis,* legitur enim « in die festivitatis hodiernae quo in honorem beati archangeli Michaelis sacrata nomini tuo loca divinis instituta sunt mysteriis », vel paulo aliter « In honorem beati archangeli Michael loca nomini tuo dicata mystico frequentamus obsequio » (Missa XXVI, I, et IV. Feltoc p. 106-108). In Gelasiano et Gregoriano festum iam *die 29. sept,* legitur, ut Dedicatio basilicae S. Michaelis, sine appositione « in Salaria ».

b. Quia festum hoc primitus dedicationis ecclesiae Romanae in omnibus libris tum Gelasianis, tum Gregorianis receptum fuit, paulatim ortum est celebritas Archangeli Michaelis, pro Germania Synodus Moguntina a. 813 (can. 36), pro Gallia Synodus Turonensis a. 858 (can. 61) festum ut obligatorium indixit. Nunc colitur ut festum I. cl. (NCR Calend.).

c. *Festum 8. maii* in Occidente institutum est in recordationem apparitionis S. Michaelis in spelaeo quodam *Montis Gargani,* ubi 8. maii a. 492 apparuisse traditur Archangclus. Spelaeum centrum cultus Michaelis evasit, veneratio Archangeli recepta est a *Longobardis,* qui saec. VI-o ducatum Beneventanum condiderunt. Cultus S. Michaelis et peregrinatio in Montem Garganum per eos late propagata est, Archangelus autem patronus nationis declaratus fuit, cuius imaginem nummis suis excudi iusserunt. (DAL X. 2, 905). — *Romae* Bonifatius IV. in summitate Molis Hadrianae versus 610 construi iussit aediculam in forma spelaei seu speluncae, vel cryptae in memoriam spelaei celeberrimi Montis Gargani, unde ecclesiola ista diu « S. Angelus inter nubes » vocata est (DAL VI, 2, 1980). — Festum tamen 8. maii, ut patet, *deest* in Sacramentariis antiquis Romanis, etiam in Gelasianis lunioribus saec. VIII. Legitur iam in Missali OSB monasterii S. Petri in Italia centrali saec. X-XL, ut « Revelatio b. Michaelis in Monte Gargano, » dein in alio Missali e Regione Montis Cassini saec. XII. ut « Inventio S. Michaelis archangeli », in Sacramentario quodam Italiae centralis occurrit ut « Victoria S. Michaelis » (Ebner, Quellen u. Forschungen p. 220. 236. 145). Festum hoc a. 1960 expunctum fuit 'NCR Var. 8. d.).

cl. Festum nunc iam abolitum « S. *Michaelis in periculo maris* » *16. oct.* Autbertus episcopus Abrincensis (= Avrenches) ineunte saec. VIII. in ora maris Normandiae super rupem Mons Tumbae nominatam iuxta legendariam narrationem vidit S. Michaelem Archangelum apparentem, eique ibi ecclesiam 16. dee. 709 dedicavit, adiungens capitulum 12 canonicorum. Richardus I., dux Normandiae a. 966 loco canonicorum monachos ibi collocavit ex abbatia Fontancllensi, exinde monasterium ibi exstitit usque ad a. 1790. Mons Tumbae deinceps nominatus est Mons S. Michaelis in periculo maris, anniversarium dedicationis ecclesiae autem factum est *festum locale 16. oct.,* quod in quibusdam libris liturgicis Galliae invenitur (Leroquais, Missels, I, 71. 183. 319. 349); legitur etiam in primo libro liturgico Hungariae, in Exangelistario Szelepchényiano saec. XI-i (Rado, Libri lit. mss I, 176. 180). Mons S. Michaelis post Montem Garganum celeberrimum centrum cultus S. Archangeli locusque eximius peregrinationis Europae fuit per medium aevum.

c) De festis SS. Gabrielis et Raphaelis, Archangelorum.

1°. S. Gabriel et S. Raphael sunt Archangeli, quorum nomina una cum S. Michaele a S. Scriptura referuntur. — a. *Gabriel* (geber=vir, vir Dei) est Angelus, qui hoc nomine primum *Danieli* prophetae apparuit, intrepretatusque est illi visionem de victoria Graecorum et impietate regis ultimi (Dan 8, 15-27). Idem Gabriel docuit Danielem de septuaginta hebdomadis annorum, i. e. de tempore adventus regni Messianici (Dan 9, 20-27). In *Novo Testamento* autem missus est Gabriel ad *Virginem* desponsatam viro, cui nomen erat loseph, et nomen virginis Maria, ut annuntiaret conceptionem Christi (Lc 1, 26). Idem Gabriel putatur fuisse Angelus Domini stans a dextris altaris incensi, *Zachariae* sacerdoti conceptionem S. loannis Baptistae nuntians (Lc 1, 11). lure ergo Gabriel, Archangclus tantum in litteratura postbiblica nuncupatus, solet vocari « Angelus Incarnationis. » — b. *Raphael* (= sanavit Deus) de seipso dixit: « Ego sum Raphael angelus, unus ex septem, qui astamus ante Deum » (Tob 12, 15), qui Tobiae sub specie invenis astitit, eumque ut Angelus itineris Ecbatanam conduxit, daemonem Asasel fugavit, Tobiam vero seniorem redux a caecitate liberavit (Tob 5.-12.).

2°. Usque ad *saec. X. non invenitur festum* horum Archangelorum, memoria eorum non habetur in Martyrologio Hieronymiano, nec in Kalendariis vel Graecorum Menologiis. *Festum* S. Gabrielis. — a. *saec. X-o* invenitur in Missali quodam Florentino die *11. dec.,* die *10. dec.* autem in Sacramentario inter 1075-79 scripto pro Eporedia (= Ivrea) (Ebner, Quellen u. Forschungen p. 28. 52). — b. Inde a *saec. XIII-o* saepius iam legitur festum S. Gabrielis, sed valde *diversis* diebus celebratum. Saepissime occurrit festum *18. mart.,* una hebdomada ante festum Annuntiationis celebratum, saeculo XIV-XV. Iisdem saeculis occurrunt etiam dies festi Gabrielis diebus *26. mart., 2. oct., 13. oct., et 3. dec.* (Leroquais, Missels, Bréviaires, Psautiers cf. indices). — c. *In Oriente* simili modo diversi dies habentur Gabrieli dicati: *26. mart,* penes *Graecos* est « Synaxis Archangeli Gabriel », more orientali enim connectitur cum mysterio diei praecedentis, quia « divino, superexcellenti, ineffabilique mysterio ministravit » (Magna menaea). Eundem diem recolunt etiam *Syromaronitae* (Nilles, I, 127. 487). Penes *Coptos* habetur die *30. dec.* « Commemoratio Gabrielis Archangeli, laetitiae nuntii » (Nilles II, 712). *Secunda synaxis* Gabrielis agitur die *13. iul.,* ut videtur ob varias dedicationes in hunc diem repositas (Nilles I, 210 s.).

3°. Festum S. Raphaelis celebratum est: — a. in *Occidente* inde a saec. \I-o, sic Eporediae (= Ivrea) 3. *ian.,* Veronae sequenti saeculo *29. dec.* (Ebner p. 52. 294). Inde a saec. XIV-o sat frequenter occurrit in libris liturgicis, praesertim *Galliae,* variis item diebus. Confusio non minima cerni potest eo, quod *Burdigalae* (Bordeaux) saec. XV-o in una eademque civitate festum S. Raphaelis celebratum est *8. iul., 15. iul. 6. oct.* et *13. oct.* in variis ecclesiis; eadem festa his diebus in aliis quoque recurrunt libris (Leroquais, Missels III, 191, Bréviaires III, 376, Missels II, 33 et III, 191, et Indices). — b. In *Oriente* Syri celebrant die *8. nov.* « Archangelos Michael, Gabriel, Raphael et omnes Angelos, Copti vero 7. *sept,* recolunt Raphael Archangelum, « sanatorem morborum » (Nilles I, 463, II, 703. 724).

4°. In *lihris liturgicis Romanis* festum S. Gabrielis fuit *18. mart.,* Raphaelis *24. oct., Benedictus XV.* in nova editione typica Missalis Romani 1920 promulgata sub ritu dupl. mai. festum S. Gabrielis reposuit in diem 24. mart., S. Raphaelis autem reliquit die 24. oct. Nunc quoque sic est. ritus utriusque est festum III. cl. (NCR Calend.).

d) De festo SS. Angelorum Custodum.

1°. Persuasio Ecclesiae ab initio semper fuit Angelos quosdam *missos esse in adiutorium hominum in via salutis,* ut *Origenes* dicit: « Est illud in ecclesiastica praedicatione, esse Angelos Dei quosdam et virtutes bonas qui ei ministrant ad salutem hominum consummandam » (Peri archôn 1. praef. 10. RJ n. 448, cf. aliud eius testimonium superius a. 2°. c.). Etiam *functionem* huius Angeli describit: « Unicuique duo assistunt angeli, alter iustitiae, alter iniquitatis. Si bonae cogitationes in corde nostro fuerint, et in animo iustitia pullulant, haud dubium quin nobis loquatur Angelus Domini » (In Lc hom. 12. RJ n. 475). S. *Basilius* affirmat Angelos omnes eandem habere naturam, « sed tamen ex iis alii quidem praefecti sunt gentibus, alii vero unicuique fidelium adiuncti comites sunt » (Adv. Eunom. 3,1 RJ n. 940). S. *Gregorius Nyssenus* ad traditionem provocat, dicens: « Sermo quidam est, ex paterna traditione fidem habens... Deum non reliquisse miseriam nostram absque patrocinio, sed ab eo Angelum aliquem... constitutum esse ad auxiliandum uniuscuiusque vitae « (De vita Moysis RJ n. 1022). — *Festum* tamen *peculiare* in honorem SS. Angelorum custodum ante saec. XVI quantum scimus, non invenitur, Angeli custodes simul colebantur cum omnibus Angelis in festo S. Michaelis et aliorum Archangelorum.

2°. Ineunte saec. XVI-o in *Hispania* celebratum est festum S. Angeli custodis die *1. mart.,* in *Gallia* autem primo die non impedito post festum S. Michaelis, i. e. die *2. oct.* Quia in libris S. Pii V. hoc festum exsulaverit, *Gregorius XIII.* a. 1582 dioecesi *Valentiae* concessit festum cum officio proprio, *Paulus V.* vero a. 1608 *universae* Ecclesiae permisit celebrationem 27. sept, rogante autem Ferdinando II. imperatore, provinciis haereditariis et universae ditioni Imperio Romano subiectae etiam praescripsit, quibus *Clemens IX.* festum primae *Dominicae* Septembris assignavit a. 1667. Inde est, quod in regnis olim Austro-Hungariae et in Germania festum Angelorum custodum usque ad reformationem Sancti Pii X. a. 1913 I. Dom. sept, celebratum fuit. *Alibi* enim dies 2. *oct.* electus fuit ad celebrandum a Papa Clemente X. ·„ 1670 sub ritu dupl. in universa Ecclesia, ritus evectus est a Leone XIII.

a. 1883 ad dupl. maiorem, dies vero 2. oct. *omnibus* praescriptum per Pium X. Ritus mine est festum III. cl. (NCR Calend.).

5. De Festo Omnium Sanctorum.

Tractandum est a) De festo omnium SS. Martyrum, dein b) De evolutione festi Omnium Sanctorum, item c) De indole festi Omnium Sanctorum, demum d) De Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum.

a) De festo Omnium Sanctorum Martyrum.

Post pacem Ecclesiae cum Imperio initam (a. 313) *innumeri* Martyres innotuerunt, qui peculiari festo recoli iam non potuerunt. Idea ergo per se orta est eo.s *festo quodam collectivo* recolendi, prius in Oriente, quia teste Eusebio multo plures Martyres in orientali parte Imperii martyrio coronati fuere.

1°. Festum collectivum Martyrum in Oriente saec. IV-o *variis diebus* celebrari coepit. — a. Primum festum die *13. maii* celebratum est, teste S. *Ephraem* diacono, qui a. 359 hoc die carmine mirabili omnes Martyres mundi celebravit. G. Bickell, editor Carminum, recte hoc festum adfuisse opinatus est, carmen enim Ephraemi festo Ascensionis Domini prolatum est, a. 359 autem dies 13. maii simul quadragesimus fuit post Pascha, sedes ergo Ascensionis (Carmina Nisibena p. 23 et Tüb. Theol. Quartalschr. 1866, 467-468). — b. Alterum festum circa 380 *Antiochiae Dominica post Pentecosten* celebratum est, nam S. *Ioannes Chrysostomus* encomium dixit « Sanctorum omnium, qui in toto terrarum orbe martyrium passi sunt » (PG 50. 705-712). Festum hoc omnium Martyrum cito evasit festum omnium Sanctorum, imperator enim *Leo Sapiens* (886-911) iam omnes Sanctos celebrat: « Insigni ac splendidissimo festo immortales illos flosculos *universos* recolit, quos totus orbis terrarum, perennibus Spiritus Sancti fluviis irrigatus, produxit » (Nilles II, 424), Ecclesia Byzantina hodieque celebrat hac Dom. post Pent. « Dominicam Sanctorum Omnium. » — c. Ecclesia *Syrorum orientalium* teste Martyrologio Syriaco a 112 scripto *Fer. VI. infra Octavam Paschatis* celebravit festum omnium Martyrum (W. Wright, An ancient Syrian Martyrology 1865,3). Etiam Nestoriani hoc die festum omnium Martyrum recolunt, sicut Syri moderni (Assemani, Bibi, orient. I, 3, III, 2, 382). — d. *Arment Sabbato post Dom. X. post Exaltationem S. Crucis celebrant* « Festum Omnium Sanctorum veterum ac recentiorum. cognitorum et incognitorum, » *Copti* item autumno tempore, die *23. oct.* frequentant « Festum Omnium Sanctorum et Sanctarum Dei » (Nilles II, 619. 709).

2°. In Occidente *utrumque festum* orientale omnium Martyrum receptum est *in Urbe*. — a. Comes Wirccburgcnsis saec. VII. habet pericopam *Dom. post Pentecosten* cum inscriptione « Dom. in natali sanctorum ». *Fer. VI paschatis* autem legitur « Ad S. Mariam ad Martyres » (DAL V, 1,313. n. 114 et 91). — b. Festum *tertium* orientale vero invectum est a *Bonifacio IV.*, qui intime coniunctus Orienti ab Imperatore Phoca dono accepit templum paganum deorum omnium, Pantheon nominatum, tunc iam inde a centum annis ejausum, et e catacumbis ossa Martyrum 28 curribus deportari iussit in novam ecclesiam S. Mariae ad Martyres nuncupatam a. 609 *die 13. maii.* Iuxta coniecturam Guéranger huius magnifici triumphi gaudium resonant *antiphonae* antiquissimae dedicationis ecclesiae: « Surgite, Sancti Dei de mansionibus vestris, loca sanctificate, plebem benedicite! » Dein altera ant.: « Cum jucunditate

exibitis, et cum gaudio deducemini, nam montes et colles exilient, expectantes vos cum gaudio, alleluia! » Demum ant.: « Movete vos Sancti Dei de mansionibus vestris, ad loca festinate, (piae vobis parata sunt. » Festum 13. inaii magna festivitas populi Romani facta est, *Missae festivae textus* verisimiliter iam sub Bonifacio (ǂ 615) insertus est, legitur enim iam in Gregoriano Paduano (ed. Mohlberg n. XCIX) et in Gregoriano Hadriani (ed. Lietzmann n. 107): « Natale S. Mariae ad Martyres »; in secreta dicitur: « ...de martyrum nos sollemnitate laetificet. » Festum hoc dein per totum medium aevum in libris liturgicis remansit, etsi iam aliud festum 1. nov. omnes Sanctos recoluit. — c. *Electio diei* fortasse declarari potest, Romani antiqui enim dies 9.11.13. mail sacros habuerunt vocabanturque *Lemuria,* « quando manes placantur n, ultimus dies 13. mail optime celebrari potuit ut dies apotropaeicus contra ɑ animas silentum », ct adversus daemonis insidias, quibus praecipue reliquiae opponebantur, ut idem laudatus S. *Ephraem* affirmat: « Martyres mortui tamquam vivi operantur, aegrotos sanant, daemones expellunt, omnemque tyrannidis ipsorum nequitiam virtute Domini fugam agunt. » S. *Chrysostomus* adhuc manifestius: « Sanctorum ossa daemones sistunt et excruciant, acerbissimisque illis vinculis, qui adstricti sunt, solvunt... Atque isti, qui corpora gestarunt (= Martyres) virtutes corpore vacantes (= daemones) superant, pulvisque ossa et cinis naturas illas invisibiles dilacerant » (Horn. 26. in ep. II. ad Cor.).

b) Dc evolutione festi Omnium Sanctorum.

1 '. Pontificatus *Gregorii III.* (731-741) *secundus gressus* fuit versus festum quoddam omnium Sanctorum etiam non-Martyrum; deinceps enim iam non tantum Martyres, sed omnes alii Sancti quoque colebantur.

a. Gregorius enim ex Oriente oriundus in basilica S. Petri *oratorium condidit* in « honorem Salvatoris, sanctae Dei genitricis semperque virginis Mariae, dominae nostrae, sanctorumque apostolorum, martyrum quoque et confessorum Christi, perfectorum iustorum » (Lib. pontif. cd. Duchesne I, 421-s.). *Quando* haec dedicatio facta est, non liquet, neque annus, neque dies. Factum autem est historicum, quod *in Anglia* exinde festum Omnium Sanctorum die 1. nov. iam notum fuit. Occurrit in Martyrologio *Bedae Venerabilis:* « Kai. Nov. Festivitas Omnium Sanctorum » (PL 94, 1087 nisi de interpolatione agatur), et in Pontificali *Egberti Eboracensis* qui a. 732 Romae versatus ibi diaconus consecratus est ct a Papa Gregorio III. pallio decoratus (t 766), in eius Pontificali legitur: « Kal. novembris Omnium Sanctorum. Benedictio in die Omnium Sanctorum » (ed. W. Greenwell 1853, p. 90-91, cf. etiam DAL IV, 2, 2217). Festum ergo tempore Egberti Eboraci scu in regno Northumbriae iam celebratum fuit inter 732-766. In *Kalendario metrico* Eboraccnsi saec. VIII. exeuntis sic legitur festum: « Multiplici rutilet gemma ceu in *fronte* november ' Cunctorum fulget Sanctorum laude decorus n (cf. JfLw 1938. n. 361). *Alcuinus* gloria fuit scholae cathedralis Eboracensis ab Egberto conditae, nil mirum ergo, quod festum 1. nov. propagavit, prius in ditione Salzburgcnsi, Arno episcopo scribens: « Ecce venerande Pater Arne, habes designatam sollemnitatem Omnium Sanctorum . Hanc sollemnitatem sanctissimam tribus diebus ieiunando, orando, missas canendo et eleemosynas dando pro invicem sincera devotione praecedamus » (Ep. 91 PL 100. 296). at in Supplemento Sacramcntarii Grcgoriani tamen nondum supplevit Missam Omnium Sanctorum.

b. *Halio* cur Gregorius III. cultum promovit Omnium Sanctorum, temporis adiuncta declarant: sub pontificatu Gregorii III. in Imperio Byzantino iam abhinc sex annos iconoclastae imagines *Sanctorum* destruxerunt, et tota regio Urbis a Longobardorum agminibus devastata fuit, qui templa exspoliabant igne comburebant; Summus Pontifex oratorio Omnium Sanctorum et officio Missaque ibi cotidie in eorum honorem celebratis expiare voluit *sacrilegia perpetrata,* simulque auxilium divinum implorare.

c. *Cur 1. nov. electus fuit,* certo scire non possumus. *Hypothesis una* est, quod Gregorius forte hoc die dedicavit oratorium Omnium Sanctorum, Egbertus tempore eius Romae versatus hunc diem ut festum recepit. Altera hypothesis est: annus *more Celtico* 1. nov. incipiebat, in Gallia et Hispania autem novus annus comcssationibus, ebrietatibus omniumque libidinum illecebris celebratus est, ideo iam saec. VI-o in Hispania et Gallia ante Kalendas Novembres trium dierum ieiunium, « litanias » praescripserunt, Cone. Gerundivum a. 517: « Item secundae litaniae faciendae sunt Kalendis Novembris, ea tamen conditione servata, ut si iisdem diebus dominica intercesserit, in alia hebdomada, secundum prioris abstinentiae observantiam a quinta feria incipiantur ct in sabbato missa facta finiantur » (can. 3. Mansi VIII, 549), similiter Cone. Lugdun. II. a. 567: «In prima hebdomada noni mensis, hoc est, ante diem dominicam quae prima in ipso mense illuxerit, litaniae sicut ante Ascensionem Domini sancti Patres fieri decreverunt, ab omnibus ecclesiis seu parochiis celebrentur » (can. 6. Mansi IX, 788). Huic ieiunio adiunctum est festum.

2°. *Tertius gressus* fuit *publica festi indictio,* quae rogatu *Gregorii IV.* (828-844) ad imperatorem *Ludovicum Pium* directo facta est, ut Ado Viennensis (890-875) coaevus testatur in suo excellenti Martyrologio a. 858 confecto: « In Galliis, monente sanctae recordationis Gregorio pontifice, piissimus Ludovicus imperator, omnibus regni et imperii sui episcopis consentientibus, statuit, ut solemniter festivitas Omnium Sanctorum in praedicta die (= 1. nov.) annuatim perpetuo ageretur. Quam sanctam constitutionem reverenti amore suscepit omnis ecclesia» (PL 123. 173). Sigebertus Gemblacensis (t 1112) in suo Chronico hoc factum ad annum 835 adnotavit, num iure, non liquet (PL 160. 159. cf. H. Frank in LfThK 2. ed. 1957 I, 348). Eadem ratione qua opinamur *Gregorium III.* instituisse cultum Omnium Sanctorum, ductus potuit esse *Gregorius IV.* post saeculum elapsum: Italiam meridionalem et Urbi loca vicina devastaverunt *Arabes* (Saraceni), dum *Nonnanni* Galliae partem septentrionalem coeperunt vexare, omnes Sancti invocantur ut hostes longius repellantur. Ideo invenitur in officio festivo vestigium huius temporis bellicosi, sic in lectione II. noct. (sexta lect.), quae immerito portat nomen Bedae Venerabilis, est enim scripta ab abbate *Helisachar,* coaevo Amalarii, poeta scholae palatinae: « Dei... bonitas etiam hoc providit, ut laborum quidem tempus et agonis non extenderet, nec longum faceret aut aeternum, sed breve et momentaneum: ut in hac brevi ct exigua vita agones essent et labores » (Baumer-Biron, Hist. brév. I. 404 nota 4). Idem Helisachar est *auctor hymni* « Placare Christe servulis ». in quo evidens allusio fit ad perturbationes hostium: «Gentem auferte perfidam | Credentium de finibus, | Ut Christi laudes debitas | Persolvamus alacriter » (iuxta textum primigenium ab Urbano VIII. non retractatum).

3°. *Vigiliam* festum ab initio habuit, immo pluribus locis trium dierum ieiunium, ut dictum est. *Octava* tamen caruit festum, Sixtus IV. (1471-1484) octavam instituit item ut praesidium et tutelam adversus hostes crudeles.

Tureae enim 11. aug. 1480 ceperunt civitatem Hydruntum (= Otranto) pei mare venientes, et fere decem milia incolarum trucidabant. Tum vigilia tum octava per simplificationcm rubricarum abolita sunt, a. 1955. Sicque mansit, festum habet gradum L cl. (NCR Calend.).

c) Indoles festi Omnium Sanctorum.

1°. Idea *nativa* huius festi usque ad Breviarium Romanum a. 1568 fuit veneratio omnium Personarum Sanctarum, cultus ergo latriae, hyperduliae et duliae simul exercebatur, ut videri potest iam ex Amalario (De ord. antiphonarii c. 64. Hanssens III, p. 211-213), rationem vero reddit *Durandus:* « Quia hoc festum Omnium Sanctorum est generale, ideo variatur illius officium, prout habet varietas omnium Sanctorum. Prima nempe antiphona et prima lectio et primum responsorium de *Trinitate* cantatur, quia festum est Trinitatis, secundo loco cantatur de beata *Maria,* tertio de *angelis,* quarto de *prophetis,* quinto de *Apostolis,* sexto de *Martyribus,* septimo de *Confessoribus,* octavo de *Virginibus,* nono de *omnibus* simul » (Rat. div. off. L. VII. c. 34, 6-7). Ibidem etiam *ritus* apparet. ;n legendo « fit descensus 0 ab episcopo usque ad pueros, nona lectio semper a maiore debet legi, octavum responsorium item a pueris cantatur de virginibus « coram altari BMV., si fuerint ibi, candelas in manibus tenentes, ad repraesentandum quinque prudentum virginum, lampades ornatas accensas habentium n.

2°. Hoc festo *celebratur etiam* gloria Ecclesiae, ut dicitur in Sermone Ps. Bcdae, i. e. ut diximus, Helisachari: « Hodie Omnium Sanctorum celebramus festum, quorum societate caelum exsultat, quorum patrociniis terra laetatur, triumphis Ecclesia coronatur, quorum confessio quanto in passione fortior, tanto est clarior in honore, quia dum crevit pugna, crevit et pugnantium gloria... O vere beata mater Ecclesia, quam sic honor divinae dignationis illuminat, quam vincentium gloriosus Martyrum sanguis exornat, quam inviolata confessionis candida induit virginitas » (Ps. Beda, Horn. 70 PL 94, 450, 4. et 5. lectio).

3°. Conscientia medii aevi aliquantulum tenera hoc festo voluit *supplere negligentias* in cultu Sanctorum *commissas,* ut videri potest ex sermone *Hildeberti Cenomanensis* (f 1133): « Nec dubitandum est sollemnitatem hanc divina inspiratione institutam esse, ut qui per anni circulos singulorum Sanctorum natales vel propter desidiam, vel propter ignorantiam, vel rei saecularis occupationem seu ex aliis causis minus honoramus, quod in illis minus et male factum est, in hac pro posse compensare satagamus n (Sermo 75. PL 171, 705).

4°. Omnes Sancti etiam *simul venerati* advocati sunt in adversitatibus vitae, in via salutis adipiscendae, ut pulchre declarat S. *Petrus Damiani* (f 1073): « Isti sunt advocati, quos apud indicem habemus. Pro quo isti intercesserint, sententiam non timent capitalem. Confugiamus ergo ad probata suffragia, nec nos deterreat enormitas peccatorum, quia maior est illorum pietas, quam impietas nostra. Consiliarii sunt regis nostri, et ipsius irae saepe resistunt, nec nos deserunt in tempore malo. Sciunt enim ubi nos reliquerint, quantis hostium insidiis pateamus. Suspiremus igitur ad illorum memoriam, ut protegant nos sub umbra alarum suarum, donec transeat iniquitas, et perducant nos ad sponsum Ecclesiae, qui est Deus benedictus in saecula n (Sermo 55. PL 144, 815).

5°. Festum in multis Missalibus *propriam* habuit *praefationem* quae ideas festivas concinne exprimit: « ...clementiam luam suppliciter obsecrantes, ut cum exaltantibus Sanetis in caelestis regni cubilibus gaudia nostra coniungas et quos virtutis imitatione non possumus sequi, debitae venerationis contingamus allectu » (Richter-Schonfelder, Sacram. Fuldense X. saec., p. 160. et etiam in Sacramentario saec. XI. PL 151, 875).

d) Commemoratio omnium fidelium defunctorum.

1°. Varii dies Commemorationis omnium defunctorum, a. Dum *orationes* pro defunctis omni tempore ad Deum delegatae sunt, et semper, quantum scimus etiam *anniversarium* mortis orationibus, Missaeque sacrificio frequentatum est, et in omnibus Missis *commemoratio* omnium fidelium defunctorum fiebat, *dies Defunctorum* qua celebratio annua collectiva sat tarde recoli coepit. Propenso animo *diem festum quoddam maius sequentem* defunctis consecrabant, sic S. *Isidor. Hispalens.* (f 636) monachis suis praescripsit: « Pro spiritibus defunctorum *altera die post Pentecosten* sacrificium Domino offeratur, ut beatae vitae participes facti, purgatiores corpora sua in die resurrectionis accipiant « (Regula 24, 2 PL 83, 894). — b. In monasterio Fuldensi abbas *Eigil* XVI. kal. ian. *(=17. dee.)* diem « anniversariam Styrmes (Sturmii) primi abbatis et fundatoris monasterii Fuldae et memoriam omnium fratrum nostrorum de hac luce defunctorum... in missarum celebratione, psalmodiis et oratione sancta celebrare sancivit » (Vita, auctore Candido n. 25 PL 105, 400). — c. In *Oriente* commemoratio omnium fidelium defunctorum fit duobus Sabbatis, quae vocantur « *Psychosabbata* » = Sabbata animarum. Primum Sabbatum est ante Dominicam « apokreo » seu camisprivii, iuxta Latinos Sexagesimam, alterum celebratur Sabbato ante Pentecosten. *Triodium* sic annuntiat haec Sabbata: « Memoriam facimus omnium a saeculo defunctorum orthodoxorum Christianorum, patrum et fratrum nostrorum »; *Synaxarium* autem affirmat: « Divi Patres humanissime decreverunt memoriam fieri omnium istorum a catholica Ecclesia, sicut a sanctis Apostolis acceperunt » (Nilles II, 20-21). — *Arment* Feriae II. Paschatis addunt commemorationem omnium defunctorum, Syri autem Fer. VI. post Hebd. II. ante Quadragesimam, quae identica est cum Dom. apokreo Byzantinorum, celebrant « commemorationem omnium fidelium defunctorum. » Fer. VI. vero sequentis hebdomadae recolunt « commemorationem fiedelium qui peregre obierunt, i. e. procul a parentibus et amicis defunctorum » (Nilles II. 561, 643).

2°. Dies 2. novembris. a. Postquam iam celebratum est festum Omnium Sanctorum, *cito adfuit idea* huic officio adiungere commemorationem pro defunctis, iam *Amalarius* hoc fecit, quin de peculiari die commemorationis cogitassct: « Post officia Sanctorum inserui officium pro mortuis, multi enim transeunt de praesenti saeculo, qui non ilico Sanctis conjunguntur, pro quibus more officium agitur. Qui autem minor est in illo regno, maior est isto Sancto qui in praesenti saeculo est » (De ord. antiphonarii c. 65. ed. Hanssens III, p. 98). — b. Haec idea assumpta est a venerabili abbate Clunyacensi S. *Odilone* (994-1048), qui vertente saeculo X-o sequens decretum edidit: « Agatur apud nos festivo more commemoratio omnium fidelium defunctorum, qui *ab initio mundi fuerunt* usque in finem, tali modo. Ipso die supradicto post capitulum faciant eleemosynam decanus et cellerarius de pane et vino omnibus supervenientibus pauperibus... Ipso etiam die post vespertinalem synaxim pulsentur omnia signa

et agatur officium pro defunctis. Ad missam vero matutinalem festivo more agitur officium, omnia signa pulsentur... Cuncti fratres offerant, privatim et publice missas celebrent pro requie omnium fidelium et duodecim pauperes reficiantur... Volumus, petimus et praecipimus, tam in loco hoc, quam in cunctis ad locum istum pertinentibus servetur. Et *si alius* ex ista nostra fideli inventione sumpserit exemplum, particeps omnium bonorum efficiatur votorum » (Statutum Odilonis PL 142, 1037).

3 . Divulgatio Commemorationis defunctorum diei 2. nov. a. Ut patet, permulta illa monasteria quae ad oboedientiam Clunyacensem pertinebant, statim frequentare coeperunt diem 2. nov. — b. Alii exhortationi S. Odilonis obtemperantes iam saec. XI-o induxerunt celebrationem diei 2. nov., praecipue in *Normannia,* ubi Joannes Abrincensis (= Avranches), archiepiscopus Rotomagensis (= Rouen), primas Normanniae praescripsit: « In crastino Omnium Sanctorum fiat festiva celebratio omnium mortuorum, in qua non dicatur hymnus aut invitatorium... Matutinae et horae *diei* nullo modo praetermittantur, sed has *ferialiter* dictas, agenda mortuorum festiva sequatur » (De eccl. offic. in fine PL 147, 60). — c. *Bisontii* (= Besançon) in Martyrologio a S. Protadio nuncupato, scripto inter 1053-66, habetur 2. nov. « Commemoratio omnium fidelium defunctorum. » (PL 80, 420). — d. In *Anglia* clerus normannus diem celebrare consuevit, ut videri potest e decretis *Lanfranci* Cantabrigiensis pro ordine S. Benedicti: « Dictis vesperis pulsentur omnia signa et productius solito canantur vesperae pro defunctis, nisi in crastino sit dies dominicus vel quaelibet festivitas duodecim lectionum... Sequente autem nocte ad vigiliam mortuorum pulsentur similiter omnia signa. Ipsa die sacerdotes omnes celebrent missas pro omnibus fidelibus defunctis. Qui vero sacerdotes non sunt, injungantur eis in capitulo psalmi pro missis » (PL 150, 477). — c. *Mediolani* Otricus archiepiscopus (1120-1125) Commemorationem omnium fidelium defunctorum indixit, sed die anniversarii dedicationis ecclesiae cathedralis insequente, i. c. dic *16. oct.,* quod sic remansit usque ad S. Carolum Borromaeum, qui a. 1582 diem 2. nov. ad celebrationem praescripsit (Kellner p. 243). — f. In *Italia* decursu saec. XII-i celebratio diei 2. nov. pedetentim cognita evasit. *Sicardus Cremonensis* (f 1215) pulchre rationem reddit harum dierum: «Sunt tres dies continuis Iribus mysteriis deputati. Vigilia enim dies est *afflictionis,* sollemnitas dies *exaltationis,* hodie vero (= 2. nov.) dies est *orationis.* In primo nos *ieiunando* affligimus, praesentis vitae miseriam recolentes. In secundo Sanctorum bealitudini *congaudemus,* gratiarum actiones Domino referentes. In tertio pro his qui in purgatorio detinentur, *oramus,* modo mitiorem poenam, modo plenam absolutionem orationibus impetrantes » (Mithrale IX, 50 PL 213, 424).

4°. Leges cultualcs Omnium Fidelium defunctorum, a. Dies factus est dies liturgicus I. cl. in reformatione Joannis XXIII. (NCR Var. 6, b.), sed cedit Dominicae et tunc transponitur in Fer. II-am (NCR 16 b. et 96. b.). — b. *Polyliturgia diei.* (1) *Historia* medio aevo incipit, in regno *Aragoniae* enim consuetum fuit ad levamen defunctorum celebrare tres Missas, quae consuetudo a *Benedicto XIV.* anno 1748 confirmata est, immo extensa ad sacerdotes Hispaniarum, Lusitaniae et Aincricae Latinae. Polyliturgia haec iam satis nota, concessa est inter miserias primi belli immanis mundialis 1914-18 a *Benedicto XV.* 10. aug. 1915 omnibus indiscriminatim sacerdotibus, ea lege, quod una tantum Missa titulo justitiae celebrari possit. — (2) *Leges liturgicae* sunt: qui *unam* tantum Missam celebrat, I-am adhibet; qui *duas,* I-am et II-am, — si etiam

Missam *in cantu,* tunc I-am semper adhibet et licet ci anticipare II-am et III-am. Qui *plures* Missas *in cantu* celebrat, *in diversis* ecclesiis, semper I-am adhibere debet, si *in eadem* ecclesia, primum adhibeatur formula I., dein II. et denique III. (NCR 404). — c. *Aliae Missae hoc die.* (1) Missa *exsequialis* hoc die sumi debet formula I. diei cum orationibus pro respective defuncto, sed si I. Missa celebratur pro officio diei, sumi debet formula II. aut denique III. (NCR 409). — (2) Missa *conventualis* hoc dic dicenda est I. Missa, cui soli choro adstricti adesse debent (NCR 295). — (3) *In expositione* SS. Sacramenti hoc die tempore expositionis omnes Missae cum paramentis violaceis dicantur, sed extra altare expositionis (NCR 351 b.). — (4) *Missa nuptialis* hoc dic prohibetur (NCR 381 d.). — d. *Officium.* Matutinum habet tres nocturnos, cum 9 Psalmis et 9 lectionibus (NCR 161 d.), antiphonae ad Horas Minores et ad Completorium omittuntur (NCR 190). — e. *Vesperae defunctorum* et Completorium proprium diei 1. nov. olim assignatae (1) transferuntur in Commemorationem Fidelium defunctorum. Si die sequenti concurrat Dominica vel festum I. cl., officium Omnium Defunctorum cessat post Nonam (NCR Var. 58). — (2) Simul tamen *privilegium* datur: Celebratio Vesperarum defunctorum post II. Vesp. die 1. nov., quae pro pietate fidelium peragi consuevit, continuari potest, una cum aliis piis exercitiis forsitan traditis, tamquam peculiare pietatis obsequium (NCR ibid.). — De pervigilio diei 2. nov. cf. De Eccl. orante G. 1. f.; de indulgentiis cf. De poenitentia G. 3. b. 1°. c. (4) (toties quoties), et G. 5. b. 1°. (privilegium altaris).

Litteratura.

Quoad cultum Sanctorum in genere. *St. Beissel,* Verehrung der Heiligen und ihrer Reliquien in Deutschland I. II. Freiburg i. Br. 1890-92. — *E. Lucius - G. Anrich,* Die \nfange des Heiligenkultes in der christl. Kirche, Tubingen 1904. — *II- Kellner,* Hcortologie, 3. ed. 1911, 156-165. — P. *Dorfler,* Die Anfange der Heiligenvcrehrung nach den romischen Inschriften und Bildwerken, München 1913. — *F. Meffert,* Urchristentum, M. Gladbach 1922, 454-528. — P. *Kirsch,* Der stadtromische christl. Festkalender im Altertum, Münster 1924. — *II. Delehaye,* Sanctus. Un essai sur le culte des Saints, Bruxelles 1927. — *Idem,* Les origines du culte des martyrs, ibid. 1933. 2. ed- — *J. Hild,* Le mystère des saints dans le mystère chrétien, Maison-Dieu cah. 52 (1957) 5-18. — *B. de Gaiffier,* Réflexions sur les origines du culte des martyrs, *ibid.* 19-43. — P. *Jounel,* Le Sanctoral romain du 8. au 12 siècle, *ibid.* 59-88. — A. *Chavasse,* Sanctoral et année liturgique, *ibid.* 89-97. — *B. Bauer,* Saints of the Missal, St. Louis (Herder) 1958. — *B. Fischer.* Heiligenfeste, LfThK V (1960) 101-2.

Quoad festa Apostolorum. *II. Kellner* 1911, 208-301. — P. *Sh/ger,* Die erste Ruhestatte der Apostelfiirsten Petrus und Paulus an der Via Appia in Rom, ZfkTh 1921, 549-572. — *J-* P. *Kirsch,* Die Memoria apostolorum an der Via Appia und die liturgische Festfeier des 29. Juni, *in:* JfLw 1923, 33-50. — *J. P. Kirsch,* Die beiden Apostelfeste Petri Stuhlfeier und Pauli Bekehrung im Januar, *in:* JfLw 1925, 48-67. — *Th. Klauser,* Die Cathedra im Totenkult der heidnischen und christlichen Antike, Munster 1927. — *D. Mallardo,* La festa cristiana della cattedra di San Pietro e la festa pagana della Caristia, *in:* Riv. scienze e lettere 1930, 43-45. 149-152. 32-3-343. — *M. Righetti,* II (1946) 302-312 — C. *Cecchelli.* Cathedra, *in:* Encicl. catt. HI (1949) 1166-1172. — *Esplorazioni* sotto la Confessione di San Pietro in Vaticano eseguite negli anni 1940-49, Città del Vaticano 1951. — *O. Hophan,* Die Apostel, Luzern 1952. — P. *Wenzel,* Die Ausgrabungen unter der Peterskirche in Rom, Leipzig 1953. — *D. Baldoni,* Natale Petri de cathedra, *in:* Eph. Lit. 1954, 97-126. — P. *Cachter,* Petrus und seine Zeit 1958.

Quoad Sanctos eximios. *H. Leclercq,* St Anne, *in:* DAL I, 2 (1907) 2162-2174. — *J Seitz,* Die Verehning des hl. Joseph in ihrer geschichtlichen Entwicklung bis zum Konzil von Trient, Freiburg i. Br. 1908. — *II. Kellner,* 1911, 165-169 (loan.-Bapt), 205-208 loseph, Anna). — *D. Buzij,* S. Jean-Baptiste. Études histor- et erit, Paris 1922. — *E. Springer,* Ueber den hl. Josef, in: Past, bonus 1921-22, 19-31. — A. *Wilmart,* L'office de St. Joseph, Rev. Grég. 1924, 57-66. — W. *Lampen,* Vercering der hl. Moeder Anna in

de mideleewen, *in:* Hist. Tijdschr. 1924, 221-243. — *A. Wilmart,* Les compositions d'Osbert de Clare en l'honneur de St. .Anne, *in:* Annales de Bretagne 1926, 1-33. — *H. Leclercq,* Jean-Baptist, *in: DAL* VU, 1 (1927) 2167-2183. — *B. Kleinschmidt,* Die hl. Anna. Verehrung in Geschichte, Kunst und Volkstum, Düsseldorf 1930. — *E. Flicoteaux,* La Noël d'été et le culte de St. Jean-Baptiste, Lophcm-les-Bruges 1932. — *P. V. Chaland,* St. Anne. Sa fête liturgique et son culte, Québec 1933. — AL *Righetti,* Storia lit. II (1946) 295-302.

Quoad festa SS. Angelorum. *U. Leclercq,* Anges, *in:* DAL I, 2 (1907) 2080-2161. — *//. Kellner* 1911, 243-247. — *O. Rodjestienskij,* Le culte de St· Michel et le moyen-âge latin, Paris 1912. — *//. Leclercq,* Culte de St. Michel, *in:* DAL X, 2 (1932) 903-907. — *E. Peterson,* Das Buch von den Engeln. Stellung und Bedeutung der hl. Engel im Kultus. Leipz'g 193-3. — *M. Righetti,* II (1946) 290-295.

Quoad festum Omnium Sanctorum. *P. Piacenza,* De festo Omnium Sanctorum, *in:* Eph. Lit. 1909, 526-543. 695-711. — *H. Kellner,* 240-243· — L. *Beauduin,* Fête de la Toussaint, *in:* Quest liturg. 1913, 365-371. — *P. Puniet,* Les précédents de la Toussaints, *in:* Vie et arts liturg. 1925-26, 9-16. — A. *Wilmart,* Un témoin anglo-saxon du calendrier métrique de York, *in:* Rev. Bénéd. 1934, 41-69. — VU. *Schncemelcher,* Allerseelen, *in:* Realenz. Antike und Christentum I (1950) 200 s. — *F. Frank,* Allerheil'gen, Allerseelen, *in: LfThK* 2. ed· I (1957) 348-9. — G. *D'Esquilino,* Sie sind uns nahe. Ein Buch von den Armen Seelen, Innsbruck 1958. — Historia Sanctorum singulorum in calendario Romano recensitorum succincte enarratur ab *H. A. P. Schmidt,* Introd. in liturg. occidentalem, Romae I960, 606-664.

XL Tractatus undecimus.

Dc Ecclesia sanctificante

spatium et res

seu

Hierotopologia et Paramentica.

Uti consideravimus, Mater Ecclesia sanctificat tempora, simili modo sanctificat etiam spatium vitae, praecipue vitae liturgicae resque i. e. supellectilia. vasa et vestes sacras in locis sacris asservata usuique conducta. Tractanda ergo veniunt loca sacra, supellectiliaque, vasa sacralia et vestimenta sacra, praemittendo his tractatiuncu am de legibus artis sacrae:

A) De legibus artis sacrae.
B) De locis sacris.
C) De vasis sacris.
D) De vestibus sacris.

A) De legibus artis sacrae.

Lex fundamentalis artis sacrae habetur in *Instructione Supr. Congr.* S. *Officii 30. iun. 1952* (AAS 1952, 542-546, cf. Bugnini, Docum. Pontif. p. 188-191, cuius numeri citantur). Aliae quoque leges decursu tractationis allegantur.

Definitur ars sacra ea ars, cuius « munus et officium est (1) domus Dei *decori plurimum* conferre atque (2) *fidem, pietatemque* eorum *fovere,* qui in templum congregantur, ut divinis assistant officiis implorentque dona caelestia » (Instr, n. 1). Ibidem declaratur cur titulus « sacra » arti ecclesiasticae competat, ars enim sacra « semper cura adsidua vigilantique studio ab Ecclesia exculta est, ut plane congruat cum legibus suis, e superna doctrina rectaque ascesi promanantibus, quibus quidem iure optimo, sacrae titulum vindicare sibi possit.»

Leges fere sequentes possunt colligi de arte sacra: 1. De legibus generalibus artis sacrae, 2. Leges speciales de architectura sacra, demum 3. Leges speciales dc arte sacra figurative.

I. Dc legibus generalibus artis sacrae.

a) Finis artis sacrae est *gloria Dei animarumque salus,* ut *MDei* declarat: « ...humanae artes serena luce splendeant, ad civilem hominum cultum summo-

pere pertineant et ad Dei gloriam conferant animarumque salutem » (n. 194). — Instructio autem dicit: « Sacra ars, cum christiana societate exorta, *proprios* fines habet, a quibus nunquam declinare, propriumque munus, cui nunquam deesse potest» (n. 8). Attamen:

b) Ars sacra *nullo modo* potest esse autonoma ut Pius XI. clarissime edixit: « ...artes reapse, vehit par est, quasi *ancillae* nobilissimae divino cultui inserviant, quod quidem nedum in detrimentum, in maiorem potius dignitatem splendoremque ipsarum artium quae in sacris locis adhibentur, certe cedet » (« Divini cultus » 20. dec. 1928. n. 4.). Idcirco artes sacrae, praecipue vero recentes earum formae « *necessitatibus* potius spectatis christianae *communitatis* quam peculiari artificum indicio atque ingenio cuique suo » contendant (MDei n. 193).

c) Indigna ergo *omnino* arceri debent *ab arte sacra:* « Ne quid occurrat in templo neccsse est, unde fidelium pietas ac devotio *avocetur* vel tantum imminuatur, nihil in primis, quod sacrarum caeremoniarum gravitatem sanctitatemque *offendat,* atque ideo domus orationis Deique maiestate *indignum* evadat », ut declaravit Sanctus Pius X. (« Tra le sollecitudini » 22. nov. 1903. n. 1.). Idem inculcatur ab Instructione a. 1952: « Ad normam can. 485 ct 1178 curent Ordinarii, ut *removeantur* a sacris aedificiis ea omnia quae sanctitati loci ac reverentiae domo Dei debitae quoquo modo repugnet » (n. 19).

d) Traditio ecclesiastica *servanda est.* 1°. *Ordinarii advigilare* tenentur, ne « in cultum divinum... quidquam admittatur a fide alienum vel ab ecclesiastica traditione absonum » (can. 1261. iterum inculcatus ab Instr, n. 7). Ideo Ordinarii *curare debent.* « ut in ecclesiarum aedificatione vel refectione serventur formae a traditione christiana receptae et artis sacrae leges » (can. 1164 § 1).

2°. Traditioni tamen ecclesiasticae non repugnat ulterior evolutio artis in novas formas, ut Pius XI. a. 1932 in quodam sermone enuntiavit: statuitur enim ab eo possibilitas « progressivae evolutionis bonarum venerandarumque traditionum... quae iam probaverunt capacitatem inexhaustam novas venustasque formas inspirandi » (Sermo 27. oct. 1932, AAS 1932, 356). *MDei* autem iperte declaravit: « Recentes imagines ac formae *ad materiam aptiores,* ex pia hodie conficiuntur, non sunt generali modo atque ex praeiudicata opinione spernendae ac reiiciendae... opertet omnino eam nostrorum temporum artem liberum habere campum, quae sacris aedibus sacrisque ritibus debita reverentia debitoque honore inserviat » (n. 193).

3°. Non licet tamen *abuti* — monet S. Officium — *tessera:* « Aptandam esse artem sacram novorum temporum necessitatibus atque condicionibus » (Instr, n. 8).

e) Ad artis sacrae leges servandas atque tutandas habeant Ordinarii pelitorum consilium seu *Dioecesanam pro arte sacra Commissionem* (can. 1164 § 1).

T'. « Si in dioeccsanis commissionibus desint periti, aut dubia vel controversiae exoriantur, consulant locorum Ordinarii *metropolitanas* commissiones vel *Romanam* dc arte sacra Commissionem » (Instr, n. 18), quae Commissio cum Apostolicae Sedis praescriptis atque ipsius artis sacrae fine minime dissideat ▮ (ib. n. 21).

2°. *Membra Commissionis* sint « oiri qui non modo sint arte periti, sed etiam jhristianae fidei firmiter adhaereant, ad pietatem sint informati et certas rationes, ab auctoritate ecclesiastica definitas, animo libenti sequantur n (n. 21), nullibi praescribitur, quod omnes sint clerici.

f) *Quoad* artifices quibus « hodie concredatur munus tot templa belli vi linita vel penitus deleta restituendi vel rursus aedificandi », *tres* statuuntur *normae.* (Cf. MDei n. 194).

1°. Mens animusque eorum ab Ordinariis. — fortasse ope peritorum — *dirigenda* et collustranda sunt.

2°. *Ex divina religione* modos rationesque hauriant, « quae aptius ac dignius cultus necessitatibus respondeant » (MDei n. 194).

3° Sint viri « qui *peritia* ceteros praecellant, quique sinceram fidem ac pietatem, cuiuslibet artis sacrae finem, exprimere queant » (Instr, n. 22).

g) n Iu philosophicis et theologicis scholis, modo singulorum ingenio atque aetati accommodato, *erudiantur in arte sacra* atque ad eiusdem sensum informentur a magistris, qui mores institutaque maiorum vereantur et S. Sedis praescriptis obsequantur », ut Instructio a. 1952 ordinat (n. 23).

2. Leges speciales de architectura sacra.

a) Ne assimiletur ecclesia profanarum aedium stilo. **Ie**. « Sacra architectura, licet novas formas adsumat, nequit ullo modo profanis aedificiis adsinilari, sed semper munere suo quod *proprium* est domus Dei ac *domus orationis* fungi debet » (Instr, n. 11). - 2°. Hoc spiritu dictata est praescriptio, quod « in ecclesia nullus aperiatur aditus vel fenestra *ad. laicorum domus,* locaque si adsint, *subter* ecclesiae pavimentum aut *supra* ecclesiam, ad usum mere profanum ne adhibeantur » (can. 1164 § 2).

b) De ipsa aedificatione cautum est: « Nulla ecclesia aedificetur sine *expresso* Ordinarii loci *consensu scriptis* dato, quem tamen vicarius generalis praestare nequit sine mandato speciali » (can. 1162 § 1).

c) S. Officium districte mandat ut sancte serventur praescripta de *custodia SS. Eucharistiae* regulariter in altari maiore ct in tabernaculo inamovibili in media parte altaris posito (n. 14. cf. etiam inferius B. 2. c.).

d) Ratio commoditatis commendatur: « Accedat quidem in aedificandis templis cura illa fidelium commoditatis, qua ipsi *meliore visu* animoqué divina officia participare queant » (Instr, n. 11). *Altare* ergo *maius* elevatiore loco collocandum est, in templis moderno stilo aedificatis saepe totius navis pavimentum pedetentim elevatur versus ingressum ecclesiae (0.50-1.50 metro), ut omnes sanctuarium seu presbyterium commode aspicere queant. Eidem fini serviunt plura praescripta Ordinis Ilebd. Sanctae instaur. 1956, ut nimirum liturgica actio « in conspectu populi » fiat.

e) *Simplicitas* quoque inculcatur, quae in ratione aedificandi moderna inveniri solet: « Niteat quoque nova ecclesia pulchra linearum simplicitate, quae a fallacibus ornamentis abhorret, sed omnia devitentur, quae artis operisque quandam negligentiam praescierant » (Instr, n. 11). - Minime ergo posset commendari hodierno tempore ecclesiam novam omnino stilo e. gr. « barocco » nuncupato construere ac exornare.

3. Leges speciales de arte sacra figurative.

Sub arte figurative intelliguntur artes tum sculpturae, tum picturae imaginum sive in parietibus sive in tabulis depictarum, cum operis musivi, tum artis mere omamentariae.

a) *Finis* artis quoque figurativae est devotio, uti *Urbanus VIII.* declaravit, sacrae imagines « quae oculis fidelium subjiciuntur, non inordinatae nec insolitae appareant, sed devotionem pariant ct pietatem » (« Sacros. Trident. » 15. mart. 1642, cit. ab Instr, n. 5). - Ratio *vitandi insoliti* inculcatur etiam a CIC: « Nemini liceat in ecclesiis etiam exemptis, aliisve in locis sacris ullam insolitam ponere vel ponendam curare imaginem, nisi ab Ordinario loci sit approbata » (can. 1279 § 1), item. « Ordinarius sacras imagines publice ad fidelium venerationem exponendas ne approbet, quae cum *probato Ecclesiae usu* non congruant d (ib. § 2). Idcirco ipso iure prohibentur imagines quoquo modo impressae ab *Ecclesiae sensu* et decretis alienae, imo etiam licentia edendi libros, folios vel libellos periodicos deneganda est, in quibus huiusmodi imagines impressae sint (can. 1399, 12° et 1385 § 1. n. 3° Instr, n. 7. 20).

b) *Arcendum* est ab iconographia sacra omne genus profani *et indecentis.* uti iam *Tridentinum* perspicue dixit: a Cura ab Episcopis adhibeatur, ut nihil inordinatum, aut praepostere et tumultuarie accommodatum, nihil profanum, nihilque inhonestum appareat, quum domum Dei decet sanctitudo » (Sess. XXV. De invocat Sanctor, et s. imaginibus, cit. ab Instr, n. 4). *Item CIC:* eNunquam sinat Ordinarius in ecclesiis aliisve locis sacris exhiberi *falsi* dogmatis imagines vel quae debitam *decentiam* et honestatem non praeseferant aut *rudibus* periculosi erroris occasionem praebeant » (can. 1279 § 3. ab Instr, allegatus n. 17). Praesertim repraesentatio *nuditatis* potest cadere sub hac praescriptione.

c) Attendendum est, *ne* sensus religiosus offendatur, sicut *MDei* enuntiat, imagines enim et formae quaedam recenter a nonnullis inductae « nonnunquam decori, modestiae ac pietati christianae aperte repugnant sensumque vere religiosum offendunt, hae quidem a nostris tempiis arcendae prorsus atque expellendae sunt n (n. 193. cf. can. 1178). Merito ideo vocantur « *sanae artis deformationes* et depravationes o (ibid.).

d) Quod attinet cursum seu directionem (direzione, Richtung, irânyzat) *artis,* reprobatur tum cursus rcalismi seu naturalism! quae « ad nudam contendunt rerum imitationem », tum cursus a *nimii symbolismi* n, ubi multiplicatio et nimia exaggeratio symbolorum eousque extollitur, ut nil iam fere sine libello explicatorio intelligi possit (MDei n. 193).

e) Ordinarii « severe prohibeant ne *multiplices* statuae effigiesque mediocris notae » (vulgo robaccia, Kitsch), a plerumque *stereotypae* » (quia in officinis ope machinarum in permultis exemplaribus effectae) « in ipsis altaribus vel ad proximos sacellorum parietes venerationi fidelium inepte inconcinneque *exponantur* » (Instr, n. 19). Ubi in quadam ecclesia tales inveniantur, « curent Ordinarii, ut *removeantur* a s. aedibus ea omnia, quae sanctitati loci ac reverentiae domo Dei debitae quoquo modo repugnent » (Instr, ibid.). Opus removendi prudentia pastorali *pedetentim* fieri debet, et cum interventione Ordinarii. ne scandalum generetur pusillorum, statimque obiccta remota aliis sacrae artis lege effectis *supplenda* sunt.

f) Restauratio *imaginum vel statuarum vetustarum* nunquam fieri potest ▮ sine dato *scriptis consensu* ab Ordinario, qui, antequam licentiam concedat, prudentes ac peritos viros consulat » (can. 1280).

Litteratura.

G. *R. Ansaldi,* Moderna arte sacra, *tn:* Encyclopedia catt. VIII (1952) 1170-1188. — K. *B- Frank,* Kernfragen kirchlicher Kunst. Grundsatzlches und Erlautemdes zur Unterweisung des III. Offiziums v. 30. Jun. 1952, Wien 1953. — *II. A. P. Schmidt,* De arte sacra moderna, *in:* Periodica 1953, 139-151. — *II. \V. Hegemann,* Vom bergenden Raum. Die Zeitfonnen kirchlicher Baukunst, Frankfurt a. M. 1953. — *J. A. Jungmann,* Liturgie mid Kirchenkunst, Innsbruck 1954. — *P- Régamei/,* Kirche und Kunst im 20. Jahrhundert, Wien-Koln 1954. — *Th. Klauser,* Richtlinien fiir die Gestaltung des Gotteshauses aus dem Geiste der romischen Liturgie, Munster 1955. — *L. Bogliolo,* L'arte nel pensiero di Pio XII., *in:* Salesianum 1959, 501-529. — *II. A. P. Schmidt,* Ars sacra, *in:* Introd, in lit. occid. Romae I960, 686-702. — *J. A. Jungmann,* Liturgie und Kirchenkunst, *in:* Lit Erbe I960. 465-478.

B) De locis sacris.

Im hac quaestione tractandum est:

1. De ecclesiis.
2. De partibus constitutivis ecclesiae.
3. De dedicatione et benedictione ecclesiae.
4. De coemeteriis.

1. De ecclesiis.

Agendum est nobis a) De nominibus ecclesiae, dein b) De speciebus ecclesiae, item c) De origine et historia ecclesiae, demum d) De partibus integralibus ecclesiae, cui adduntur e) Monita practica quoad structuram ecclesiae aedificandae.

a) Nomina ecclesiae.

1°. *Ecclesia e* Graeco vocabulo *Ekklêsia* primario conventum significat, sed aevo persecutionum iam locuti sunt de « *domo* ecclesiae » i. e. de loco ubi conventum liturgicum celebrare consueverunt. « Ecclesia » sic etiam locum conventus significavit sat mature; ex hac voce derivatum est nomen *iglesia* (hispan.), dein *église* (gall.), *chiesa* (ital.).

2°. *Kyriakon,* Latine « *Dominicum* », denominatio usitatissima fuit saec. IV-V., i. e. domus Christi Domini, quae vox dein originem dedit nominibus *Kirche* (germ.), *church* (angi.) et *crkva* (slavic.).

3°. *Basilica* e Graeco vocabulo *Basilikê* i. e. regia domus a. sensu nativo significat Romanorum paganorum *porticum* seu *domum magnificum,* quae emporium fuit commercii (borsa, bourse, Borse, Exchange, tôzsde). quod simul fuit etiam locus tribunalis. — b. Sensu Christianorum antiquorum signat *aedificia sacrata,* seu locum sacrum liturgiae iam inde a saec. IV. incipiente (Euseb., Vita Constantini III, 31), quia optime appellatio « regia domus » Christo vero Regi applicari potuit; denominatio haec usitata fuit per aevum antiquum et etiam in aetate media incipiente. Omnes fere linguae modernae voce hac utuntur ad designandam *speciem* quandam ecclesiae (cf. infra b. 1°).

4°. *Domus Dei* vel *domus sacra* originem dedit denominationi « *Dom* » (germ.), *duomo* (ital.), ad designandam ecclesias cathédrales vel collegiales.

Versa in linguam antiquorum Hungarorum *egyhaz* (= sancta domus) rarius quidem sed adhuc in usu est.

5°. *Memoria* seu *Martyrium* saec. III-V. ad designandas cappellas in honorem Martyrum exstructas saepissime super eorum sepulchra dein in desuetudinem abiit.

6°. *Oratorium* ecclesiam significavit inde ab antiquitate quae communitatis cuiusdam reservata fuit.

7°. *Monasterium* vocata est ecclesia monasterii quoque (Münster germ., minster angi.) aetate media, unde etiam nomina civitatum Münster, Westminster etc.

8°. *Templum* nomen fuit loci sacri deorum *paganorum,* ideoque vix usitatum dum adhuc templa pagana exstiterunt. In versionibus S. Scripturae etiam templum *Veteris Testamenti* hoc nomine insignitur, Sacramentaria vetustissima iam utuntur hoc nomine aedes sacras Christianas designando, e. gr. « templum hoc clementissimus dedica » (Gelasian. Wilson p. 138), « templum hoc potentiae tuae inhabitatione inlustra » (Gregor., ed. Lietzmann n. 197,1). Nomen hoc Hungaris usitatissimum est *(templom).*

9°. *Capella* primitus significavit cappam parvam, palliolum, hoc nomine vocabant cappam S. Martini Turonensis in palatio regum Merovingorum asservatam qua reliquiam maxime venerandam. Medio saec. VII-o iam oratorium peculiare, ubi capella S. Martini custodiebatur, ipsum quoque « capella » vocatum est, quae denominatio dein ad alias quoque ecclesiolas transiit. Nunc quoque in usu est penes populos modernos v. gr. *capella* (ital., *chapelle* (gall.), *Kapelle* (germ.), *kapela* (slav.), *kapolna* (hungar.).

b) Species ecclesiae.

1'. Sensu historiae *architecturae* basilica vocatur *ecclesia stilo primigenio christianorum aedificata.* Sensu *iuridico-cultuali* autem basilicae vocantur — independenter a suo stilo — quaedam *ecclesiae digniores iuribus prioilegiisoe liturgicis ditatae.*

a. *Basilicae maiores* considerantur ut *ecclesiae patriarcharum* orbis catholici in Urbe. Quatuor sunt *sensu stricto* maiores: S. loannis in Laterano, patriarchatus Occidentis, S. Petri in Vaticano patriarchatus Constantinopolitani, S. Pauli extra muros patriarchatus Alexandrini, S. Mariae Maioris patriarchatus Vntiocheni, quibus *quinta* accedit S. Laurentii extra muros, patriarchatus Hierosolymitani. non tamen omnia privilegia maiorum possidet. *Privilegia* basilicarum *maiorum liturgica* sunt (1) altare papale, quo sine licentia Sanctissimi nemo uti potest, (2) porta sancta, quae anno iubilaei magni aperitur, (3) conopaeum basilicale (vulgo padiglione vel sinnicchio) i. e. umbrella formae altioris rotundae serica cum Cruce in cacumine, auro et argento ornata, praecedens clerum basilicae, (4) tintinnabulum argenteum ante conopaeum, (5) in vestibus choralibus cappa magna violacea pellibus ermellinis ornata in anteriori parte per hiemem et cotta super rochettum, cum cappa deponitur, per aestivum tempus.

b. *Basilicae minores* Urbis sunt *ecclesiae principales* (S. Crucis, S. Sebastiani. S. Mariae trans Tiberim, S. Laurentii in Damaso, S. Mariae in Cosmedin,

SS. Apostolorum, S. Petri in Vinculis, S. Mariae in Monte sancto); privilegia titulumve basilicae minoris praecipue inde a saec. XX-o incipiente sat multae ecclesiae orbis acceperunt, in Gallia fere nonaginta (Lesage, Dictionnaire col. 131). *Privilegia* basilicarum minorum *communia* sunt: (1) usus conopaei, omni tamen auri et argenti ornato ab eo excluso, (2) usus tintinnabuli in baculo suspensi, quod conopaeum praecedit in sua cuiusque ecclesia et in supplicationibus, (3) usus cappae magnae pro canonicis (CRit. d. 2744. cf. Coli. auth. decret. Tom. IV, 357-360).

2°. De ceteris ecclesiae speciebus (ecclesia cathedralis, collegialis, oratoria) cf. superius De Eccl. sacrificante F. 3. b. 1°.

c) Origo ct historia ecclesiae.

1 . *Aetate persecutionum* a. primi conventus liturgici Christianorum *in domibus fratrum* opulentiorum instituti sunt, sic Hierosolymis (Act 2, 16). Troade praeside S. Paulo, ubi « lampades copiosae in coenaculo n. quod in tertia contignatione, domo ergo magna, erat, fuit conventus (Act 20, 8 s.). In Urbe antiquissimae ecclesiae titulares nomine personae cuiusdam vocantur, qui domum istam propriam conventui commodabant, e. gr. Titulus Pudentis, Clementis, Caeciliae, Pammachii.

b. Saec. III. tamen iam aderant domus *propriae,* quae ipsa Ecclesia possidebat, ideoque « *domus ecclesiae* » vocatae sunt. *Gallienus* imperator a. 260. in edicto suo iam loquitur de « locis religiosis » (topos threskeusimos) Christianorum confiscatis, praecepitque « ut cuncti a religiosis locis abscedant » (Euseb. Hist. eccl. VII, 13). Quales fuerunt haec aedificia, nescimus, probabiliter — ut nomen prodit — non differebant a domo antiqua civili.

c. Aedicula vel monumenta, quae christiani super *sepulchrum Martyrum* construebant adhuc aetate persecutionum, sicut catacumbae, a legibus protecta fuere, attamen haec *Martyria seu Memoriae* tam exigua erant, quod regularis conventus liturgicus, saltem pro maiore communitate, in iis impossibilis fuit.

2°. *Ecclesiae* tamen peculiares adhuc *aetate persecutionum,* praesertim in Oriente, exortae sunt.

a. Tempore *Diocletiani* (284-305) — ut narrat Eusebius — « quis numerum ecclesiarum in singulis urbibus, quis illustres populorum concursus in aedibus sacris (proseuktêriois = oratoriis) cumulate possit describere? Quo factum est, ut, priscis aedificiis iam non contenti, in singulis urbibus spatiosas ab ipsis fundamentis exstruerent ecclesias » (Hist eccl. VIII, 1, 5). A. 303 dein Diocletianus imperiali edicto ecclesias ad solum usque dirui iussit.

b. Pace Ecclesiae restituta per Constantinum Magnum, dein ecclesiae diutae instaurari coepere, « eae quidem, quae satis amplae erant, *reficiebantur,* aliae vero incremento latitudinis et altitudinis accepto splendidiores fiebant. Alibi vero *novae* a fundamentis exstruebantur, ubi antea non fuissent, pecunias autem ex regalibus thesauris imperator suppeditabat » narrat Sozomcnus (Hist, eccl. I, 8, 12 s.). Constantinus eiusve mater S. Helena immensis opibus ecclesias in Terra Sancta, Constantinopoli et in Urbe aedificari iusserunt.

c. Constantinus Magnus praecipue Romae *duos typos* aedificii liturgici creavit. Aedes Lateranorum typus facta est ecclesiae *communitatis,* basilica autem S. Petri in colle Vaticano primum exemplar evasit basilicae *sepulchralis,* ubi

sepulchrum Martyris centrum factum est ecclesiae, altarique intime coniungebatur. Multotics imitabantur ubique terrarum aedificatores hos typos, sicque efformatus est *stilus « basilicalis, »* ut evolutio sequi possit in alios succedentes stilos architecturae, *Romanisticum, Gothicum, renascentiae,* usque ad artem i nae *Baroca* audit. Nostris temporibus ars aedificandi ecclesias *moderna* non- (nm. ut videtur, satis evoluta expolitaque est, specimina tamen aedium magnificarum vereque sacralium feliciter inveniri possunt.

d) Partes integrantes ecclesiae.

1°. *Pars integrans* maximi momenti est sacristia, i. e. aula presbyterio ordinarie connexa *ad custodienda supellectilia sacra et ad induendos ministros sacros parata.*

a. *Nomina* sunt adhuc: *secretarium,* nam etiam libri, litterae ibi asservabantur, *salutatorium* in Ordinibus Romanis antiquas, quia pontifex ibi recepit homagium presbyterorum et laicorum, et etiam *sacrarium* a custodiendis rebus sacris.

b. Basilicae antiquissimae *Urbis,* Laterana nempe et Vaticana, sacristies habebant in *atrio* basilicae exstructas. Constitutiones Apostolicae versus a. 400 loquuntur de sacristiis *duabus* (VIII, 13), quae versus orientem ecclesiae adiectae fuere; in una Eucharistia asservata fuit, vestesque sacrae, in altera clerus se congregavit, nomen est *pastophorion,* desumptum e versione Septuaginta Veteris Testamenti, ubi thesauri publici (tesorcria, Schatzkammer, safe) Templi sic vocantur (1 Chr 28, 12). In *Occidente.* S. Paulinus Nolanus instaurans basilicam S. Felicis Martyris primis decenniis saec. V-i duas construi iussit sacristias, apsidi basilicae adjacentes.

c. *Functio sacristiae* (1) In sacristia sint *armaria,* ubi serventur sacrae vestes, armarium pro *paramentis,* quae optime in capsulis minime profundis ductilibus ponuntur ita ut sine plicatura paramenta componi, educi ct introduci possint. In alio armario custodientur vestimenta *ministrantium, lintea* adhibita et alia huiusmodi. In tertio armario custodiuntur *candelabra,* candelae, laternae, campanulae etc. — (2) Adsit *mensa* ad vestiendos ministros sacros, (piae saepe cum armario coniuncta est, in quo calices et libri sacri asservantur. Mensa haec sit — pro necessitate cuiusque ecclesiae — satis longa, ut plures commode vestiri possint sacerdotes, circiter 1 m. altitudinis, saltem 70 cm. latitudinis, habeatque suppedaneum ligneum 13 em. altum, 70 em. latum. In armariis his tabulis inscribi debet nomen Ordinarii et collecta imperata, multis in locis apte habentur ibidem tabellae cum orationibus ad vestes sacras induendas. — (3) Adsit aquarium (lavabo) ad manus lavandas cum manutergio munda, — (4) *arca* ad colligenda corporalia, pallas, purificatoria, vestesque alias sordidatas ct *thecae* ad hostias maiores et particulas asservandas, *capsae* sacrorum oleorum in loco separato bene reserato. — (5) In sacristiis maioribus expedii ut habeatur *mensa* quoque *scriptoria,* ubi custodiuntur adnotationes de legatis piis et oneribus perpetuis ecclesiae, item Liber intentionum quae assumuntur, ibique statim a sacerdote adnotantur, tum cum traduntur, tum «piando persolvuntur. — (6) *Crux sacra* superemineat omnem sacristiam, cui sacerdotes celebraturi reverentiam exhibeant (De Amicis Caeremon. parochor. p. 48. 114-119).

2°. *Pars integrans* ecclesiae est etiam turris, etsi non semper fuit, ante ».u ‹ VI enim non inveniuntur turres. Tunc turres construi coeperunt in *Syria.*

et alibi in Oriente, in Occidente primum *Ravennae. Causae* turns aedificandae fuere vel turres *scalarum,* vel ratio *defensionis* vel a saec. VII-o *campanarum* usus, quarum sonus magis diffunditur si altiore loco audiantur (campanile). Turres primitus tamen non fuerunt coniunctae cum aedificio ecclesiae, quod primum aevo Romanislico factum est.

e) Monita practica quoad aedificandae ecclesiae structuram.

1°. *Pavimentum* ecclesiae sit ex marmore, vel lateritium aut ligneum durabile, ut qucrnum.

2°. *Tectum* sit solidissimum, ut ecclesia protegatur ab imbrium permeatu, a frigore et ab aestu.

3°. *Fenestrae* sint numero necessario et magnitudinis sufficientis, hodierna enim aedificia solent exstrui tali modo, ut luci et aëri pateant. Sint munitae singulae vitris ct metallico reticulato; curandum ut vitrei clathri commode aperiri possint ad aëris renovationem.

4°. Prope quamlibet ianuam sint *labra aquae benedictae,* sive e pariete emergentia, sive melius propria basi praedita.

5°. QuorZ *artem sacram* attinet: a. *Partes laterales* ecclesiae (parietum superficies, pilae, columnae) aptissime depingi possunt, iuxta stilum ecclesiae. Minus decet columnas, parietes *pannis* (« pantaloni ») operire. — b. *Vitra fenestrarum* etiam depingi possunt, sed obtemperando artis sacrae legibus, ut omne profanum etiam heic arceatur. — c. Quod *artem omamentalem* attinet caveatur praecipue, ut unquam adhibeatur delineatio Crucium, calicis aut monstrantiae in parietibus vel pavimento, delineationes intelligimus multiplicatas, non decet enim sanctissimis rebus abuti ad ornandum etiam ecclesiam (De Amicis, Caerem. parochor. p. 2).

2. De partibus constitutivis ecclesiae.

Agitur hoc articulo de apparatu (arredamento, Ausstattung, felszerelés) ecclesiae, ideo agendum est a) De altari, b) De apparatu altaris, c) De tabernaculo, d) De sedilibus liturgicis. c) De aquariis liturgicis, f) De organis, demum g) De campanis.

a) De altari.

1°. Historia altaris, a. Quando iam existcbanl peculiaria aedificia pro conventu liturgico, procul dubio *etiam altaria* aderant, quae tamen simplicia fuere, mensae nempe simplices e ligno fabricatae. Tale altare seu *mensa amovibilis* supponitur a S. Cypriano (Ep. 45, 2), quae saepe solum occasione coetus liturgici allata fuit. Altaria seu mensae ex acre conflatae iam saec. IV-o in usu fuerunt, mensae lapideae autem in Oriente eodem saeculo iam inveniuntur, in Occidente solummodo saec. VI-o. — De *reliquiis* in altari condendis cf. De Eccl. sacrificante F. 4. a. 2°.

b. Primitus in ecclesia *unicum* tantum fuit altare, sicut in Oriente etiam nunc; etsi textus liturgici saepe loquantur de « altaribus » in orationibus super oblata, praesertim in Sacramentario Leoniano, tamen unicum fuit altare. Agitur vel de plurali maiestatis, dignitati altaris convenienti, vel de mensis « prothe-seos n, ubi dona a fidelibus oblata deposita fuere. *Multiplicatio altarium* ecclesiae in territorio liturgiarum typi Gallicani incoepit, S. Gregorius refert

de quodam episcopo Gallico, quod tredecim altaria in sua ecclesia construi iussit. Ceterum constructio plurium altarium cohaeret cum usu Missarum « privatarum », quando concelebratio in desuetudinem abire coepit saec. VIII-IX. (cf. De Eccl. sacrifie. E. 3. a. 1°.). Nisus *restituendi* unicum altare in ecclesiis ab Ecclesia reprobatus est, ut error Synodi Pistoriensis « pio, multis abhinc saeculis in Ecclesia, praesertim Latina, vigenti ct probato mori iniuriosa » (Denz. 1531), qui procul dubio ad « speciem redintegrandae antiquitatis » pertinere nemo est qui non videat (MDei n. 187).

c. *Evolutio altaris,* (1) Tempore aevi Carolingici altare paulatim *amisit* formam exteriorem *mensae,* coeptumque est altare ad melius recondendas reliquias in *forma oblonga molis* (blocco, Block) construere. Tempore literarum renascentium, inde a saec. XV-o divulgatus est mos altaria in forma *sarcophagi* seu arcae sepulcralis construendi, qui etiam ab arte Baroca nuncupata servatus est. Nunc indice Ecclesia « is ex recto aberrat itinere, qui priscam altari velit mensae formam restituere » (MDei n. 61), — (2) In basilicis antiquis saepe super altare concameratio (Gewolbe, volta, voûte) quatuor columnis sustentata exstructa est, quae *ciborium* vocata est, « *kibôrion* » vocatum est baldachinum super thronum imperatoris Byzantini. Vocabulum probabiliter derivatur e voce Syriaca « kebôrâ » (Ilebr. « keber » = sepulchrum); in Basilica Vaticana vocatur « ciborium sepulchri ». — (3) Use ne ad saec. IX. versus populum celebrabant sacerdotes, postquam autem celebrans terga vertit populo, altareque paulatim ad parietem promotum est, coeperunt aedificari *gradus altaris,* in Oriente etiam nunc inusitati, in Ecclesia Latina inde a saec. X-o noti, dein nunc etiam praescripti seu supposititi (Rit. cel. Ill, 1). — (4) *Retrotabula* (retable) est latus ligneum, lapideum aut metallicum posteriori parti altaris superpositum; inde a saec. X-o in usum venire coepit.

2°. Symbolismus altaris. Iuxta J. Braun (Der chrisll. Altar L 750-5) altare interpretatum est:

a. sensu *typico-dogmatico* (1) ut *Christus,* sic iam Eusebius Christum nominavit « monogenes thysiastêrion » = unigenitum altare, qui uti advocatus humani generis ad Patrem accedit precesque suas et fidelium ei offert (Hist, eccl. X, 4). S. Ambrosius dicit: « Quid est enim altare nisi forma corporis Christi? » (De sacram. 5, 2). Haec interpretatio arridet etiam liturgiae: « Altare quidem sanctae Ecclesiae ipse et Christus » (Pontif. Rom., ordin. subdiaconi). — (2) At altare etiam typus *Ecclesiae* habebatur, quia ut Vener. Beda dixit, « quatuor angulos habet altare holocausti, quia per quatuor mundi plagas sancta dilatatur ecclesia, quae propter unum cor ct animam unam totius credentium multitudinis recte factura unius designatur altaris » (De tabernaculo c. 11 PL 91, 450).

b. Sensu *typico-repraesentativo* altare intelligitur ut (1) *praesepe Christi* a S. Chrysostomo (PG 48. 753), quia conquiescit in altari sicut olim in praesepi; vocatur (2) etiam *mensa coenae* dominicae, ut Amalarius voluit: « Altare est mensa Domini, in qua convivebatur cum discipulis » (Lib. officialis III, 21, 3 ed. Hanssens II. 324). — (3) Attamen saepius dicitur altare repraesentare *Crucem seu Calvariam,* sicut c converso valde mature Crux allegorice « altare » appellatum fuit. Haec interpretatio placuit S. Thomae: « Altare est repraesentativum Crucis ipsius, in qua Christus in propria specie immolatus est » (III q 83 a 1 ad 2.). — (1) Pronum ergo erat etiam altare ut *sepulchrum Christi*

considerare, nam in Cruce mortuus est. Haec interpretatio symbolica traditionalis est in Oriente, in Occidente autem fere incognita.

c. Sensu *tropologico* seu morali altare haberi (1) potest ut *imago fidei,* sicut S. Augustinus dicit: « Altare spiritualiter in inferiore Dei templo ipsam fidem accipere possumus, cuius signum est altare visibile » (PL 34, 1242). — (2) Dein potest interpretari altare ut *corda fidelium,* ut Vener. Beda voluit: altare est « electorum in Ecclesia typus, qui suum corpus et animam Deo consecrare per ignem amoris illius quaerunt » (PL 91, 801). Liturgiae Romanae quoque nota est haec interpretatio, ut pulcherrima admonitio ostendit: « Sit in hoc ergo altari innocentiae cultus, immoletur superbia, iracundia iuguletur, luxuria omnisque libido feriatur, offeratur pro turturibus sacrificium castitatis et pro pullis columbarum innocentiae sacrificium » (Pont. Rom., praef. consecr. altaris).

d. Sensu *anagogico* i. e. altiori altare consideratum est etiam ut imago illius *caelestis altaris* Apocalypseos (6,9; 8,3; 14,18); in Oriente divulgata est haec interpretatio, in Occidente a paucis cognita, ut e. gr. Rhabano Mauro: « Altare est caeli secretum, ut in Psalmista: Introibo ad altare Dei, i. ei perveniam ad secretum caeli » (Allegor, in S. Scr. PL 112, 856).

3°. Leges cultualcs *altaris* cf. De Eccl. sacrificante F. 4. a. Γ et 2°.

4°. Monita practica *quoad constructionem altaris novi.* a. Altare sit sufficienter *elevatum,* altare maius enim est quasi centrum et cor ecclesiae, ideo saltem tres habeat gradus, vel quinque, etiam plures, sed semper numero impari, presbyterium quoque sit eminens super navim ecclesiae.

b. Altare sit undequaque *visibile,* ut populus omnia commode conspicere queat, sit centrum opticum totius aedificii.

c. Sit altare maius *bene illuminatum,* fenestrae sint laterales, quantum potest occultae, si ecclesia versus Orientem sita est, foramina (fenestrae etc.) ne sint nimis spatiosa, quia tunc mane sol oriens radiis suis oculos obcoecans altare ct sanctuarium minus visibile redderet. In functionibus vero serotinis praeparetur illuminatio « indirecta », lampadibus lucem reverberantibus (riflettori). In altari ipso optimum est si nulla habeatur illuminatio electrica.

d. Altare maius spatio congruenti distet a pariete ecclesiae (saltem 1. 5 m.\

e. Sil praeditum *ciborio* e materia nobili confecto (Croegaert I, 10-13).

b) Dc apparatu altaris.

1°. Tobaleae altaris, a. Mensam liturgicum linteamine cooperiendo honorarc, *probabiliter semper* christiani moris fuit: sec. .Acta Thomae saec. III. sii praeparata est «eucharistia corporis et sanguinis»; « Imperavit apostolus diacono suo, ut mensam iuxta poneret, apposuerunt autem subsellium, quod ibi invenerant, et strato linteo imposuit panem benedictionis » (Quasten p. 313). Saec. IV. Optatus Milevitanus testatur: « Quis fidelium nescit in peragendis mysteriis ipsa ligna (= lignea altaria) linteamine cooperiri? » (Adv. Parmen. VI, 1). Per se *unum* linteamen adhibitum est, solum decursu medii aevi ad cautelam *plures* extendebantur, 2-4 tobaleae, ordo Burchardi a. 1502 tres praescribit, quod sic remansit inde a Missali Piano a. 1570.

b. *St/mbolismus linteaminum* see. Durandum est: prima significatio « est *corpus Christi,* quia sicut linum multo labore ac multis tonsionibus acquirit candorem, ita Christi caro multo certamine ad resurrectionis gloriam pervenit. Signi-

ficat etiam *ecclesiam,* per quam corpus Christi intelligitur quae inultis passionibus et pressuris ad candorem aeternae vitae perducitur » (Rat. div. off. l IV c. 29,3).

c. Ad tobaleas pertinet secundum originem suam etiam « palla corporalis » seu *corporale,* fuit enim per multa saecula velamentum linteum, super aliam tobaleam altaris in tota superficie mensae extensum et replicatum super calicem, ita ut calix semper obtectus fuit. Inde a saec. XII-o corporale minus evasit distinctumque est a palla, ita ut ex unica « palla corporali » duae factae sunt.

d. Praeterliturgicum potest haberi tobalea quae inde a medio aevo exeunte extra functiones liturgicas cooperit altare, « *vesperale* » (Vespertuch) nominari solita; in quibusdam dioecesibus expresse praescribitur, a Caer. Episcop. supponitur (l. II. c. 1, 13).

e. *Leges cultuales* de tobaleis cf. De Eccl. sacrifie. F. 4. b. 1°. et 3°. 4°.

2°. Antipendium *altaris,* a. Tegumentum altaris ex anteriore parte depenlens est *pallium* « antipendium » vocatum, conspicitur iam in operibus musivis Ravennae saec. VI-i., exinde solitum erat id apponere altaribus.

b. Supponitur a lege quod antipendium colore, quoad fieri potest, diei festo vel officio conveniat (Rit d 2673; 3201,10; 3562). Materia ne sit pannus sed pretiosa quantum fieri potest serica.

c. Pro antipendio non potest adhiberi *parvum pallium* circa o. 5 m. habens, quod suspenditur in medio altaris (CRit d 4000,2). Si anterior pars altaris ex marmore confecta sit, sculpturis exornata, vel tabula lege artis depicta, non debet adhiberi antependium.

3°. Crux et candelabra, a. *Crux Christi* aliquo modo iam dudum apparet *'irca* altare, pronum enim erat Victimam Calvariae simulque Summum Pontificem operis redemptivi repraesentare in altari, ubi opus hoc redemptivum instauratur. In *Syria* orthodoxi contra Monophysitas venerari coeperunt Crucifixum et a saec. VI-o in altari ponebant Crucem. *Romae* autem saec. VI. Crux pensilis a medio ciborio super altare constructo dependebat, e metallo pretioso conflata, ac coronata (« regnum d). Gregorius III. (731-741) 14 « Cruces pendentes » aureaqua corona praeditas donavit basilicae S. Petri (Lib. pont. I 417). Inde a saec. VIII. exeunte Crucem Romae in *processionibus* ante fideles portabant, Crux deinde ante celebrantem posita est, saepe etiam in altari, inde a saec. XI. *Praescriptum* solum saec. XIII. fuit durante SS. sacrificio Crucem in altari ponendam esse, Innocentius III. (l 1216) scribit: « Inter duo candelabra in altari Crux collocatur medio » (De sacr. alt. myst. II, 21).

b. *Candelabra* septem inde ab aetate antiqua episcopo praeferebantur, quae dein penes altare deposita sunt. Innocentius III. est primus qui ut praescriptum meminit candelabra in altari deponenda osse, at repraesentationes depictae sparsim iam saec. XI-o hunc usum ostendunt (Braun, Christi. Altargerât 492-8). Candelabra aevi Romanistici valde demissae formae fuerunt, pedemque tripartitum habuerunt, aetatis Gothicae iam aliquantum maiora sunt, stipemque habent cylindratum. 3-5 annulis distinctum. Aevo litterarum renasccntium, praecipue vero artis Baroca nuncupatae candelabra semper in formas maiores creverunt.

c. *Leges cultuales* dc Cruce et candelabris cf. superius De Eccl. sacrificante F. 4. c. 1°. et 2°.

4 . Tabella secretarum et legile. a. Ad. Ebner refert se iam saec. XIII. specimen talis *tabellae secretarum* invenisse in codice Bibi. Casanatensis (Quellen u. Forschungen p. 159). Tabella huiusmodi inservit adiumento memoriae sacerdotis in recitandis Gloria, Credo, orationes offertorii et consecrationis; inde a saec. XVI. iam praescripta est (J. A. Jungmann, Kanontafeln LfThK V (1960) 1302-3).

b. Eodem saeculo usuvenit *tabella in parte Evangelii* continens ultimum Evangelium, in parte Epistolae autem *tertia tabella* cum oratione « Deus qui humanae substantiae » et « Lavabo n, quae nunc iam supponuntur NCR 527.

c. *Leges cultuales* cf. De Eccl. sacrificante F. 4. c. 4° a.

d. Ad protegendum codicem Missalis et ad facilius legendum inde a saec. XIII. usu receptum est *cussinum* in altari collocare in latere Epistolae praescriptum in Missali Piano (Ruhr. gen. l. cit.); eussions hic seu pulvinus sit e serico vel corio, decenter colori paramentorum accommodatus, longitudine circiter 40 em., latitudine 25 em. Permittente NCR (n. 527) uti licet *legili* ligneo vel metallico. solide et arte exstructo, sic, ut facile elevari possit, praecipue in altaribus demissioribus. Leges cultuales cf. l. cit. 3°.

c) Dc tabernaculo.

Ie. Historia tabernaculi videatur in tract. De SS. Eucharistia F. 6. b. 2'.

2°. Leges cultuales cf. ibid. J. 9. a. 4°.

3°. De correlatione altaris et tabernaculi edita est *lex fundamentalis* decreto Urbis S. *Rit. Congr. l. iun. 1957* (AAS 1957, 425 s., cf. commentarium Eph. Lit. 1957, 442-445). Inculcantur — nil novi afferendo — leges iam latae can. 1268. 1269 (n. 1.), deinde leges de tabernaculo solide et secure construendo (n. 5). et de conopaeo lumineque perenni (n. 6). *Recentes* autem *nonnae* habitudinem correlativam altaris et tabernaculi regulant seduloque ergo servandae veniunt, sequentesque sunt:

a. Canoni 1268 § 3-o additur, quod *Sanctissimum non debet* servari *in altari maiore,* sed in alio sacello etiam tunc, « aliquando in maioribus sanctuariis, ne propter peculiarem fidelium devotionem erga obiectum veneratum, summus latriae cultus SS. Sacramento debitus obnubiletur » (decr. n. 2.). Commentator (Eph. Lit. 1957, 443) dicit addi posse et alium casum, « ubi plura exstant altaria ed altare maius, dc consensu Ordinarii collocatur *versus populum.* nihil impedit, quominus SS. Sacramentum asservetur in alio altari, dummodo a) venerationi et cultui tanti Sacramenti commodius et decentius provideatur, b) habitualiter in illo altari Missa celebretur, quapropter debet esse verum altare, et non tantum mensula ad sustentandum tabernaculum. » — Decr. enim laudatum praescribit: « In altari, ubi SS. Eucharistia asservatur, habitualiter sacrificium Missae celebrandum est » (n. 3).

b. Nova conditur lex de « *altari versus populum* »: « In ecclesiis, ubi *unicum* exstat altare, hoc nequit ita aedificari, ut sacerdos celebret populum versus, sed super ipsum altare, in medio poni debet tabernaculum ad asservandam SS. Eucharistiam, ad normam legum liturgicarum constructum, forma et mensura tanto Sacramento omnino dignum » (Decr. n. 4). Cf. De Eccl. sacrif. F. 4. a. 2°. a.

c. *Forma exterior tabernaculi* congruere debet *altari:* « Tabernaculum quoad *formam* stilo altaris et ecclesiae conveniat, ab illis in usu hucusque receptis *haud nimis* discrepet, non reducatur ad speciem simplicis capsae, sed

verum habitaculum Dei cum hominibus quodammodo repraesentet, non *ornetur* symbolis vel figuris inusitatis, vel quae fidelium admirationem moveant, vel erronee interpretari possint, vel quae relationem ad SS. Sacramentum non habeant » (decr. n. 7).

d. *Tabernaculum intime coniungi debet semper altari:* « Districte vetantur tabernacula eucharistica *extra* ipsum altare posita, e. gr. in pariete, aut ad latus, vel retro altare, aut in aediculis ab altari separatis » (decr. n. 8). *Excipitur* solum, « si agatur de *consuetudine* centenaria vel immemorabili (cf. can. 63 § 2), uti e. gr. in casu quorundam tabernaculorum ad modum turris vel aediculae aedificatorum. Hae tamen formae *reproduce* nequeunt » (n. 9).

d) Dc sedilibus liturgicis.

1°. De throno pontificali, a. *Historia* huius sedis incipit *tempore apostolico;* antiquo tempore sedendo docuerunt magistri, cathedra, i. e. sedes etiam sensu allegoric© magisterium significavit. Probabile est, *cathedras,* etsi forsitan simplices, quibus aliqui Apostoli usi sunt, asservatas esse qua reliquias venerandas, Tertullianus verisimiliter concreto sensu intelligendus est, quando dicit: « Percurre ecclesias apostolicas, apud ipsas adhuc cathedrae apostolorum suis locis praesident » (De praescript. haere, c. 36). Talis cathedra versus medietatem saec. Ill-i habetur repraesentata in celebri statua S. Hippolyti Romani, conservata nunc in Museo Lateranensi. *Locus* cathedrae inde a saec. IV-o in apside basilicae fuit, ct mature accepit gradus et baldachinum.

b. Sic factus est iam *thronus episcopalis,* nam « oportet, ut in congregatione Christianorum praepositi plebis eminentius sedeant, ut ipsa sede distinguantur et eorum officium satis appareat, non tamen, ut inflentur de sede » (S. Augustin. Sermo 91,5). Usque ad saec. XII. thronus ex marmore vel alia petra nobili effectus est, postea frequenter fabricatus est ligneus vel metallinus. Post aevum Carolingicum, quando altare iam parieti adhaerere coepit, locus eius factus est a latere Evangelii.

c. *Leges cultuales* throni episcopalis sunt: (1) Sedes debet esse *praealta* et sublimis, (2) sive ex ligno, sive ex marmore, aut alia *materia* fabricata, in modum cathedrae, ct throni immobilis, (3) *vestita pannis* coloris liturgici diei. *baldachino* superposito, cussinis provisa, habet *suppedaneum* et tres gradus. (Caer. episc. l. I. c. 13). (4) Abbates et praelati *nullius* eodem iure gaudent, licet charactere episcopali careant, in proprio territorio (can. 325), et etiam abbates regulares de regimine (can. 625).

d. *Cessio throni* per *decr. CRit 4023* (anni 1899) permissa fuit episcopis *residentialibus,* (piae a can. 337 § 3. sic declaratur: « Episcopus licentiam concedens pontificalia exercendi in suo territorio, potest quoque permittere usum throni cum baldachino. » Supradictum decretum tamen has *exceptiones* statuit: (1) non potest cedere thronum suo coadiutori aut auxiliari, aut dignitati vel canonico ecclesiae suae catheclralis, qui episcopali charactere polleat. — (2) In Urbe cardinales tantum cardinalibus possunt thronum suum cedere. — (3) Praesules cardinales aliarum dioecesium decet, ut suum thronum nonnisi cardinalibus cedant.

2 . De faldistorio, scamnis et sedilibus, a. *Faldistorium (=* Faltstuhl) est ѕ‹ lia c mplicabilis, quae immutari potest in genuflexorium. Episcopo pontificali r celebranti praeparari debet faldistorium seu genuflexorium, ut suis loco

cl temporibus genuflectat, non solus eussions (CRit d 2471,6). *Administrator* dioeceseos etiam episcopali charactere insignitus, unice faldistorio debet uti id 2976,3), similiter coadiutor, auxiliaris, vicarius generalis, dignitas vel canonicus etiam episcopali craractere aucti solum faldisterio uti possunt (d. 4023).

b. *Scamnum. Medio aevo* sedilia presbyterorum celebrantium et assistendae saepe sedes fuerunt *camerales* (poltrone, Armsessel), artificiose elaboratae, saepenumero etiam baldachino exornatae. *Nunc* Caer. episcop. (L. I. c. 12, 22) praescribit, ut scamnum stet in latere Epistolae, ut ibi sedeant celebrans una cum ministris sacris, loco scamni non possunt substitui sedes cameralcs, cussini quoque vetiti sunt, nisi celebrans iure gaudeat pontificalium. Propius describitur scamnum in voto ad decr. 2631,3: « Caeremoniale nec formam describit nec ornatum, quae duo accidentalia sunt, et varia possunt esse, iuxta diversas ecclesiarum consuetudines, dummodo certos intra fines coerceantur. Scammi nomen genericum est, et aeque potest intelligi tam de scabello oblongo, quam de lignea pariter oblonga sede, cum suo posttergali, excludit vero sedes camerales » (Coll. auth. doer. SRC tom. IV, p. 243).

c. *Color operimenti scamni.* Color iuxta auctores potest esse vel *rubrum,* vel color iuxta colorem *paramentorum,* « cum Missa de requiem celebratur, scamnum sit omnino *nudum,* itemque fer. VI. in parasceve et in quacunque alia functione funebri, si tamen oportet cooperiri, sit pannus niger vel saltem violaceus » (De Amicis p. 38).

d. *Sedilia pro fidelibus in navi ecclesiae.* (1) Antiquae ecclesiae et basilicae omnino caruerunt sedilibus pro fidelibus, medio aevo exeunte parari coeperunt talia sedilia fidelium usui accommodata in navi ecclesiae, sed etiam nunc in Italia, Gallia, Hispania exstant ecclesiae sine huiusnuodi sedilibus. Sedilia, ubi mos invaluit collocandi sedilia pro fidelibus, usque ad initium nostri saeculi *stricte distincta* fuerunt a sedilibus mulierum, nunc quoque «optandum ut, congruenter antiquae disciplinae, mulieres in ecclesia separatae sint a viris» (can. 1262 § 1).------ (2) «Potest *magistratibus,* pro eorum dignitate et gradu, locus in ecclesia esse distinctus, ad normam legum liturgicarum » (can. 1263 § 1). Lex vero est, quod *extra presbyterium* debet esse locus (CRit d 2036), sedes *sine suppedaneo* debent esse (d 1830,3), quod valet etiam quoad ecclesias regularium (d 1832,1). — (3) *Privilegia patronorum liturgica* sunt: « Habendi si ita ferant legitimae locorum consuetudines, in sui patronatus ecclesia stemma gentis vel familiae, praecedentiam ante ceteros laicos in processionibus vel similibus functionibus, digniorem sedem in ecclesia, sed extra presbyterium et sine baldachino » (can. 1455 3°). — (4) Non licet *saecularibus* ascendere chorum et presbyterium ad audiendas Missas, et conciones, necnon ad interessendum divinis officiis et benedictionibus SS. Sacramenti (d 1258,2 et 1288). Ad quod De Amicis advertit: « Usus quo laici Sacrum privatim in choro audiant, generalis videtur saltem in villis et montanis regionibus. Parochus in hoc acquiescere potest, cum lex prohibitiva non respiciat nisi functiones sollemnes et expositiones SS. Sacramenti » (p. 42). — (5) Sine expresso Ordinarii loci consensu nemo fidelis *locum habeat* in ecclesia *sibi suisque reservatum,* Ordinarius autem consensum ne praebeat, nisi ceterorum fidelium commoditati sit sufficienter consultum (can. 1263 § 2), consensus ergo tacitus vel praesumptus non sufficit, additur autem a iure: « Ea semper factis in concessionibus inest tacita conditio, ut Ordinarius possit, ex iusta causa, concessionem revocare, non obstante quolibet temporis decursu » (§ 3).

3°. De stallis choralibus. a. Chorus *proprie dictus* intelligitur *locus cleri ecclesiae,* quo utuntur canonici, ct cappellani, clericive minores etiam in ecclesiis cathedralibus et collegiatis, dein regulares in ecclesiis conventualibus. Aetate antiqua clerus sedit in apside basilicae *retro altare* in semicirculo, hinc inde a cathedra episcopi; quando altare ad parietem ecclesiae admotum fuit, chorus presbyterorum *ante altare* locatus est, in parte Evangelii et Epistolae, sedibus exadversum collocatis, quae sedilia dein decursu temporis lege artis exornata fuere. In medio chori collocetur *legile* sat amplum, quod interdum etiam fixum est, ad sustinenda antiphonarium, lectfronarium, breviarium alios-ve libros chorales. — b. Alius est *chorus cantorum,* seu chorus *improprie dictus,* « *cantoria* » appellatus, potest esse tribuna, locus separatus in presbyterio, saepe habetur chorus super ingressum principalem ecclesiae una eum organo maiore (Orgelchor). Cf. *J. Wagner,* Chorstühle, LfThK II (1958) 1092.

4°. De sede confessionali. a. *Historia.* (1) Saec. VIII. instructio « Quotiescunque » pro confessariis conscripta supponit poenitentem peccata sua confiteri *in cubiculo sacerdotis,* moniales autem iuxta Synodum Parisiensem a. 829 « nonnisi in ecclesia coram sancto altari, adstantibus haed procul testibus » audiri potuerunt. — (2) Versus a. 1000 confessio omnium fidelium plerumque fiebat *in ecclesia* « *coram altari sancto* », quod saec. XIII. iam praescriptum fuit, confessarius enim excipere debuit confessionem « in loco patenti », sicut et repraesentationes depictae ostendunt: in atrio ecclesiae in loco aperto sedet confessarius, poenitente coram eo genuflectente. — (3) *Sedes -fixae,* parietibus ecclesiae adhaerentes autem primum Pisae in Italia saec. XIV. inveniuntur. Leges de sede confessionali S. Carolus Borromaeus edidit a. 1565, exinde pedetentim ubique constructae sunt sedes confessionales, in Gallia solum saec. XVII. (cf. J. Λ. Jungmann, Lat. Bussriten 1932, 145. 152. 182-3).

b. *Leges cultuales quoad sedem confessionalem.* (1) Sacramcntalis confessionis *proprius locus* est ecclesia vel oratorium publicum aut semipublicum (can. 908). — (2) Sedes confessionalis ad audiendas *mulierum* confessiones semper collocetur in loco patenti et conspicuo, et generatim in ecclesia vel oratorio publico aut semipublico mulieribus destinato (can. 909 § 1), potest ergo esse etiam in *androne* (corridoio, Gang, folyosô) ecclesiae vel monasterii, ubi e. gr. venerabilis confessarius Leopoldus a Castelnuovo (t 1943) Padovae innumerabiles animas direxit. — (3) Sedes confessionalis *crate fixa ac tenuiter perforata* inter poenitentem et confessarium debet esse instructa (can. 909 § 2), quod servandum est etiam, si confessionale amovibile esset. — (4) Locus *extraordinarius* confessionis: « Feminarum confessiones extra sedem confessionalem ne audiantur, nisi ex causa infirmitatis aliave verae necessitatis et adhibitis cautelis quas Ordinarius loci opportunas indicaverit, at confessiones virorum etiam in aedibus privatis excipere licet » (can. 910). — (5) De loco confessionis *religiosarum* cf. De Poenit. K. 4. c. 5°.

c. *Monita practica* de sede confessionali: Confessionalia debent esse commoda, spatium ante pedes praecipue ne sit nimis angustum, etiam scabellum seu gcnuflexorium poenitentis sat amplum sit. In conspectu confessarii habeatur tabella casuum et censurarum reservatarum, sedes sit bene illuminata etiam a parte poenitentis. Tot statuantur confessionalia, quot sacerdotibus confessariis sufficiunt, in frequentiore concursu fidelium possunt adhiberi mobilia (De Amicis p. 43-44; *H. Hack, in: LfThK* II (1958) 132).

5°. De sede concionatoria. a. *Historia.* (1) Aetate antiqua inde a saec. IV-o diu *ambo* (anabaino = ascendere), vel *suggestum,* (= aliquid alio subpositum, tribuna) aut *analogium* (analegein = praelegere) vocabatur pulpitum in ecclesiis immediate ad cancellos altaris constructum, unde lectiones sacrae prolatae sunt. Duo fuerunt, in uno lectum est Evangelium, et episcopus sacram fecit contionem, alterum inserviebat ad legendas alias lectiones, ibique responsoria et graduate cantata sunt. — (2) Inde a saec. XI-o in regionibus septentrionalibus, quando altare iam parieti ecclesiae admotum fuit, cancelli presbyterii transformati sunt in altas constructiones cum porta centrali, ubi altare conspici potuit, in summitate huius constructionis duo pulpita erant in parte Evangelii et Epistolae, *tectorium* vocata vel *Jubé* (sc. domne benedicere) appellata, in Germania *Kanzel* (a cancello), ibi legebantur lectiones Missae et officii, inde etiam facta est concio ad populum. — (3) Quoniam ecclesiae medii aevi semper ampliores fiebant, inde a saec. XIII-o sedes concionis transposita est *in navem centralem* ecclesiae, decursu saec. XV. hic usus fere ubique invaluit. Pluteus seu baldachinum super sedem construi coepit ad sonum colligendum ac repercutiendum (Schalldecke). — b. *Monita practica.* Sedes concionatoria quantum fieri potest collocetur in parte Evangelii navis; in parte Epistolae solet esse, si e sacristia commodius ad sedem accedatur. Exstruatur ligno nobili, vel alia materia solida et pretiosa, forma eius concordet stilo totius aedificii. In festis sollemnioribus pannis sericis coloris liturgici eius diei ornari condecet (De Amicis p. 42-3; *J. A. Emminghaus,* Kanzel, LfThK V (1960) 1310-1).

e) De aquariis liturgicis.

1°. De baptisterio, a. *Historia.* (1) Primis tribus saeculis Baptismus administratus est in fluvio, mari vel lacu; inde a saec. IV-o prope basilicas etiam aedificia vel *aediculae separatae,* baptisteria vocata construi coeperunt, quorum forma erat orbicularis vel octogonalis. *Constantinfopoli* in baptisterio suae ecclesiae convocavit S. loannes Chrysostomus a. 403 quadraginta episcoporum synodum, satis ampla ergo debuit esse. Maximum baptisterium fuit *Romae* baptisterium Laterani, a Sixto III. (432-440) exstructum, cui praecessit atrium seu porticus duabus apsidibus hinc inde coronatus. Centrum huius baptisterii formae octogonalis habuit vastam piscinam e porphyro confectam in quam baptizandi descenderunt. Adhuc legi potest *inscriptio* a Sixto III. posita: « Gens sacranda polis hic semine nascitur almo ' Quam fecundatis Spiritus edit aquis ». — (2) Baptisteria sat mature magis magisque *exigua* evaserunt, quia solummodo infantes baptizabantur, immo in regnis *ultramontanis* inde a saec. IX-X-o receptus est Baptismus per infusionem, ideoque forma baptisterii semper minor facta est et in ecclesia collocatum ipsum baptisterium. In *Italia* econtra etiam saec. XII-XIII-o magnifica baptisteria exstructa fuere prope ecclesias cathédrales, sic Pisae Placentiae, Florentiae, Pistoriae et alibi. — b. *Leges cultuales* baptisterii cf. superius De Bapt. F. 2. d. 1°. et 2°).

2°. Sacrarium est *puteus parvus subterraneus,* ubi proiici debent ablutiones rerum sacrarum.

a. *Forma* sacrarii potest esse (1) ad modum *piscinae* exiguae, cum foramine in fundo, unde ablutiones in cisternam deflui poterint, — (2) potest esse *fenestra* in muro constructa, cum pelvi praedita, ubi ablutiones per murum ope aquaeductus efferuntur, — (3) potest esse simplex *fossa* lateribus vestita

petra movibili contecta quae cum annulo in medio aptato moveri potest. Sacrarium potest esse in sacristia vel retro altere maius, vel etiam alibi in ecclesia, loco remotiore a conspectu populi (De Amicis p. 41).

b. Sacrario *uti debemus:* (1) ibi inmittenda est aqua, quae usurpata est ad primum per clericum in maioribus constitutum lavanda linteamina et corporalia, — (2) aqua parvi vasculi qua sacerdos digitos post distributionem Eucharistiae lavare debet, — (3) aqua qua olea sacra a digitis abluta fuere, — (4) aqua consecrata, quae remansit ex Baptismo, — (5) si Hostia ceciderit in terram, locus mundari et aliquantulum abradi debet, aqua et pulvis abrasionis in sacrarium proiici debet (Rubr. de defectib. X, 15), — (6) vomitus post communionem, si species non appareant, stuppis sumi debet stuppaeque comburendae, cineres vero in sacrarium mittendae (ibid. X, 14) — (7) Sanguis Christi effusus in linteamina vel vestes quae lavari debuerunt aqua quae tota in sacrario fundenda erit (ib. X, 12), — (8) si Sanguis non posset sumi, in panno, linteo vel stuppa servetur, donec species vini desiccatae fuerint, tunc stuppa comburatur et mittatur in sacrarium (ib. X, 6).

3°. De labro aquae lustralis seu benedictae. Intelligitur *labrum stans ad portam ecclesiae vel alibi,* non situla seu vasculum (secchiolina). Aevo antiquo Christianorum magna labra, immo fontes exstabant in *atrio* basilicarum, ubi fideles manus lavabant ad puritatem animi significandam, labra tamen aquae non inde originem ducunt, sed probabiliter ab *aspersione populi ante Missam dominicalem,* quando etiam tota ecclesia lustrata est aqua benedicta, immo totum monasterium omniaque eius aedificia. Labra inde a saec. IX-o constructa sunt, ut etiam aliis diebus fideles *seipsos* aspergere benedicereque possint, nam domi iamdudum mos erat aquam benedictam asportare eaqüe devote uti. Antiquissima labra aquae orta sunt aevo Romanistico, erantque saepenumero solum *recessus cavi* in pariete templi, cito tamen etiam *lapideae cupae* cum stipite provisae construi coeperunt quae dein decursu saeculorum magis magisve baptisteriis adsimilatae fuerunt. Aqua sancta saltem hebdomatim mutanda est.

f) De abaco.

1°. Abacus erat penes Romanos antiquos mensula rectangularis ad ostentationem luxus comparata, nomen hoc et alia: *mensa, credentia* occurrunt in Caerem. episcop. (I. L c. 12, 19), Missale vocabulo « credentia « utitur (Rit. celebr. II, 5) vel « *fenestella seu parva mensa* » (Rubr. gen. XX.). In Ordinibus Romanis occurrit denominatio « *oblationarium.* » penes auctores medii aevi analoge ad VT nomen « *mensa propositionis.* »

2°. Abacus est *praescriptus,* debet stare in parte Epistolae in presbyterio, prope altare, debetque cooperiri linteamine albo, ita ut mensulam undequaque circumdet usque ad terram. Pro Missa sollemni ibi ponitur calix paratus, ampullae vini ct aquae, manutergium, bacile ad lavandas manus, lectionarium. ibi ponuntur candelabra acolythorum.

g) De organo et aliis instrumentis musicis.

1°. Historia. *Organon* in versione Septuaginta VT *nomen est genericum* instrumentorum musicorum, tamen iam aevo antiquo nomen « organum » in

usu fuit penes Romanos, (pii sic appellebant « *hydraulim* » sen organum cuius folles (mantice, Balg, fujtatô) ope aquae inflati sunt. Etsi hoc organum optime notum erat, nemini fidelium in mentem venit cius usus in ecclesia, sicut nec alia instrumenta musica eo tempore unquam adhibita sunt. Organum solum *in Occidente* adhibitum fuit aevo Carolingien, a. 757 rex Pippinus accepit organum ab imperatore Constantino Copronymo donatum, a. 787 vero Carolus Magnus auctus est munere organi ab imperatore Michacle missi. Ad exemplar horum organorum prima organa construi coeperunt, quae decursu medii aevi satis inhabilia fuere. Saec. XV-o dein emendata et ad usum aptiora facta ubique in tota Europa divulgata sunt.

2°. Leges organi, a. Organum est « solemne instrumentum musicum liturgicum Ecclesiae latinae », intelligitur organum classicum seu tubulatum, sic iuxta Instructionem S. C. Rituum de musica sacra et sacra liturgia diei 3. sept. 1958 (AAS 1958, 630-663, allegatur siglo *Instr, mus. 1958,* iuxta numeros currentes documento appositos). Organum priusquam in usum deducatur, rite sit benedictum, et qua *res sacra,* omni diligentia custodiatur (Instr, mus. 1958, n. 62), benedictio organi habetur Rit. Rom. tit. IX. c. 8,2.

b. *Loco* organi adhiberi potest (1) *harmonium,* « hac quidem condicione ut vocum qualitate et sonitus amplitudine sacro usui respondeat », — (2) organum *electrophonicum* vero solummodo « inter actiones liturgicas ad tempus tolerari potest, cum opes non suppetant ad organum tubulatum... accedat oportet explicita ordinarii loci licentia » (Instr, mus. 1958. n. 63-64).

c. *Usus* organi vel harmonii *vetatur:* (1) tempore Adventus, Quadragesimae et Passionis, Feriis Quatuor Tempor. Septembris et in omnibus oiRciis et Missis defunctorum (Instr, mus. 1958. n. 81). — (2) *Exceptiones* sunt: Dom. Laetare et Gaudete, Missa chrismatis et vespertina in Coena Domini usque ad finem « Gloria in excelsis ». Licitus est usus in Missis et Vesperis solummodo ad cantum sustentandum (ib. n. 83. b. c.). — (3) *Cetera* instrumenta musica prohibentur iam inde a Dom. Septuagesimae (ib. n. 82). — (4) *Triduo sacro prorsus* vetitum est usus organi et harmonii, sine ulla exceptione et non obstante quacunque contraria consuetudine, etiam in piis exercitiis (ib. n. 84), a media nocte Fer. V. Coenae Domini usque ad « Gloria in excelsis » Vigiliae paschalis. — (5) Festis *de praecepto et patroni* principalis, anniversarii *dedicationis* et in *sollemnitate* extraordinaria permittitur usus organi ct instrumentorum musicorum, excepto Triduo sacro (ib. n. 83 a.). — (6) *Liturgicum silentium* fidelibus debite explicari debet, iisque temporibus etiam lex de altaribus non ornandis sedulo observanda (ib. n. 85).

d. Non licet organo comitari cantum *praefationis* ct *orationis Dominicae* (CRit d 4009), item prohibetur comitari passionem (d 4044,1). cantum lamentationis et responsoriorum Triduo sacro (d 4111,1 et 4156 hucusque, nunc etiam Instr, mus. 1958. n. 84).

3°. Leges de instrumentis musicis, a. Instrumenta *licita* praeter organum et harmonium: in actionibus liturgicis, diebus praesertim solemnioribps, alia quoque instrumenta, in primis illa, quorum chorda parvo fricata arcu sonant (strumenti ad areo, Streichinstrumente, vonôs hangszerek), adhiberi possunt una cum organo vel sine. *Vetita* sunt instrumenta (piae ex communi indicio et usu profanae tantum musicae conveniunt (Instr, mus. 1958. n: 68 et 70). — b. Principia de usu instrumentorum: (1) Usus instrumenti cuiuscunque quam

maxime *perfectus* esse debet, « melius erit proinde concentum instrumentorum (sive unius organi, sive aliorum instrumentorum) penitus omittere, quam indecore peragere » (Instr, mus. 1958. n. 60 a). — (2) Sonitus talium instrumentorum *gravitate* et religiosa *castitate* eliciatur ut omnis *profanae* musicae clangor evitetur et fidelium *pietas* foveatur (ib. n. 68. b). — (3) *Ordinarii* sedulo vigilent (n. 69).

4 . Leges de instrumentis et machinis automaticis. a. Absolute vetatur in actionibus liturgicis et piis exercitiis usus *autoorgani, grammophonii, radiophonii* et *magnetophonii,* usus *licitus* est etiam in ecclesiis ad audiendam vocem Summi Pontificis vel aliorum oratorum sacrorum, vel ad cantum dirigendum et instituendum (ib. 71). — b. Uti licet instrumentis « *amplificatoribus* » (Schallverstarker, hangerosito), ad amplificandam vocem celebrantis vel commentatoris vel aliorum qui vocem edere possint (ib. n. 72). — c. Licet actiones liturgicas vel pia exercitia ope *radiophoniae et televisions* diffundere (1) cum expressa licentia ordinarii, — (2) cantus et musica ipsaque celebratio liturgiae digna et conformis sit, — (3) machinae ne adducantur in presbyterium, si fieri potest, — (4) Missae auditio et visio non sufficit ad satisfaciendum praecepto (Instr, mus. 74-79).

h) De campanis.

1°. Historia, a. *Nomina* campanae: (1) *signum,* quia cum eis ad horas officii divini, ad Missam signa dabantur, ut Walafridus Strabo dixit: « Simpliciter signa vocantur, quia eorum sonoritate quibusdam pulsibus excitata significantur horae, quibus in domo Dei statuta celebrantur officia » (De exord. et increment, c. 5). — (2) *Campana* nuncupantur autem a regione Campaniae, quae aevo antiquo celeberrima fuit a metallo ibi effosso, « campana » ergo idem vult dicere ac « *aes* », quo nomine quandoque etiam appellantur campanae. — (3) *Nola* nomen campanae. iam non oritur a nomine huiusmodi civitatis, sed a vocabulo Celtico « *nell* » aut « *noli* » quod significat « sonare. » — (4) Item c lingua Celtica oriundum est nomen *clocca,* Hibemice « *clog,* » Germanice « Clocke ». — (5) Nomen *tintinnabulum* nunc campanulam significat, sed aetate superiore etiam campanae sic vocabantur, nomen enim ter occurrit in benedictione campanae. — (6) *Scilla,* inde Germanicum « Schelle », parviorem Campanam significat, qua praecipue monachi ad capitulum et reficiendum convocati sunt.

b. *Originem* Campanarum *in Occidente* inveniri certum est, probabiliter iam saec. V. A. 515 diaconus Carthaginensis Ferrandus scripsit abbati Eugippio, fundatori monasterii Castri Lucullani prope Neapolim: « ...sonoram servire campanam beatissimorum statuit consuetudo sanctissima monachorum » (Eisenhofer I. 390). Primae campanae vere exiguae fuerunt, sic e. gr. campana « S. Patricii » (Mus. Dublinense) e saec. VI. tantum 15 cm. altitudinem habet.

c. Inde a saec. XI-o campanas *semper maiores* fundebant, campana a. 1258 fusa prb cathedra!i Friburgcnsi iam 1.90 m. alta est. Etiam *numerus* crevit campanarnm in singulis ecclesiis, consuetudines monasticae saepe loquuntur de « signo maiore. » (= campana maiore), de « signo minore » ct de « classi » seu « classico ». qua voce sonus vocatus est omnium simul campanarum unius ecclesiae.

d. In *Oriente* loco campanarnm « *semanthron* » in usu fuit, i. e. tabula

lignea vel metallica ope mallei pulsata. Ante inventionem campanarnm etiam in Occidente usitata fuit, nunc quoque in usu est qua « *crepitaculum* » seu • *tabula* » Triduo sacro.

2°. Sensus symbolicus campanarum. Amalarius multa habet de symbolismo campanarnm, breviter talia dicit: « Praedicationem quam significat clangor tubarum (= sc. in Veteri Testamento), Hieronymo exponente, signat signum quod in nostra ecclesia reboat... Vas metalli aeris *ora* significat, ut diximus, praedicatorum, ferrum interius *linguam* eorum, per *funem* intellegimus mensuram nostrae vitae » (Lib. officialis III. c. 1,4.5 ed. Hanssens 11,258 s.). Functiones campanae melius describuntur a versibus quibusdam campanis medii aevi insculptis, e. gr.: « Vox mea, vox vitae, voco vos ad sacra, venite! ' Laudo Deum verum, plebem voco, congrego clerum, | Defunctos ploro, nimbum fugo, festa decoro » (Righetti I, 379).

3°. Consecratio campanae. Sicut pleraque sacramentalia maiora, etiam consecratio campanae saec. IX. incoepit celebrari. Cf. S. *Benz,* LfThK IV (I960) 966.

a. *Ecclesiae intentio* optime resumitur a Durando: « Benedicitur campana. ut (1) per illius tactum et sonitum *fideles* invitentur ad praemium et crescat in eis devotio fidei, (2) fruges, mentes et corpora *serventur,* (3) procul pellantur *hostiles* exercitus et omnes insidiae inimici, (4) fragor grandinum, procella turbinum, impetus tempestatum et fulgurum temperentur infestaque tonitrua et ventorum flamina *suspendantur,* spiritus procellarum et aereae potestates prosternantur et (5) ut hoc audientes confugiant ad sanctae matris Ecclesiae gremium, ante sanctae Crucis vexillum n (Rat. div. off. l. I. c. 4,2).

b. *Praeparatio* consecrationis incipit cum recitatione *septem Psalmorum selectorum, Primus* (Ps (50) et *ultimus* (Ps 129) sunt poenitentiales, nam anima pura requiritur ut effectus consecrationis percipi possint, psalmus *secundus* (Ps 53) est imploratio auxilii divini contra inimicos, *tertius* (Ps 56) exorat Deum in media persecutione plenus fiducia, Ps 66 *(quartus)* invitat omnes gentes ad celebrandum Deum, *quintus* et *sextus* (Ps 69 et 85) suffragium petunt Domini in rebus adversis.

c. Psalmi dicuntur ante campanam ita suspensam, ut commode queat intus ct extus tangi, circuiri; pontifex sedet ante campanam in faldistorio, dum Psalmi recitantur. Dein sequitur *campanae ablutio, Baptismus symbolicus.* (1) Pontifex primum *benedicit* more solito *aquam ct salem,* dein sine mitra stans dicit orationem qua aquam specialem ad consecrandam campanam benedicit (« Bene f dic Domine hanc aquam »), commiscet sal cum aqua et dicit orationem solitam aquae benedictae (« Deus invictae virtutis auctor d). — (2) Hac dicta accepta mitra, incipit *lavare campanam* cum dicta aqua, et ministri prosequuntur hoc opus, lavantes eam totaliter exterius ct interius, deinde campanam abstergunt cum linteamine mundo. Interim recitantur *Psalmi laudativi* Ps. 145-150.

d. *Actus secundus* est *unctio campanae.* (1) Prima unctio fit a Pontifice mitrato qui pollice dexterae manus ungit de oleo sancto infirmorum ab extra campanam in signum Crucis nihil dicendo, dein deposita mitra dicit *orationem (a* Deus qui per beatum Moysen »), quae oratio apte exprimit functiones campanae: sanctificata enim fideles invitat ad praemium, procul pellit omnes inimicos et tempestates, ut omnes inimicae potestates fugiant ante s. Crucis in ea depicto vexillo. — (2) Sequitur *secunda, prolixior unctio;* pontifex inchoat

ant. « Vox Domini super aquas multas », et chorus earn prosequitur, Ps. 28. subiiciendo. Pontifex interim cum mitra stans facit *septem Cruces exterius* de oleo sancto infirmorum super campanam, *interius* autem de sancto chrismate *quatuor,* ad singulas unctiones repetendo formam ɑ Sancti | ficetur et conse l cretur ». Dein stans dicit sine mitra orationem (« Omnipotens, sempiterne Deus, qui ante arcam foederis n), in qua Deum precatur, ɑ ut quicumque ad sonitum eius convenerint, ab omnibus inimici tentationibus liberi, semper fidei catholicae documenta sectentur. »

e. *Tertius actus* est *thurificatio campanae,* (piae incensatio non solum indolem lustralem habet, sed etiam venerationis erga campanam consecratam. Pontifex sedens accepta mitra, imponit in thuribulum thymiama, thus et myrrham, thuribulum supponitur campanae, ut totum fumum recipiat, schola interim cantat ant. « Deus in sancto via tua » et Ps. 76. His dictis surgit pontifex et deposita mitra dicit orationem ɑ Omnipotens dominator Christe », ut ɑ dum huius vasculi sonitus transit per nubila, Ecclesiae tuae conventum manus conservet angelica. »

f. Concluditur consecratio sollemni *lectione Evangelii* (Lc 10, 38-42) de Maria et Martha, quo efficaciter monemur non turbari erga plurima, sed in ecclesia sedendo ad pedes Domini semper unum necessarium quaerere.

4°. Benedictio campanae *Ritualis Romani* (tit. IX. c. 9, 11), quae ad usum ecclesiae benedictae vel oratorii inserviat, est breviatio ritus consecrationis. — a. Primum dicuntur *septem Psalmi* (supra 3°. b.); omissis ablutione et unctione campanae, dicitur *oratio* post primam unctionem Pontificalis (« Deus qui per beatum Moysen »), dein — b. aspergitur aqua benedicta circumeundo campanam, et similiter *thurificatur,* chorus dicit *ant.* « Asperges me » et « Dirigatur oratio mea », c. dicitur *oratio conclusion* Pontificalis « Omnipotens dominator Christe ».

5°. Leges cultuales *de sonitu campanae* cf. supra De Eccl. orante F. 7. a. b. c, — Addenda sunt ex Instruet. S. C. Rit. de musica et s. liturgia 3. sept. 1958, sequentia, a. *Campanularum ludus* (carillon, Glockenspiel), quo variae eduntur cantilenae et concentus, ad usum liturgicum adhiberi nequit, simpliciter tantum benedici possunt. — b. Districte prohibetur *loco* sacrarum Campanarum adhibere qualemcumque *machinam* vel instrumentum ad campanarum *sonum mechanice* vel automatice *imitandum* (Instr. 1958. n. 90. 91), usus *campanarum electrophonicarum* iudicio ordinarii subiiciendus est (CRit d 3. febr. 1951). Cf. *J. Schaehen - J. Lederer.* Glocke, LfThK IV (1960) 962-5.

3. De dedicatione ecclesiae.

In hoc articulo agendum est a) De historia dedicationis, dein narratur b) Descriptio ritus dedicationis ct c) Anniversarium dedicationis ecclesiae, tractatur d) De benedictione ecclesiae, demum e) Dc reconciliatione ecclesiae.

a) Dc historia dedicationis.

Γ1. Aetate Ecclesiae antiqua, a. Cum iam saec. III. aedificia peculiaria exstabant ad cultum Dei, pie credi potest talem locum aliqua sollemnitate Deo dicatam fuisse, sed nullum habemus documentum de tali actu. Ex a. 335 memoratur dedicatio ecclesiae Tyri per episcopum Paulinum, de qua refert Euse-

bins (Hist. eccl. X, 3), quae facta fuit *sine ullo ritu speciali,* evidenter contio sacra prolata est, dein primum sacrificium Missae. — b. Iam saec. IV. accedit *reconditio reliquiarum,* quae virtutem sanctificandi locum habere aestimabatur. At reconditio huiusmodi non censebatur necessaria, adhuc a. 538 Vigilius Papa Profuturo episcopo Bragensi scribebat non esse necessarium « aquam exorcizatam iactarc » in ecclesia, si non habeantur « sanctuaria » i. e. reliquiae, « quia consecrationem cuiuslibet ecclesiae, in qua sanctuaria non ponuntur, celebritatem tantum scimus esse missarum, ⁊ Si vero adsint reliquiae, tunc « earum depositione et missarum sollemnitate reverentiam sanctificationis accipiet » (PL 69. 18).

2°. Aetate media incipiente usque ad saec. VIII. duplex ritus dedicationis viguit, unus secundum Ordinem Romanum, alter typi Gallicani.

a. *Ritus Romanus* duplici actione consecravit ecclesiam: reconditione *reliquiarum* et celebratione *Missae* (cf. Leroquais, Pontificaux mss I, 26-27): « Primitus episcopus vadit ad ecclesiam, ubi reliquiae sunt positae, quae recondendae sunt in novam ecclesiam, et facit ibi *letaniam.* Ipsam expletam dat orationem hanc: 'Aufer a nobis quaesumus iniquitates nostras'. Postea ponat episcopus *reliquias* in patena et porrigat eas presbytero in ulnas super syndonem quam habet in collo ligatam et cooperiat ipsas et *exeunt* canendo ant. Cum iocunditate exibitis. Finita oratione ' Deus qui in loco tuae dominationis suscipiat ipsas reliquias a presbytero et portet eas cum letania *ad altare* et antequam recludantur, ponat *chrisma* intus in confessione per angulos quatuor in cruce, dicendo: In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Deinde ponat tres portiones *corporis Domini* intus in confessione et tres de incenso recluduntur in confessione et dum recluduntur, canunt ant. ' Sub altare Dei sedes accepistis ', et ponat tabulam. Deinde liniat eam cum calce quae antea fuerat praeparata et faciet crucem desuper cum chrisma dicendo: In Nomine... et tunc *vestitur* altare. Hoc peracto cantet schola ant. ad introitum et conplctur missa in ordine suo. » Hic est ritus Ord. Rom. XLIL (Andrieu IV. 1956. 397-402).

b. *Ritus Gallicanus* dedicationis multo prolixior est (Leroquais, Pontii. mss I. XCIV-XCVII ct 25-26): « Antequam pontifex introeat in ecclesiam, illuminentur 12 *candelae* per circuitum ecclesiae, et cum venerint ad ostium ecclesiae, (episcopus) *ter percutieris* superliminare de cambota (= baculo) suo, dicit antiphonam. Tollite portas, principes, vestras » ct tunc fit *dialogus* sicut in Pontificali Romano. « Intrantes dicunt: Pax huic domui. Deinde incipit clerus *letaniam.* Et sequitur oratio ista: 'Magnificare Domine Deus noster in sanctis tuis '. Deinde incipiat pontifex de sinistro ab oriente *scribens per pavimentum* cum cambota sua ABCturium (= abecedarium). Inde benedicat salem et aquam cum cynere myxto. » Ter *aspergit* pontifex ecclesiam ab *intus,* interim clerici *deforis* aspergunt ecclesiae parietes. Orationes autem sunt: « Deus qui loca nomini tuo dicata sanctificas... » Exinde benedicitur et consecratur *altare* orationibus: « Deprecamur misericordiam tuam... Deus omnipotens in cuius honore hoc altare, ⁊ Praefatio autem consecratoria est: « V.D. ut propensiore cura et adtentiori famulatu. » Dein benedicuntur *tabulae* quibus sepulchrum clauditur, linteamina, utensilia, corporalia ct patena cum calice. — « Deinde vadunt ad locum ubi cum reliquiis praeterita nocte cum vigiliis fuerint et elevantes in *feretro* cum honore et laudes Deo decantando, eum crucibus et thuribulis et luminibus multis venientes ante altare. Extenso velo inter eos

et populo, *recondet ipse* pontifex manu sua ipsas reliquias in locum altaris, canentes antiphonam: Exultabunt sancti, 0 Deinde episcopus revertitur in sacrarium, ibi pontificalia paramenta accipit, et cantatur *Missa.* — Recte dicitur Gallicanum ritum voluisse imitari baptismum his ritibus: consignationi congruit scriptio duplex alphabeti in forma Crucis, aspersio imitatur Baptismi actum, item unctiones.

c. *Ritus Franco-Romanus.* Leroquais (Pontif. mss I, XCVII) refert, quod e manuscriptis Pontificalibus saec. IX-i undecim manuscripta proferunt dedicationem ecclesiae, quinque exclusive ritum Gallicanum, ac si nihil tempore Caroli Magni de introductione ritus Romani actum fuisset, sex alia autem primo describunt ritum Gallicanum sine ulla denominatione, postea totum ritum Romanum exhibent cum inscriptione: « Incipit ordo quomodo in sancta Romana ecclesia reliquiae conduntur. » Pontifex quisque potuit sic eligere ritum qui ei magis placuerit. Saec. X. dein incoepit *fusio duorum rituum,* quibusdam in locis duos ritus *continenter* persolvebant, in aliis autem ritus *immixti* sunt. Ita factum est, quod in Pontificali Romano-Germanico saec. X-i iam fere hodiernus ritus apparet.

d. *Durandus* saec. XIII. exeunte introduxit septem Psalmos poenitentiales, n *Veni Creator,* » et sic ritus hodiernus perfecte habebatur.

b) Descriptio ritus dedicationis ecclesiae.

Ritus hic — prolixissimus inter omnes ritus liturgicos — constat duplici actu *praeparatorio* (1°.), dein *tribus actibus* absolvitur. *Primus actus* est *possessio* (= presa di possesso, Besitzergreifung) ecclesiae dedicandae nomine Christi, qua aedes subtrahitur profano usui (2°.); dein est actus *secundus:* ecclesiae *consecratio,* qua ordinatur ad usum sacralem Dei (3°.); *tertius* demum actus est *dedicatio* quae fit locatione reliquiarum, consecratione altaris et prima celebratione Missae (4°.).

Γ. Praeparatio dedicationis. Fit *duplici actu:* vigilia ante reliquias nocte praecedente et recitatione septem Psalmorum summo mane diei dedicationis.

a. *Vigiliae coram reliquias.* Reliquiae pro altari consecrando ponuntur in honesto ct mundo loco vel sub tentorio ante fores ecclesiae consecrandae cum duobus candelis ardentibus. Clerus sero ante diem dedicationis recitat tres Nocturnos e de Communi plurimorum Martyrum sine nomine expresso » (CRit d 2886). Cf. infra 5°. b. (1).

b. Mane *septem Psalmi poenitentiales* dicuntur coram reliquiis ab episcopo et clero, pontifex interim induit amictum, albam, cingulum, stolam et pluviale albi coloris, mitram simplicem, baculumque sumit in sinistra manu.

c. Psalmis expletis se recipiunt *ante fores ecclesiae,* ubi supra faldistorium pontifex procumbit, et recitantur *Litaniae,* ut in Pontificali.

2°. *PRIMUS ACTUS:* Possessio. Ecclesiae consecrandae possessio fit primum per possessionem *negativam* i. e lustrationem deforis factam, dein secundo per possessionem *positivam,* quae possessio demum *obsignatur.*

a. *Possessio negativa. Lustratio deforis peracta.* (1) Episcopus surgens post l uanias more solito *benedicit aquam,* deinde (2) prima vice *circuit ecclesiam.* Incipiens *ant* « Asperges me Domine n schola prosequente, praecedentibus duobus acolythis cum candelis accensis, mitratus circuit ecclesiam, incipiendo i dextera eius parte, interim *continue aspergendo* deforis parietes ecclesiae,

semper dicens; ℟ In nomine ℣ Patris et ℣ Filii et ℣ Spiritus Sancti. » Schola interim cantat *Resp. I.* ℟ Fundata est domus Domini super verticem montium » ex Is 2,2 desumptum; expleto circuitu, *ante ostium* ecclesiae, depositis mitra ct aspersorio, cantat orationem, epia precatur, ut in hac domo semper fiat purum servitium et perfecta libertas. Recepta mitra dein *percutit* ostium clausum dicendo: ℟ Attollite portas, principes, vestras », diaconus intus stans interrogat: ℟ Quis est iste rex gloriae?, pontifex autem respondet: « Dominus foriis et potens, Dominus potens in praelio. » — (3) *Secunda vice* similiter ad dexteram prodiens fit *aspersio,* canitur *Resp. 2.* « Benedic Domine, domum istam » ex oratione Salomonis (2 Par 6,2. 21. 36), pontifex autem in *oratione 2.* orat Deum, ut vinculum caritatis sub unius pontificis regimine unum gregem contineat. — (4) *Tertia vice* circuit dein ecclesiam, nunc ad sinistram incipiendo, interea canitur *Resp. 3.* « Tu Domine, universorum, » quod est precatio sacerdotum VT aevo Machabaeorum templum antiquum ab exeeratione mundantium (2 Mach 14, 35-36), *oratio 3.* efflagitat bonum successum lustrationis, ut fiat fugatis daemonibus angeli pacis ingressus.

b. *Possessio positiva.* Fit in ecclesia ipsa. (1) Antequam intraret pontifex. *facit Crucem* super liminare in ostio cum inferiore parte baculi dicens: « Ecce Crucis signum, fugiant phantasmata cuncta! » et prima vice profert salutationem antiquitate venerandam: «Pax huic domui! » — (2) Dein *intrat* episcopus in ecclesiam solus cum ministris, clero et caementariis, sensus huius ingressus annuntiatur *antiphonis* interim cantatis: « Pax aeterna ab Aetemo huic domui » et « Zachaee festinans descende »: in persona enim episcopi ipse Christus Dominus, minister principalis omnis actus liturgici intrat in templum. — (3) Pontifex deinde procedit in medium ecclesiae, ibique intonat « *Veni Creator* » schola prosequente et sine mitra procumbit in faldistorio. Dein dicuntur *Litaniae* omnium Sanctorum; pontifex accepta mitra genuflectit in faldistorio, terque dicit invocationem specialem cum signis Crucis. Concluditur supplicatio haec cum *duabus orationibus* (sine mitra) « Praeveniat » et « Magnificare ».

c. *Obsignatio possessionis* fit per ritum *delineationis Crucis* in pavimento ecclesiae. Clericus enim iam inter cantum « Veni Creator » aspersit pavimentum ecclesiae in medio cinere, in modum Crucis, faciendo duas lineas ex cinere, pontifex nunc extremitate baculi sui scribit in his duabus lineis *alphabetum Graecum,* dein *Latinum,* distinctis litteris super cineres. Scriptio alphabeti in formam Crucis decussae (X) signum fuit antiquum possessionis, christianisque eo magis placuit, quia forma haec repraesentavit litteram Craccam ℟ X ℞, qua nomen sanctissimum Christi incipit. Christus nunc iam dominus est huius domus, quod signanter exprimitur hoc ritu. *Cantus concomitans* est « Benedictus » cum ant. « O quam metuendus ».

3°. *ACTUS SECUNDUS:* Consecratio ecclesiae. Domus nunc iam subtracta est profano usui, restat solum eam *ordinare* ad finem sacralem. Haec ordinatio *duplici fit actione:* negativa, i. e. lustratione intus peracta et positiva, i. c. praefatione consecratoria.

a. *Consecratio negativa: lustratoria intus peracta.* (1) Pontifex mitra et baculo depositis spatio congruenti *genuflexus* versus altare *intonat:* « Deus in adiutorium... », chorus complet cantum, qui fit *ter* per gradationem liturgicam, vocem semper elevando. — (2) Dein fit praeparatio *aquae lustralis specialis,* nuncupata « aqua S. Gregorii ». *Tres* fiunt *exorcismi* (cum mitra):

salis, aquae, cinerum, unumquemque exorcismum sequitur oratio (sine mitra) dein fit *commixtio* trium elementorum, postea *benedicitur* elementum nobilissimum, nimirum *vinum,* sine exorcismo, et mittitur in aquam benedictam. *Sensus symbolicus* huius mixtionis est see. Durandum: « Quatuor sunt, quae inimicum expellunt. Primum est lacrimarum effusio, quae per aquam (sc. significatur). Secundum est spiritualis exultatio, quae per vinum. Tertium est naturalis discretio, quae per sal. Quartum profunda humilitas, quae per cineres significatur » (Rat. div. off. l. I. c. 7, 8). — (3) Benedictio *completur* per prolixam *orationem:* «Sanctificare per verbum Dei, unda caelestis» e verbis e S. Ambrosio selectis, in qua Deo supplicatur, quod imbrem gratiae super hanc domum cum abundantia suae benedictionis effundat. — *(4)* Lustratio ecclesiae incipit *aspersione altaris.* Pontifex mitratus inchoat *ant.* « Introibo ad altare Dei », schola prosequitur cantum antiphonae, quae post unumquemque versum *Ps. 42 (Judica)* repetitur. Pontifex interim cum pollice dexterae manus intincto in aquam S. Gregorii *facit Crucem in medio* altaris, in mensa, et in quatuor *cornibus* seu angulis altaris, dicens post hanc lustrationem *orationem* (« Singulare illud propitiatorium »). Dein septies *circuit* altare, *aspergendo* stipitem altaris, interim *cantus resonat* « Asperges me » cum Ps. Miserere. — (5) Deinde fit *lustratio parietum* ecclesiae: Pontifex *ter circuit* cum mitra ecclesiam interius, incipiens retro altare maius, procedit ad dexteram partem, aspergit parietes a parte *inferiori,* interim cantatur *ant.* « Haec est domus Domini » cum Ps. 121. Deinde pontifex secundo circuit ecclesiam, aspergens parietes eius *in medio,* circa altitudinem sc. faciei suae, interim cantatur *ant.* « Exsurgat Deus » cum parte Ps. 67. Demum tertio circuit ecclesiam, nunc incipiens a sinistra parte, aspergendo parietes *in alto,* et interim cantatur *ant.* « Qui habitat in adiutorio Altissimi » cum Ps. 90. Quo facto aspergit *pavimentum* ecclesiae per *medium,* incipiens ante altare maius usque ad portam principem, deinde per *transversum* de uno pariete ad alteram redeundo. Interea canitur *ant.* « Domus mea, domus orationis » dein *ant. 2.* « Domine, dilexi decorem domus tuae » et *ant. 3.* « Non est hic aliud, nisi domus Dei. »

b. *Consecratio positiva: praefatio consecratoria.* Haec praeceditur *duabus orationibus,* (« Deus qui loca nomini tuo dicanda » et « Deus sanctificationum »), (piae iam in Gelasiano leguntur (Wilson p. 133), quarum secunda dein transit in praefationem, quae primum in Pontificali Romano-Germanico saec. X. continetur. *Praefatio* haec enixe rogat Deum, ut descendat in hanc suam ecclesiam, ut « quotiescunque in hac domo tua sanctum nomen tuum fuerit invocatum, eorum, qui invocaverint, a pio Domino preces exaudiantur ». Exstaticis verbis dein Deus collaudatur: « O beata et sancta Trinitas, omnia perornans, beata maiestas Dei cuncta continens, sancta manus Dei omnia sanctificans, » ut hanc ecclesiam consecrare dignetur, ideo, ut « omnes qui hoc templum beneficia iuste deprecaturi ingrediuntur, cuncta se impetrasse laetentur. »

1°. *ACTUS TERTIUS:* dedicatio fit post consecrationem eo, quod ecclesia et altare *etiam Sanctis dicatur* et sub eorum tutela sistitur. Quod fit per locationem reliquiarum, dein consecratione altaris Sanctis in eo reconditis dedicati, demum per primam celebrationem SS. Sacrificii in altari ecclesiaque recenter dedicatis.

a. *Locatio reliquiarum.* (1) *Actus praeparatorius* est, quod pontifex ante altare ex aqua S. Gregorii *facit maltam* seu caementum, id statim benedicens

(u Summe Deus »). — (2) Dein iit *processio* aci locum ubi reliquiae asservantur. Coram reliquiis pontifex stando sine mitra dicit *orationem:* «Aufer a nobis quaesumus », et iit *veneratio* s. reliquiarum per cantum quatuor antiphonarum et invitatorii (Ps 94). — (3) *Processio* dein fit *hoc ordine:* duo ceroferarii, Crux processionalis, clerus, sacerdotes portantes feretrum cum reliquiis, iuxta eas thurifer continuo eas incensans, ante reliquias incedant aliqua intortitia. Sic *circumeunt* exterius totam ecclesiam, *cantando* « Kyrie eleison ». — (4) Ante ingressum in ecclesiam pontifex sedens ante ostium ecclesiae populo *sermonem* profert, in quo momentum et sensum ecclesiae extollit, nam « locus est salutis portus naufragantibus... hanc beneficia petituri adeunt», fidelesque ad decimas solvendas exhortatur. Episcopus dein certior redditur, quo pacto ecclesia sustentari queat. Dein (5) immediate ante ingressum pontifex profert *orationem* « Domum tuam quaesumus, Domine, clementer ingredere », quod fit per *introitum* episcopi, Christum repraesentantis, qui *chrismate* prius in modum Crucis ecclesiae *ostium* signat, ut « porta sit benedicta... introitus salutis, et pacis, » dein intus portatur feretrum, sequuntur clerus et populus, pontifex autem intonat *ant.* « Ingredimini Sancti » quae cantatur, dum ingrediuntur ecclesiam. — (6) Cum pervenerint ad altare, feretrum prope id deponitur, pontifex mitratus ante altare incipit *ant.* « Exsultabunt Sancti n, quae cum Ps. 149 canitur, postea dicit *orationem:* « Deus qui in omni loco dominationis ». Haec actio *introducit* (7) ipsam *reconditionem* reliquiarum: pontifex confessionem i. e. scpulchrum in quatuor angulis *chrismate linit* signum faciendo Crucis, dein recondit *vasculum* reliquiarum in sepulchro, et inchoat *ant.* « Sub altare Dei sedes accepistis »; inter cantum a schola exeeutum thurificat reliquias. Cantu finito — cum mitra — accipit tabulam quo claudi debet confessio, et dextera sua in medio tabulae *quinquies* format *signum Crucis* cum chrismate, mox eam linit cum caemento et claudit sepulchrum. Intonat dein *ant.* « Sub altare Dei audivi voces occisorum », dicitur *oratio,* caementarii cum caemento firmant ipsam tabulam, super quam ultimo pontifex iterum *quinquies* format *signum Crucis* cum sancto chrismate. Statim sequitur nunc:

b. *Consecratio ipsius altaris.* (1) Primum fit *lustratio* altaris per *thurificationem* pontificis mitrati, inter cantum *ant.* « Stetit angelus iuxta aram templi », postea dicit *orationem* « Dirigatur Domine, oratio nostra. »). Dein reassumpta mitra, sedet et ministri extergunt mensam altaris cum linteo mundo, mox *pontifex thurificat* super illam in modum Crucis, in medio et in eius quatuor cornibus. Quo facto, pontifex iterum incensum ponit et benedicit, et *sacerdos* unus inter totum actum consecrationis continue circuit altare id *incensando.* Pontifex intonat *ant.* « Dirigatur Domine, oratio mea » et mitratus accipit a praedicto sacerdote thuribulum et circuit *ter* altare ad dexteram continue thurificando. — (2) Nunc sequitur *consecratio:* pontifex inchoat *ant.* « Erexit Jacob lapidem », quae a schola cum Ps 83 canitur, interim pontifex cum oleo catechumenorum *quinque Cruces* facit in *medio* et *quatuor cornibus* mensae, formam ad singulas repetens (« sanctificetur »). Dein iterum imponit et benedicit thus et *semel circuit altare* ad dexteram thurificando. Interim *denuo* canitur *Resp.* « Dirigatur Domine, oratio mea », restituto sacerdoti continue thurificanti thuribulo, dicit *orationem* (« Adsit Domine, misericordiae tuae ineffabilis pietas »). *Tota actio repetitur* inter cantum *ant.* « Mane surgens Jacob » et Ps 91, sc. unctio fit secundo quoque et dicitur oratio (« Adesto Domine » et « Omnipotens sempiterne Deus, altare hoc »). *Tertio* dicitur *ant.* « Unxit te Deus, Deus tuus » cum Ps 44., et tertio fit *unctio,* sed nunc iam

cum 5. *chrismate,* et dicitur sine mitra oratio (α Descendat quaesumus Domine). *Quarto* inter cantum *ant.* « Sanctificavit Dominus tabernaculum suum » et Ps 45 pontifex mitratus peragit *unctionem totalem* mensae, fundit et spargit oleum catechumenorum et chrisma pariter super altare, illud manu dextera confricans, liniens et perungens. Demum *laudatur* altare consecratum ant. « Ecce odor filii mei » et Ps 86, et etiam oratione « Lapidem hunc ...ad suscipiendum populi sui vota et sacrificia ». — (3) Fit *consecratio parietum* ecclesiae. Sanctitas nimirum altaris etiam in parietes redundat, quae spatio suo inter se continent tam grande mysterium gratiae. Inter cantum scholae (« Lapides pretiosi omnes muri tui » ct « Haec est Jerusalem civitas illa magna caelestis », demum « Plateae tuae Jerusalem ») et Ps 147 episcopus incipiens a latere Evangelii, *duodecim Cruces parietis* super quas candelae iam ab initio ardent, chrismate inungit. — (4) His peractis fit in altari *sacrificium symholicum thymiamatis.* Pontifex mitratus incensat super altare, interim canitur *ant.* « Aedificavit Moyses altare », qua finita dicitur *oratio* (a Dei Patris omnipotentis misericordiam »). Cum alia oratione benedicitur *incensum super altare cremandum* (« Domine... cui assistit exercitus angelorum ») et aspergit aqua benedicta incensum. Accepta mitra *quinque Cruces* format ex incenso in *medio* altaris et *quatuor* cornibus superimponens his alias Cruces formatas e candela subtili, eas dein incendit, ut cum candelis thus comburatur et cremetur. Altare nunc stat in flammis odoriferis, *tres* interea *antiphonae* canuntur: « Alleluia. Veni Sancte Spiritus... Ascendit fumus aromatum... Stetit angelus iuxta aram templi », demum dicitur oratio (a Domine sancte »). Combustis candelis et thure, cineres cum spatulis ligneis raduntur et proficiuntur in sacrarium. — (5) *Obsignatio* huius consecrationis fit per *praefationem consecratoriam alteram* quae Deum exposcit, ut altare « sit illius gratiae, cuius fuit illud, quod Abraham pater fidei ...exstruxit », quale Isaac, dein Jacob erexit, ut heic orantes exaudiantur, oblata sanctificentur, sitque « mensa caelesti spiritualique convivio praeparata. » — (6) Totus actus consecratorius *clauditur* ant. « Confirma hoc Deus » et Ps 67, pontifex interim mitratus *chrismate* sancto *Crucem* facit in *fronte* altaris, ut — sicut in subsequent! *oratione* dicitur — altare placeat Deo atque altare maneat perpetuum. Qua dicta pontifex chrismate inungit *coniunctiones* mensae et tituli seu stipitis, quatuor angulis quasi illa conjungens, in *oratione* vero precatur Deum, ut imposita huic altari novo munera sicut sacrificium Melchisedech semper accepta ferre dignetur.

c. Dedicatio demum fit per primam *celebrationem sacrificii incruenti.* (1) Pontifex — si opus sit — *benedicit* prius tobalea, vasa et paramenta ecclesiae, unica oratione et aspersione. — (2) Dein ministri *vestiunt altare* maius et minora, chrismale seu pannum linteum ceratum extendentes super mensam, dein tobaleas, ponentes desuper Crucem, interim *canuntur* antiphonae et responsoria (« Circumdate levitae... Circumdate Sion... Induit te Dominus ») et Ps 62. — (3) In fine, cum iam altaria vestita sunt, *ter* repetitur *veneratio altaris vestiti.* Canitur *ant.* « Omnis terra adoret te Deus », interim pontifex *incensat* super altare in modum Crucis. Finito cantu tertio repetito, pontifex dicit *duas orationes.* — (4) Ilis finitis, recipit se *iit sacristiam* et deponit pluviale, sumit sandalia, dein lotis manibus accipit omnia paramenta pontificalia, *albi* coloris. Interim *ornatur* ecclesia, luminaria accenduntur.

5°. Leges cultualcs dedicationis, a. *Actus dedicationis* seu consecrabo « *in actu* · constituit festum pro iis qui ecclesiae adscript! sunt, pro clero et pro

fidelibus. Festum dedicationis ecclesiae i.e. dies consecrationis, est *festum Domini* (NCR Var. 60). (1) *Permittitur* dedicatio « de iure omni die, opportunius tamen fit dominicis et festis diebus » (NCR 331). Celebrari potest etiam diebus festis et quidem cum Missa dedicationis, quibus secus *Missa votiva I. cl.* non esset permissa: ergo SS. Trinitatis, Christi Regis, Cordis Jesu, Immaculatae Conceptionis et Assumptionis BMV., die octavo Nativitatis (1. ian.), et Dominicis etiam I. cl. (NCR 332 coli, cum 328 et 91,1-8.). — (2) *Prohibetur* dedicatio, proinde etiam Missa dedicationis tantum in vigilia et festo Nativitatis, in Epiphania, Ascensione, Corporis Christi, Hebdomada Sancta, Dom. Resurrectionis et Pentecost., et in Comm. Omnium Fidelium Defunctorum (NCR 331). — (3) Die ante dedicationem *ieiunium et abstinentia* servanda est a consecratore et ab iis qui eam petierunt (Pontif. Rom.). — b. Leges officii. Iuxta novas rubricas (NCR Var. 60): (1) ante reliquias Sanctorum in altari ecclesiae consecrandae includendas, si commode fieri potest, celebrentur *Vigiliae* et cantetur vel dicatur Matutinum cum tribus nocturnis (Laudes ergo iam non), in honorem Sanctorum Martyrum, quorum reliquiae sunt recondendae. Invitentur quoque fideles, ut his Vigiliis participent. *Privilegium* pro clericis: his vigiliis peractis satisfaciunt obligationi recitationis Matutinum. — (2) *Officium diei dedicationis* tali modo ordinatur: in *ipso die* dedicationis dicitur officium *de die liturgico* occurrenti usque ad Nonam. A Vesperis autem diei dedicationis, dicitur officium *de dedicatione* ecclesiae, quod protrahitur usque ad Completorium diei sequentis et dicitur ad modum festi I. cl. — c. *Missa dedicationis.* (1) « Est *pars totius ritus* consecrationis ecclesiae vel oratorii » (NCR 332), quod sane vidimus, in ritu Romano antiquo enim tota dedicatio in celebratione Missae constabat. Celebrari ergo debet quoties actus consecrationis iit, Missa haec est votiva I. cl. (NCR 329, a). — (2) *Ritus Missae. Textus* sumitur semper de dedicatione, prout legitur in Missali Romano. Dicitur *Gloria* et *Credo,* (NCR 330. a), orationi Missae dedicationis additur *sub unica conclusione,* oratio de mysterio vel Sancto in cuius honorem ecclesia vel oratorium est consecratum et *nulla* alia additur *commemoratio,* ne privilegiata quidem, (NCR 333), ergo nec de Dom. vel festo I. cl. *Color* est albus (iuxta NCR 120. a) *si in cantu* celebratur — potest etiam lecta esse — tonus est sollemnis (NCR 330. d). — (3) *Celebrans* Missae est consecrator, per se, nam iuxta Pontif. Rom., si esset consecrator « nimis fatigatus, faciat Missam celebrari per alium sacerdotem. « (Pont. Rom.). — d. *Aliae Missae,* quae in ecclesia vel oratorio dic consecrationis, expleto ritu celebrantur, *possunt* dici de Dedicatione, tamipiam votivae I. cl. (NCR 334).

c) De anniversario dedicationis

superius iam actum est De Eccl. orante G. 1. g.

d) De benedictione ecclesiae.

1°. Omnes ecclesiae *benedici debent,* quae non consecrantur, antea divina officia in ecclesia celebrari nequeunt (can. 1165 § 1). Solummodo ecclesiae cathédrales *debent consecrari,* ecclesiae collegiatae, conventuales et paroeciales « quantum fieri potest » *decent* consecrari (ibid. § 3). Solummodo *benedici* possunt, non autem consecrari ecclesiae « ex ligno, ferro aliove metallo » fabricatae (ib. § 4). Omnes aliae ecclesiae *possunt* consecrari.

2°. Si ecclesia tantum *benedicitur,* hoc non debet episcopus peragere, sed quilibet *sacerdos* de licentia Ordinarii, nec debet servare *ieiunium* benedicens, sicut minister consecrationis una cum petentibus sibi ecclesiam consecrari (can. 1166 § 2), et potest *quolibet die* fieri, non sicut consecratio decenter solum dominicis et aliis diebus festis de praecepto (ibid. § 1).

3°. Benedictio ecclesiae habetur *Rit. Rom. tit. IX. c. 9, 17.* et est abbreviabo exiguae molis ritus Pontificalis Romani.

a. Sacerdos delegatus *vestitus* amictu, alba, cingulo, stola et pluviali albi coloris clericis adhibitis *procedit* mane, praecedente Cruce inter duas candelas, ad primariam ecclesiae *ianuam,* ecclesia intus est vacua et nuda, et pariter altaria nuda, populus autem exclusus. Ibidem dicit capite detecto *orationem·*. « Actiones nostras. » Dein

b. sequitur *benedictio* ecclesiae *deforis* facta, inter cantum *ant.* « Asperges me Domine » et Ps Miserere *circumitur* ecclesia ct sacerdos cum aspergilio *parietes* ecclesiae in superiore parte et in fundamentis aqua benedicta *aspergit,* et reversus ad ianuam principem, dicit *orationem:* «Domine Deus, qui licet caelo et terra non capiaris. »

c. Dein sequitur *ingressus* in ecclesiam, bini et bini omnes intrant, Litanias ordinarias decantantes, quae dein absolvuntur in templo, genibus flexis, sacerdos dat specialem invocationem (« Ut hanc ecclesiam... »), postea *supplicatio pro benedictione* concluditur *oratione* « Praeveniat nos. n

d. Sequitur ipsa benedictio *interioris ecclesiae:* (1) Deus *exoratur* ad adiuvandum per « Deus in adiutorium meum intende n, quod congruenti spatio ante altare genibus flexis dicitur cum *oratione* (« Omnipotens... qui sacerdotibus tuis tantam prae ceteris gratiam contulisti »), ut quidquid sacerdos benedicturus est, benedicat et Deus. — (2) Dein intonat sacerdos *ant.* « Benedic Domine domum istam », et dicuntur Ps 119. 120. 121. — (3) Interim sacerdos *semel circuit* ecclesiam intus et *parietes* in parte superiori et inferiori incipiens a parte Evangelii *aspergit* dicens « Asperges me. » Ad altare reversus dicit *orationem:* « Deus qui loca nomini tuo dicanda sanctificas. » — (4) His peractis, dicitur *Missa* de mysterio vel de Sancto, in cuius honorem ecclesia est benedicta, iuxta rubricas, vel dicitur Missa diei cum oratione Titularis. Missa de mysterio vel Sancto habenda est ut Missa votiva II. cl. (NCR 345).

e) De reconciliatione ecclesiae.

1°. De violatione seu exsecratione ecclesiae cfr. superius De Eccl. sacrificante F. 3. b. 1°. d.

2°. In genere *de reconciliatione ecclesiae lex est:* « Ecclesia violata reconcilietur, quam *citissime* poterit, secundum ritus in probatis liturgicis libris descriptos » (can. 1174 § 1). « Si dubitetur, num ecclesia sit violata, reconciliari *potest* ad cautelam » (ib. § 2), ergo non *debet.* « Ecclesia violata ob sepulturam excommunicati vel infidelis, ne reconcilietur, antequam cadaver exinde removeatur, si remotio sine gravi incommodo fieri potest » (can. 1175).

3°. Minister *reconciliationis* ecclesiae *benedictae* est « rector eiusdem vel quilibet sacerdos de consensu saltem praesumpto rectoris » (can. 1176 § 1), ideo, ut quam citissime reconciliari possit. Minister reconciliationis ecclesiae *consecratae* non est simpliciter rector ecclesiae, sed reconciliatio spectat ad eosdem qui *ius habent benedicendi* locum sacrum, qui sunt a. In ecclesiis cleri *saecularis,* religionis non exemptae et laicalis: Ordinarius loci, — b. in ecclesiis

religionis clericalis *exemptae:* Superior maior. — c. Uterque potest alium sacerdotem ad reconciliationem *delegare,* ergo si ecclesia consecrata violetur, debet ad Ordinarium recurri, excipitur tamen casus « gravis et urgentis necessitatis, si Ordinarius « (aut loci, aut Superior maior) « adiri nequeat, rectori ecclesiae consecratae eandem reconciliare fas est, certiore facto postea Ordinario » (can. 1176 § 1-3 et can. 1156).

4°. *Reconciliatio ecclesiae* benedictae fieri potest aqua lustrali communi, i.e. iam benedictae (can. 1177) et habetur in *Rit. Rom. tit. c. 9, 18.*

a. Altare omnino nudetur, sacerdos induit amictum, albam, cingulum, stolam et pluviale albi eoioris et fit primo *reconciliatio ecclesiae deforis peracta.* Statuunt se ad *portam* primariam ecclesiae, *cantatur* « Asperges me » cum toto Ps. 50., quo finito ant. repetatur. Interim sacerdos aqua benedicta *aspergit* in circuitu extrinsecus ecclesiam et coemeterium. Quo facto redit ad portam et dicit *orationem* (n Omnipotens et misericors Deus, qui sacerdotibus tuis »).

b. Dein fit *supplicatio,* sicut in benedictione (cf. supra d. 3°, c.).

c. *Actus reconciliationis.* Sacerdos genuflexus ante altare incipit « Deus in adiutorium » cum choro, et concluditur cum Gloria Patri. Dein inchoat ant. « Exsurgat Deus et dissipentur inimici eius » cum versibus Ps 67. Interim sacerdos *circuit* ecclesiam intrinsecus *aspergendo,* specialiter aspergendo loca contaminata. Quo facto dicitur *oratio:* « Deus qui in omni loco, n

d. Dein celebranda est *Missa* de die currenti.

5°. *Reconciliatio ecclesiae* consecratae debet fieri secundum *Pontificale Romanum,* qui adhiberi debet ritus etiam a sacerdote, si delegatus fuit ab Ordinario, vel si licentia casus urgentis utatur (Rit. Rom. tit. IX. c. 9, 17 n. 8).

a. Ante portam ecclesiae fit prius *benedictio aquae,* sicut in Pontificali praescribitur, « reconciliatio ecclesiae consecratae fiat aqua *ad hoc* benedicta, see. leges liturgicas, quam tamen non solum episcopi, sed etiam presbyteri qui ecclesiam reconciliant, benedicere possunt n (can. 1177). Dein fit reconciliabo *deforis facta* et:

b. *Supplicatio* Litaniarum, hi actus parum solum differunt a ritibus consimilibus reconciliationis ecclesiae benedictae.

c. Actus *reconciliationis interius* peractae iam prolixior est. Post. *ant.* a Exsurgat Deus » et Ps 67 dicitur *oratio* longior (« Deus indultorem criminum »). quae dein transit in *praefationem* reconciliatoriam, in qua Deus exoratur, ut altare pollutum purificetur, macula efferatur ab ecclesia, et resurgat ecclesiae pura simplicitas.

d. Novus est etiam *actus specialis reconciliationis altaris.* Celebrans (pontifex cum mitra) ascendit ad altare, inchoat *ant.* « Introibo ad altare Dei » cum Ps 42 et dicit *orationem* « Deus qui in omni loco », dein dicitur *ant.* « Confirma hoc Deus » cum Ps 67 integro cantato, postea dicit *orationem* « Deus qui Ecclesiam tuam sanctam ».

e. Dein dicitur *Missa* de die, sed in ritu reconciliativo ecclesiae consecratae dicitur etiam *collecta* sub una conclusione cum oratione diei (« Deus qui dixisti »).

4. De coemeteriis.

Agendum est nobis a) De nominibus coemeterii, dein b) De historia et speciebus coemeterii, item c) De benedictione coemeterii, deinde d) De reconciliatione coemeterii, demum e) De legibus cultualibus coemeterii.

a) Dc nominibus coemeterii.

Γ. Antiquissima denominatio, simul nunc quoque usitatissima est *coemeterium,* a Graeco vocabulo *koimêtêrion (*— dormitorium), quod primum occurrit penes Tertullianum (De anima c. 51). Inde derivantur nomina *cimitero* (ital.), *cimetière* (gall.), *cinterem* (hung.). — 2°. Usum profanum sapit vocabulum Graecum *polyandrium* usitatum a quibusdam Patribus (Lactantius, Arnobius), aliquoties occurrens in libris liturgicis medii aevi et ter in Pontii. Romano. — 3°. *Mausoleum* vocatur coemeterium semel in ritu reconciliationis ecclesiae et coemeterii a Pontif. Romano. — 4°. Textus paulinus de corpore, quod seminatur et surget (1 Cor 15, 42-44) ansam dedit denominationi metaphoricae aliquarum linguarum, ut *campo santo* (ital.), *Gottesacker (=* ager Dei), *sirkert* (hung. = hortus sepulchralis). — 5°. A notione fodiendi, sepeliendi derivantur nomina ut slavic. *groblye,* hung, *temeto,* germ. *Grabstatte.* — 6°. Quoniam medio aevo coemeteria saepissime circum ecclesias sita erant, vocabantur etiam « *area ecclesiae* », inde vox german. *Kirchhof,* et anglic. *churchyard.* — 7°. Denominatio germanica *Friedhof* etymologia populari significat » ream pacis, » et derivatur a vocabulo « umfrieden », i.e. saepi cingere aliquid, coemeteria enim saepto circumdata sunt.

b) Historia et species coemeterii.

1°. Historia coemeterii, a. Ab initio fideles sepulti fuere in *monumentis familiae* aut in coemeteriis collegiorum funeraticiorum,, etiam commixti cum tumulis aliorum. Rccentissimae excavationes in cryptis Vaticanis ostendebant monumentum S. Petri fuisse inter pagana monumenta.

b. At mature, iam inde a saec. II-o *peculiaria coemeteria* pro christianis condi coeperunt, ut a paganis consuetudinibus funeralibus cavere possint. Fideles divites possessionem suam privatam obtulerunt communitati, ut ibi sepeliantur christiani, diuque *nomine donatoris* significabatur coemeterium. Sic Romae in Via *Ardeatina* conditum est coemeterium Domitillae, in Via *Ostiensi* coemeterium Coinmodillae, in Via *Aurelia* coemeterium Lucinae, aliud autem Calepodii, in Via *Salaria Nova* coemeteria Maximi, dein Thrasonis, lordanorum, Priscillae, in Via *Latina* Aproniani. Coemeteria haec, praecipue Romae, subterranea fuerunt, plurcsque contignationes aedificatae sunt. Nomen talium sepulchrorum fuit « *hypogaeum* n, inde a saec. XV. humanistae haec coemeteria « *catacumbas* » appellaverunt.

c. Catacumbae non solum Romae, sed multis in locis Imperii Romani inveniuntur tempore persecutionum usque ad saec. V. Sic in *Africa* septentrionali Romanorum ditioni subiecta (Hadrumeti = Sousse, Sullecti = Salakta, Alexandrine). in *Italia* (Anconae, Cataniae, Syracusae, Neapoli, Panormi), in *Asia Minore* (Azuguzel, Anazarbe, Kassaba), in *Pannonia* Sopianae (= Pécs). Extra catacumbas ubique in *campo subdivano* fideles tumulati sunt; « in hortulis nostris secessimus » legitur in inscriptione quadam (DAL III, 1637).

d. *Medio aevo* ubique *in circuitu ecclesiarum* paroecialium sita sunt coemeteria. et tamquam patrimonium ecclesiae paroecialis habebantur. Seriore tempore autem coemeteria condita sunt ab ecclesia paroeciali *remota,* haec setup r saltem capella, praecipue S. Michaeli Archangelo dicata ornabantur.

c. Areo *novo* autem invaluerunt coemeteria *publica municipalia* (Gcmein-

defriedhof), praesertim in civitatibus maioribus, quae dein inde a saec. XIX-o iam « mixta » sunt, i.e. omnibus confessionibus patentia.

2°. Species coemeteriorum, a. Coemeteria *hypogaea* sunt catacumbae, quibus aevo nostro assimilantur quodam modo cryptae magnae communes subterraneae.

b. Coemeteria *subdivana* ubique terrarum usitatissima sunt et fuerunt etiam tempore persecutionum, talia reperta sunt in Dalmatia Salonae e saec. II-VI. et in Phrygia saec. II.

c. *Sepulchra ecclesialia.* Iam Constantinus Magnus in atrio ecclesiae Apostolorum Constantinopolitanae sepultus fuit, Summi Pontifices inde a saec. VI-o in porticu ecclesiae S. Petri tumulari consueverunt. In ipsa ecclesia inde a saec. IX-o episcopi, dein etiam abbates sepulti sunt, inde a saec. XII-o autem etiam fideles laici eminentes, ut patroni ecclesiae.

c) De benedictione coemeterii.

Primum ritum pontificalem benedictionis coemeterii, dein benedictionem simplicem describimus.

1°. Ritus pontificalis benedictionis coemeterii praeceditur *praeparatione remota.* Episcopus pluviali albi coloris indutus se recipit ad Crucem principalem coemeterii, ibique sermonem habet de sanctitate et libertate coemeterii. Sequitur dein:

2°. Praeparatio proxima *benedictionis,* a. Episcopus dicit *orationem* «Omnipotens Deus, qui es custos animarum », (piae oratio indicat finem huius caeremoniae: coemeterium debet purgari, benedici et sanctificari ad introitum episcopi, ut humana corpora « in magno indicii die simul cum felicibus animabus mereantur adipisci vitae perennis gaudia ». — b. Dein omnibus ante Crucem principalem genuflectentibus dicuntur *Litaniae Omnium Sanctorum,* cum triplici invocatione episcopi inserta. — c. Demum ad purgationem coemeterii statim *benedicitur aqua* lustralis.

3°. Actus consecratorius *constat·.* a. *ex aspersione* totius coemeterii cum aqua lustrali, pontifex *circuit* coemeterium id continuo aspergendo, recitandoque cum assistentia sua septem Psalmos poenitentiales. — b. Dein *quatuor Cruces minores* circum Crucem principalem collocatas benedicit, incipiendo cum Cruce minore *ante* Crucem maiorem collocato. (1) Primum dicit *orationem,* dein (2) *tres candelas* ardentes figit in Cruce, in summitate, dein in duobus brachiis eiusdem Crucis, (3) se recipit ad Crucem minorem *retro* Crucem principalem constitutam, ibique repetit caerimoniam superius descriptam, dein (4) idem facit ad Crucem minorem a *dextris* et (5) a *sinistris* Crucis principalis statutam. — c. Absolutis Psalmis poenitcntialibus pontifex vadit *ad Crucem* mediam, *principalem* et repetendo eundem ritum, dicit *praefationem* consecratoriam. — d. *Absolvitur* actus consecratorius incensationc Crucis et oratione, dein benedictione pontificali fidelibus impertita. — c. Demum legitur *Missa* in ecclesia coemeterii.

4°. Benedictio simplex *coemeterii* debet fieri iuxta Rit. Roman, (tit. IX. c. 9, 22) a sacerdote ab Ordinario delegato. Ritus est abbreviate ritus pontificalis. Sacerdos facit *praeparationem* proximam superius descriptam (2° a. b.

c.), sed solummodo Ps 50. recitat, dein fit benedictio coemeterii per benedictionem *unius* solum Crucis cum oratione « Deus qui es totius orbis conditor », demum figuntur candelae ardentes in eadem Cruce, quae dein incensatur.

d) De reconciliatione coemeterii.

Notandum est, quod violata ecclesia, non ideo coemeterium, etsi contiguum, violatum censetur et viceversa (can. 1172 § 2).

1°. Sacerdos iuxta Rit. Roman, (tit. IX. c. 9, 23) indutus stola et pluviali albi coloris accedit ad medium coemeterii et ante Crucem provolutus incipit *Litanias Omnium Sanctorum,* cum invocatione inserta.

2'. Deinde surgunt omnes et sacerdos, accepto aspergilio inchoat ant. « Asperges me » quae dein continuatur una cum Ps 50.; dum haec cantantur, sacerdos *circuit* totum coemeterium, incipiendo ad dexteram, *aspergens* ubique aqua benedicta, praesertim in loco ubi violatio commissa fuerit.

3°. Ilis peractis redit in *medium* coemeterii, ibique stans dicit *orationem* « Domine pie, qui agrum figuli. »

4°. *Ritus pontificalis* tantum in eo differt a descripto ritu, quod *septem* dicuntur Psalmi poenitentiales, et *praefatio* cantatur consecratoria, et in fine dicitur Missa.

c) Leges cultuales coemeterii.

1°. *Paroeciae suum coemeterium* habeant, nisi unum pluribus *commune* ab Ordinario loci sit legitime constitutum; sed *religiosi* exempti habere possunt proprium coemeterium, etiam aliis personis moralibus et *familiis* privatis concedi possunt propria sepulchra ab Ordinario loci, extra commune coemeterium posita, quae ad instar coemeterii benedici debent (can. 1208).

2°. Distinctiones *in coemeterio,* a. *Particularia sepulchra* fidelium ex licentia scripta Ordinarii loci exstrui ac de consensu Ordinarii etiam alienari possunt (can. 1209 § 1). — b. Sepulcra *sacerdotum et clericorum* a sepulcris laicorum separata sint, deccntioreque loco sita, « ubi fieri potest » (can. 1209 § 2.). — c. Pro corpusculis *parvulorum* praeparentur specialia et separata sepulchra, « quatenus commode fieri potest » (can. 1209 § 3).

3°. Ius Ecclesiae *circa coemeteria,* a. *Principium fundamentale:* « lus est Ecclesiae catholicae possidendi propria coemeteria » (can. 1206 § 1). — b. Attamen sicubi hoc ius Ecclesiae violetur, nec spes sit, ut violatio reparetur, curet Ordinarius loci, ut coemeteria benedicantur, si qui in eis condi solent sint maiore ex parte catholici, aut si catholici saltem *spatium separatum* in coemeterio possideant (can. 1206 § 2). — c. Si ne hoc quidem obtineri possit, *singula* sepulchra *benedici* debent ante tumulalionem (can. 1206 § 3), qui ritus habetur in Rit. Roman, (tit. VIL c. 3, 12-3). Sacerdos ad sepulchrum dicit orationem » Deus cuius miseratione animae fidelium requiescunt », dein aqua benedicta aspergit et incensat tum corpus, tum tumulum.

4 . Custodia *coemeteriorum,* a. Custodia *externa:* Quodlibet coemeterium sit undique apte clausum et caute custoditum (can. 1210). — b. Custodia *in-*

terna: Cavendum est ne in coemeteriis epitaphia, laudationes funebres ornatusque monumentorum quidquam prae se ferant a catholica religione ac pietate absonum (can. 1211).

5°. Cadavera fidelium sepelienda sunt in coemeterio, in ecclesiis sepeliri possunt solummodo episcopi residentiales, abbates vel praelati nullius, regales personae, cardinales et Summus Pontifex (can. 1205). Cum ecclesia ut locus sepulturae non est benedicta, sepulchrum benedicitur ritu superius 3°. c. descripto.

Litteratura.

Quoad ecclesias. J. P. *Kirsch,* Die christlichen Kultgebaude in der vorkonstantinischen Zeit, Roma 1897. — S. *Many,* Praelectiones de loc's sacris, Paris 1904. — *H. Leclercq,* Églises, *in:* DAL IV, 2 (1921) 2279-2399. — *J. Sauer,* Symbolik des Kirchengebaudes, 2. ed. Freiburg i. Br. 1924. — Λ. *Munier,* Un projet de l'église au XX. siècle, Paris 1933. — F. *J. Dolger,* Kirche als Name fiir den christl. Kultbau, *in:* Antike u. Christentum 1940/50, 161-201. — L. *Eisenhofer,* Handb. d. kath. Liturgik 2. ed. 1941, I. 318-335. — *Th. Klauser,* Vom Heroon zur Martyrerbasilika, Bonn 1942. — *M. Righetti,* Storia liturg. I (1945) 323-362. — *J.* P. *Kirsch,* Die Entwicklung der altchristl. romischen Basilika, *in:* Rom. Quartalschr. 1945, 1-22. — *J. Lechner,* Liturgik des rom. Ritus 1953, 87-94. — *Th. Merkle,* Der kirchliche Zentralbau, *in:* Theol. Quartalschr. 1954, 191-201. — *Th. Bogler,* Modemer Kirchenbau und Hl. Schrift, *in:* Anima 1957, 356-363. — *R. Biedrzynski,* Kirchen unserei Zeit, München 1958. — A. *Stonner,* Die pastorale Ilinfiihrung zum Gotteshaus, *in:* Anima 1959, 237-244. — *II. Schade,* Modemer Kirchenbau, *in:* Stimmen d. Zeit 1959/60, 261-277. — *K. Gatz,* Kirchen. Handbuch fur den Kirchenbau, München 1959. (cf. Theol. u. Glaube 1960, 75-77). — *J.* A. *Jungmann,* Symbolik der Kirche, Stuttgart 1960.

Quoad praxim dc ecclesia et apparatu simul. *R. B. Witte,* Das kath. Gotteshaus. Sein Bau, seine Ausstattung, seine Pflege, 2. ed. Mainz 1951. — *J. O'Connel,* Church building and furnishing. The Church's way. A Study in liturgical law, London 1955. — *D. Duret,* La zèle de la maison de Dieu. Restauration, decoration, aménagement, ameublement de nos églises, Paris 1957.

Quoad dedicationem ecclesiae. Af. *Férotin,* Dédicace des églises chez les Wisigoths, *in:* MEL V (1904) 506-515. — *J. Baudot,* La dédicace des églises, Paris 1907. — *D. Stiefenhofer,* Die Geschichte der Kirchweihe vom 1.-7. Jahrhundert, München 1909. — *Ad. Franz,* Die kirchlichen Bcnediktionen im Mittelalter, I (1909) 54-61. — P. *dc Puniet,* Dédicace des églises, *in:* DAL IV, 1 (1920) 374-405. — *R. W. Muncey,* History of the consecration of Churches, London 1930. — V. *Leroquais,* La dédicace des églises, *in:* Pontificaux manuscrits des bibliothèques publiques de France, I (1937) p. XCIII-C. — *L. Eisenhofer,* Handbuch d. kath. Liturgik, 2. ed. (1941) 448-468. — *J. Lechner,* Liturgik des romischen Ritus, 1953, 337-341. — *M. Righetti,* Storia liturgica IV (1953) 375-390. — *H. Emonds,* Enkainia. Weihe und Weihegedachtnis, *in:* Enkainia. Marialaach 1956, 30-57. — *Th. Michels,* Dedicatio und consecratio in friiher romischer Liturgie, *ibid.* 1956. 58-61. — S. *Benz,* Zur Geschichte der romischen Kirchweihe nach den Texten des 6.-7 Jahrhunderts *ibid.* 1956, 62-109. — *M. Andrieu,* La dédicace des églises à Rome et la déposition des reliques, *in:* Les Ordines Romani du haut moyen-âge, IV. Louvain 1956, 359-384. — *J. A. Jungmann,* Vom Patrozinium zum Wciheakt, *in:* Liturg. Erbe 1960, 390-413.

Quoad coemeteria. V. *Schulze,* De christianorum veterum rebus sepulchralibus, Gotha 1879. — *H. Leclercq,* Cimetière, *in: DAL* III (1912) 1625-1665. — *P. Styger,* Die romischen Katakomben. Archâologische Forschungen iiber Urspnmg und Bedeutung der altchristlichen Grabstâtten, Berlin, 1931. — *L. Eisenhofer,* I (1941) 335-342. II (1941) 468-471. — *M. Righetti,* I (1945) 382-385. — *J. Lechner.* 1953-94-97. 341-342. — *B. Opfermann,* Friedhof, LfThK IV (1960) 373-6.

C) De vasis sacris.

Agendum est nobis in hac quaestione 1. De vasis sacris Missae, dein 2. De vasis sacris eucharisticis, demum 3. De vasis sacris secundariis.

1. De vasis sacris Missae.

Tractare debemus a) De calice, dein b) De patena, demum c) De consecratione calicis et patenae.

a) De calice.

1°. Nomina calicis, a. Nomen usitatissimum hodieque officiale est *calix,* derivatum a Graeco vocabulo *kylix,* quod poculum significat. Graeca vox *poterion* in narrationibus coenae novissimae saec. II. versa est in interpretatione antiqua Latina cum voce « calix », ideo intelligi potest, quod hoc nomen praevaluit. Idcirco etiam in plurimis linguis ex hoc vocabulo denominatur calix: *calice* (ital., gallic.), *caliz* (hisp.), *chalice* (angi.), *Kelch* (german.), *kalich* (slav.). *kehely* (hungar.). — *b.Scyphus* e Graeco *skyphos* tantum aetate antiqua occurrit qua denominatio calicis consecratorii, saec. VIII-1X. vero appellatione hac intelligebatur calix ministerialis in Ordinibus Romanis. — c. Nomen *crater* Graecae originis, a *kerannymi* = miscere, aliquoties aetate antiqua occurrit, praecipue Ravennae, ubi influxus Graecus magis viguit. — d. *Poculum,* quod corresponde! Graeco *potêrion* aliquoties occurrit, sed non sine adiectivo determinante, ut poculum sanctum, mysticum. — e. Graeci utebantur et utuntur plurimum vocabulo *potêrion,* dein *kratêr,* vel parcissime nomine *kypellon.*

2°. Species calicis, a. *Calix consecrationis* in quo transsubstantiatio fiebat, vocatur (1) calix *sanctus* praecisive, saec. VIII-IX., vel — (2) calix *stationarius,* ut denominatio Romana parce usitata in Libro Pontificali, quia mos erat calicem secum ferendi in ecclesiam stationalem. — (3) Vocatur etiam calix *maior* ibidem, dum calix *minor* calicem ministerialem significabat. — b. Calix *ad communionem fidelium inserviens* clamatus est (1) Calix *ministerialis,* vel etiam calix *communicatis,* usque ad saec. VIII., inde enim — (2) vocatus est calix ad communionem inserviens *scyphus.* — c. Calix *offerendarius* appellatus est calix in quo collecta fuit offerenda fidelium vinum portantium, quod adhuc saec. XII., imo XIV. occurrit. — d. Calix *baptismatis* fuit calix ad communionem recens baptizatorum serviens, vel etiam calix in quo mixtura lactis et mellis neomystis oblata est post communionem. — e. Calix *viaticus* non calix fuit, in quo vinum consecratum infirmis portatum est, nam sub una specie fere semper communionem sumebant, sed calix sacerdotibus itinerantibus deserviens, qui exiguae molis esse consuevit, sic calix quidam viaticus Civitatis Ducalis (= Cividale) 9.5 cm. altus, cuppa eius 5.5 cm. lata est (Braun p. 61).

3°. Materia calicis, a. Primis decem saeculis materia calicis nullo modo praescripta fuit, calices enim confecti sunt ex eadem materia ac pocula communi usui inservientia, ideoque priscis temporibus in usu fuerunt calices *vitrei, lapidei, cornei, lignei,* at iam tempore persecutionum exsistebant calices e *metallo* nobili conflati, versus 304 enim Cirtae in Africa duo calices aurei sexque argentei a fisco occupati sunt (Gesta apud Zcnophilum, CSEL 26, 187). Traditorem sub Diocletiano et Maximiano non solum libros sacros, sed etiam calices aureos ct argenteos Gentilibus tradidisse repertur a Baronio ad a. 303. Saec IV-V. iam permulti calices, teste Libro Pontificali ex auro et argento confecti sunt. — b. Inde a saec. XI-o *prohibitiones* synodales emanatae sunt semper frequentiores, ne calices vitrei, cornei, lignei adhibeantur, e. gr. « Nullus

autem in ligneo calice, aut in vitrio praesumat cantare, » iuxta decr. Burchardi Wormatiensis (PL 140, 692).

4°. Forma calicis, a. Ab initio habuit calix formam similem aliis poculis vitae cotidianae, nunquam imitando effictae sunt formae Mosaici cultus (Braun p. 53). *Duae praecipue formae* adhibitae sunt: « *calix* » i. e. poculum satis altum cum pede, et « *calix ansatus* » (Henkelkelch) i. e. poculum demissum cum duabus ansulis hinc inde appositis. Hic calix ansatus usque ad saec. XII. in usu remansit et sat diu non multum differebat a poculis profanis. — b. Calix pede instructus sat mature iam versus formam sacralem se evolvere coepit, aetate praegothica vero, saec. XII-o latitudo cuppae crevit, pedi addita fuit stipes partibus constans, una inter pedem et nodum, altera inter nodum et cuppam. Temporibus subsequentibus deinde haec forma calicis remansit, sed iuxta varios stilos varias formas accepit.

5°. Instrumenta secundaria calicis, a. *Fistula* (seu calamus, pugillaris, pipa, virga, tutellus, arundo, canna, sipho) *sumptorium instrumentum* fuit quo sanguis Christi sugi solebat Romae saec. VIII. (Braun 253 s.), quod dein una cum communione sub utraque specie in desuetudinem abiit, saec. XIV. Nunc solum Summus Pontifex sumit SS. Sanguinem tali fistula in Missa pontificali. — h. *Flabellum* (seu muscarium, ventilabrum, rostarollum, rotula) fuit instrumentum ad muscas abigendas super calicem, simul etiam ad aerem agitandum sicque refrigerium procurandum tempore aestatis (= Fiicher, ventaglio, fan. legyezô). Origo huiusmodi instrumenti invenitur in Oriente christiano, ubi *rhipidion* nominabatur, inde a saec. V-o iam in usu erat, nuneque adhuc usitatur in ritibus Byzantino, Armeno, Syriaco et Coptico. In Occidente primum reperitur saec. IX-o, Romam pervenit a. 860 sub pontificatu Nicolai I., attamen usus solummodo inde a saec. XI-o in Occidente, Romae autem inde a saec. XIII. exeunte attestatur (Braun p. 652). In Missa pontificali Summi Pontificis et aliis pompis hodieque usitatur. — c. *Cochlear parvum* (7-9 cm.) ad porrigendam aquam in vinum consecrandum saec. XIII-o in ritu Latino adhiberi coepit in regione septentrionali regni Francici et Flandria, indeque usus divulgatus est in Germaniam et Angliam, nunquam autem in Italiam. Hodieque multis in locis adhibetur, usus eius toleratus est a SCRituum (7. febr. 1858).

6°. *Leges cultuales* calicis cf. De Eccl. sacrificante F. 4. a. 3°.

h) Dc patena.

1°. Nomina, a. In ritu Latino inde a priscis temporibus vocatur *patena* ille catinus, in quo materia corporis Christi praeparatur et collocatur. Vox derivatur a Graeco *patanê* quo lanx (Schiissel) significatur. Medio aevo sensum symbolicum invenerunt in hoc vocabulo, « patena dicitur eo, quod patet, corda ampla caritate significat », dixit Amalarius eumque secuti multi alii (Lib. officialis III. c. 27, 8 ed. Hanssens II, 352). Hodierna nomina fere omnia inde derivantur: *patena* (ital., hisp., hungar.), *Patene* (germ.), *patène* (gall.), *paten* (angi.), sed veteres Anglosaxi eam vocabant *disc,* Hiberni vero teisc, a Graeco *diskos,* quod nomen hodieque in usu est. — b. Parcissime occurrunt nomina *patera* et *paropsis,* quod nomen c textu Latino Mt 26,23 oriundum est, at in ritu Byzantino solum nomen *diskos* frequentatur.

2°. Materia patenae, a. *Aetate antiqua* patenae *vitreae* certe in usu fuere, etsi exemplar talis patenae nondum inventum est. Non liquet, num ante aevum Carolingicum patenae ligneae vel aurichalco confectae in usu fuerint. — b. Medio aevo autem posteriore patenae exstiterunt etiam *corneae* et *ligneae,* quod e vetitis synodalibus constat, inde autem a saec. XI-o convictio praevaluit, quod calix una cum patena « si non ex auro, omnimodis ex *argento* fiat, si quis autem tam pauperrimus est, saltem vel stanneum calicem habeat », quod principium dein in Decretum Gratiani assumptum fuit (Dist. 1. De consecr. c. 45). Editio typica Pontificalis Romani inde ab. a. 1596 praescriptum habet: « Calix et patena sint aurei vel argentei, non aerei vel aurichalcei, vitrei vel lignei » (Ordo ad synodum).

3°. Forma patenae, a. Usque ad saec. X. non liquet de forma patenae qualis fuerit, verisimiliter fuit saepissime formae *orbicularis,* sicut paterae usui communi destinatae, attamen occurrit etiam forma *octogonalis,* Gregorius enim IV. (827-844) « fecit in ecclesia beati Marci patenam octogoni exauratam, habentem in medio vultum Domini Dei nostri et a duobus lateribus vultum ipsius beati Marci atque eiusdem praesulis » (Lib. pont. ed. Duchesne II, 77). — b. Inde a saec. X-o semper plures patenae repertae sunt, quae omnes habent formam orbicularem, sed saepe multo maiores fuere formis hodiernis.

c) De consecratione calicis et patenae.

1°. Historia consecrationis, a. *Aevo antiquo* nulla consecratio calicis et patenae in usu erat, sufficiens putabatur usus et *contactus sacralis,* quod e Patribus liquet. Sic e. gr. S. Augustinus clare dicit: « Nos pleraque instrumenta et vasa ex huiusmodi materia vel metalla habemus in usum celebrandorum sacramentorum, quae ipso ministerio consecrata sancta dicuntur in eius honore, cui pro salute nostra inde servitur » (Enarr. in Ps 113. s. 2, 6 PL 37, 1484). — b. *Peculiaris benedictio* patenae et calicis una cum benedictione aliorum supellectilium (1) primum videtur in *Missali Bobiensi,* ergo in libro liturgico *typi Gallicani.* Benedictio est collectiva « calicis, patenae et turris » (PL 72, 571), *turris* est instrumentum quo panes consecrandi ad offertorium processione e sacristia ad altare ferebantur. (2) *Alia benedictio Gallicana* legitur in Missali Francorum saec. VIII. et in Sacramentario Gelasiano primigenio, quae benedictio est Gallicana et *collectiva* « Ad omnia » (PL 72, 330 et Wilson p. 135). Oratio unica prolixa benedicit « vasa haec cum hoc altario, linteaminibus, ceterisque vasis, » ratio benedictionis sumitur e Veteri Testamento: « quemadmodum sanctificasti officia tabernaculi testimonii olim cum arca, oraculo... et ceteris ahis in figura nostri per manus sanctorum sacerdotum, ita nunc manens in aeternum summus Sacerdos sacerdotum... patenam hunc et calicem hunc et omnia instrumenta altaris huius ecclesiae... corde precamur, ut benedicas ». — 3) Benedictio ad consecrandam *patenam et calicem* reperitur in eodem Missali Francorum, quod iam indolem romanizationis prae se fert, idemque invenitur etiam in Sacr. Gelasiano (1. cit.). Idem ritus invenitur in aliis libris liturgicis Romanis saec. IX-X, et in Pontificali Romano-germanico saec. X., verisimiliter est *originis Romanae,* in Missali Francorum ct Gelasiano est ritus evidenter truncatus — F *Durandus* saec. XIII. exeunte addidit huic ritui orationem · Omn semp. Deus, manibus nostris ») quae in Gelasiano fuit benedictio !>'.\idix sicque ritus consecrationis patenae et calicis transivit in Pontificale Romanum ct mansit usque hodie.

2”. Descriptio ritus consecrationis patenae et calicis.

a. Primum fit consecratio *patenae* stola albi coloris, mitratus dicit (1) *invitatorium* ad orationem, ut sanctificetur patena ad confringendum in ea corpus Christi, dein — (2) mitra deposita in *oratione* Deum precatur, qui legalium est institutor hostiarum, ut consecrare dignetur patenam in administrationem Eucharistiae. — (3) Dein fit *unctio:* pontifex accepta mitra facit cum pollice dexterae manus chrismate intincto Crucem super *patenam* ab ora in oram, et mox linit et perungit totam eius superficiem, dicendo « Conse t crare et sancti f ficare digneris... ».

b. Secundo fit consecratio *calicis* item (1) dicendo *invitationem* ad orationem cum mitra, dein (2) mitra deposita dicitur *oratio,* ut Deus sanctificatione ea perfundat calicem, qua Mclchisedech famuli sui sacratum calicem perfudit, demum (3) fit, mitra reassumpta consecratio calicis *cum chrismate intra* ipsum calicem a labio eius ad labium, dein linit et perungit interius ipsum eandem formam dicens ac in consecratione calicis, mutatis mutandis. *Si plures* patenae et calices sint consecrandi, invitatoria et orationes dicuntur in plurali, formae ad consecrationem autem repetuntur.

c. Tertio dicitur sine mitra *oratio conclusive* super « vasculum » (= calicem) et patenam, ut sanctificata corporis et sanguinis Domini novum sepulchrum efficiantur. Demum aspergit calicem et patenam cum aqua benedicta, quo facto abstergi facit per aliquem sacerdotem patenam et calicem cum mica panis, extersiones deinde proficiuntur in ignem vel in sacrarium.

2. De vasis sacris eucharisticis.

Vasa sacra eucharistica sunt a) Pyxis, dein b) Ostensorium, item c) Custodia, demum d) Pyxis infirmorum.

a) Dc pyxide.

Pyxide intelligitur *vas sacrum ad asservandas particulas eucharisticas consecratas* destinatum.

1°. Nomina, a. Inde a saec. IX. nomen usitatissimum est *pyxis* a Graeco *pyxos* i. e. theca lignea e buxo fabricata (Buchsbanm, bossolo, boxtree, puszpang), vox initio omnem thecam significabat. — b. Ciborium primitus baldachinum super altare exstructum notavit, quia SS. Eucharistia e medio ciborii dependebat in vase super altare, medio aevo in finem vergente coepit etiam ipsum vas ciborium nominari. — c. *Cuppa* saepius occurrit in inventariis medii aevi, — item d. *vas* seu *vasculum,* rarius adhibitum est nomen — e. *capsa* seu *capsula* et — f. *chrismate,* qua denominatione designata sunt: (1) vas s. chrismatis. (2) ipsum corporale, (3) linteamen super altare imum. (4) vestimentum baptizatis porrectum, (5) et saec. VII-XI. aliquoties etiam vas ad asservandas particulas consecratas (Braun p. 287).

2°. Materia pyxidis, a. Usque ad saec. XIII. nulla inventa est praescriptio de materia pyxidis, quantum scimus primum Odo de Sully (f 1208) archiepiscopus Parisiensis ordinavit pyxidem debere esse *eburneam,* Synodus Coloniensis a. 1281 vero statuit, « ut pyxis, in qua corpus Domini reservatur vel ad infirmos defertur, sit *aurea, argentea,* eburnea, vel ad minus *cuprea,* bene elimata » (can. 7). — b. Hodiernas praescriptiones cf. Dc SS. Eucharistia J. 9. a. 5°.

3°. Benedictio pyxidis (simulque custodiae et pyxidis infimiorum) habetur a. in *Rit. Romano* (tit. IX. c. 9,6), fit unica oratione, in (pia Deus exoratur, ut ‹ tabernaculum (seu vasculum) pro Corpore Filii tui DNJChristi in eo condendum fabricatum » benedicere dignetur, demum fit aspersio aqua benedicta. — b. Benedicto *peragi potest* a rectore ecclesiae, a parocho pro omnibus ecclesiis sui territorii, ab Ordinario loci in suo territorio, a superioribus religiosis et sacerdotibus ab ipsis delegatis pro propriis ecclesiis ct ecclesiis monialium sibi subiectarum (can. 1304). — c. Benedictio fit a sacerdote saltem superpelliceo (ergo potest etiam pluviale adhibere), et stola coloris tempori convenientis *induto, stando* semper benedicat et aperto capite (Rit. Rom. tit. IX. c. 1, 6. 7.).

b) De ostensorio.

1°. Nomina a. *Monstrantia* est nomen in *Germania* ortum statim, ubi prima nstensoria adhiberi coeperunt, e. gr. in inventario cathedralis Pragensis a. 1354: « ...item una monstrantia cristallina, in qua portatur corpus Christi in die corporis Christi » (Braun p. 350). — b. In *Italia* ab initio ostensoria nominata sunt « *tabernaculum* », e. gr. in inventario basilicae S. Petri a. 1436: « Tabernaculum cum cristallo in medio de argento deauratum, ad portandum corpus Christi cmn pede magno, smaltatum, in quo deficit unum smaltum » (Braun p. 351). Inde a saec. XVI. nomen hoc in desuetudinem abiit, in Rit. Romano autem remansit, ubi tum pyxis (= vasculum), tum ostensorium « tabernaculum » vocatur (tit. IX. c. 9, 6. 7.). — c. *Ostensorium* est nomen officiale, quod teste J. Braun, optimi experti, medio aevo nunquam occurrit, communis autem evasit saec. XVI. et exclusive adhibetur in decretis S. C. Rituum. — d. *Alia nomina* sunt parcissime adhibita medio aevo: *custodia, reliquiore,* nam monstrantia formam reliquiarium imitabatur, *iocale* (= joiaul, Juwel, i. e. gemma) quia continet in se eximium « gemma », corpus Christi: nomen humanisticum saec. XVII-o quandoque usitatum fuit: *hierotheca.*

2°. Historia ostensorii. Ante inductionem festi SS. Corporis Christi, immo processionis sacramentalis nullum vestigium ostensorii deprehendi potest. Saec. XIV. ineunte in Gallia iam SS. Eucharistia visibiliter circumducta fuit, sic in ci\itate Silvanectensi (= Seniis) in festo SS. Corporis Christi « SS. Corpus Christi in aperto vasculo positum defertur ab episcopo vel decano vel antiquiori canonico reverenter » (Browe JfLw 1927, 84). Testamentum quoddam .i. 1310 Trevirense sic describit tale vas apertum: « ...gloriosum corpus Dominicum repositum in pixidc crystallina et argentea deaurata, sumptuosa operositate facta, imaginibus trium angelorum alas habentium in circuitu pixidis exterius consistentium ac unius sacerdotis in medio crystalli consistentis, necnon ciborii (i. e. baldachini) desuper crystallum elevati » (Browe ibid.).

3 . Forma ostensorii. a. Ostensorium *arrectario* (= Stander) *metallico superimpositum* est prima forma, saepissime usitata, (piae aetate Gothica ordinarie formam *turris* cuiusdam prae se ferebat, aliquando vero formam retrotabulae (= retable). Saec. XVI-o autem ostensoria arrectario imposita formae *orbicularis* esse coeperunt (Scheibenmonstranz), saec. XVII-o vero ostensoria *radiis* metallicis praedita (Strahlenmonstranz). — b. Medio aevo fuerunt etiam ostensoria sine arrectario *cum simplici pede,* quae ergo non fuerunt portatilia, in Hispania adhuc saec XVI-o usitata, quae ideo » custodia de asiento ▮ nomi·

nata sunt, dum ostensoria cum arrectario nomen habuere « custodia da mano » seu « portatil. » — c. *Altitudo* ostensorii medio aevo exeunte iam nimia fuit, saec. XV. exeunte Wurtembergae et Westphaliae exstiterunt monstrantia 82-86 em., ecclesia collegiata Posoniensis (Bratislava, Pressburg) a. 1500 habuit monstrantium 110 cm., in Tegernsee habebant saec. XV-o monstrandam 127 cm. altitudinis. (Braun p. 395).

4U Benedictio ostensorii. Legitur in *Rit. Romano* (tit. IX. c. 9,6) et ht unica oratione vasculi pro Christi corpore fidelium venerationi exponendo fabrefacti. Cetera cf. supra a. 3°. b. c.

5°. Leges cultuales de monstrantia et expositione cf. De SS. Eucharistia J. 8. b. et c.

c) De custodia.

Custodia vocatur tempore recenti *pyxis metallica, in (μια Hostia maior una cum lunula reponi potest* de monstrantia ut in tabernaculo asservetur. Benedictionem cf. superius a. 3°.

d) De pyxide infirmorum.

A Rit. Romano (tit. V. c. 4, 12) supponitur ad communionem infirmorum existentia *pyxidis* seu parvae custodiae *proprio operculo instructae,* in qua collocari possint aliquot particulae consecratae vel una tantum. Iisdem legibus regitur ac pyxis maior, saepe vero nunc fabricatur in *forma thecae* seu pyxidis rotundae metallicae, vel etiam in *forma patenae,* cui in medio applicata est theca rotunda, bene clausa. Pyxis infirmorum inde a saec. XVI-XVIII. saepe *coniunctum* fuit cum vasculo s. olei infirmorum, quae tamen praxis reprobanda est; rubricae enim Rit. Romani supponunt SS. Eucharistiam deferri « in pyxide seu parva custodia » (supra l. cit), s. oleum infirmorum autem exigit distinctum vas « sacculo serico violacei coloris inclusum » (tit. VI. c. 2. 2).' — Benedictionem cf. supra a. 3°.

3. De vasis sacris secundariis.

Tractandum est nobis a) De ampullis, b) De campanula, c) De vasculo ad purificandum, d) De instrumento pacis, e) De vasculis florum, f) De aspersorio. g) De thuribulo, h) De vasculis s. oleorum.

a) De ampullis.

1°. Ampullae nominantur diversis modis, secundum naturam rei enim aliquo modo semper in usu fuerunt ad SS. Sacrificium Missae, a. Nomen antiquissimum est *amula* seu *ama,* Romae usque ad VIII-IX. saec. praecipue vas vini sic denominatum est. — b. In Occidente extra Urbem primitus vasa haec appellabantur « *ampullae* », quod nomen denique versus medium aevum ad finem vergente commune factum est. Quia etiam Romae usuale erat hoc nomen, in Missale Rom. a. 1570 quoque assumptum est, sicque officialis denominatio evasit. Etiam in multis linguis hoc vocabulo utuntur fideles; *ampollina* (ital.), *am-*

polia (hisp.), *Ampulle* (germ.), *dmpolna* (hung.); gallice « *ampoule* » vocantur vascula s. oleorum, nam — c. nomen Gallicum *burette* medio aevo forma Latina *bureta in* Gallia cognitum fuit. — d. In Gallia medioaevali vocabantur haec vasa etiam *cannae, canetae,* quod in Germaniam quoque transivit *(kiindlin, opferkandel).* — e. Nomen in Gallia et Hispania usitatum fuit medio aevo etiain *vinageria;* hisp. *vinajeras* adhuc in usu est. — f. Nomen *urceolus* legitur iam in Statutis ecclesiae antiquis saec. VI-o, in ordinatione acolythi (can. 6. Denz n. 154), hodieque in Pontificali Romano remansit.

2 . Adhibendae sunt « ampullae vini et aquae » (NCR 528), sint *vitreae* iuxta S. Carolum Borromaeum: « ...quo distinctius atque certius aqua vino dignosci possit, ne stanno vel alio metalli genere sint, sed plane e vitro, eoque perlucido, aut chrystallo confecti, » (De Amicis p. 32). Ubi tamen adest consuetudo tolerari possunt ampullae *aureae* et *argenteae,* sed iuvat vitta vini ampullam signare.

b) De campanula.

1 '. Campanulae usus ante saec. XIII. non invenitur, primum *ad elevationem* exstiterunt praescripta particularia, ut ep. Alexandri a Coventry: « Praecipimus ut in elevatione eucharistiae, quando ultimo elevatur ct magis in altum, tunc primo sonet Campanella, quae sit quasi modica tuba, denuntians adventum indicis, imino salvatoris ad nos venientis » (Hardouin, Coll. Con. \ II, 275). Durandus exeunte eodem sacculo iam supponit usum campanulae: « In elevatione autem utriusque squilla pulsatur » (Rat. div. off. IV. c. 41, 53). Missale Romanum dein a. 1570 praescripsit usum campanulae universalem ad elevationem et etiam ad Sanctus, quod antea ignotum fuit.

2°. *De usu* campanulae cf. De Eccl. orante F. 7. d.

c) De vasculo ad purificationem.

Supponitur hoc vasculum a Rit. Romano (tit. V. c. 2, 8); post s. communionem fidelibus extra Missam administratam minister « subinde in vase cum aqua parato eosdem digitos, quibus tetigit Sacramentum, abluat et abstergat purificatorio. » Vasculum *prope tabernaculum* ergo collocandum est, habeat *operculum,* semperque aqua munda repleta sit. in loco proximiore adsit semper *purificatorium* mundum ad abstergendos diiritos. Vasculum hoc exclusive adhibendum est ad digitos post tactum SS. Eucharistiae abluendos, lotio autem saepe in sacrarium vel ignem mittenda erit.

d) De instrumento pacis.

1'. Nomina. Praeter nomen in titulo relatum existant adhuc aliae denominationes. a. *Pacificale,* vel *paciferum* aut simpliciter *pax,* — dein b. *Osculatorium* quia osculum pacis huic instrumento singuli fideles infigebant, — demum c. *Tabula* vel *asser ad pacem,* quia saepissime formam habebat tabulae.

2 . Historia. Primum in *Anglia* videtur usus instrumenti pacis incoepisse, ut Statuta archiep Eboracensis ostendunt a. 1248 (Hardouin VII, 431), inde autem decursu saec. XIV-XV. *ubique in Europa* divulgatus est. Ratio optime redditur ab augustiniano Jo. Bechofen: saec. XV.: «Licet autem olim. sicut

et hodie in plerisque locis hoc osculum pacis a sacerdote per ministrum porrectum fideles sibi mutuo imprimant, tamen honestior est cautela, ut per pacificale sive tabulam imaginem Christi aut sanctorum reliquias continentem fiat, ne sub specie boni aliquid carnalitatis diabolico inflatu surripiat » (Ad Franz, Messe im deutsch. Mittelalter p. 594). In *Italia* permulta talia instrumenta pacis remanserunt, usus ergo valde popularis fuit, inde intelligitur, quod in Miss. Romano a. 1570 usus praescribitur, sed in plerisque locis nunc in desuetudinem abiit, praecipue ob rationes hygienicas.

3°. Forma instrumenti pacis. Plurima instrumenta pacis sunt *tabulae quadratae,* ornatae cum imagine Christi vel reliquiis insertis. Aliae iam magis excultiorc modo fabricatae sunt ad instar *retrotabulae* altaris, item alia autem *clipei* (= médaillon) speciem prae se ferebant. Quartus typus instrumenti pacis est *Crux pede instructa* et « pacificale » nominata. Materia e qua confectae sunt, fuit lignum, saepe etiam lapis, ebur, argentum, aurum vel aliud metallum.

4°. Usus instrumenti pacis. Iuxta Rit. celebrandi (X, 3) sacerdos in Missa *lecta vel cantata,* si ergo sine ministris celebrat, utitur solum hoc instrumento. Oratione « Domine Jesu Christe » finita osculatur altare in medio, vadit ad cornu epistolae, ubi ministrans porrigit instrumentum, quod sacerdos osculatur et dat ministro genuflexo dicens: « Pax tecum, » qui respondit: « et cum spiritu tuo. » Instrumentum dein supponitur tradi fidelibus, nam rubrica dicit: « Si non adsit (pii huiusmodi instrumento pacem accipiat a celebrante, pax non datur ».

e) De vasculis florum.

1°. Vasa florum supponuntur a *Caerem. Episcoporum* (L I. c. 12, 12), *flores* possunt esse flores *naturales* « aut ex *serico* contexti », nullo modo autem ex alia vili materia, ut e. gr. tela vel charta. Florum vascula *collocanda sunt* inter candelabra vel in gradibus altaris, non vero in ipsa mensa altaris, praecipue « ante ostiolum tabernaculi non potest retineri vas florum » (CRit d 2067. 10). *Ornatus florum* sit decens, non exorbitans quasi expositio; minus decet flores viventes *in olla* apponere, optime adhibentur flores vivi, *abscissi.* non artefacti, in vasculis modestis formae nobilis collocatae.

2°. Ornatus florum tempore *Adventus* sit simplicior, sed prorsus non interdicitur, tempore autem *Quadragesimae* debet exsulare ab altari et ecclesia, item in Missis ct officiis pro *defunctis celebratis* (Caer. Ep. l. II. c. 11,1; c. 13,2: c. 20,1). Excipiuntur Dom. III. Adv. et IV Quadrag., et devotiones publicae in honorem BMV et S. Joseph, item Missa in communione prima puerorum (CRit d 3448,11). Sic quoque iuxta Instr. 3. sept, 1958. η. 85.

f) De aspersorio.

1°. Aspcrsorium nominatur in fontibus medioaevalibus etiam *vas,* vel *urceus, situla* seu *situlus, benedictorium. caldarotium* seu *caldare* ct intelligitur vas aquae benedictae ad aspergendos fideles et alia obiecta. Instrumentum, quo aqua ex hoc vase hausta dispergitur autem nominatur item *aspcrsorium.* vel *aspergitorium, aspergorium, aspergilium,* saepe etiam *ysopum.*

2\ Usus vasis aquae benedictae et aspcrsorii solum tunc divulgatus est. cum inde a saec. JX-o fideles *ante Missam dominicalem* aspersi sunt ritu sollemni, eodem tempore etiam benedictionibus tum personalibus, tum realibus aspersio cum aqua benedicta addita fuit. Primario *vas aspersorium* ortum est, aspersio primitus fiebat cum hyssopo, vel ramo frondoso, prima mentio *instrumenti* aspcrsorii habetur in inventario nostri monasterii archicoenobii S. Martini de S. Monte Pannoniae ex a. 1090: « 4 vasa argentea ad aquam benedictam... aspergorium argentum simul auro et crystallo paratum. »

3°. Aspersorium cum *porrigendum est* celebranti, primum a ministro in extremitate osculandum est, dein porrigit id celebranti, manum eius deosculando. Cum recipit ab eo aspersorium, osculanda est manus, dein aspersorium, quae *omittuntur* in functionibus funeralibus, coram Sanctissimo exposito, et quando praesens est episcopus ordinarius pontificaliter assistens in throno (Caer. Ep. l. I. c. 18,16 ct l. II. c. 11,5 et c. 31,3).

g) De thuribulo.

1°. Historia. Thuribula scu incensoria *antiquitas profana* iam cognovit, quaedam servierunt ad *apponendum* in aliquo loco, quaedam autem ad *agitandum* fuere constructa ideoque catenulis instructa. Thuribula utriusqne formae recepta sunt inde a saec. IV-V. etiam ab Ecclesia. In *Occidente* thuribulum mature iam operculo instructum fuit, quod ope catenulae sursum duci reducique potuit. Vas thuribulo correlativum fuit *acerra,* in qua thus contentum erat; seriore tempore nomen accepit *naviculae. Symbolismus* declaratur e. gr. a Durando: « Per thuribulum cor humanum competenter notatur, quod debet esse apertum superius, ad suscipiendum et clausum inferius ad retinendum habens ignem caritatis et thus devotionis, sive suavissimae orationis scu bonorum exemplorum sursum tendentium » (Rat. div. off. l. IV. c. 6.6).

2°. *Praescriptiones de thurificatione* cf. Stilistica sacralis D. 4. b. 3°.

h) De vasculis s. oleorum.

Cfr. .superius De Baptismo F. 2. e. 2 . — Etiam haec vascula *benedici possunt* iuxta ritum Rit. Romani (tit. IX. c. 9,9) n Benedicto vasorum pro S. oleis includendis, n

Litteratura.

II. Leclercq, Calice, *in:* DAL II, 1 (1910) 1595-1645. — *J. Baudot,* Calice ministériel, ibid., 1646-1651. — *H. Leclercq,* Bénitier, ibid. 758-771. — *J. Braun,* Das christliche Altargeriit, in seinem Sein und seiner Entwicklung, München 1932. — *L. Eisenhofer,* Ilandbuch der kath. Liturgik, 2. ed. I (1941) 396-407. — M. *Righetti,* Storia liturgica, I (1945^ 441-167. — *De Amicis,* Caeremoniale parochorum, Romae 1948, 32-36, 57-61, 89-97. — C. *Schneider,* Acerra, *in:* Rcalcnz. f. Ant. u. Christent. I (1950) 63-66. — Λ4. *Andrieu,* \ux origines du culte du St. Sacrement. Reliquiaires et monstrances eucharistiques, tn: \nal Holland. 1950, 397-418. — *Th. Klauser* - S. *Griin,* Becher, *in:* Realenz. f. Ant u. Christent. II 1951) 37-62. — *J. Lechner,* Liturgik des romischen Ritus, 1953, 111-114. — H *f'atfinger,* Liturgisch-praktische Requisitenkunde. Freiburg 1955. — H. *J. Neumann,* Electrophone, tn: LfThK 2. ed. Ill (1959) 797-798.

D) De vestibus sacris.

In hac quaestione tractanda est nobis sequens materia:

1. De vestibus sacris in genere.

2. De indumentis imis liturgicis.
3. De vestibus summis liturgicis.
4. De insignibus liturgicis.
5. De vestimentis liturgicis accessoriis.

1. De vestibus sacris in genere.

Vestes inserviunt ad operiendas partes minus honestas corporis, et insuper ad protegenda membra adversus aëris intemperiem. *Vestis sacralis* autem iam est *vestis distinctionis: occasiones,* cum sacris operari debet distinguit a mundanis occupationibus, *dies* qua festos discernit a diebus communibus, *personam* tandem veste indutam sacrali hac ipsa veste internoscimus. Agendum est hoc articulo a) De ratione et historia vestis liturgicae, dein b) De materia vestis liturgicae, item c) De coloribus liturgicis, demum d) De benedictione indumentorum liturgicorum.

a) Ratio et historia vestis liturgicae.

1°. a. Vestem meliorem et nitidam quidem induebant sacerdotes ad sacrificium dominicale celebrandum, sed nemini in mentem venit *vestes peculiares sacrales* adhibere etsi huiusmodi usus in Veteri Lege viguit. At haec Lex, praecise ideo *quia Vetus* erat, primis Ecclesiae saeculis minime observata est; sicut alia quoque sacra (sacrificia legalia, purificationes, usus thymiamatis etc.) exsulare debuerunt, etiam peculiares vestes defuerunt in cultu Novi Testamenti.

b. Ante saec. VI. ergo non invenitur nisi *usus incipiens vestis sacralis* et quidem *in Gallia.* Summus pontifex enim *Caelestinus* (422-432) universis episcopis Viennensis et Narbonensis provinciae hac de re scripsit. Dicit enim quosdam sacerdotes (= episcopos) « ..superstitioso cultui potius inservire quam mentis vel fidei puritati ...Contra ecclesiasticum morem faciunt qui in Ecclesia non creverunt, sed alio venientes itinere secum haec in Ecclesiam, quae in alia conversatione habuerunt, intulerunt: amicti pallio et lumbos praecincti credunt se sacrae Scripturae fidem, non per spiritum, sed per litteram completuros. Nam si ad hoc ista praecepta sunt, ut taliter serventur, cur non fiunt pariter quae sequentur, ut lucernae in manibus ardentes una cum baculo teneantur?... Habent tamen istum forsitan cultum, morem potius (piam rationem sequentes, qui remotioribus habitant locis... Unde hic habitus in ecclesiis Gallicanis, ut tot annorum, tantorumque pontificum in alterum habitum consuetudo vertatur? Discernendi a plebe vel ceteris sumus doctrina, non veste, conversatione, non habitu, mentis puritate, non cultu » (PL 67, 274-5).

c. Initia ergo aliqualis vestis sacralis iam conspici possunt saec. V-o in Gallia, *Hornae* autem et *in Africa* tales nisus *incogniti erant.* Quod testatur S. *Augustinus* de clericis suis in sociali vita » viventibus dicens: « Si aliquid vultis clericis dare... nemo det byrrhum vel lineam tunicam nisi in commune, de communi accipio et mihi ipsi... Qualem potest habere presbyter, qualem potest habere decenter diaconus et subdiaconus, talem volo accipere: quia in commune accipio... De pretiosa veste erubesco, quia non decet hanc professionem » (Sermo 356, 13 PL 39, 1579 s.). Nulla adhuc potuerunt vestes sacrales exsistere, cum tales admonitiones prolatae sunt.

2°. a. Inde a saec. VI-o autem *etiam Romae vestimenta officialia* recepta sunt, Liber pontificalis enim initio huius saeculi habet notam de Papa Stepha-

no I. (25-4-257): hic constituit « sacerdotes et levitas vestibus sacratis in usu quotidiano non uti, nisi in ecclesia » (ed. Duchesne I, 154), adnotatio haec anachronistica clare testatur praxim sacculi Vl-i ineuntis. In *Africa* hoc tempore iam admirationem movit mos S. Fulgentii Ruspensis episcopi (t 533), qui « in qua tunica dormiebat, in ipsa quoque sacrificabat, et tempore sacrificii mutanda esse corda potius, quam vestimenta » dixit. (PL 65, 136).

b. Romae ergo saec. VII. exeunte *vestimenta liturgica iam plene describuntur:* « Subdiaconi regionarii secundum ordinem suum accipiunt ad induendum pontificem ipsa vestimenta: alius lineam, alius cingulum, alius anagolaium, id est amictum, alius lineam dalmaticam, et alius maiorem dalmaticam. et alius planetam et sic per ordinem induunt pontificem » (Ordo Rom. I, 34 Andrieu II, 78).

c. Ultima *ratio,* cur vestes sacrales invaluerunt, fuit *mutatio moris vestimentorum* decursu saec. Vl-i. Vestes barbarae enim inde ab hoc tempore, quando gentes Germanicae paulatim omnes ad Ecclesiam conversae sunt, etiam in coetibus liturgicis conspiciebantur, clerus autem retinuit vestimenta « Romana ». Ob hanc *differentiam* inter vestes barbaras, factas communes *civiles* vestes, et antiquiores romanas, factas *sacrales,* concilia saec. VI-VII. praescripta inculcabant, » ut nec ullus clericus sagum aut vestimentum vel calceamento saecularia, nisi quae religionem deceant, induere praesumat » (Cone. Matisconense a. 581 can. 5).

3°. *Aevo Carolingico* inde a saec. VIII-o autem usus vestimentorum liturgicorum *plene evolutus* est et *distinctiones* quoque inter vestimenta liturgica singulorum ordinum paulatim statutae et observatae fuere, quae omnia in sequentibus pertractanda sunt.

b) Materia vestis liturgicae.

1°. a. *Serica* seu panni serici praecipue in Oriente producti sunt et ex Aegypto, Syria, Persia inducti in Occidentem, saec. VI-o iam ad vestes sacrales adhibiti fuerunt. Panni serici species est *vellutum* (Samt, velluto, velvet, velours, bArsony), inde a saec. XIII. usitata, pannus *semisericus* (Halbseide, mezza seta, félselycm) partim e filo serico, partim e filo laneo operatus est. Inde a saec. XI-o in usum deducti sunt panni serici « *operati* » (stoffa, tessuto operato, gemusterte Stoffe). — b. *Variae species* panni serici vocantur vulsari lingua: taffetà (Taft, le taffetas), stoffa a spina (Koper, le croisé), raso (Atlas, satin), damaseo (Damast, damask) et broccato (Brokat).

2 . Omnia vestimenta liturgica, initio etiam planeta et dalmatica. nunc solum vestimenta ima, confecta sunt e pannis *linteis* (tela, Leinwand, lin. vaszon). qui aliquoties suffecti sunt per pannos e *lino xylino* (cotone, Baumwolle, gyapot), medio aevo etiam e *byssus* vocatos. Solummodo a saec. XIX. praescriptiones quoad pannos xylinos seu « *gossypium* » editae sunt (cf. superius De Eccl. sacrifie. F. 4. b. 2°). Ad pannos linteos numerandi sunt panni vulgo vocati: *hatista* (Battist), et *tela damascata* (Leinendamast). Panni *semilintei* (mezza tela. Ilalbleinen) confecti sunt partim e filo linteo, partim e filo xylino, et prohibiti sunt.

3 Inde solummodo a saec. X-o habentur *opera acu picta* seu « phrygia » ricami Stickerei, himzés). cum in pannis ope acus ornamenta producuntur: filis aureis, argenteis, coloratis, lapillis indicis, gemmis; initio magis decora-

tiones figurâtes quam stricte ornamentales in usu erant. — Opus *denticulatum* seu reticulatum (mcrletto, Spitzen, dentelle, lace, csipke) saec. XV-o, ut videtur Venetiae excogitatum est; uti materia ornamentalis vestimentorum liturgicorum tantum saec. XVII-o adhibitum fuit; inde a saeculo elapso usu recepta sunt opera denticulata *ope machinae arte facta.* Discrete tamen debent applicari, sunt enim tantum elementum accessorium.

4°. *Materia ad insuendos pannos* apta (fodera, Futter, doublure, lining, bélés) adhibetur ad paramenta *solidiora et diuturniora reddenda;* nunquam usurpatur ad indumenta lintea. Nullae exstant praescriptiones quoad hanc materiam, color materiae insutae discrepare debet a colore paramenti, apte eligitur « color supplens » (Erganzungsfarbe).

5°. *Materiae ad ornanda paramenta* adhibitae sunt: a. *limbus* (passamano, Zierbesatz, bordure, paszomany), sic iam aetate antiqua dalmatica duobus « clavis » rubinis ornata fuit, usque ad saec. XII. paramenta multoties ornata sunt chrysoclavis, i. e. limbis aureis seu « *aurifrisiis* », quae praecipue Venetiae, Luccae et Florentiae confecta sunt decursu medii aevi. — b. *Fimbriae* (frangia, Fransen, frange, fringe, rojt) iam conspiciuntur in operibus musivis S. Vitalis Ravennae saec. VI (in tobaleis altaris et pallio episcopi), medio aevo latera et manicae dalmaticae saepe exornata fuerunt fimbriis, nunc tobaleae et antependia solent iis ornari. — c. *Flocci* (nappa, Quasten, houppe, tassel, bojt) inde a saec. XI-o apparent, medio aevo saepenumero loco flocci tintinnabula vel poma argentea adhibita sunt. Nunc usurpantur flocci ad exornandum tergum dalmaticae et tunicellate, item pluvialis, etiam cingulum saepe floccos exhibet.

c) De coloribus liturgicis.

1°. Historia, a. *Aetate antiqua* nullus color ad paramenta praescriptus fuit, albus color praecipue in *Oriente* ad sacras functiones obeundas adhibebatur. In *Occidente* vestes imae fuerunt candidae, inde « albae » vestes nominatae sunt, planeta vero variis coloribus fulgebat: fusco, flavo, purpureo, caeruleo, rubino. At tunc planeta seu paenula nondum habebatur vestis *liturgica,* colorque eius minime regulabatur per quendam canonem.

b. *Aeco Carolingico,* inde a saec. VIII. *initia* iam deprehendi possunt *cuiusdam canonis colorum.* In Purificatione BMV ad processionem pontifex induit se « vestimentis nigris et diaconi similiter planitas nigras », evidenter habetur niger color ut poenitentialis, nam etiam in Litaniis maioribus pontifex et diaconi « induunt planitas fuscas » (Ordo Rom. XX, 2 et Ordo XXL 2 Andrieu III, 235 et 247). Pontifex autem « in natali Domini, pascha, S. Petri et dic ordinationis suae alius coloris planeta induitur », quali non dicitur in Ord. Rom. VIII. (saec. IX., Andrieu II, 321). Exinde progrediente die varii colores invaluerunt in Occidente.

c. *Aetate Gothica,* saec. XII. exeunte, iam *evolutus* est *canon colorum* liturgicorum fere identicus cum nostro penes *Innocentium III.* (De s. altaris mysterio I, 65), qui immerito habetur *auctor* huius canonis, nam solum *refert* usum iam ante eum existentem. Colores paramentorum albus, viridis, ruber fere iisdem diebus usurpati sunt ac nunc; temporibus et diebus poenitentia!ibus color liturgicus niger fuit, colore violaceo tantum festo SS. Innocentium et Dominica « Laetare » usi sunt. Saec. XIII. exeunte color violaceus

suppressit nigrum temporibus supradictis, remansit solum pro Missis et officiis defunctorum. Color rosaceus medio aevo ignotus fuit.

d. Attamen medio aevo canon colorum Romanus *non ubique observatus* est. permultae ecclesiae alium habuerunt canonem, et etiam colores alii, ut flavus ct caeruleus consueti fuere. Tantummodo Missale Pii V. a. 1570 editum canonem fixum ubique inducere potuit, in Gallia tamen usque ad medium saec. XIX. multis in ecclesiis aliae regulae viguerunt.

e. Reformatio liturgiae S. *P. Joannis XXIII.* anno 1960 de novo ordinavit colores liturgicos (NCR 117-132). Adiicitur etiam huic ordinationi quae ceterum non multum mutavit, *triplex indultum* sat magni momenti. — (1) Primum est, quod indulta et consuetudines legitimae circa usum *aliorum colorum* in suo robori' manent (NCR 117). — (2) Secundum valet pro *regionibus missionum:* si significatio cuiusdam coloris liturgici non congruit cum significatione illis populis congenita, conferentia episcopalis illius regionis in locum coloris inepti colorem magis aptum substituere valet, sed non inconsulta S. Rituum Congregatione (NCR 117). — (3) Tertium est electio *coloris ad libitum:* etsi color paramentorum conveniens debet esse Missae votivae, in Missis votivis IV. cl. — ergo in longe maiore parte Missarum votivarum celebrari solitarum — adhiberi *potest* etiam color officii diei, sed servari debet color violaceus et niger unice pro Missis quibus per se competit (NCR 323).

2°. Sensus colorum liturgicorum. Si aliquid, color certissime haberi potest qua signum, sed simili certitudine *signum solum arbitrarium,* iuxta conventiones populorum electum, sic e. gr. color niger potest luctum designare, sed penes multos populos tamen color albus adhibebatur ad eundem finem. Tamen quodam modo *symbolismus naturalis* quoque cerni potest in coloribus, *Innocentius III.* concinne id exhibet.

a. Color *albus* secundum naturalem significationem *munditiam* indicare potest Ideo — ut ait Innocentius III. — albis paramentis « utendum est in festivitatibus confessorum et virginum, propter innocentiam et integritatem, » i. e. munditiam spiritualem. In Natali Domini et Praecursoris utimur albo colore, « quoniam uterque natus est mundus, id est carens originali peccato. » In Coena Domini « propter confectionem chrismatis quod ad mundationem animae consecratur » utimur albis, insuper autem etiam ideo, quia « et evangelica lectio munditiam principaliter in illa sollemnitate commendat. » In resurrectione autem iam adhibetur color albus « propter angelum testem et nuntium resurrectionis, qui apparuit stola candida, cooperta d, in Ascensione vero « propter nubem candidam, in qua Christus ascendit. »

b. Color *rubeus* procul dubio signum naturale est *sanguinis,* ergo utendum est eo « in sollemnitatibus apostolorum et martyrum propter sanguinem passionis. quem pro Christo fuderunt, n Similiter etiam « in festo Crucis, de qua Christus pro nobis sanguinem suum fudit. » Color rubeus praevalet albo ut in festo virginis et martyris, quoniam martyrium « signum est perfectissimae caritatis. »

c. Dc nigro ct *viridi* iam non profert symbolismum, simpliciter tantum refert nigris paramentis utendum esse « in die afflictionis et abstinentiae, pro peccatis ct pro defunctis. « Viridibus autem « in diebus ferialibus et communibus » debemus uti, « quia viridis color medius est inter albedinem et nigredinem cl ruborem » (Dc ss. mysterio altaris I, 65 PL 217, 799-802).

3°. Leges cultuales dc coloribus, a. *Colores praescripti.* (1) *Color albus* adbibendus est *pro festis* Domini (exceptis festis passionis) in Coena Domini, in cantu Exultct, in renovatione promissionum Baptismatis, in benedictione et processione candelarum 2. febr., BMVirginis, Angelorum, confessorum, virginum ct mulierum (non martyrum), nativitatis Jo. Bapt., cathedrae Petri, conversionis Pauli, Omnium Sanctorum, consecrationis et dedicationis anniversario, anniversario electionis et consecrationis resp. translationis episcopi, anniversario electionis et coronationis Papae, Missa pro sponsis, diebus temporis paschalis et natalicii (NCR 119-122). Color item albus adhibetur in liturgia *Sacramentorum* partim Baptismi, Confirmationis, Viatici, S. Communionis extra Missam (sed potest etiam uti stola coloris *diei* CRit d 2740, 12), in administratione *Sacramentalium* regula generalis est usus coloris *tempori convenientis,* nisi aliter notetur (Rit. Rom. tit. IX. c. 1, 6). *Albo colore utitur:* in benedictione matrimonii (tit. VIII. c. 2, 1), benedictione peregrinorum aegrotantium (tit. IX, c. 4, 9), in benedictionibus domorum (tit. IX. c. 6, 2: seminarii clericalis; 6, 7: domus scholaris; 8, 19: nosocomii), in consecratione ecclesiae et coemeterii (Pont. Rom.), in benedictione ecclesiae et coemeterii (Rit. Rom. tit. IX. c. 9, 16: primarii lapidis pro ecclesia aedificanda: 9. 17 et 18, 20: benedictio et reconciliatio ecclesiae, consecratio altaris; 9,22 et 23: benedictio et reconciliatio coemeterii). Albo colore utendum est in *benedictione aquae* in Epiphania, et aquae S. Alberti (tit. IX. c. 9, 28 et 11, 50) et in variis *obiectis sacris,* in benedictione *scapularium* (c. 11, 3: SS. Trinitatis; 11. 7: BMVirginis: 11, 8: septem dolorum; 11, II. 12. 13: scapularis de Monte Carmelo; 11. 21: de Mercede; 11, 23: scapularis sub titulo Salus infirmorum; 11. 24: de Bono consilio; 11, 18. 19. 20: SS. Cordis Jesu, Immaculati Cordis Mariae, SS. Gordium Jesu et Mariae; 11, 25: scapulare S. loseph) — dein in benedictione *cingulorum* (tit. IX. c. 10, 4: cingulorum S. Joseph et BMV.; 11, 28. et 29: cinguli S. Francisci de Paula, cinguli S. Thomae Aquinatis), *chordae* S. Francisci Assis, (c. 11, 27), in benedictione SS. *Rosarii* marialis et Coronae septem dolorum (tit. IX. c. 11, 35 et 11, 9), in benedictione *numismatis* sacrae BMX7. (tit. IX. c. 11, 30), et *liliorum* in festo S. Antonii (c. 10, 5). — Albus color praescribitur in omnibus *functionibus eucharisticis* (expositio, benedictio, processio theophorica).

(2) *Colore rubro* utitur Ecclesia in sequentibus *festis:* a vigilia Pentecostes usque ad Nonam Sabbati, in festis et Missis passionis Domini, Apostolorum (exceptis festis secundariis supra recensitis), in festis Martyrum, SS. Innocentium (NCR Var. 21. a). Missis de Spiritu Sancto et pro eligendo Summo Pontifice (NCR 123-126). in *processione* Palmarum ct SS. reliquiarum Martyrum utendum est rubro colore, item in *benedictionibus:* S. Crucis (Rit. Rom. tit. IX. c. 9, 14), scapularium S. Crucis, Passionis et Pretiosissimi Sanguinis (tit. IX. c. 11, 5.6.15), rubro colore administratur Signum S. Mauri abbatis cum particula Crucis (c. 11, 42) et benedicitur aqua S. Petri Mart. (tit. IX. c. 11, 44).

(3) *Colore viridi* utitur Ecclesia in Missis temporis extracyclici. tum dominicalibus, tum ferialibus. Excipiuntur Feriae quatuor temporum septembris, et vigiliae II. et III. cl., extra tempus paschale (NCR 127).

(4) *Color violaceus* adhiberi debet *tempore* Adventus, Septuagesimae et Quadragesimae et Passionis, diebus Quatuor Temporum, Litaniarum Maiorum et Minorum, in *Missis votivis* de passione Domini et in votivis Missis quae indolem habent impetratoriam (pro fidei propagatione, contra paganos, ad tollendum schisma, tempore belli, pro pace, pro vitanda mortalitate, pro remis-

sione peccatorum, pro peregrinantibus ct iter agentibus, pro infirmis, ad postulandam gratiam bene moriendi, pro quacunque necessitate (NCR 128-130). — Item in *processionibus:* Rogationum, ad petendam pluviam, ad postulandam serenitatem, ad repellendam tempestatem, tempore penuriae et famis, mortalitatis et pestis, tempore belli et in quacunque tribulatione (Rit. Rom. tit. X. c. 4. et c. 6-12). Quoad *Sacramenta:* Baptismus partim, Poenitentia et Extrema Unctio integre colorem violaceum requirunt. Quoad *Sacramentalia:* ubi exorcismus occurrit, color adhibetur violaceus, in ordine ad faciendam aquam benedictam (Rit. Rom. tit. IX. c. 2), in benedictione animalium gravi infirmitate laborantium (c. 5, 3), in benedictione contra inundationes aquarum (c. 6, 21), in benedictione deprecatoria contra mures ct locustas (c. 9, 27), in ritu benedicendi populos et agros (c. 10, 3), color praescribitur violaceus in ritu erigendi Vias Crucis (c. 11, 1) et Stationes septem dolorum (c. 11, 2).

(5) *Color niger* praescribitur partim pro Fer. VI. Passionis ct Mortis Domini ct pro omnibus Missis et officiis defunctorum (NCR 132).

(6) *Colore rosaceo* uti licet Dominicis « Gaudete » Adventus et « Laetare » Quadragesimae iuxta NCR 131, sed in officio et Missa tantum.

(7) *Color caeruleus* medio aevo usitatus, nunc temporis solum in quibusdam dioecesibus Hispaniae permittitur in festo Immaculatae Conceptionis et Missis sabbatinis (De Amicis p. 74).

(8) *Color flavus* omnino proscriptus est (CRit d 3191, 4), nec adhiberi potest pro colore albo.

(9) *Color supplens* haberi potest paramentum ex *tela aurea* contexta; ratione pretiositatis adhiberi potest pro albo, rubro et viridi, consuetudo saltem toleratur (CRit d 3145, d 3191, 4 et 3646, 2). Tela *argentea* adhiberi potest solummodo pro colore albo (d 3646, 3).

b. Canon recensitus colorum *valet pro sequentibus vestibus:* pro manipulo, stola, tunicella, dahnatica, casula, pluviali, item pro sandalibus et chirothecis pontificis. Pro conopaeo permittitur, quod tamen potest esse semper albi coloris, simili modo etiam pro antependio (CRit d. 3035, 10).

c. Color tamdiu servari debet, quamdiu *dies liturgicus,* incipit ergo a primis Vesperis, si dicendae sint, secus a Matutino (NCR 5).

d) Benedictio indumentorum liturgicorum.

1 . Historia. Aetate antiqua opinio fuit vasa sacra et vestimenta *ipso usu sacrata* fuisse, saec. IX. iam habentur *textus* pro benedictione indumentorum sacrorum. Pro linteaminibus altaris et corporalibus vero iam saec. VII-VIII. inveniuntur benedictiones.

2\ Ritus hodiernus habetur in Pontificali et Rituali Romano (tit. IX. c. 9. 1 - Benedictio sacerdotalium indumentorum », 2. n Benedictio specialis cuiuslibet indumenti sacerdotalis »), ritus Pontificalis et Ritualis nunc *omnino idem* est. *Prima formula* constat tribus orationibus ct adhibetur pro pluribus simul vestibus liturgicis, loquitur enim textus de « indumentis leviticae, sacerdotalis et pontificalis gloriae ». simul ergo benedicuntur omnia indumenta apposita. Quodlibet indumentum dein benedicitur *formula secunda,* quae unicam tantum complectitur orationem, in qua uncinis includuntur nomina singulorum indumentorum benedicendorum.

3. Leges cultuales benedictionis indumentorum, a. *Obligatio benedictionis.* (1) *Debent* benedici: amictus, alba, et cingulum, de quo quidam dubitaverunt, at in formula secunda benedictionis supradictae (tit. IX. c. 9, 2) uncinis etiam cingulum allegatur, quod commendat benedictionis obligationem; *e vestimentis summis* benedici debent: manipulus, stola, casula, et eadem ratione sicut quoad cingulum etiam tunicclla et dalmatica, quia simili modo in dicta oratione nominantur benedicenda. (Cf. Pont. Romanum, dein. Rit. celebr. I, 1. 2, De defectib. X.). E *linteaminibus altaris* benedici debent: tobaleae, palla calicis et corporale; tobaleae tit. IX. c. 9, 4, palla et corporale c. 9, 5. — (2) *Possunt* benedici: e vestimentis *imis:* supcrpelliceum et rochetum, *e summis:* pluviale, velum et bursa calicis, e linteamentis *altaris:* purificatorium.

b. Benedictio est *constitutiva,* i. e. ex obiecto profano facit sacratum obiectum, ad ministerium divinum ordinatum. Benedictio *amittitur,* si tales laesiones vel mutationes subierit, ut pristinam amiserit formam *et* iam ad suos usus non habeatur idonea, vel si ad usus indecoros adhibita vel publicae venditioni exposita fuerit (can. 1305 § 1. n. 1 et 2).

c. Paramenta benedicta possunt etiam post benedictionem a laicis *tangi et tractari,* solummodo ante lotionem ne tangantur purificatoria, pallae et corporalia nisi a clericis vel ab iis qui eorum custodiam habent (can. 1306 § 1). Lotio ideo linteaminum mox dictorum debet fieri a clerico in maioribus saltem constituto, postea tradentur laicis ad lavandum; aqua lotionis proiicienda est in sacrario (can. 1306 § 2).

d. *Quinam ius habeant* benedictionis indumentorum, conferatur supra De Eccl. sacrifie. F. 4. b. 2°. c.

2. De indumentis imis liturgicis.

Agendum est nobis a) De amictu, b) De alba, dein c) De cingulo, demum d) De superpelliceo et rocheto.

a) De amictu.

1°. Nomina. Nomen nativum Romanum fuit *anabolagium* \el *anagolaium* e Graeco vocabulo anabolaion, quod amiculum (cappotto, Umwurf. kopeny) significat, dein vocatus est *amictus, fano, superhumerale,* ct simpliciter *humerale.*

2°. Historia, a. *Origo* amictus variis hypothesibus enodabatur. Falsa erat hypothesis originis amictus *ex ephod lineo* summi sacerdotis Hebraeorum, etsi certum est, quod liturgistae medii aevi de amictu loquentes saepe alludunt ad hoc vestimentum liturgicum Veteris Testamenti. *Prototypum* amictus in cultu antiquo *Romanorum* quaerebant alii, vel saltem suspicati sunt, ut O. Casei (dc quo cf. De Sacr. Ordinis F. 2. a. 2°. f et JfLw 1927, 139-141), probabile este significationem silentii sacri (« castigatio vocis ») in ritu ordinationis a cultu antiquo pagano derivari. Amictus tamen probabilissime est *velum humerale profanum,* quod vocatum est *amictus, focale, palliolum,* et inserviebat ad obtegendam colli nuditatem contra acris intemperiem.

b. Ut videtur, *Romae* usus *amictus liturgici* ortus est. Ordo Rom. I. enim saec. VII. exeunte compositus primo memorat « anagolaium id est amictum » (n. 34, Andrieu II, 78). Primitus amictus vestimentum fuit solummodo Summi

Pontificis eiusque diaconorum, saec. IX. iam alii quoque clerici eum portabant *Aevo Carolingico* cum ritus Romanus ubique divulgatus fuit, etiam usus amictus receptus est, sed amictum *super* albam portabant, non *infra* albam, ut Romae solebant.

c. Solum saec. XI. incipiebant amictu *etiam caput obtegere,* sicquc capite amictu cooperto ad altare pergere, ibique amictum velut caputium quoddam in collum reclinare capiteque nudo Missam celebrare. Mos hic Romae usque ad saec. XV. viguit, in rubricis Burchardi tamen a. 1502 iam non invenitur. Quidam ordines religiosi, ut monasticus ordo et mendicantes, servitae et carmelitae usque hodie amictu dicto modo utuntur.

3°. Sensus amictus. Bene nota multotiesque repetita fuit interpretatio *Amalarii:* « Amictus est primum vestimentum nostrum, quo collum undique cingimus. In collo est namque vox, ideoque per collum loquendi usus exprimitur. Per amictum intclligimus custodiam vocis, de qua dicebat psalmista: Dixi custodiam vias ineas, ut non delinquam in lingua mea. Posui ori meo custodiam, et in alio psalmo: Pone, Domine, custodiam ori meo. Amictus ideo dicitur, quia circumjicitur. In isto primo vestimento ammonetur castigatio vocis » (Lib. officialis II. c. 17, ed. Hanssens II, 239).

4°. Leges cultuales. a. *Materia amictus.* De materia iam in genere dictum est, adiungere possumus adhuc de amictu, simulque alba etc., quod adeo debent *lintea* esse, quod praeter *linum et cannabe* quaecunque alia materia, etsi « munditie, candore, tenacitate linum aut cannabe aemulent aut aequant », prohibita est (CRit d 2600), a. 1898 tamen vicario apostolico Se-Ciuensi in Sina permissum est sacra linteamina e tela conficere, quae *Hia-pou* nuncupatur, pannus dictus conficitur e planta « Urtica nivea », ad familiam lini pertinente.

b. Forma *amictus* sit oblonga, habeat altitudinem 60-70 em., latitudinem 80-90 cm., in medio debet esse Crux (Rit. cel. I. 3), acu picta, quam osculari debet, quando amictus induitur et deponitur; amictus insuper chordulis debet esse praeditus, longitudinis cire. 150 cm., quas chordulas sub brachiis per dorsum circumducere debemus et ante pectus reductas ligare.

c. Amictus induitur *ante albam* in ritu Romano, in Ambrosiano post albam resp. super albam. Etiam in ritu Romano amictus super superpelliceum induitur, si superpelliceum praescribitur.

b) De alba.

1'. Alba est *tunica longa ad modum sacci consuta, manicis arctis praedita.* Nomina cius sunt: *linea,* quia e lino conficitur, etiam *tunica linea:* nuncupatur *talaris* (tunica), nam usque ad talos pertingit, Graeco vocabulo idem dicit *poderes;* nuncupatur etiam *camisia* ob ortum c profano indumento; propter colorem eius appellatur etiam *alba,* in liturgia hodierna denominatio officialis.

2'. Historia albae, a. Tunica fuit *indumentum imum Romanorum,* identica cum chilone Graecorum, et primitus fuit sine manicis, quas solum feminae gestabant, ct curta fuit, *longior* effecta est. usque ad talos pertingens et *manicis* etiam pro viris praedita fuit. Quando dicta mutatio saec. VI-o facta est. i c quando barbarae gentes tunicas breviores retinuerunt, tunica longa, talaris, vocata « *Romana* » retenta est ab ecclesiasticis viris, vestisque distinctiva evasit clericorum. « *Tunica talaris manicata* » saec. VII. iam vestis sacralis fuit. saec. VIII. ab omnibus clericis Romanis gestabatur.

b. Alba non solum in sacrificio Missae usi sunt et non solum sacerdotes, sed *etiam monachi,* saec. X. in multis monasteriis, praecipue Clunyacensibus, monachi in choro alba vestiti erant.

c. *Exornatio albae* inde a saec. XI. incoepit, orae seu margines manicarum et albae aurifrisiis ornatae sunt. Aetate Gothica, inde a saec. XII-o ornamenta formae quadraticae recepta sunt, quae vocabantur « parurae, plagulae, grammata, gemmata, fimbriae, fasciae, plicae ». Constabant ex operibus acu pictis, lapillis indicis gemmisque exornatis, saepe etiam lamellis aureis et argenteis.

3°. Sensus albae. Sensus *symbolicus* albae optime explicatur a *Durando.* Primo admonetur sacerdos albam gestans de *castitate:* « Sicut enim linum vel byssus candorem, quem ex natura non habet, multis tunsionibus attritum, acquirit per artem, sic et hominis caro munditiam, quam non obtinet per naturam, per exercitia bonorum operum multis castigationibus macerata sortitur per gratiam. » Dein monemur per largitatem albae de *libertate:* « In veteri sacerdotio linea... stricta fuisse describitur, propter spiritum servitutis ludaeorum in timore. In novo vero larga est, propter spiritum adoptionis in libertate, qua Christus nos liberavit. » Demum revocat in mentem longitudo albae spem *et perseverantiam* : « Per albam etiam qua corpus a sursum usque ad deorsum tegitur, spes, quae ex gratia provenit ecclesiae de sursum et ex meritis ecclesiae deorsum figuratur. ...Quia vero usque ad talos descendit, perseverantiam designat » (Rat. div. oflic. 1. III. c. 3, 2. 3. 5).

4. Leges cultuales albae, a. *Materia* albae est linum, de quo iam dictum est, ornamenta iam possunt esse ex alia materia.

b. Quoad *formam* notandum est, quod satis longa esse debet, nam praescribitur: « ...honeste dependeat et tegat vestes, (minister) fimbrias diligenter aptet, ut ad latidudinem digiti vel circiter super terram aequaliter fluat » (Rit. cel. I, 3). Longitudo ideo albae sit cire. 150-170 em., latitudo autem abunde sufficiens est 3 m., si tela albae satis densa est, sufficit latitudo 2.60 m. (St. Doromby in Bib. u. Lit. 1950-51, 109).

c. *Exornatio* albae minime interdicitur, sive opere acu picto, sive denticulato. Imo manicis et oris albarum potest supponi fundus coloratus super quem insuitur textile denticulatum, quoad manicas rochetti fundus esse potest coloris talaris relativae dignitatis, quae rocchettum gestat (CRit d 3780, 5 et d 3804, 12).

d. *Regulae de usu albae.* (1) Alba deferri *debet:* In sacrificio *Missae,* et in solemni *benedictione* cum SS. Sacramento, tunc enim diaconi « induantur dalmatica et tunicella super albam et sacerdos celebrans albam deferat sub pluviali » (d 3799, 1). - (2) Alba *prohibetur:* Celebrans non-episcopus faciens *officium* in matutinis, laudibus vel vesperis non potest uti alba (d 1077, 3). Dein in *exsequiis* sacerdos non potest induero albam loco superpellicei (d 3035, 1).

c) De cingulo.

1°. Historia, a. Cingulum accessorium est tunicae longae et in vita cotidiana antiquorum usu tritum, potuit esse *funis* vel funiculus, sed etiam *taenia* seu fascia (nastro, Band, szalag). — b. Tale quid debuit esse etiam cingulum in liturgia usitatum; solum nomen cius occurrit in Ordinibus *Romanis,* quale fuerit, non dicitur. At in territorio ritus typi *Gallicani* in usu fuit cingulum

e *corio* confectum seu *lorum* vel habena (cinghia, Riemcn, szijj), saepius *fibula* .fibbia, Spange, csat) argentea vel eburnea praedita. Ubi dein ritus Romanus introductus fuerat, etiam cingulum e corio confectum disparuit. — c. Medio aevo, praecipue inde a saec. XIII. multis placuit cingulum in forma *fasciae* elaboratum, attamen semper cingula in modum funiculi confecta magis in usu erant.

2°. Sensus symbolicus cinguli declaratur ab *Amalario:* « Camisa cingulo continentiae constringitur, praecipiente Domino: Sint lumbi vestri praecincti, ut per duas virtutes id est oboedientiam Domini et naturalem disputationem, constringatur omnis voluptas » (Lib. official. II, c. 22, 2 ed. Ilanssens II, 247).

3°. Leges cultuales cinguli, a. *Materia* cinguli potest esse *linum* vel *cannabis* (canapa, Ilanf, kender), sed potest etiam confici *sericum* vel *laneum* (CRit d 2067 et 3118). — b. *Forma* cinguli nunc iam debet esse *ad modum funiculi,* nam fasciae forma iam proscripta est, a. 1899 declaratum est talia cingula hucusque adhibita tolerari posse, donec consumentur (d 4048, 6). — c. Quoad *colorem* cinguli: *non debet* esse coloratus, sed secus solum colores liturgici *permittuntur,* qui semper colori paramentorum aequari debet (CRit d 2194, 3).

4°. Subcinctorium. Est accessorium cinguli in Missa pontificali Summi Pontificis, medio aevo vocabatur etiam *praecinctorium, subcingulum, semicinctium,* ct in fontibus praecipue Gallicis, normandicis et hungaricis etiam *balteus* (= cinghia di spada, Schwertgurt, kardszij), ideo oratio — inter alias — praescripta medio aevo: « Dum appendit balteum cingulo. Accinge gladium tuum Domine super femur meum potentissime, ut viriliter possim contra inimicos meos dimicare spe firma caritatis aeternae » (a. 1192-95, Rado, Libri lit. mss I, 41). Subcinctorium fuit inde a saec. X-o praeprimis insigne pontificale et usque ad finem medii aevi in frequenti usu, nunc iam solum in Missa papali usitatum. Est quoad formam manipulus quidam, in extremitatibus figuram agni cum Cruce prae se ferens, qui a latere sinistro appenditur cingulo.

d) De superpelliceo et rochetto.

Superpelliceum est *tunica alba brevior, cuius manicae latiores sunt, saepe breviores manicis albae,* rochettum autem eo solum differt a superpelliceo, quod *manicae eius angustiores* sunt.

1. Historia superpellicei. a. Ut nomen demonstrat, super vestes pelliceas hoc indumentum gestatum est, *extra Urbem,* in Gallia et Normandia ortum decursu saec. XI-i, quod *ex alba originem* ducit. Albae manicae angustiores debebant latiores fieri, ut super pelles indui possit, simulque aliquantulum curtior effecta est. Quia canonici regulares S. Augustini, saec. XI. ubicunque terrarum ct gentium diffusi, superpelliceum non solum in choro sed qua habitum regularem gestabant, cito divulgatum est.

b. *In Italia* saec. XII. superpelliceum inductum est, nominatum vocabulo mediae latinitatis *cotta,* quod nomen hodieque saepe occurrit. Vestimentum hoc chorale saec. XII-XIII. etiam a clericis assistentibus, ministris sacris et celebranti» gestari coepit, saec. XIV-o vero iam regulariter etiam in administratione Sacramentorum et Sacramentalium adhibitum est.

c. Usque ad saec. XIV. superpelliceum fere usque ad pedes pertingebat,

exinde *coepit praecidi* seu abbreviari. Tamen saec. XV-o adhuc fere usque ad medium tibiae pertingebat, saec. XV-XVI. autem iam solum usque ad genua; saec. XVIII. vero in Italia decurtatio superpellicei adeo crevit, ut circiter medium femuris tantum attigit, imo saepe non multum lumbos solum excessit. In ditione *Venetiana* saec. XVI-o superpelliceum formam aliquantulum ineptam nactum est: manicis suppressis evasit mantellum seu *pallium rotundum undique clausum* ad instar casulae antiquioris formae, ita ut elevari debuit et complicari. Quibusdam in locis hodie quoque talia supcrpellicea usurpantur.

2°. Leges cultuales. a. Superpelliceum est indumentum liturgicum omnibus clericis *commune,* quod accipiunt in administratione tonsurae.

b. *Materia* non est praescripta, *decet* tamen ut *e lino* conficiantur sicut albae a qua originem ducunt. Supcrpellicea possunt *exornari,* permitti possunt etiam in eis, sicut in tobaleis altaris et albis « vela transparentia, quae repraesentant cruces, ostensoria, calices cum hostia, figuras Angelorum et alia similia sacra obiecta » (CRit d 3191, 5).

c. *Usus superpellicei.* (1) *Lex fundamentalis* habetur in libris liturgicis et decretis S. C. Rituum: « In omni Sacramentorum seu Sacramentalium confectione et administratione, tam in propriis quam in alienis quibuscunque ecclesiis, utendum est semper superpelliceo et stola, retento nihilominus quod Rit. Rom. docet circa Sacramentum Poenitentiae » (CRit d gen. 3784, 1); Rit. Rom. nempe habet: « Superpelliceo et stola, violacei coloris utatur, prout tempus vel locorum feret consuetudo » (tit. IV. c. 1, 10). Superpelliceo utuntur clerici minores *adstando omnibus sacris functionibus,* omnes clerici id gestant in omnibus processionibus et in verbo Dei praedicando. — (2) Canonici et bénéficiât! *in choro* semper superpelliceo debent esse induti, contrarium ut abusus eliminandum est (d 3250, 1), imo non possunt admitti « assistentes cleri in presbyterio, partim superpelliceo induti, partim vero non » (. 3549 post n. 3.). — (3) Superpellicei praescripto *tenentur omnes,* nam « in Sacramentis et Sacramentalibus conficiendis et administrandis usus cappae mozzetae vel caputii est omnino interdictum, iis nihilominus, qui rochetti privilegio gaudent, idem retinere, sed in propria tantum ecclesia, permittuntur, dummodo super illud superpelliceo ac stola induatur » (d gen. 3784, 2). — (4) Superpelliceo. non vero alba debent indui in *processione Corporis Christi* ii, qui casula, dalmatica vel tunicella induuntur (cf. superius Hcortologia F. 3. d. 6° a.).

3°. Rochettum non est indumentum stricte liturgicum.

a. *Romae* saec. IX-o iam invenitur rochettum et vocatum est *camisia,* nuncupatum fuit etiam *alba romana, succa, subta;* nomen rochettum a vocabulo mediae latinitatis « roccus » derivandum tantum saec. XIV. Romae receptum est. Cone. Lateranense IV. a. 1215 *episcopis non-monachis* id gestare praecepit, cum in publicum vel in ecclesiam prodirent, rochettum evasit sic vestimentum praelatitium.

b. *Leges cultuales rochetti.* (1) *Quibusnam* concessus est usus rochetti: *Summo Pontifici, Cardinalibus, episcopis,* quibusdam aliis *praelatis,* et personis qui *privilegium* obtinuerunt. Sic e. gr. omnes canonici Galliarum tum honorarii tum titulares pro habitu canonical! rochettum et mozzettam in tota dioecesi deferunt, et responsum est, nihil in hac re innovandum esse (CRit d 3361). 11. nov. 1914 autem omnibus et singulis Urbis parochis concessum « speciale

honoris ac dignitatis signum ac privilegium » utendi rochetto et palmatoria intra fines propriae paroeciae (AAS 1914, 708). *Aliis non licet* uti rochetto, « neque cotta habente manicas angustas ad instar rochetti » (d 3438,8). — (2) Rochettum est *vestis choralis,* per vestem choralem enim intelligi debent rochettum et mozzctta (d 3115, 1). Ideo vetita est administratio *Sacramentorum* (supra 2°. c. 3.), imo non licet « *assistere* sacris functionibus rochetto vel superpelliceo rochetti formam prae se ferenti » (d 3438, 8); prohibitum est etiam uti rochetto, mozzetta et stola in processionibus et associationibus *funerum,* gallice « convois funèbres » (d 3556). — (3) Rochettum est *vestimentum imum,* aliquid *semper super* rochettum indui debet. Episcopi induunt cappam magnam vel mozzettam in locis suae iurisdictionus subiectis, alibi mantelletum, praelati inferiores ubique mantelletum deferunt; canonici super induunt habitum canonicalem proprium vel amictum, si dalmatica vel tunica induendi sunt, omnes debent *superpelliceo* indui *super* rochettum, si administraturi sunt Sacramenta etc. ut dictum est. Una exceptio habetur: si episcopus uni solum personae administrat Confirmationem hoc potest iuxta Pontifie. Rom. facere rochetto et stola indutus.

3. De vestibus summis liturgicis.

Dc vestibus summis seu exterioribus liturgicis tractandum est nobis sequenti ordine: a) De casula, dein b) De dalmatica et tunicella, item c) De pluviali, demum d) De velo et gremiali.

«a) Dc casula.

1 '. Historia casulae, a. *Aetate antiqua* casula fuit pallium rotundum ac ingens, cui nomen erat penes Graecos *phelonês* vel *phelonion,* penes Romanos *paenula,* aevo classico fuit vestis sumina servorum operariorum, militum; cives Romani toga utebantur, et solum itinerando usi sunt paenula contra intemperiem aeris. At saec. III. paenula magis magisque *communis omnibus* evasit, toga remansit vestimentum officiale senatorum sicque factum est, quod etiam in coetibus liturgicis in usum venit, quin statim indolem vestis sacralis acquisisset. In Gallia nomen *amphibalus* ei datum est et exeunte saec. IV-o iam in liturgia occurrit. Denominatio *casula* in Africa et Gallia communis erat, quia pallium hoc instar casae parvae hominem circumdedit. Casula enim aperturam habuit solum pro capite, ad manus liberandas lateribus elevari ct in brachiis plicari debuit. Nomen *plancta* inde a saec. V-o occurrit.

b. *Usus casulae* diversus fuit. (1) *Romae* adhuc saec. IX-o casula non fuit vestis distinctionis, *omnes clerici* ea usi sunt, diaconi et subdiaconi solum usque ad ingressum in presbyterium, tunc casula deposita dalmatica usi sunt, exceptis temporibus Adventus et Quadragesimae, tunc enim casulam deferebant. Etiam *acolythi* casula vestiti apparent, sed ante cantum in ambone deposuerunt eam. — (2) *Extra Urbem* autem, in territorio liturgiarum typi Gallicani casula videntur solummodo episcopi ct sacerdotes usi esse.

c. *Aevo Carolinçico* casula non est habita vestimentum exclusive *sacrificale,* usitata fuit etiam in omnibus consecrationibus, ministrorum, ecclesiarum, oleorum, aquae baptismatis, extremae unctionis etc. Saec. XII-o iam fere exclusive ad Missam usus casulae coarctatus fuit.

d. Casulae *forma exterior* usque ad saec. XIII. inclusive eadem remansit, rotunda ct undequaque clausa, inde ab incipiente saec. XIV. ad maiorem commoditatem opportunius opinatum est casulae latera scindere quo explicatis

utrimque brachiis manus essent ad agendum expeditae, simul incoepit etiam nisus casulam decuriandi. At non solum ratione maioris commoditatis, sed etiam ratione *parsimoniae* hoc factum est, nam a saec. XII-o iam observatus est canon colorum, ideoque *multo pluribus* casulis resp. paramentis opus erat (piam antea.

e. Medio aevo expleto, decursu saec. XVI. casula mutata est *in formam hodiernam,* latera iam adeo scissa fuere quod casula rationem vestimenti fere amisit et vestis *scapularis* evasit, hoc vero tempore quod audit Baroca adhuc exaggeratum est, ita ut casula formam *fidiculae* (violino, Geige) imitata est.

f. Ideo medio saeculo elapso *usus casulae et paramentorum formae medioaeoalis* seu ut dictum fuit (minus recte) « Gothicae » *instaurari coepit* in Belgio, Gallia, Anglia et Germania, praeeuntibus Can. Bock (Aix-la-Chapelle) et Dom Pugin in Anglia. S. C. Rituum rem annis 1858-1863 examini subiecit, et *decreto 11. febr. 1863* innovationem prohibuit, adiieiens Instructione 21. aug. 1863 mentem: « Sancta Sede inconsulta nihil innovari posse censuit. » At decretum hoc una cum instructione tunc non fuit publici iuris factum, nec in Collectionem authenticam decretorum assumptum, ita, ut usus paramentorum priscae formae pedetentim valde diffusus est. Attamen celeberrimus J. Braun SJ adhuc a. 1912 scribere potuit, in quibusdam regnis exsistere insuperabile fastidium erga formam latiorem casulae (Paramentik 1912, p. 122), Sanctus Pius X. vero vehementer exoptavit instaurationem priscae formae et professori Vindobonensi II. Swoboda personaliter mandatum dedit eam divulgandi (St. Doromby, in Bib. u. Lit. 1950-51, 173-4). Quoniam vero fervor instaurandi antiquitatem hac in re aliquando immoderatius exarsit, S. *C. Rituum 9. dec. 1925* responsum dedit: ab hodierna forma paramentorum « recedere non licere inconsulta Sancta Sede », simulque documenta anni 1863 publicavit. Praxis demum fuit ista, quod Ordinariis ampliores facultates paramenia talia priscae formae inducendi rite petentibus datae sunt, ita, quod M. Righetti a. 1945 iam scribere potuit, nunc temporis usum planetae medioaevalis esse iam satis communem in Italia, Germania et Belgio, (Storia lit. I, 483-4). *Dubiis finis impositus* est per eandem S. Congregationem *20. aug. 1957,* etenim quoad « licentiam conficiendi et adhibendi paramenta pro Missae sacrificio sacrisque functionibus prisca concinnata forma, S. haec Rituum Congr. *prudenti Ordinariorum indicio* remittendum esse censuit, utrum, attentis peculiaribus rerum locorumque adiunctis, ea paramenta permitti possint, necne. Curent tamen locorum Ordinarii in hoc indicio ferendo ut sanctitati et decori divini cultus quam maxime prospiciatur, neque sinant a probata disciplina circa sacrarum vestium formam temere atque inconsulte recedi, immo omni cura eas mutationes prohibeant, quae perturbationes producere et fidelium animos in admirationem inducere possint » (ASS 1957, 762). Recte notant Ephemerides Liturg., intactum permanere ius Ordinariorum concedendi vel denegandi *usum* talium paramentorum, in proprio ipsorum territorio, at minime cos prohibere posse *confectionem* talium, *alibi,* ubi usus permissus sit, adhibendorum (1957. 439).

2°. Sensus symbolicus casulae declaratur a *Ruperto Tuitiensi* huiusmodi: « Casula magni sacerdotis nostri Christi vestimentum... Quod est illud vestimentum? Sancta Ecclesia catholica!... Casula ergo vestimentum Christi, quod est Ecclesia significat. Est autem integra et undique clausa, ut unitatem et integritatem verae fidei demonstret » (De div. offic. L. I. c. 22 PL 170, 23). *Durandus* iam subtilius inquirit in sensum casulae: « Sicut caritas operit multitudinem

peccatorum ct omnia legis et prophetarum mandata continet, dicente Apostolo, plenitudo legis est caritas, sic et haec vestis cuncta planat et alia omnia indumenta intra se claudit ct continet... Rursus latitudo planetae latitudinem significat caritatis, quae etiam usque ad inimicos extenditur » (Rat. div. Oflic. L. III. c. 7, 1. 2).

3°. Leges cultuales casulae, a. *Materia* ut iam dictum est debet esse *serica,* expresse prohibentur casulae confectae e tela linea (vulgo percallo) et ex lana (CRit d 2769, 5 ad 3, d 3779, 1).

b. *Forma* si *hodierna* sit, vel rectius formae saec. XVII-XVIIL, non minus longa sit, quam 0.90 m., non plus quam 1.10 m., a tergo saltem 0.70 m. lata sit. a parte anteriori ad lumbos circiter 0.40 m., 0.65 m. ex imo sit, apertura qua caput inmittitur, 0.45 m. longe patens sit (De Amicis p. 70). — (1) Casula *formae priscae* (de qua cf. superius 2°. f.) habet longitudinem circ. 1.20-1.35 m.. latitudinem, si extendatur, 1.50 m.; si tela 1.50 m. lata est, ad casulam circ. 3.80 m. telae requiruntur, si tantum 0.60-0.70 lata sit. necesse est 7 m. telae adhibere (St. Doromby, Bib. u. Lit. 1950-51, 270).

c. *Ornatus casulae.* (1) Licitae sunt planctae ex panno serico frondibus floribusque, uti assolet, ornatae, partim *acu* pictis, partim vero coloribus *penicilli ope* (CRit d 3576, 15). — (2) Licet *stemmata* gentilitia, sicut ostensorio et calicibus, ita etiam casulis apponere (d 2875). — (3) In paramentis nigri coloris prohibetur imagines mortuarias vel cruces albas depingere (Caer. ep. L. II. c. 11, I), S. C. Rit. in memoriam revocans hoc praeceptum addit vetitum repraesentandi calvaria cum ossibus decussatis defunctorum (d 4174, 1).

d. *Usus casulae.* Plancta est vestis distinctionis *presbyteri,* ideo praeprimis in *Missa* deferri debet. — (2) Sacerdos in celebrando *Matrimonio* indui debet alba, stola transversa et plancta, si immediate sequatur Missa nuptialis (d 3158, 3). — (4) In *processione* Corporis Christi *potest* planeta indui sine stola et manipulo (cf. superius 2. d. 2°. c. 4). — (4) *Non licet* casula uti *in aspersione aquae* diebus Dominicis ante Missam conventualem celebrans alba et stola indutus accipit pluviale, in defectu pluvialis in alba et stola peragit aspersionem. qua completa, se recipit in partem Epistolae ibique assumit manipulum et casulam (d 3697, 8).

c. *Planeta plicata.* Vestimentum inde ab a. 1961 obsoletum, eiusdem formae ac materiae fuit quam planeta celebrantis, sed ante usque ad pectus plicata fuit, vel reflexa et adfixa, permissus quoque fuit usus planetae decurtatae. Diebus Adventus, Quadragesimae et Passionis debuerunt deferri planetae plicatae, loco dalmaticae et tunicellae. Novus Ordo Hebd.Sanctae iam ab anno 1956 usum planetae plicatae prohibuit, sed vigorem haec prohibitio solum pro Hebdomada Sancta habuit (OHS 1956. Ruhr. spec. Dom. II. Pass. η. 3. et Sabb. S. n. 2.). Reformatio S. P. Joannis XXIII. anno 1960 ordinavit, ouod « planetae plicatae ct stola latior amplius non adhibentur » (NCR 137). *Stola latior* fuit rudimentum quoddam sensu carens: diaconus enim deponere debuit aevo antiquo planctam plicatam aut eam super humerum sinistrum penitus complicare, quae plancta « complicata » substituta est symbolico modo stola latiore.

b) De dahnatica et tunicella.

Ie. Historia, a. Dalmatica *vestimentum summum* fuit *vitae profanae* saec Π-o. *Romae* tum viri tum mulieres eam gestabant; vestis fuit ampla, ad

talos fere pertingens, latis sed brevibus manicis praedita, coloris candidi, duobus clavis, i. e. lineis latis, ex purpura a tergo et in parte anteriore signata, nomen sortita est probabiliter ex eius origine in Dalmatia collocanda. Dalmaticam honoratiores deferre solebant. — (2) Ius dalmaticam deferendi saec. IV. Romae competebat solum *Papae eiusve diaconis,* qui hoc privilegium etiam exteris communicavit, e. gr. Symmachus (498-514) diaconis S. Caesarii Arelatensis. Usus dalmaticae saec. V-VI. cito etiam alibi percrebruit, episcopus ac eius diaconi dalmaticis induti sunt, signum intimae relationis, quae inter pontificem et diaconos, administrationis ecclesiasticae rerumque oeconomicarum ministros viguit. Sic Ravennae saec. VI. in operibus musivis conspiciuntur pontifex eiusve diaconi, similiter etiam Mediolani (S. Ambrogio). — (3) Cito *ubique usi sunt dahnatica* pontifices et diaconi, longitudo eius extra Italiam iam saec. IX-X. coepit aliquantulum minui, inde a saec. XIV. vero ubique abbreviare studebant dalmaticam, donec saec. XVII-o ad longitudinem 1.15-1.10 m. pervenit. Color *candidus* dalmaticae usque ad saec. X. mansit, dein paulatim *varios colores* accepit, sicut alia paramenta.

b. Quod *tunicam* subdiaconi attinet (1) origo eius quaerenda est in imitatione dalmaticae diaconi; ut gradus eius humilior ostendatur, manicae angustiores, tunicae autem sine clavis effectae sunt. Iam ante S. *Gregorium Magnum* (f 604) subdiaconi talem vestem sibi arrogabant, is tamen ratus hoc esse praeter consuetudinem Ecclesiae Romanae, eam subdiaconis detraxit, saec. IX-o solummodo tunica subdiaconalis iterum revixit. — (2) Papa tamen tunicam minorem seu dalmaticam minorem vel lineam sub dalmatica gestabat saec. VIII-o; alia *nomina* tunicae erant: *linea, tunica stricta* vel simpliciter *stricta, roccus, tunicella,* in Germania *subtile* (e vocabulo subtus).

c. Usus dalmaticae et tunicellae *aevo Carolingico* iam satis communis fuit, at diebus poenitentialibus, praecipue Adventus et Quadragesimae, usus harum vestium proscriptus erat, vestimenta enim erant candida, mos antiquus autem fuit diebus festis candidis, diebus poenitentialibus vestibus « pullis » i. e. atris, austeris uti. Consuetudo haec Romana etiam in aliis ecclesiis recepta fuit. ita. ut abstinentia ab his vestibus diebus dictis saec. XI. iam ubique generaliter observata est.

2°. Sensus symbolicus ab *Amalario* recte panditur: « Per dalmaticam intelligimus religionem sanctam et immaculatam quae est apud Deum et Patrem, ut visitentur pupilli et viduae in tribulationibus eorum et visitatores immaculatos se custodiant ab hoc saeculo. Ipsa dahnatica duas coccineas lineas habet retro, similiterque in anteriore parte, quia vetus testamentum et novum rutilant dilectione Dei et proximi » (Lib. offi. II, 21 ed. Hanssens II, 243).

3°. Leges cultuales. a. *Materia* dalmaticae et tunicellae stricte non est definita, sed habetur *lex directive:* « Dalmaticae et tunicellae, si fieri potest, pretiositate conformes sint planetae celebrantis in missa sollemni, quia haec sacra indumenta non ministrorum ornatui, sed ecclesiasticae functionis decori inserviunt » (CRit d 2578, 4).

b. *Forma exterior differre* debet iuxta Caer. episc. (L. I. c. 10, 1): *tunicella* habeat angustiores et aliquantulum longiores manicas, quod discrimen tamen nunc temporis saepissime negligi solet. Recte dicitur hanc differentiam *restituendam* esse spiritu ducti instaurationis liturgicae, quae differentia insuper inculcari posset etiam ieiuniore aliquantulum decoratione (St. Doromby in Bib.

ii. Lit 1950, 51, 335); longitudo harum vestium commendatur ibidem 1.15-1.30 m. *esse,* latitudo circiter 1 m.

e. *Usus dalmaticae et tunicellae.* (1) *Diaconi et subdiaconi* utuntur his vestimentis liturgicis, quando sacerdoti ministrant: in Missa, in benedictionibus ad altare, et in processionibus, sed si sacerdos stat sine pluviali, etiam ministri stant sine dalmatica et tunicella (NCR 137). — (2) *Sacerdotes* diaconi personam gerentes ad thronum pontificis, gestant dalmaticam superpclliceo indutam sine amictu. — (3) *Canonici* loco superpcllicci rochetto induunt dalmaticam pontifici astantes, sine amictu. — (4) *Pontifices* sollemniter celebrantes super dalmaticam et tunicellam induunt planctam, hoc ritu symbolico ostendentes sibi competere plenitudinem sacerdotii, quod utique solum in episcopis verificatur. Si Missam lectam celebrent, induunt dalmaticum et tunicellam tantum in consecratione episcopi, collatione sacrorum ordinum, in benedictione abbatis, abbatissae, virginum, in consecratione ecclesiae vel altaris. Attamen ex rationabili causa a sumenda tunicella et dalmatica subter planctam abstinere possunt (NCR 134). De abolitione planetae plicatae cf. a. 3°. c.

c) Dc pluviali.

1 Historia, a. Pluviale adhuc saec. IX. nondum erat vestis sacralis, sed inde a saec. VlII-o fuit *pallium quoddam. clericorum et monachorum,* qui usi sunt in choro ad frigus temperandum; a planeta eo differebat, quod caputio praeditum et in parte anteriore apertum erat. Amalarius vestes liturgicas ex professo recensens tacet de illis. — b. Saec. X-o cappa iam fuit *indumentum liturgicum,* eo utebantur cantores chori, regens chori, presbyteri incensantes altare, benedictiones agentes, processionibus participantes, episcopi ecclesiam consecrantes. *Cappa* ergo vestimentum *commune omnium clericorum* fuit, nominatum est etiam *pluviale,* praecipue in Italia, in Hispania saepe vocatum est *mantum,* nomen usitatissimum fuit hodieque adhibitum est *cappa.*

2°. Sensus symbolicus declaratur apte a *Honorio Augustodunensi:* « Per hanc vestem sancta conversatio praemonstratur. Ideo a singulis ordinibus portatur. Haec in supremo habet caputium, quod designat supernum gaudium... Haec (= cappa) usque ad pedes pertingit, quia in sancta conversatione in finem usque perseverare convenit... Haec vestis in ante aperta manet, quia Christi ministris sancte conversantibus aeterna vita patet « (Gemma animae I, 227 PL 172, 612).

3°. Leges cultuales pluvialis, a. *Materia* non est definita, sed communiter ex eadem materia conficitur sicut casula.

b. *Forma* exterior est semicirculi, retro in medio habeat caputium vel formam caputii. a (pio etiam nomen sortitum est (cappa), ante pectus conneclitur ope fibulae vel uncinis deauratis aut argenteis. Longitudinem habet 1.50 m., latitudo eius sit circiter 3 m.

c. *Usus pluvialis.* Regulatur nunc per Nov. Codicem Rubricarum (135). \dhibetur pluviale in Laudibus et Vesperis sollemniter dictis, in benedictio nibus quae fiunt ad altare, c. gr. candelarum 2. febr., cinerum, palmarum, benedictione nuptiali, in absolutione super cadaver aut super tumidum, in Missa pontificali, a presbytero assistente, ad orationes sollemnes Fer. VI. in Passione et Morte Domini, in Vigilia paschali. — Cum celebrans utitur pluviali, nunquam adhibet manipulum, si haberi non potest, stat sine planeta et manipulo,

in alba ct stola (NCR 136). — (2) *Adhiberi potest* pluviale: in *aspersione dominicali* cum aqua benedicta, in administratione *Baptismi,* in ritu *sepeliendi* mortuos, in communione *infirmorum* si SS. publice deferatur. Pluviali possunt cantores vestiri, resp. *praecentores chori,* in festivitatibus 1. cl. licet quatuor assumere, in 2. cl. duo (d 2506, 3). *Laid* nequeunt uti pluvialibus, sed tolerantur tantum ut cottam (superpelliceum) induant, si clerici deficiunt. *Presbyter* assistens ad thronum pontificis induit pluviale, si ipsemet pontifex celebret, si autem tantum pontificaliter assistet, vestitur habitu chorali.

d. Si celebrans in horis *pomeridianis,* Missa expleta statim Vesperas cantaturus sit, stola et manipulo ad scamnum depositis potest assumere pluviale, vel si mavult, potest pergere in sacristiam et ibi superpclliceo indui cum pluviali (d 3574, 3).

e. Cum celebrans pluviale induit, *semper deponit manipulum,* et ubi pluviale haberi non potest, in benedictionibus quae fiunt ad altare, stat sine planeta in alba et stola decussata, in benedictionibus extra Missam autem habet superpelliceum et stolam (NCR 136).

d) De velo et gremiali.

Utrumque paramentum ad genus veli pertinet, *prius* est fascia seu taenia oblonga serica, collum et humeros operiens, cuius extremitates in pectore dependentes ad manus velandas inserviunt, ut iis obiecta sacra decentius tangi possint. *Gremiale* est velum quadratum ad protegendum sinum seu gremium pontificis sedentis.

1°. Historia veli. a. *Ratio* velationis fuit *reverentia* erga obiecta sacra, quae reverentia, ut signum urbanitatis in *cotidiana* vita antiquorum bene nota erat: repraesentationes pictae ostendunt homines dona et munuscula velatis mappula manibus offerre. Similibus repraesentationibus comperimus etiam Christianos antiquos velationem manuum exercuisse etiam in vita *cultuali:* ideo figurae Moysis, trium magorum, pastorum manibus velatis conspiciuntur, sic recepit Moyses legem, obtulerunt alii munera.

b. Opera musiva et alia iconographica ostendunt, oblata manibus velatis donata esse in sacrificio *Missae,* clericos manu velata *sacros libros* detulisse, feminas manu dextera velata *sacram communionem* in manum recepisse, concilium dein Laodicaenum medio saec. IV-o iam praescripsit *vasa* liturgica tangi debere manu velata. Ideo *diaconi* manibus velatis calicem tradidere celebranti velo oblongo adhibito, cuius nomen in Ordinibus Romanis est *fanon* vel *sindon. Acolythus* iam saec. VII. exeunte tali velo accepit patenam ante pectus tenens sindone in collo ligata, saec. XI-o ut videtur, subdiacono tale officium competebat.

2°. Species veli. a. *Velum eucharisticum* ad benedictionem sollemnem eucharisticam cum monstrantia vel etiam cum ciborio, adhibendum quoque in processionibus theophoricis, et in publica delatione S. Communionis ad infirmos.

b. *Velum subdiaconi,* quo utitur in Missa ad tenendam patenam ante oculos, ab offertorio usque ad Pater noster.

c. *Velum acolythi,* quo mitram, in manus recipit in functionibus pontificalibus.

d. \d *benedicendum cum reliquia* Verae Crucis adhiberi potest velamen rubri coloris (CRit d 2854 et 3256).

c. *Vela ad portanda s. olea* in benedictione Fer. V. in Coena Domini, unum ad s. chrisma, alterum ad oleum catechumenorum inserviunt diaconis.

f. Obsoletum et nunc etiam prohibitum est *velum sacrorum librorum,* quo missale quibusdam in locis cooperiri solebat, cum sacri ministri ad lectionem Epistolae ac Evangelii accesserunt (d 3236, 2).

3'. Leges cultuales veli. a. *Materia.* Vela sint serica iuxta compluria loca Caer. Episc., *eucharisticum* sit semper albi coloris (d 1615, 6. 3086, 5. 3175, 3). *subdiaconate* semper coloris Missae, sed velum nigri coloris non adhibetur; velum *acolythi* est vel albi coloris, vel sequitur colorem diei, vela *oleorum* sint « vela ad collum quorum extremitates ante pectus dependent (Pont. Rom.). mundae sint, aliud nihil dicitur, in Gallia velum chrismatis est album, olei catechumenorum viride (Lesage, Diet. col. 1101). — b. *Forma* est fasciae oblongae, longitudo commendatur 2.50 m., 0.60-0.80 m. latitudo. — c. Velum non debet benedici.

4°. De gremiali, a. *Historia.* Saec. XIII. exeunte solum gremiale occurrit, in Pontificali Durandi nomine « tobalea pulchra », quae inservivit ad obtegenda genua pontificis. Saec. XIV-o gremiali etiam presbyteri usi sunt. — b. *Leges cultuales gremialis.* (1) *Materia* gremialis quo utitur pontifex ad Missam pontificalem, est *serica,* quo utitur ad alias functiones est gremiale *lineum.* — (2) *Forma* est rectangularis quadrata, circ. 80 x 80 em. — (3) *Usus* gremialis *serici;* Exclusive ad Missam pontificalem, et quidem: intra cantum Kyrie, Gloria, epistolam et cantum sequentem, homiliam et Credo (Caer. episc. L. I. c. 11, 9. 10). Usus gremialis *linei:* in distributione candelarum, cinerum et ramorum, in consecratione presbyteri et episcopi, et in aliis consecrationibus ubi praescribitur. — (4) *Munus gremialistae:* ambabus manibus defert gremiale, et si pontifex sit in *throno,* porrigit gremiale primo diacono assistenti seu honorario, cum pontifex surgit, recipit gremiale e manibus secundi diaconi assistentis. Si pontifex in faldistorio sit, tradit gremiale subdiacono et ab eo etiam id recipit, similiter si ad thronum sit, sed non habentur diaconi honorarii. Gremiale extra usum semper reponi debet in credentia.

4. De insignibus liturgicis.

Insigne (insegna. Dienstabzeichen, hiv. jelvény) liturgicum est *signum distinctivum graduum hierarchicorum praecipue in ritibus sacris usitatum.* Potest esse *signum* quoddam, ut Crux, *vestimentum* vel *opus ornatus,* ut annulus, quae praecipue in actibus liturgicis deferantur, sed fortasse etiam extra hos actus, ut Crux pectoralis. Agere debemus a) De manipulo, dein b) De stola, c) De pallio et Cruce archicpiscopali, d) De mitra, e) De baculo pastorali, f) De annulo pontificali, g) De Cruce pectorali.

n) De manipulo.

Manipulus, vocatus etiam *manipula, mappula, sudarium* nunc est fascia seu taenia brachio sinistro gestata, ita ut extremitates eius hinc inde dependeant.

1. Historia manipuli, a. Manipulus *Romae* in usum venit, fuit in vita antiqua cotidiana pannus subtilis (mappa, mappula) sinistra manu gestari soli-

tus, quod oculis naribusve mundandis sudorique abstergendo inservivit. Morum elegantia hanc mappulam excogitavit, Liber pontificalis narrat Papam Silvestrum usum cius ordinasse, *diaconi* in ecclesiis debebant eam manu sinistra gestare seu sinistram « pallio linostimo » obtegere (ed. Duchesne I, 171), e qua nota saltem verum esse debet, quod saec. VI. ineunte, quando nota haec descripta fuit, mappula iam diu in usu fuit.

b. *Tempore* S. *Gregorii Magni* manipulus etiam a *presbyteris* Romae gestatus fuit, immo ut privilegium cleri Romani id Ravennatibus primis diaconis quoque concessit. Nomen officiale tunc temporis fuit *mappula.*

c. Pedctentim deinde mappula Romana *alibi quoque cum ritu Romano inducta* fuit, extra Urbem accepit nomen *manipuli,* quod dein etiam Romae usu receptum est. Manipulus in Germania saepenumero *fano* appellatus est. Primitus fuit pannus in formam oblongam plicatus, saltem iam saec. VIII-o, qui dein saec. XI. ineunte iam sola fascia duplex e brachio dependens evasit, et etiam exornari coepit. Decursu medii aevi extremitas manipuli latius excoli coepit, ita ut saec. XVII-XVIII. manipulus formam fere palae cuiusdam obtinuit (Schaufel, pelle, shovel, lapât).

d. Manipulus Romae ab initio semper fuit *Missae exclusive proprius,* ideo nunquam extra Missam in usu fuit, inde lex deponendi manipulum, si pluviali utatur. Manipulum inde a saec. X-o evasit *etiam subdiaconibus* communis, et ideo qua signum distinctivum tradi coepit in ordinatione (cf. supra De Sacr. Ordinis F. 2. a. 1°. b. et 2°. f. (2)).

2°. Sensus symbolicus praeeuntibus aliis liturgistis sic panditur a *Durando:* « In sinistra manu ministri ad altaris ministerium accedentis quaedam apponitur manipula, vel fanum vel manipulus vel sudarium appellatur, quatenus sudorem mentis abstergat, et soporem cordis excutiat... Per sudarium etiam poenitentia designatur, qua labes cotidiani excessus et taedium mundanae conversationis extergitur... Per manipulum praemium designatur iuxta quod legitur: Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos » (Rat. div. offic. L. III. c. 6, 2. 4).

3°. Leges cultuales manipuli, a. *Materia* manipuli expresse non praescribitur, olim enim fuit ex lino, nunc vero iuxta saecularem Ecclesiae consuetudinem est ex eadem materia ac paramenta, i. e. *serica, coloris* eiusdem ac cetera paramenta sacra.

b. *Forma manipuli:* sit cire. 1 m. longitudinis, hinc inde a brachio dependens, in medio debet habere *Crucem acu pictam* suppositam a rubrica (Rit. cel. I, 3 «osculatur Crucem in medio »); latitudo sit 5-10 cm., in Italia etiam maior. Duae partes dependentes in Italia per ligulam seu funiculum brachio adiunguntur; in Germania et aliis regnis duae dependentiae consutae sunt; in Gallia acu firmantur albae.

c. *Quibus competit* manipulus.. Iis solummodo qui ordinibus maioribus initiati sunt, quia subdiaconus primo eum accipit, est insigne praecise *ordinis subdiaconatus.* Ideo in minoribus constitutus qui ex necessitate *vices supplet subdiaconi,* nunquam potest manipulo uti, quod habet suam historiam. S. Congr. Rituum a. 1698 (d 2002, 13) permisit minoristae data necessitate absque manipulo Epistolam cantare, at a. 1713 absolute prohibuit minoristae etiam absque manipulo supplere vices subdiaconi (d 2221, 1), a. 1784 repetebat vetitum, addens tamen exceptionem « casus absolutae ct praecisae necessitatis » dein-

ceps semper idem concedens (d 2525, 1; 2965, 4; 3525, 1; 3831, 7), *conditio apposita semper* est: supplens saltem tonsura initiatus sit, inserviat sine manipulo et vera urgeat necessitas. Conditionibus his suppositis a. 1906 accurate et uberius determinatum est, quid potest facere in supplendo subdiacono (d 4181).

d. *Usus manipuli.* Manipulus est paramentum scu insigne quo solum *ad Missam* uti debet, ad benedictionem oleorum in Missa chrismatis Coenae Domini « vestiuntur vestibus albi coloris ordini suo congruentibus » (Pon. Rom.), ergo etiam manipulo: 12 presbyteri, 7 diaconi ct 7 subdiaconi. Celebrans extra Missam, ct « cum utitur pluviali, nunquam adhibet manipulum, et ubi pluviale haberi non potest, in benedictionibus quae fiunt ad altare, celebrans stat sine plancta cum alba et stola n (NCR 136).

c. Manipulus *sequenti ordine* induitur: ministri sacri cum induunt postquam celebranti in induendo paramenta adiumentum praestiterunt et ipsi dalmaticam, resp. tunicellam induebant, presbyter induit cum post cingulum, pontifex post Confiteor, dicto « Indulgentiam ».

b) De stola.

l '. Nomina, a. *Orarium* est nomen primitivum huius vestimenti liturgici. quod fuit primitus tela oblonga qua honestiores viri ad tergendam faciem (ora) usi sunt, inde nomen derivatur, quod sic etiam Graece dictum est (orarion). — b. Aliud nomen est *stola,* a Graeco vocabulo *stole,* quod vestem significat. Insigne hoc liturgicum « *stola* » denominari coepit extra Urbem, probabiliter *in Gallia,* sed medio aevo progrediente etiam Romae praevaluit, nunc autem nomen officiale est, una vice in Pont. Romano occurrit « orarium ».

2°. Historia stolae, a. Stola nomine « orarii » primum occurrit *in Oriente,* Cone. Laudicenum cam memorat saec. IV. exeunto: « quod non oportet ministrum (= hyperetes, subdiaconus) ferre orarium... lectores vel cantores ferre orarium et sic legere vel cantare » (can. 22. 23), ut videtur, tunc iam insigne fuit orarium ordinum diaconatus, presbyteratus et episcopatus. Orarium dein *in Hispania* receptum est. Cone. Bracarense (= Braga) a. 563 mentionem facit orarii: « Diacones... superposito scapulae, sicut decet, utantur orario » (can. 9); quod in *sinistro* humero gestatum fuit, comperimus ex Cone. Toletano IV. a 633 (...unum orarium oportet levitam gestare in sinistro humero » can. 40): idem concilium etiam testatur presbyteros ct episcopos usos esse orario (can. 28). Cone. Bracarense IV. a. 675 vero prodit presbyteros eodem modo gestasse orarium ac nunc, in modum nempe *Crucis decussae* scu transversae: « Cum antiqua ecclesiastica noverimus disciplina praefixum, ut omnis sacerdos, cum ordinatur, orario utroque humero ambiatur... » ibidemque praescribit, quod non solum in ordinatione, sed *in omni Missa* orario vestiatur, n ita, ut dc uno eodemque orario cervicem pariter et utrumque humerum premens signum in suo pectore praeferat Crucis » (can. 4).

b Saec. \ II etiam in *Gallia* usus stolae non alienus fuit. Expositio Missae Ps. Germani hac voce memorat eam: « Stola autem, quam super alba diaconus induit significat subtilitatis intelligentiam in divina mysteria, licet veteri stola induentes gaudium solemnitatis se habere monstrabant » (PL 72. 98).

c. *Romae* orarium non insigne maiorum ordinum erat, sed — ut videtur — insigni *commune clericorum* distinctivum a laicis. Ordo Rom. VIII. (Andrieux II. '>21-322' saec IX testimonio est. quod pontifex vestitur orario infra planetam.

presbyteri id accipiunt, diaconi, subdiaconi, acolythi et etiarn inferiores clerici, si eam habeant. Saec. X-o certe iam solum *ordines maiores* stolae ius habebant.

d. Stola fuit insigne non solurn liturgicum, sed etiam *vitae cotidianae,* aevo Carolingico ideo semper portari debuit, ut Cone. Moguntinum a. 813 demonstrat: « Presbyteri sine intermissione utantur orariis propter differentiam sacerdotii dignitatis » (can. 20). Consuetudo fuit post ordinationem diaconalem stola semper vestiri etiam noctu.

c. *Discrimen* in stola *assumenda* satis mature incoepit. (1) *Episcopi* inde a saec. X-o stolam super albam assumunt, antea multis in locis sub planeta vel sub tunicclla induta est. — (2) *Presbyteri* ut vidimus (supra a.) saec. VII. iam in Hispania in modum Crucis stolam deferebant, qui mos tamen lente diffusus est, saec. XII-o nondum Romae usitatus fuit, immo teste Durando nec saec. XIII. ubique viguit. — (3) Quod *diaconos* attinet *Romae* stolam *infra* dalmaticam induebant, *super* dalmaticam in ritu *Ambrosiano* hodieque defertur. Mos vero *sinistro* humero stolam gestandi, in Hispania iam saec. VII-o *notus* paulatim tantum in Occidente divulgatus est, saec. XIII. iam communis evasit.

3°. Sensus symbolicus stolae. *Durandus* haec habet de sensu stolae: « Super collum sibi imponit, ut iugum Domini se suscepisse demonstret. Quam cum osculo sibi imponit et deponit, ad notandum assensum et desiderium, quo se subiicit huic iugo, illa autem a collo per anteriora descendens, dextrum et sinistrum latus adornat, quia per arma iustitiae a dextris et a sinistris, id est in prosperis et in adversis sacerdos debet esse munitus... Longitudo autem stolae perseverantiam significat. Duo brachia stolae dependentia significant prudentiam ct temperantiam... Non ubique partes stolae reducuntur ante pectus in modum crucis. Crucem autem gerit in pectore, dum Christi passionem, cuius minister est, imitatur in mente » (Rat. div. offic. L. III. c. 5, 1. 3).

4°. Leges cultuales stolae, a. *Materia et forma stolae.* Utpote paramentum debet esse *serica,* etiam si extra Missam usu venit. *Longitudo* commendatur a De Amicis circiter 2.30 m., ut ad genua producatur, *late* autem 10 vel 12 cm. pateat, frangiis ornari potest, sicut et manipulus ad extremitates, in medio ct in extremitatibus habeat acu inpictam *Crucem* (p. 67).

b. *Modus imponendi:* Supra albam semper in modum Crucis deferri debet, supra superpelliceum libere dependent extremitates, si presbyter stolam induit. Diaconus in humero sinistro gestat stolam et sub brachio dextero eam ligat etiam si supra superpelliceum eam induit. Pontifex vero non ducit stolam ante pectus in modum Crucis, sed sinit hinc inde utrasque extremitates pendere (Rit. cel. I, 3. 4).

c. Stola est *signum officii,* non iurisdictionis, ct assumenda est ab illo qui functionem liturgicam peragit, sive sit parochus sive non (CRit d 3035, 2). Non potest adhiberi in choro in signum praeeminendae (d 2956, 5).

d. *Usus* stolae *praescriptus* est: (1) in Missa iuxta rubricas, — (2) in administration© Sacramentorum et *Sacramentalium* omnium iuxta Rit. Rom. et varia decreta S. Cong. Rituum (d 3697. 15), — (3) in *Verbo divino* praedicando, ubi moris est (d 2682, 21; 3157, 6; 3185; 3237, 2) — (4) in s. *communione* sacerdotis non celebrantis et diaconi, si publice communicant, — 65) in *expositione* et repositione, item benedictione SS. Sacramenti impertita (d 3697, 12).

c. *Usus* stolae *permissus* est: (1) in officiis nocturnis defunctorum (Caer. episc. L. II. c. 10, 10) — (2) in processionibus (CRit d 3029, 4-6. 8. 9; 3035, 2) — 3) in publica adoratione SS. Sacramenti (d 2709, 2), — (4) presbytero qui « manuductor » est in prima Missa novelli sacerdotis (CRit d 3513, 7).

f. Usus stolae *prohibitus* est: (1) in officiis divinis, nec Tertia excepta sollemniter cantata (d 4084, 2), — (2) rectori ecclesiae qui episcopo ecclesiam ingredienti aquam benedictam porrigit (d 3191, 1), — (3) parocho in choro praesente capitulo (d 3251, 4), — (4) cappcllanis pias associationes comitantibus vel episcopo in habitu chorali assistentibus (d 3191, 2 et *2741,* 1. 2), — (5) sermonem funebrem habenti (d 2888, 1). (Cf. De .Amicis p. 68-69).

c) Dc pallio et Cruce archiépiscopali.

Pallium est fascia angustior e lana alba in formam circuli confecta, et Crucibus nigri coloris praedita, e qua in pectore et tergo minores fasciolae dependent.

1°. Historia pallii, a. Pallium probabiliter *in Urbe* ortum habet, initio pannus fuit laneus et *statim insigne* i. e. signum distinctionis, pannus dein paulatim in modum fasciae complicatus fuit. Verisimile est quod pallium istud Romanum imitatio est panni liturgici Orientalium *omophorion* nuncupati, quod episcopi gestare inde ab a. 400 circiter consueverunt. Episcopus Romanus sibi applicavit hoc vestimentum liturgicum qua signum distinctionis.

b. *Ineunte* saec. VI-o *iam aliis privilegium pallii* concessum fuit in Occidente, Caesarius Arelatensis a. 513 accepit pallium a Papa Symmacho, decursu saec. Vl-i etiam alii talis privilegii participes effecti fuere; praesertim S. Gregorius Magnus metropolitis, sed etiam quibusdam episcopis, ut Syagrio Augustodunensi, pallium transmisit.

c. Saec. VIII-o iam multi fuere metropolitae qui pallium a Summo Pon tifice expostulaverunt, obligatio tamen nulla fuit hoc faciendi. Saec. IX-o vero iam videtur quoddam debitum exstitisse pallii rogandi, cuius finis fuit metropolitas arctius cum Sede S. Petri connectendi. lusiurandum fidelitatis tamen exigere a metropolita solum saec. XI-o usu receptum fuit.

2°. Sensus pallii. Pallium archiépiscopale ab initiis sensum habuit *fidelitatis erga Petri successorem,* metropolita enim, qui praecipue medio aevo episcopis sui districtus praefuit, Summi Pontificis iurisdictionem directam participat, arcte ergo connecti debet Sanctae Sedi. Ideo pallia in confessione S. *Petri* deponuntur, indeque sumuntur et transmittuntur metropolitis, ut significent plenitudinem pontificalis officii a Summo pontifice derivatam. Intimae unionis signum conficitur iuxta antiquissimam consuetudinem e *lana ovium,* ut exemplum Boni Pastoris in memoriam antistitis revocetur, ut Benedictus XIV. optime dixit: « Ad eam ovem significandam, quam, cum esset amissa, bonus Pastor quaesivit, invenit, suisque humeris impositam ad ovile reportavit n (Adlocutio in Consistorio 23. sept. 1750).

3°. Leges cultuales pallii, a. *Materia* palliorum quoad substantiam est *lana duorum agnorum* in festo S. Agnetis in eiusdem virginis-martyris ecclesia extra muros benedictorum Summoque Pontifici oblatorum. *Benedictio* ipsius pallii fit post primas Vesperas SS. Petri et Pauli, pallia dein iuxta decretum Benedicti XIV. a. 1718 thecae argenteae inclusa reponuntur in confessione S. Petri.

b. *Forma* pallii est supra descripta, Cruces quatuor nigrae sericae insutae habentur in circulo pallii, singulae Cruces nigrae autem insutae sunt fasciolis ante et retro dependentibus.

c. *Quinam habeant ius pallii; Metropolitae* indigent pallio, quia significat potestatem archiepiscopalem (can. 275). Pallio ornatur etiam *cardinalis-decanus,* cum Papam electum in episcopum consecrat (can. 239 § 2). *Episcopi* solum privilegio personali pallium accipere possunt, quin iura metropolitae sibi acquirant.

d. *Petitio pallii* obligatoria est: « Metropolita obligatione tenetur, intra tres menses a consecratione vel si iam consecratus fuerit, a provisione canonica in consistorio, per se vel per procuratorem a Romano Pontifice pallium petendi », (can. 275). Lex haec sanctione praedita est: ante impositionem pallii (1) *illicite* ponuntur *actus iurisdictionis* metropolitanae, (2) *illiciti* sunt etiam *actus ordinis* episcopalis, in quibus ad normam legum liturgicarum, usus pallii requiritur (can. 276), qui sunt sequentes: Licet sit consecratus: non sortitur nomen patriarchae, primatis aut archicpiscopi — non licet ei clericos ordinare, episcopum consecrare, — nec convocare Concilium — nec chrisma conficere — neque ecclesias dedicare — potest vero Missam sine pallio et sandaliis celebrare (Pont. Rom. De pallio). — (3) Actus hi illiciti manent, etsi pallium *in alia ecclesia* habuisset, cum oportet petere novum pallium (can. 278). — (4) Uniusmodi consecrationes tamen potest ante receptionem pallii *alteri committere,* dummodo non sit in mora petendi pallium (Pont. Rom. ibid.). — (5) Pallio indiget, si id amiserit, vel si ad aliam sedem archiepiscopalem transferatur (can. 278).

c. *Impositio pallii* (1) fieri potest vel in *Urbe,* a Romano Pontifice, aut a cardinale protodiacono (can. 239 § 3), vel in ecclesia cathedrali aut alia ecclesia suae dioecesis vel provinciae magis commoda (Pont. Rom. l. cit.). — (2) *Ritus impositionis.* Pallium reponitur supra medium altaris serico coopertum, peractis Missarum sollcmniis, pontifex ad imponendum pallium a metropolita rogatus sedet in faldistorio ante altare, pluviali et stola indutus, Electus est pontificalibus ac si Missam celebraturus esset, indutus (sine mitra et chirothecis). Primum recipitur *iuramentum fidelitatis* ab electo genuflexo, qui iurat in librum Evangeliorum in gremio pontificis sedentis apertum. Inramento praestito, pontifex surgit, accipit *pallium de altari* ct illud super humeros electi adhuc genuflexi *imponit* dicens formam praescriptam (« Ad honorem omnipotentis Dei »...), dein vadit ad cornu Evangelii altaris. Patriarcha vel archiepiscopus autem surgit, et Crucem archiepiscopalem ante se habens, detecto capite impertitur *sollemnem benedictionem pontificalem.*

f. *Locus et tempus usus pallii.* (1) *Locus:* metropolita uti potest pallio *intra* quamlibet ecclesiam etiam exemptam suae provinciae, nullatenus vero *extra* provinciam, etsi Ordinarii loci consensus accedat (can. 277). — (2) *Tempus:* Diebus tantum a Pont. Romano requisitis (can. 277), elenchus habetur in Pont. Romano. *Non potest uti* pallio in processionibus, neque in Missis pro defunctis, nec in officiis divinis, e. gr. Vesperis.

g. Pallium et *insigne omnino personale,* inde neque commodari potest, neque donari, nec in morte alicui relinqui, sed omnia pallia, quae metropolita obtinuit, cum eodem sunt sepelienda (can. 279).

4. Crux archiepiscopalis. a. *Historia.* Primitus tantum Summo Pontifici Crux praelata fuit, quae habebatur signum *universalis iurisdictionis,* sic fuit

saec. X-XI. Cito *legati* a latere Papae Crucem praeferre coeperunt, Alexander III. hoc ius iam *archiepiscopo* Salernitano concessit (1159-81), saec. XIII. iam multi arehiepiscopi « privilegium Crucis » acceperunt.

b. *Sensus* Crucis archiepiscopalis apte exprimitur verbis Gregorii IX. (1227-41)): « Considerans diligenter, quod in Cruce DNJChristi te oporteat gloriari, pie desideras salutiferae Crucis vexillum ante te facere de nostra licentia baiulari, qui Crucis mortificationem iugiter in tuo corpore debes pro divini nominis amore portare » (Eisenhofer I, 472).

c. *Leges cultuales.* (1) Ius Crucis archiepiscopalis competit patriarchis, primatibus, archiepiscopis in tota sua provincia etiam in locis et ecclesiis exemptis (CRit d 312; 1550). Quibusdam sedibus episcopalibus hoc ius ut privilegium speciale a S. Sede concessum est. — (2) Crux haec deferenda est *immediate* ante archiepiscopum, imagine Crucifixi ad eum conversa (Caer. episc. L. I. c. 15, 2). Quando archiepiscopus sacris vestibus indutus e sacrario procedit ad altare celebraturus, deferenda est *ante canonicos paratos,* non immediate ante ipsum (ibid. c. 15, 8 et CRit d 1712, 7), et in processionibus (d 1712, 9). — (3) *Subdiaconus* deferens hanc Crucem sit paratus i. e. paramentis indutus, medius inter duos ccroferarios cum luminaribus (Caer. episc. L. II. c. 8. 21. 27 ct CRit d 2684, 16). — (4) *Benedictio pontificalis* datur in conspectu huius Crucis, clericus crucifer in genua procumbit, archiepiscopus vero sine mitra impertitur benedictionem ob reverentiam erga Crucifixum (Pont. Rom.). — (5) Iure hoc abstinendum est, quando cardinalis legatus a latere in provincia arehiepiscopi sc recipit, vel cardinalis functioni metropolitae assistat (Caer. episc. L. I. c. 4, 1. 2).

d) De mitra.

1°. Nomina, a. *Mitra* primitus *in usu profano* antiquorum Graecorum et Latinorum tegumentum capitis praecipue feminarum significabat. Signabat etiam a saec. IV-o tegumentum seu velamen capitis virginum Deo sacratarum penes christianos, sic iam apud Optatum Milevitanum (PL 11, 973. 1072), dein apud Isidorum Ilispalensem: mitra est « pileus phrygius caput protegens, quale est ornamentum devotarum » (Etymol. XIX, 31 PL 82, 699). At haec nil habent commune cum mitra sensu liturgico, *nomen mitra* e Vulgata depromptum esse videtur, ubi tegumentum capitis summi pontificis sic vocatur: « mitra vitta hyacinthina » (Ex 39, 30).

b. Aliud nomen est *infula* quod significabat vittam seu fasciam qua sacerdotes *pagani* caput circumdabant: « Infula cui sacra redimibat tempora vitta » (Aeneis X. 538). Hoc nomen dein in genere *vestes* ecclesiasticas designabat, sic e. gr. Gelasius Papa (492-496) loquitur de « clericorum infulis » (Ep. 14, 9 ad episcopos Lucaniae). Infula dein mitrae quoque nomen, etsi nunquam publicum, evasit.

c. *Camelaucum* (vel camclaucium, calamaucum, calamacum) nomen est ex Oriente mutuatum, *kamêlaukion,* hodierna pronuntiatione *kamilavkion* est tegumentum capitis clericorum Orientalium. Cum tali tegumento capitis Constantinus I. Papa (708-715) Constantinopolim ingressus est, « cum camelauco, ut solitus Romae procedere a palatio egressus » (Lib. Pont. ed. Duchesne I, 390).

d. In « Donatione Constantini » (saec. IX.) occurrit nomen « *phrygium* » *sc.* tegumentum.

e. *Cidaris* vel *cidarium* quoque occurrit aliquoties medio aevo, ut nomen

mitrae, legitur adhuc in Missali arehiepiscopi Strigoniensis G, Palôczi (1423-39), per (piandam contaminationem vero cum vocabulo « mitra » vocatur in Sacramentario Boldvensi a. 1192-95 *cydra* (Rado, Libri lit. mss I, 41. 155).

2°. Historia mitrae, a. Camclaucum seu phrygium Summi Pontificis haberi potest quodammodo sensu latiore *praecessor mitrae,* at mitra *stricte* dicta ante saec. X. non occurrit. *Romae* in usum recepta est, et cito aliis pontificibus a Romano Pontifice concessa, e. gr. Eberardo Trevirensi a. 1049 a Leone IX. mitra imposita est, ut eo utatur in ecclesiastico officio, a. 1051 septem cardinalibus ecclesiae Bisuntinae (= Besançon), 1052 Liuthbaldo archiepiscopo Moguntino, et archiepiscopo Hamburgensi idem privilegium concessit. Postea multi alii accipiebant ius ad mitram, dum saec. XII-o iam cessant concessiones: omnes enim sponte mitra uti coepere, ut P. Salmon demonstrat (cfr. op. cit. 1955 in Litter, p. 41-45).

b. Fere eodem tempore *etiam abbates* expostulabant sibi mitram et in genere usum insignium pontificalium, et quidem primum « *abbates urbani* » cpii monasteriis Urbis praefuere. Ratio fuit eorum importantia in vita Romana, dignitas eorum adeo aestimata fuit, quod Romae praecedebant archiepiscopos ct episcopos extraneos, dum « abbates forenses n post hos episcopos locum habebant, tales abbates legationes etiam magni momenti acceperunt, ut abbas S. Sabae Urbis, qui una cum archipresbytero S. Petri Concilio Nicaeno II., oeciimenico septimo praesidebat, sicque omnes episcopos praecedebat. Inde intelligi potest cur iam a saec. IX-X. abbates privilegium usus pontificalium acquisiverunt (P. Salmon p. 49-53).

c. *Forma mitrae* fuit primitus cuneiformis (cuno, Kegel, kup) dein saec. XII. pileus rotundus et globosus evasit, sat mature dein talis pileus in medio depressus est, sicut penes nostros pileos fit, sicque duo cornua super utraque tempora ascenderunt. Quando autem pedetentim mitra alio modo capiti imposita fuit, haec cornua non a temporibus capitis, sed ab eius fronte et occipitio ascenderunt; quoad substantiam sic saec. XIII-XIV. iam nostra mitra nata est. *Altitudo mitrarum* quoque vehementer aucta est: saec. XII. habuerunt altitudinem 19-22 cm. tantum, ct exeunte medio aevo in altum creverunt.

3°. Species mitrae. Caeremoniale episcoporum tres species mitrae distinguit.

a. *Mitra pretiosa* « sic dicta quia gemmis et lapidibus pretiosis vel laminis aureis vel argenteis contexta est. »

b. Altera est « *auriphrygiata* sine gemmis et sino laminis aureis vel argenteis n, sed alio modo, e. gr. parvis lapillis Indicis, textili aureo decorata esse potest.

c. *Mitra simplex* potest esse serica, vel linea, albi coloris, vittae eius solum fimbriis rubeis exornari possunt. — Accuratius omnia describuntur in Caer. episc. (L. I. c. 17, n. 1-4).

4°. Leges liturgicae usus mitrae, a. *Qualis mitra quando* imponenda est: (1) *Mitra pretiosa* utendum est, cum in officio « Te Deum », in Missa « Gloria n dicendum est, dein in benedictionibus sollemnibus et processionibus. — (2) *Mitra auriphrygiata* utendum est diebus et functionibus, quibus color violaceus praescribitur. — (3) *Mitra simplici* utendum est Fer. VI. in Passione et morte Domini (Rit. pontificalis Ord. Hebd. Sanctae 1957, I, 6), in Missis, officio, exsequiis defunctorum, in benedictione candelarum, et in impositione pallii archiepiscopo.

b. Mitra *deponenda* est ad orationes Missae, officii et sacramentorum et Sacramentalium et infra Canonem Missae.

c. *Regulae generales assumptionis Mitrae.* Mitra sumenda est (1) cum pontifex sedet, — (2) quando manus lavat, — (3) cum incensatur, excepto post cantum Evangelii, — (4) ad benedictionem sollemnem, excepto archiepiscopo, ut dictum est (c. 4°. c. 4), — (5) quando a throno ad altare vadit, — et (6) in processionibus, exceptis theophoricis.

d. *Personae quibus mitra competit.* (1) *Summus Pontifex* mitra utitur in functionibus liturgicis, sed loco mitrae simplicis adhibet mitram ex tela argentea, quae exclusive ipsi est propria « in luctuosis » (CRit d 4355, I, 5). — (2) *Episcopi omnes* utuntur tribus speciebus supradictis. — (3) *Cardinales* iisdem utuntur mitris, sed loco simplicis habent mitram damascenam quae ipsis est propria (d 4355, I, 5), et episcopo prohibita. — (4) *Abbates regulares* postquam benedictionem receperint, iisdem mitris utuntur, sed pretiosam non adhibeant, nisi illis expresse a S. Sede indultum fuerit (d 1131, 8). — (5) *Protonotarii* de numero *participantium* auriphrygiata et simplici utuntur; protonotarii *supranumerarii* loco auriphrygiatae habent mitram albam ornatam limbo aureo, vittas fimbriis aureis; protonotarii *ad instar* adhibent solum mitram damascenam albam cum fimbriis rubeis. — (6) *Vicarii* et *Praefecti apostolici,* si charactere episcopali polleant, easdem mitras adhibent ac episcopi ordinarii, secus ut praelati inferiores episcopis utuntur auriphrygiata et simplici (d 1131, 8). — (7) *Canonici* stricte servare debent litteram indulti quoad usum mitrae.

c. *Color mitrae.* Potest esse e textili aureo, secus est coloris albi, nam « non potest tolerari mitra coloris rubri vel violacei, quando paramenta sunt eiusmodi coloris » (d 3729, 1), ergo a fortiori non possunt esse viridis et nigri coloris.

e) De baculo pastorali.

1 . Nomina, a. Usitatissimum nomen est *baculus,* vel *virga,* utrumque occurrit cum adiectivo « pastoralis n, quod dein raro etiam seorsim dicitur: *pastorale.* — b. Latini crebro etiam *pedum* dixerunt, sensu profano intellegebatur baculus recurvus pastorum ad capiendas oves per curvaturam adhibitus (cf. Vergil. Aeneis V, 88). — c. Dicitur etiam *ferula* a ferendo in manibus, sic vocabatur virga magistrorum, quia episcopi semper qua magistri quoque honorabantur, nomen baculo eorum optime convenit. — d. *Aliae denominationes* rarius usitatae: *Cambuta* (vel cambura, cambuca), *capuita* et *crocia* (crozzia).

2°. Historia, a. Probabiliter *in Oriente* ortum habuit usus baculi, Gregor. Nazianzenus (Orat. 42, 6) iam loquitur de eo, ut proprio pastorum et magistrorum. non liquet num etiam episcopis eum tribuerit, imperatores etiam episcopi virgam, sc. sceptrum manu gestabant.

b. A. 1958 martio in Pannoniae oppido Oszony, (quondam Brigetio) inventum est per Musaeum Nationale sepulchrum saec. IV. exeuntis, in quo baculus argenteus 35. cm. circiter inventus est, sepulchrum et alia in ambitu istius christianam indolem prae se ferunt, ut experti dicunt. Ceterum iam saec. VI. occurrit mentio baculi, S. Remigius dicitur cambutam argenteam reliquisse, a. 633 Cone. Toletanum tamquam episcopis proprium baculum nominat (can. 28) una cum orario et annulo.

c. Romae *ferula* in usu fuit Summorum Pontificum, baculus in summitate formam litterae T exhibens, indolis magis profani seu regalis, dum baculus

episcopalis extra Urbem charactere sacrali pollebat. Fastigium tamen baculi non semper recurvus fuit, sed aliquando etiam in globulum seu sphaerulam desinens; inde a saec. XI-o forma baculi recurvi praevaluit.

3°. Sensus baculi. *Durandus* sic explicat sensum symbolicum baculi: « Virga pastorali potestas intelligitur sacerdotalis, quam Christus ei contulit, quando apostolos ad praedicandum misit, praecipiens eis, ut baculos tollerent... Adhuc per baculum doctrinae authoritas intelligitur. Hac enim infirmi sustentantur, inquieti corripiuntur, errantes ad poenitentiam trahuntur. Unde et pedum vocatur, quod est lignum recurvum... Quod vero baculus est acutus in fine, rectus in medio et retortus in summo: designat, quod pontifex debet pungere pigros, regere debiles sui rectitudine et colligere vagos » (L. III. c. 15, 1. 2. 4.).

4°. Leges cultuales. a. *Materia.* Baculus conficitur ex *metallo* deaurato vel deargentato, potest etiam esse e ligno nobili metallo supradicto vel ebure coopertus.

b. *Forma* eius exterior tribus constat partibus: ex ipso baculo recto, seu *stipite,* cire. 1.70 m. altitudinis, e *curvatura* et *stimulo.* Abbates regulares baculum « albo velo adpenso » deferant, quod nuncupatur « pannisellus » (CRit d 1131, 8).

c. *Ius baculi* competit: (1) *Cardinalibus* ubique terrarum, exceptis ecclesiis patriarchalibus Urbis, nisi ad functionem sint delegati usum baculi exigentem (Comm, interpret. CIC 29 maii 1934). — (2) *Archiepiscopi* utuntur baculo in sua provincia, *episcopi* in sua dioecesi, alii *ordinarii locorum* in suo districtu, etiam in locis et ecclesiis exemptis. Extra suum territorium indigent permissione ordinarii loci vel delegatione S. Sedis ad functionem (Caer. episc. L. I. c. 17, 6 et CRit d 4171). — (3) *Abbates regulares* de regimine in ecclesiis propriis, qui possunt invitare alios abbates pontificaliter fungendum (d 2080. 3). — (4) Abusus declaratus est *abbatissis* in choro adhibere baculum episcopalem, cumque, cum cadavera earum exponantur, manibus aptare vel prope apponi (d 1000 et 1016).

d. *Usus baculi praescribitur:* (1) Ad *Missam* pontificalem pontifex utitur baculo, dum vadit e secretario in ecclesiam, vel de throno ad altare et viceversa, manibus iunctis tenet baculum intra cantum Evangelii et manu sinistra tenet eum in momento benedictionis (Caer. ep. L. I. c. 17, 8). — (2) In *ritibus pontificalibus:* administratione sollemni Baptismi, Confirmationis, Matrimonii, in ordinationibus, consecrationibus, benedictionibus, iuxta praescripta Pont. Romani, si indutus est saltem stola et mitra, mitra enim et baculus correlativa sunt. — (3) In *Vesperis sollemnibus* baculo utitur dum ad thronum vadit, iunctis manibus tenet baculum, dum cantatur « Magnificat », sinistra eum arripit, cum in fine benedictionem impertitur. — (4) In *processionibus* pontifex, qui ducit processionem sinistra tenens baculum ingreditur; si processio longior sit, potest baculus ante eum portari (Caer. ep. L. I. c. 17, 6). Si plures episcopi intersint processioni, pluviali ct mitra parati, abstinere debent a stola et baculo pastorali gerendis (d 4355, IV, 2).

c. *Usus baculi prohibetur:* (1) Si non est « paratus » id est saltem stola et superpelliceo indutus, — (2) in Missa et officiis defunctorum, — (3) cum aspergit cum aqua benedicta — (4) in confirmatione et in processione non potest uti baculo, si sit in habitu praelatitio (d 4355, I, 4). — (5) Non utitur baculo Fer. VI. Pass, et mortis Domini (Rit. pontif. 1957. c. 1, 3).

f. *Modus portandi baculum:* (1) *Pontifex* portat baculum semper manu *sinistra,* ita ut curvatura versa sit versus fideles vel obiecta benedicenda. Manu *dextera* tenet baculum, cum in consecratione ecclesiae alphabetum in pavimento cinere cribrato scribit. *Ambabus* manibus tenet baculum, dum audit cantum Evangelii et « Magnificat ». — (2) *Baculista* indutus est pluviali etiam si non sit in ordine maiore constitutus (Caer. ep. L. I. c. 17, 6), ambabus manibus tenet baculum, curvatura ad fideles versa, quando tradit baculum pontifici. curvaturam vertit ad se, genuflexus ad sinistram pontificis osculatur baculum et manum sinistram pontificis et inverso ordine recipit baculum. In eundo vadit *post* pontificem cum mitrifero, praecedit eum immediate, si pontifex baculum non deferat.

f) De annulo pontificali.

1°. Historia annuli. Annulus sacralis iam saec. VII-o in usu fuit in Hispania, Cone. Toletanum IV. a. 633 enim refert episcopum recipere « orarium, annulum et baculum »; eodem fere tempore Isidorus Hispalensis scribit, episcopo cum consecratur, dari annulum « propter signum pontificalis honoris vel signaculum secretorum » (De eccl. olfic. l. II. c. 5, 12).

2°. Sensus symbolicus annuli, a. Annulus est signum *distinctionis:* solus pontifex potest annulum portare in celebratione Missae, ideo simul est signum *honoris.* — b. At accedit etiam ratio *subarrhationis* episcopi cum sua ecclesia, quod Rupertus Tuitiensis sic explicat: « Annulus digiti donum significat Spiritus Sancti, quo dives et ornatus descendit Filius Dei... Latius autem significatio praedicti extollitur annuli, quia dum omni Ecclesiae sanam doctrinam et fidem integram praedicat, vehit oppigneratam annulo sponsam Christo subarrhat » (De div. offic. I, 25 PL 170, 24).

3°. Leges cultuales annuli, a. *Quinam annulum portandi ius habeant:* (1) *Summus Pontifex* utitur in pontificalibus annulo pontificali ditiore episcopis. — (2) *Cardinales* annulum recipiunt a Summo Pontifice in consistorio publico, ornatum unica gemma, saphiro, inde a Leone XIII. topazio, armaque habet regnantis Pontificis Summi insculpta. — (3) *Episcopi* et praelati nullius habent annulum pontificalem, qui benedicitur in consecratione resp. benedictione illorum, nisi iam antea fuerit benedictus. — (4) *Abbates regulares* de regimine simili gaudent annulo (can. 625 coll, cum can. 325). — (5) *Protonotarii apostolici de numero* participantium gestare possunt annulum gemmatum quo semper iure utuntur, etiam in privatis Missis aliisve sacris functionibus (CRit d 4154, 4). — (6) *Protonotarii apostolici supranumerarii* et protonotarii apostolici *ad instar* in Missis utuntur annulo cum unica gemma (d 4154, 27 et 47).

b. *Usus annuli.* (1) Clericus inservit ad annulum qui simul chirothecas fert, annulum praesentat pontifici *in bacili* una cum chirothecis: chirothecas post dalmaticam, annulum post mitram. Bacile in credentia seu abaco reponendum est. — (2) Annulum non defert pontifex Fer. XT. in Pass, et Morte Domini (Rit. pontif. Ord. Hebd. Sanctae I, 3).

c. *Osculum annuli.* (1) In functionibus liturgicis non annulus, sed *manus* pontificis deosculari debent a ministris sacris et baculista. — (2) Inde a Sancto Pio X. a. 1909 indulgentiae conceduntur, si quis annulum pontificalem osculatur extra s. functiones. Ad annulum Summi Pontificis trecentorum dierum.

ad annulum cardinalium: centum dierum, ad annulum patriarcharum, archiepiscoporum, episcoporum et praefectorum apostolicorum: quinquaginta dierum.

d. *Annuii non liturgici sunt:* (1) *annulus piscatoris,* S. Petrum e navicula artem piscatoriam exercentem repraesentans, qui inde a Leone X. († 1521) Papa defuncto cardinalibus praesentibus frangi debet. — (2) *Annulus doctorum* rite creatorum tantum extra sacras functiones portari potest (can. 1378). — (3) *Annulus virginum Deo sacratarum* quidem benedicitur in consecratione virginum, at virgines sacratae nullam exercent liturgicam functionem.

g) De Cruce pectorali.

1°. Historia, a. Crux in pectore gestata originem ducit ab enkolpiis *(enkolpion* — obiectum pectore gestandum) quae fuerunt penes paganos *amuleta apotropaeica,* in « bullis » i. e. parvulis thecis aureis vel argenteis inclusa. Antiqui christiani voluerunt ad subsidium veri Dei confugere et in capsulis *reliquias martyrum* condiderunt et in sinu portabant, etiam reliquias S. Crucis vel dicta evangelica schedulis scripta adiungentes. At etiam laici christiani talia enkolpia, vocata quoque *phylacteria* gestabant, non solum episcopi. Crux adhibebatur ad recondendas in ea reliquias martyrum, tale gestabat Gregorius Turonensis et S. Gregorius Magnus. — b. *Crux stricte dicta* pectoralis certe iam memoratur ab *Innocentio III.* similis est laminae aureae a pontifice Veteris Legis portatae: « ...ille praeferabat in fronte, hic recondat in pectore » (De s. ait. mysterio I, 53). Iam *Rupertus Tuitiensis* († 1135) videtur de Cruce pectorali loqui, etsi potest perperam intelligi: defendit enim Crucem ad ornamentum pontificis inserviens: « Nec statim occurrant decus hoc ideo non esse pontificis, quia cum illo toti quoque commune est plebi. Nam illa dignitas habet in hoc aliquid, quod nec inferioris ordinis sacerdotibus commune sit. Sic enim *in fronte sua* christicolarum signifer hoc vexillum baiulat. ut in subiectae plebis frontibus soli sibi sacro chrismate pingere liceat », ibidem etiam dicit, decus hoc Crucis nunc in pontifice locum tenere laminae aureae Pontificis V.L. Opinamur Rupertum loqui de Cruce pectorali, nam « frons » facile accipi potest improprie, et significare potest quod primum conspicitur, sive partem anteriorem alicuius rei (Forcellini III. 118). Crux pectoralis tamen solum *exeunte medio aevo communis* omnibus evasit, etiam in consecratione episcopi non occurrit.

2°. Leges cultuales. a. *Materia* est *aurum* vel *argentum* deauratum, in forma Crucis Latinae, cum reliquiis Martyrum ibi reconditis; potest ornari gemmis pretiosis. Crux appenditur *funiculo,* qui est ex auro pro Summo Pontifice, coloris rubri commixto cum auro pro cardinalibus, funiculus est viridis pro episcopis et abbatibus nullius, nigri coloris permixtus cum auro pro abbatibus regularibus de regimine, rubini coloris commixtus cum auro pro protonotariis apostolicis. Cardinales ct episcopi possunt iuxta usum receptum loco funiculi *catenam* auream vel deauratam deferre.

b. *Quinam ius Crucis pectoralis habeant.* Summus Pontifex, cardinales, episcopi, abbates et praelati nullius (can. 325), abbates regulares de regimine (can. 625), protonotarii apostolici de numero participantium, supranumerarii et ad instar (CRit d 4154, 8).

c. *Quando portari debeat:* (1) Qui ius habent ad Crucem pectoralem, eam in sacris *functionibus* portare *debent, possunt* etiam in vita *cotidiana* gestare

iuxta usum receptum praesertim a Pio IX. Qui ius habent, possunt ubique Cruce uti, etiam in praesentia Summi Pontificis, solum protonotariis praescriptum est extra functiones sacras abstinendi a Cruce pectorali (d 4154, 7. 26. 47). — (2) Crux *portatur* supra vestem talarem, albam, mantelettum et mozzetam, nunquam portatur super cappam magnam, nec pluviale et casulam (S. Congr. Caerem. 17. aug. 1916 et CRit d 3301, 1, 3873, 2, 4035, 2).

d. Crux pectoralis *non debet benedici,* nam in ritu consecrationis episcopi et benedictione abbatis deest, sed Pont. Romanum habet rubricam: « Ad benedicendam Crucem pectoralem, pontifex potest uti forma assignata pro benedictione Crucis proficiscentium in subsidium Terrae sanctae. » In imponenda Cruce pectorali brevis dicenda est oratio.

5. De vestimentis accessoriis liturgicis.

Agere debemus a) De cappa magna, dein b) De mozzetta et mantelleto, item c) De chirothecis, d) De sandalibus et caligis, e) De birreto, demum f) De pileolo.

a) De cappa magna.

1 . Historia. Cappa magna est ingens pallium usque ad talos pertingens, cum caputio partem superiorem corporis contegente et syrma seu cauda longa provisum. Haec cappa e cappa chorali evoluta est, de qua iam diximus (supra 3. c. 1 '. a.), primo Romanus Pontifex cappa maiore rubei coloris uti coepit, tempore commorationtis Curiae Avenione 1305-1370, eodem tempore etiam Cardinales secunda parte huius saeculi. Episcopi solum saec. XV-o ea uti coeperunt.

2°. Leges cultuales. a. *Materia.* Conficienda est e *lana* violacea pro episcopis, *serica* rubra est cappa magna cardinalium. *Color* est ergo: pro cardinalibus ruber, tempore Adventus et Quadragesimae et luctuoso violaceus, Dom. III. \dv. et IV. Quadr. potest esse rosaceus. Pro episcopis est semper violaceus, pro abbate vel praelato nullius, si regularis est, niger. Materia cappae magnae cardinalium ct aliorum praelatorum intacta remansit, etiam post decretum statim allegandum.

b. *Forma cappae magnae* etenim iuxta *Motuproprio* diei 30. nov. 1952 aliquantum mutanda est: « Cappae syrma seu cauda... ad *dimidiam est circiter partem redigenda,* eius magnitudine perspecta, quae hodie in usu est n. quoniam vero in Urbe testibus omnibus sartoribus ecclesiasticis in alma Urbe habitantibus, quinque metris protendebatur, videtur nunc tria metra longitudinis syrma cappae habere posse, ut ait J. Musante (Eph. Lit. 1953, 159). Idem decretum extensum est etiam ad cappas « patriarcharum, archiepiscoporum. ct episcoporum Sanctae Romanae Ecclesiae, necnon abbatum sive saecularium sive regularium talibus fruentium privilegiis » (CRit d 4. dec. 1952 IL 1 cf. A \S 1952, 888, decretum prius ibid. 849-850).

c. *Quibus competit* cappa magna: Cardinalibus, patriarchis, primatibus, archiepiscopis, episcopis, abbatibus et praelatis nullius. Episcopus *administrator apostolicus* iure utitur cappa magna (CRit d 2274. 8), episcopus *coadiutor* vel *auxiliaris* tantum permissu sui ordinarii (d 2010. 1, 2; 2011, 1; 4355, III, 2). Episcopo *titulari* non competit cappa magna, *protonotariis* inhibetur usus thro-

ni, pastoralis baculi et cappae (cl 4154, 6). Personis et collegiis quibusdam *privilegiatis* usus conceditur *in choro* vel si collcgialiter procedant, iuxta decretum concessionis, sic praelati Romani, canonici basilicarum maiorum et permultarum minorum habent tale privilegium.

d. *Ubi utendum est cappa:* Cappa est habitus choralis in *proprio territorio,* ergo episcopus etc. in sua dioecesi, metropolita in tota provincia, legatus a latere in territorio legationis suae, cardinales ubique terrarum utuntur cappa magna. Cauda semper complicanda et brachio sinistro portanda est vel alliganda cappae, *si superior praesens* sit, e. gr. episcopus in praesentia metropolitae. Ideo inde ab a. 1953 praescriptum est, quod *cardinalium* syrma seu cauda « neque in Summi Pontificis cappellis, neque in sacris Consistoriis evolvenda erit » (Motu proprio « Valde solliciti » 30. nov. 1952, I.).

e. Iuxta Caer. episc. (l. I. c. 15, 1) cappae magnae « caudam capcllanus seu *caudatarius* talari veste incedens, sustinet, atque defert et si episcopus Missam pontificali ritu sit celebraturus, vel in sede cum pluviali assistit, tunc caudatarius superpelliceo indutus, eam deferat ex ea aula, seu cubiculo, quod ad hoc destinaverit, ad ecclesiam progredientem, comitari et deducere. »

b) De mozzctta ct mantelleto.

1°. Historia, a. *Mozzeta* est pallium breve *ad cincturam* fere pertingens et ante pectus globulis (bottone, bouton, Knopf, gomb) a tergo autem caputio minusculo praeditum. *Mantelletum* est pallium mediae longitudinis *ad genua* circiter pertingens sine manicis, pro brachiis in ambabus lateribus rimis (Schlitz. sparato, fente, nyilas) provisum. Utrumque vestimentum medio aevo exeunte ortum esse videtur, mozzeta nil aliud est ac cappa choralis decurtata, (italice mozzare = abbreviare), vel immutatio alii pallii choralis *almutia, armutia* nuncupati, medio aevo usitati. — b. *Mozzeta* iam conspicitur in opere udo illito (= alfresco, Fresko) pictoris Melozzo da Forli anni 1477 traditionem Bibliothecae Vaticanae repraesentante, ab initio vestis distinctionis fuit praelatorum. *Mantelletum* gestari debet quandoque ab iis quoque quibus competit usus mozzetae, est enim vestis minus honorifica (piam mozzeta et non est, ut mozzeta « insigne plenariae jurisdictionis « (CRit d 1459).

2°. Leges cultuales. a. *Materia.* (1) Mozzeta et mantelletum *rubri* coloris possunt esse serica, ut hucusque. — (2) Mozzeta ct mantelletum *violacei* coloris debent esse lanea inde ab a. 1953, iuxta Motuproprio 30. nov. 1952 « Valde solliciti » η. III., nam cardinalium « vestimenta *violacei* coloris *(talaris vestis, mantelleta, mozzeta) lanea* sunto, attamen Patres Cardinales qui serica huiusrnodi vestimenta violacei coloris iam antea habuerint, iisdem indui statis temporibus pergere poterunt.» Non vi formalium concessionum, sed vi consuetudinis potius serica vestimenta rubri coloris post medietatem tantum saec. XIX. usu generali gaudere coeperunt, violacea autem tantum saeculo elapso in nostrum saeculum vertente (J. Musante in: Eph. Lit. 1953, 161). — (3) *Episcopo et alii* sua vestimenta semper ex lana confecta habere debebant, ergo a fortiore nunc.

b. *Color mozzetae et mantelleti.* (1) Mozzeta *Summi Pontificis* est *rubri* coloris, infra octavam Paschatis *albi.* — (2) *Cardinalibus* competit color *ruber,* exceptis « *diebus luctuosis* », quibus *violaceo* utuntur, qui sunt: omnes Fer. VI., Adventus, tempus a Sept, usque *nonam* Sabb. Sancti, ut putamus *nunc* — iuxta

genium Ordinis Hebd. Sanctae instauratae 1956. — usque ad *Vesperas* inclusive; Quatuor Tempora (exceptis Quatuor Temporibus Pentecostes); vigiliae, demum officium et exsequiae defunctorum; etiam Sede Apostolica *vacante* colore violaceo utuntur. Cardinales vero *aci ordinem regularem* pertinentes colorem adhibent *sui ordinis,* monachi et mendicantes intelliguntur; alii cardinales ad usum cardinalium e clero saeculari assumptorum se accomodabant, nunc *Motuproprio* supra laudato « caeremoniarum normae in Romana Curia redintegrentur ad habitum pertinentes eorum Patrum Cardinalium, qui vel ex Canonicis Regularibus vel ex Clericis Regularibus, vel ex Religiosis Congregationibus in Sacrum Collegium cooptantur » (η. IV,). — (3) *Episcopis* convenit color *violaceus,* diebus luctuosis autem utendum est illis colore *nigro.* — 4) *Abbates regulares* de regimine utuntur colore sui ordinis.

c. *Personae quibus usus competit.* (1) *Summus Pontifex,* ut supra dictum est. — (2) *Cardinales* in loco, ubi Summus Pontifex residet, vestiuntur mozzeta supra mantelletum, in ecclesiis suis titularibus et ubique gentium induunt mozzetam supra rochettum. — (3) *Patriarchae* etiam titulares, ubique mozzetam supra mantelletum induunt. — (4) *Legati apostolici* in suae legationis territorio, *metropolitae* in sua provincia, *episcopi* residentiales in sua diocesi, et episcopi in Concilio provinciali induunt mozzetam supra rochettum. Episcopi residentiales *extra suam diocesim* mozzeta uti non possunt, sed supra rochettum mantelletum tantum gestant (CRit d 3873, 3 coli, cum d 2976, 2), attamen *domi* mozzeta uti possunt ex praesumpto beneplacito invitantis ordinarii (d 388 et 4355, III, 1). — (5) *Episcopi titulares:* etiam episcopus *administrator* supra rochettum mantelletum induere debet (d 2976, 2), episcopus ordinarius nequit xTinittere suo *vicario generali,* qui est etiam episcopus auxiliaris, induere soam mozzetam loco mantelleti (d 4355, V, 1), *canonicus* episcopali charactere pollens induitur in choro rochetto et mantellcto violacei coloris et debet praecedere canonicis et sedet in primo stallo supra omnes (d 355 et 2706, 2). — (6) *Abbates regulares* — ut declaratum est a. 1701 abbati Congr. Lateranensis — possunt etiam praesente ordinario rochettum et mozzetam deferre aliisve abbatibus exteris concedere facultatem (d 2080, 4), decretum tamen celebre *Alexandri* \ *II. a. 1659* praescripsit: « Abbates regulares rochettum non deferant, nisi ex tali ordine fuerint, cui indumentum huiusmodi competat » (d 1131, 9), sed decr. 2080, a applicatum fuit abbatibus benedictinis Congr. Anglo-Benedictinae a. 1902 (d 1098, 2). Abbates in deferenda mozzeta et mantellcto utuntur *colore sui ordinis.* Extra suam ecclesiam seu ecclesias sibi subditas semper tantum mantelletum possunt deferre. — (7) *Protonotarii apostolici* de numero participantium, supranumerarii, et ad instar gestant mantelletum violaceum supra rochettum (d 1151, 7. 26. 47). — (8) *Vicariis et Praefectis apostolicis,* si episcopali charactere insigniti sunt, competunt omnia sicut episcopis residentialibus, secus uti possunt solum mantellcto. — (9) *Praelatis domesticis* competit tantum mantelletum. — (10) *Camerariis* et *capellanis secretis* competit pallium vulgo « mantellone » nuncupatum, est pallium usque ad talos pertinUens nigri coloris, sine manicis, praeditum globulis et linea violacei coloris in ora vestimenti (liseré, Randschnur).

d. *Quando usus permissus est.* (1) ⁿ Habitu quotidiano et ordinario, nempe cum rochetto et mozzeta simplicibus *Quadragesimae* diebus episcopus *praedicare* debet, nisi sollemniter prius celebraverit » (d 115). — (2) Si episcopus *diebus ferialibus* intersit officiis divinis, assistit cum rochetto et mozzeta, dummodo non in sede ordinaria, sed in primo stallo in choro super omnes assistat.

absque ulla assistentia canonicorum (d 650 et d 906). — (3) Episcopo non sufficit *dominicis festisve diebus* mozzeta et rochetto solum vestito assistere (d 3411 et d 3434, 2), habitus enim eius choralis est cappa. — (4) *Canonici* mozzetam solum in ecclesia propria deferre possunt, *extra* ecclesiam, in processionibus aliisve ecclesiasticis functionibus vero tunc, si « *capitulariter* » incedant, non autem si intersunt, sicut singuli (d 3052 coli, cum d gen. 2579). — (5) De mozzeta in administratione Sacramentorum cf. superius 2. d. 2 . c. (3) et 3°. b. (2).

c) De chirothecis.

1°. Historia, a. Ignotus erat usus chirothecarum in liturgia tempore adhuc Amalarii, prima parte saec. IX-i, at exeunte saeculo iam in usum deductae fuerunt chirothecae, probabiliter *in Gallia,* unde in totum orbem christianum. Urbem quoque inductae sunt.

b. *Ratio* utendi chirothecis iuxta J. Braun fuit nisus decursu saec. IX-X-i partes pontificis magis magisve *extollendi* in liturgia, praesertim Missa pontificali; *calceamenta* liturgica iamdudum in usu fuere, conveniens ergo videbatur etiam manus sacrali veste decorari. Chirothecae enim semper indolem habuere vestimenti *pontificalis,* alii praelati solum cum indultu pontificio usum consecuti sunt chirothecarum, praesertim abbates regulares, quibus una cum aliis pontificalibus concessae sunt inde a saec. XI-o.

c. Quod *colorem* attinet, chirothecae semper albae fuerunt, tantum decursu saec. XlV-i paulatim chirothecis coloratis uti coeperunt, sed adaptatio coloris chirothecarum ad colorem officii nec saec. XVI-o adhuc in usum generalem deducta est.

2°. Leges cultuales. a. *Materia et forma chirothecarum* stricte quidem praecepta non est, iuxta hodiernum usum conficiuntur *sericae cum opere acu picto,* praecipue Cruce in tergo manus. Sed debent esse coloris *paramentorum* (d 3729, 2), color niger prohibitus est; *benedicuntur* in consecratione episcopi et benedictione abbatis, ibique imponuntur.

b. *Quibusnam competunt chirothecae.* (1) *Summo Pontifici,* — (2) *Cardinalibus,* — (3) *Episcopis* omnibus, — (4) *Abbatibus* (can. 325 et 625), — (5) *Protonotariis* apostolicis *de numero participantium* competunt chirothecae ordinariae pontificales (d 4154, 5. 6), *supran'umerariis* et *ad instar* « chirothecae sericae, sine ullo opere phrygio, sed tantum orae textu auro » (d 4154. 27. 47). — (6) *Nemini alio* — ut bene notat cl. Lesage (Diet. 465) competunt chirothecae, clericis cuiusvis ordinis, canonicis, deferentibus insignia, thurifero, ministrantibus, a fortiori abstinere debent fideles *laid* a chirothecis assumendis, etsi portent statuas Sanctorum vel baldachinum, sine chirothecis convenit illos esse in susceptione Sacramentorum, vel quando patroni munus gerant.

c. *Usus chirothecarum.* (1) Chirothecae sumunt pontifices solum in pontificalibus *Missarum sollemniis,* vel *lectis* quibus sacra functio coniungitur ut ordinatio; ab initio Missae adhibentur chirothecae usque ad offertorium, dein remittuntur ncc peracta communione rursus imponuntur (d 3213, 6). — (2) Cardinales et episcopi resumunt chirothecas *post ultimum Evangelium,* quando danda est benedictio papalis (Pont. Romanum. Ritus et formula apostolicae benedictionis). — (3) Numquam sumuntur chirothecae ad Missam et exsequias *defunctorum* (Caer. episc. L. II. c. 11, 2). — (4) Usus chirothecarum prohibetur

• cum ad ecclesiam *accedunt vel ab ea recedunt,* ante et post Missam pontificalem » (d .3873, 1). — (5) Simili modo vetitum est benedictionem pontificalem dare *cum SS. Sacramento* « absque velo humerali eius loco assumptis chirothecis » (d 3031, 4).

cl. *Minister ad chirothecas* est clericus qui simul etiam annulum porrigit pontifici, utrumque obiectum in bacili portat. Antequam casulam induat pontifex, *diacono* tradit chirothecam dexterae manus, qui eam imponit pontifici, *subdiacono* chirothecam laevae, similiter impositurо, dein porrigit annulum post mitram, tradens *presbytero* assistenti. Ad offertorium, quando pontifex iam legit ant. ad offertorium, imposita ei mitra, porrigit bacile et recipit annulum et chirothecas, quas dein reponit in abaco.

d) De sandaliis et caligis.

Sandalia sunt calceamenta in liturgia usitata et semper occurrunt una cum caligis, *caligae* sunt tibiales liturgicae (calze, Strumpf, bas, stocking, harisnya), nunc iam non ubique usitatae.

1°. Historia, a. Calceamenta liturgica sat mature iam occurrunt, talia videntur in opere musivo capellae S. Satyri in ecclesia S. Ambrosii Mediolani e saec. V.. Ravennae saec. VI. in ecclesia S. Vitalis, Gregorius Magnus saec. VI. exeunte de iis scripsit sc. de *campagis,* quibus « diaconos ecclesiae Catinensis calciatos praecedere praesumpsisse », etsi hoc antecessores eius solum diaconis ecclesiae Messanensis concesserunt (ad Joannem Syracusan. Epist. VIII, 27). Calceamenta vocabantur *campagi, compagi,* tibiales autem *udones,* vel *caligae*

b. *Romae* Papa, episcopi et diaconi talibus usi sunt, presbyteri, subdiaconi et acolythi autem *soleis* (pantofola, Pantoffcl, papues) incedebant, quae *subtalares* nuncupatae sunt. Sic fuit saec. VIII. testantibus Ordinibus Romanis (e. gr. Ordo VIII, 2-6, Andrieu II, 321 s.).

c. Saec. XI-o *usus* calceamenti liturgici solum Papae, episcopis, presbyteris et diaconis cardinalibus concessus erat, iisque quibus induito permissum fuit, ut abbatibus permultis. Campagus formam sandalii habebat, inde etiam nomen remansit; usque ad saec. XII. *e corio* confectus est, tunc autem coeperunt sandalia liturgica *serica* confici, relicto corio, quod semper coloris nigri fuit. Caligae autem usque ad idem saeculum semper c lino conficiebantur, fueruntque albi coloris. Inde a saec. XIII-o vero tum sandalia, tum caligae colori paramentorum adaptata sunt.

2°. Leges cultuales. a. Expresse non praescripta, sed usu constanti recepta est materia *serica* tum sandalium, tum caligarum. Color caligarum et sandalium debet esse color *paramentorum* (CRit d 3729. 2). Minus recte apponitur sandaliis signum *Crucis,* quod solum Pontifici videtur convenire, nam ipse solus osculo pedis honorandus est (sic Lesage, Diet. 965).

b. Usus sandalium solum *Missae pontificali* convenit, non autem Missis et exsequiis defunctorum, ideo etiam color niger prohibetur pro sandaliis et caligis. Fer. VI. in Passione et Morte Domini pontifex non utitur sandaliis, (Rit Pont. Hebd. Sanctae 1957, c. I. 30 « calceamenta deponit n), de sandalium prohibitione ceterum iam Caer. episc. (L. II. c. 11. 2 et 25, 6) sic disposuit.

c. *Ubi pontifex sandalia et caligas sumere debet:* iuxta decretum S. Cons. Rituum 1 dec. 1952 de sandaliis et caligis in sacris caeremoniis sumendis (AAS

1952, 887) reformatum est. Quia « minus congruum videatur sandalia et caligas in ipsa ecclesia assumere, Sacra Rituum Congregatio statuendum censuit, ut: quando, iuxta rubricas, episcopus sandalia et caligas in sacris caeremoniis assumere debet ea *nunquam in ecclesia,* nec in throno vel faldistorio induat, sed, vel *in secretario* ab ecclesia distincto, aut *domi,* reformatis hoc sensu rubricis et decretis usque adhuc vigentibus ».

e) De birreto.

Birretum est tegumentum capitis a clericis gestatum, tum in liturgia tum praeter eam usitatum.

1°. Historia, a. Tegumento quodam capitis iam inde a saec. X-o usi sunt clerici, quod vocatum est *pileus* vel etiam *infula.* Saepius sermo recurrit saec. XIII-o, tunc etiam occurrit nomen *birretum.* Primitus fuit pileus rotundus, superiorem partem capitis obtegens, in summitate globulum vel panum floccum exhibebat, ut pileus commodius tolli posset.

b. Saec. XV. birretum altioris formae in usum venit, et apparent iam initia quorundam *cornuum.* Duobus saeculis sequentibus his pileis *pannus durior* subsui coepit, tria vel quatuor cornua seu cuspides sic orta sunt, dein pannus mutatus est in *chartam crassam* (cartone, Pappe, lemezpapir).

c. Cardinalibus birretum rubrum Paulus II. concessit a. 1464, sed solum e clero saeculari cooptatis, cardinalibus e religiosis assumptis a. 1591 Gregorius XIV. hoc permisit.

2°. Leges cultuales birreti. a. *Caput operiendum est birreto;* (1) Qui habitu *chorali* vestiti sunt, caput operiunt, quoties *sedent,* stando birretum tollendum est. SS. Sacramento exposito birreto non utuntur. — (2) *Ministri « parati »* (tunicella, dalmatica, casula, pluviali) caput operiunt, extra presbyterium, in ministrando tollunt birretum. — (3) In *processione* quae fit *intra* ecclesiam, capite cooperto incedunt celebrans et ministri parati, excepto subdiacono crucifero, omnes alii debent esse capite detecto etiam canonici (CRit d 3767, XXIX, 7). — (4) *Extra ecclesiam* totus clerus operit caput, quando relinquunt ecclesiam; nunquam operiunt caput: thuriferarius, subdiaconus crucifer, ut dictum est; acolythi, clericus assistens celebranti in processionibus (= caeremoniarius) et alii qui dirigunt processionem (d 2308, 2769, VI, 1), neque illi, qui baldachini hastas deferunt (1841, 3).

b. *Caput detegendum est:* (1) In *Missa* ad ea verba « *Gloriae in excelsis* », quibus inclinatio facienda est, et ad verba *Credo* « Jesum Christum », « Et incarnatus est... et homo factus est, » et ad « simul adoratur. » — (2) In *officio divino* ad « Gloria Patri, » — et (3) in Missa et officio, quando *nomen* Jesu, Mariae vel Sancti cuius festum agitur vel fit commemoratio, occurrit. — (4) In *processionibus,* in quibus defertur SS. Christi Corpus vel SS. Crucis reliquia, tam clerus, quam saeculares fideles detecto capite incedunt (d 1841, 1 cf. d 1352). — (5) *Canonici* episcopo assistentes, hoc detecto capite faciunt, in actu ministerii (d 1891, 2 et d 2027, 7). — (6) In *exsequiis defunctorum,* quando incensum imponendum erit et benedicendum, hoc capite discooperto fieri debet, et consuetudo contraria omnino tollenda est (d 3580, 2).

c. *Modus deponendi et sumendi birretum.* (1) Quando caput operitur, prius sedeat clericus, deinde manu dextera apprehendit birreti cornu dexterum et capiti imponit. — (2) Quando surgitur prius eodem modo sumens birretum,

caput detegit, et surgit. — (3) Si sedendo detegendum est caput, hoc facit b.netum modo sueto tollendo, et manum cum birreto in genu dexterum ponit.

f) De pileolo.

Pileolus e.st parvus pileus rotundus verticem obtegens capitis. Nominatur etiam *Soli-Deo,* quia solum in honorem Dei tollitur, olim nuncupatum fuit *subhircium, suhmitrale,* quia in vertice manet etiam sub birreto vel mitra, quandoque etiam nomine *birreti* utuntur auctores antiquiores; vulgo appellatur *zucchetto* (italice) et *calotte* (gallice).

1 . Historia, a. Pileoli usus probabiliter tempore *exilii Aoenionensis,* saec. XIV. prima parte incoepit, conspicitur enim iam in statua sepulchral! Clementis VI. (t 1352), sed hinc temporis pileolus seu submitrale maior fuit forma hodierna, nam etiam aures obtegebat. Saec. XV-o usus pileoli valde divulgatus fuit. — b. Usus *generalis* solum inde a saec. XVI-XVII. factus est, varii clerici eo usi sunt. Pileolum rubri coloris pro cardinalibus e clero saeculari (una cum birreto) Paulus II. a. 1161 concessit, regularibus vero Gregorius XIV. a. 1591. Episcopis pileolum violacei coloris tantum Pius IX. permisit.

2 . Leges cultuales. a. *Materia* pileoli potest esse lana vel serica.

b. *Personae quibus pileolus competit.* (1) Summus Pontifex utitur pileolo albi coloris, — (2) Cardinales rubri coloris semper, etiam si vestem violaceam deportent, — (3) Episcopi, item abbates et praelati nullius portant pileolum violacei coloris (can. 325), — (4) abbates regulares nigro utuntur colore, — (5) etiam protonotarii, intra functiones pontificales.

c. *Usus pileoli.* Pileolo semper utendum est in omnibus caeremoniis, seu ipse pontifex celebret, seu tantum assistat. Pileolus portandus est etiam sub mitra, ab omnibus qui ius pileoli habent .

d. *Quando pileolus e capite tollendus est.* (1) In qualibet Missa praefatione incoepta usque dum communio finitur, — (2) (piando SS. Sacramentum expositum est, — (3) (piando benedictionem impertitur cum reliquia verae Crucis vel alia reliquia insigni (d 2769. IV, 2 et 3), — (4) ad cantum Evangelii, nisi paratus sit, — (5) ad primam stropham « Veni Creator », — (6) dum inccnsatur.

e. Pileolum tollit ipsemet pontifex, si habitu chorali assistit, si paratus est, pileolus sublevandus est a diacono vel caeremoniario.

Litteratura.

Quoad pararncnticam in genere. *J. Braun,* Ilandbuch (1er Paramentik, Freiburg i. Br. 1912. — *J Weingartner,* Das kirchliche Kunstgewerbe der Neuzeit, Innsbruck 1926. — *I rUscnhofrr,* Ilandbuch der kath. Liturgik, 2. ed. Freiburg i. Br. 1941, I, 408-472. — \f *Righetti,* Storia liturgica I (1945) 468-520. — *De Amicis,* Caeremonialc parochorum, I (d Romae 1948. 61-76. — *St(ephana) D(oromhy),* Paramente im Geiste der liturgischen Erneuenmg. in: Bdx-l u. Litg. 1950/51, 105-112, 169-177, 234-237, 269-275. 330-336; 1951 52. 20-24. 186-190, 204-206. — *R. Lesage.* Dictionnaire pratique de liturgie Romamr. Pans 1952. — /. *Lechner.* Liturgik des Rômischen Ritus, Freiburg i. Br. 1953. — *R Lcwge,* Objets et habits liturgiques, Paris 1958.

Quoad indumenta liturgica. *J. Wilpert,* Die Gcwandung der Christen in den ersten Jahrl und« tten, Kôln 1898. — *J. Braun,* Die liturgische Gewandung im Okzident und Orient, !·"»· |>n: Br 1'107 — *P. Batiffol,* Le costume liturgique romain, tn: Études de liturgie et nvl ·' :·■ Pans 1919, 32-83. — *H. Swoboda,* Textilparamente, Wien 1920. — *J. Braun,* Die t · ; when Paramente in Gegenwart und Vergangenheit, 2. ed. Freiburg i. Br. 1924. —

O. Casei, Castigatio vocis, in: JfLw 1927, 139-141. — R. *Lesage,* Linges et vêtements liturgiques, Paris 1954. — Augustina *Fliieler,* Paramente. 2. ed. Würzburg 1955. — R. *van Doren,* La forme des ornements sacrés, *in:* Quest, lit. paroiss. 1957, 314-317. — *Augustina Fliieler,* Ueber den Formwandel der Casula, *in:* Lit. Jahrbuch 1957, 146-153. — *J. B. O'Connell,* Vestments. Legislation about the chasuble, *in:* Clergy Review 1958, 257-265. — *J. Wagner,* Gewiinder, *in:* LfThK 2. ed. IV (I960' 850-853.

Quoad insignia. *J. Baudot,* Le pallium, Paris 1909. — C. S., De baculo pastorali, in: Eph. Lit. 1925, 269-275. — *B. Schwintkôper,* Der Ilandschuh in Hecht, Aemterwesen, Branch und Volksglauben, Berlin 1938. — *Th. Klauser,* Der Ursprung der liturgischen Ehrenrechte, Krefeld 1950. — *J. Musante,* De sandaliis ct caligis in sacris caeremon is sumendis, *in:* Eph. Lit. 1953, 162-163. — *P. Salmon,* Étude sur les insignes du Pontife dans le rit Romain. Histoire et liturgie, Romac 1955. — *Idem,* Aux origines de la crosse des evêques, *in:* Mélanges M. Andrieu, Strassbourg 1956, 373-383. — *J. Lassus,* Un anneau épiscopal africain, *ibid.* 1956, 287-290.

Quoad vestimenta accessoria. *J. Musante,* De SRE Cardinalium habitu, *in:* Eph. Lit. 1953, 157-162. — *Idem,* De habitu episcoporum et aliorum praelatorum, in: Eph. Lit 1953, 164-166. — *J. Nabuco,* Ius pontificalium. Introductio in Caeremoniale Episcoporum, Tomaci 1956.

UT IN OMNIBUS GLORIFICETUR DEUS!

INDEX ALPIIABETICUS RERUM

Nmeri indicant paginas

A

Abacus 1416.

Abaelardus — de Sacramento poenitentiae 737.

Abbas 1030 — benedictio 1030-2. — conferens ordines minores 988. — minister extraordinarius Ordinis 987-8. — titularis saecularis 1032.

Abbates — assistentes in benedictione abbatis 1032.

Abbatissa — benedictio 1032.

Abercius — inscriptio eucharistica 581-2.

Ablasstag, Antlasstag — Fer. V. Coenae Domini 1188.

Ablutio — quomodo fit in Natali Christi 1124. — v. adhuc Purificatio.

Ablutiones rituales aevo Chr. 641.

Abortus procuratio v. Procuratio abortus.

Abrenuntiatio diaboli — in baptismo 692.

Absolutio — absolute, condicionale data 849-50.

Absolutio capituli in Prima 408. — a censuris 851, reservatis 887-9. — complicis, censura 880. — comp'icis 891-3. — formula liturgica 850-2. — in exsequiis, ad feretrum 505-6. — ad tumulum 506-7. — in officio divino 407. — in praesentem dirigi debet 847-9. — ore proferri debet 847. — praesumpta ab excommunicatione, censura 883. — per internuntium 848. — per telephonium 848-9. — praesentia moraliter aestimata 848. — qualtates 847-50. — sacramentalis, indicative, deprecative 845-7. — secreta in saec. Ill-o 754-5. — vestitus sacerdotis 851.

Abstinentia et ieiunium — in Quadragesima 1165. — a carnibus in Quadr., historia 1161. — in Natali Dom. 1122. — in quatuor Temporibus 1100. — in pervigilio Immacul. concept. 1336. — Sabb. Sancto 1180-1247. — in Vig. Pentec. 1272.

Abusus potestatis iurisdictionis 891-7.

Acatholici — deneganda sunt sacramenta 215. — filii ab Ordine impediti 998-9.

Acerra — thuribulum 1142.

Accidentia remanentia in Euch. 603.

Acclamationes liturgicae 63-5. — ordinem componentes 65.

Accommodatio liturgica S. Scripturae 1276.

Acolythatus — ritus explicatus 1004.

Acolythi — in Missa sollemni 391-2.

« Actio », » agenda » — nomen Missae 226.

Actuosa participatio Missae — modi 347-50.

Actus — iudicialis in confessione, notio 789-90, necessitas 790-1. — poententis, quasi — materia Poenitentiae 759-61. — Praesentiendi Christum 594-604. — sensuum Christi eucharistici 610-1. — virtutis poenitentiae, divisio 775-6. — in genere 775-80.

« Ad caeli Reginam ». Const. Ap. 1954. Pii XII. 1352.

» Ad multos annos » v. Polychronion.

Adoratio Crucis — Fer. VI. Pass. Morts Dom., historia 1204-6. — ritus sec. OHS 1212-3. — » Hagiopolites » ritus 1204. — in Urbe saec. VIII. 1205. — locus, praecedentia 1212-3.

Adoratio eucharistica — historia 589-92. — intenta in festo Corporis Chr. 1284. — Privata, praxis 632. — probatio dogmatica 586-8. — publica ut dies eucharisticus 476. — publica Fer. V. Coenae Dom. 1175.

Adstare Missae v. Obligatio Missae adstandi.

Adulterium — non solvit matrimonium 1052-5.

Adultorum — baptismus 680-1.

Adventislae 666.

Adventus 1102-1111. — ante Natale Dom. in territorio Gallicano 1104. — Christi intime nectitur cum Paschate 1227-8. — esehatologicus Christi in Adventu 1108-9. — finalis Dom ni celebratus in Dominicis postpentecostalibus 1277. — ieiunium et abstinentia 1110. — indoles liturgica 1105-9. — leges cultuales 1109-11. — Neapolitanus 1104. — novem Missae BMV ante Natale in Adventu 1110. — Origo 1102-5. — pia exercitia adventualia 1110-1. —

primigenius ante Epiphaniam 1102-4. — Ravennae 1104. — Romae 1105. — ‹ secundus ▮ Christi in Adventu 1100. — septem Missae BMV ante Natale Domini 1109-10.
Adventus Sanguinis Christi — fe.sta 1299-1300.
Adventus Spiritus Sancti — in Pentecoste celebratus 1270.
Aerium iter v. lurisdictio in maritimo ‹ t aerio itinere.
Aetas — admittendorum ad primam communionem 547-8. — discretionis 547. — migrationis populorum 112-3. — post-apostolica de Poenitentia 746-7.
Aetheria, Egeria (Silvia), peregrina saec. IV-i 12.5. — de adoratione Crucis in Jerusalem 1201. — de Ascensionis celebratione in Pentecoste 1263. — de Dom. II. Passionis 1181-2. — de Fer. V. Coenae Domini 1189. — de festo Purificationis 1139 — de festo singulari quadragesimi diei post Pascha 1265-66. — de inventione Crucis 1306. — de lucernario paschali 1230. — de Missa Nativitatis Christi die 6. ian. l 123. — de Missa Vig. Pasch 1236.
Aethiopica liturg'a 126.
Africanus ritus 93.
Agape 294-295.
Agnus Dei, ritus in Missa lecta 385, sollemni 399.
« Agnus Dei · ut sacramentale Rom. Pontificis 1252.
Agnus paschalis, — benedictio 1250.
Agonia Christi v. devotio Christi agonizant s Fer. V. Coenae Domini.
Agonizantis Christi devotio 477.
Aion — festum temporis personificati 6. ian. 1132-3.
▮ Aius » in Iit. Gallicana 95.
Alacoque, Margarita — visiones de cultu SS. Cordis Jesu 1290.
« Alapa » — in ritu confirmationis, historia 724, ritus 725.
Alba — exornatio 1451 — forma 1451 — historia 14-50 — materia 1451 — nomina 1450 — sensus 1451 — usus 1451.
Alba Hebd. v. Octava Paschae.
Alba Romana — rochettum 1453.
Albenses — contra Missam 229. — contra Sacramenta 141. 154-6.
Albigenses, albenses v. Ilaereses dualisticae.
Alcu-nus — cultor BMV. 1327. __ cultor SS. Trinitatis 1279. — Missae SS. Trinitatis compositor 1278. — Supplementum eius, Dominicae extracyclicae in eo contentae 1275-6.
Alexander III - de festo SS Trinitati'- 1279-80.
Alexandrina liturgia 125-6.
Alienatio bonorum Ecclesiae sine beneplacito apostolico — censura 886.
Aliturgici dies — in Oriente 1157. — Romae 1157.
Allelira — acclamatio liturgica 63. __ in Paschate 1227. — officium alleluiaticum Dom. Septuagesimae 1151. — tempore Septuagesimae deponendum 1151. — usus sollemnior paschalis 1228. — vetitum in Quadragesima 1164.
» Alma Redemptoris Mater » 1327. — canendum a Completorio Natalis Dom. 1122.
Almutia, armutia 1473.
Alpium benedictio v Camporum benedictio 1260-1.
Altare 1407 — apparatus 1409-11 — consecrato: lex 337, ritus 1425-26. — expositionis in oratione XL. Horarum 449. — historia 1407-8 — immobile seu fixum, leges 337. — leges cultuales 337-8. — locu^ proprior asservationis Eucharistiae 636. — mobile, leges 337. — portatile, lex 331-2, stricte portatile 337. — privilegiatum 323. 840-1. — symbolisions varius 1408-9. — unicum in ecclesiis 1407 — veneratio seu visitatio 247. — « versus populum » 338. 1411.
Altaria — in festo Corporis Christi 1286.
Ambrosiana liturgia 102-5. — descriptio 103-4. — fontes J02-3. — sortes ulteriores 104. — territorium 102.
Amburbale v. Processio lustralis pagana.
Arnen — uti acclamatio liturgica 63.
Amentes et phrenetici, baptismus 681-2.
Amictus — forma 1450. — historia 1449. — materia 1450 — nomina 1449. sensus 1450. — usus 1450.
Amphibalus 1454.
Amplificator vocis in ecclesia 1418.
Ampullae 1439 — materia 1440
Amula, ama = ampulla 1439.
Anabaptistae 665.
Anabolagium = amictus 1449.
Anabolaion. anagolaium = amictus 1449
Analogium v. Sedes concionatoria.
Anamnesis Missae 383. — in ritu Byzantino 134.
Anaphora Hippolyti 295 — Missae Byzantinae 134.
Anastasia virgo-martyr — in secunda Miss Natalis Dom. 1123.
Andreas apost. — festum 30. nov. 1374.
Angariae = Quattuor Tempora 1099.
Angeli — cultus eorum 1384-6 — cultus superstitiosus 1386. — festa 1384-91. — fundamentum dogmaticum cultus 1314-6. — SS. Patres de eorum cultu 1385.
Angeli custodes — festa olim celebrata 139<> — festum 2. oct. 1390 — functiones 1390.
« Angelus » seu « Ave » — indulgentiae 833. l — trina pulsatio 466.

Anghcani — contra Missam 230. — de Poenitentia 738.
Anicetus Papa — usus Paschatis 1222.
Anna, mater BMV — cultus liturgicus 1379-80 — cultus in Occidente 1379.
Anna prophetissa — 2. febr. 1142.
Anni circulus — annus lit. 1081. — primus dies, devotio publica 472.— ultimus dies, devotio publica 472-3.
Anniversaria Missa — pro defunctis v. Defunctorum Missae.
Anniversarium dedicationis 475-6.
Annua confessio v. Confessio, tempus obligatorium, — exercitia v. Exercitia annua fidelium in Quadragesima.
Annulus — abbatis 1031. — Abbatissae 1032. — benedictio in celebratione matrimonii 1070-1. — doctorum 1471 — historia 1470 nuptiarum 1067. — pronubus 1066. — quando portari debet 1470. — quibus competit 1470 — quomodo osculandus 1470-1. — piscatoris 1471. — sensus symbolieus 1470 — traditio in consecratione episcopi 1021. — usus 1470 — traditio in nuptiis, historia 1067. 1068. — virginum 1028. 1471.
« Annuntiatio » — nomen festi unici Mariani Ecclesiae primaevae v. Euangelismos
Annuntiatio BMV. — Ministerium angelicum consideratione dignum 1342. — festum 25. mart. 1338-42. — historia 1338-40. — in Adventu 1706. — in Occidente 1340, — in Oriente 1339-40. — indoles liturgica festi 1340-2. — nomina 1340.
« Annus *Domini* » = annus lit. iuxta Petrum Chrysologum 1081.
Annus *ecclesiasticus* = annus lit. 1081.
Annus *liturgicus* — aevo aureo 1082-3. — aevo catacumbarum 1082. — aevo migrationis populorum 1083-4. — ante Tridentinum paulatim evanescens 307. — causa efficiens 1078. — causa finalis 1080. — definitio 1077-80. — denominationis instar 1081. — Ecclesia ut causa secundaria 1078. — Ecclesiae orientalis 1085-7. — Eventus in liturgicis textibus 81. — nom'na 1080-1. — nucleus 1081-2. — origo et evolutio 1081-4. — partes 1084-5. penes S. Augustinum 1080. — penes S. Paulinum 1080-1. — penes S. Petrum Chrys. 1081. — sensus 1078-80.
Annus *salutis* = annus lit. 1081.
Annus *solaris* = causa materialis anni liturgici 1078.
Antiochena liturgia 126-7.
Antipendium altaris — lex 341. — notio 1410.
« Antiphona » = ad ingressum cleri in lit. Gallicana 94.
Antiphonae Mariales (finales; BMV. — historia 410. — officii divini, historia 1331 — in pio exercitio pomeridiano 457.
Antiphonae officii 406.
Antiphonale Missae saec VIII. 1275-6.
Antiphonarium 418-9. — Banghorense 106. — Legionense 99.
Apertio aurium — in ritibus baptismi antiquis 687. — hodiernis 691.
Apocrypha — dc cultu BMV. 1319-20.
Apokreo = camisprivium 1146.
« Apologia « — in Missa 301.
Apollinaris Ilierapolitanus de Pascha 1223.
Apostata — a religione laicali, censura 886 — a fide etc., ceusura 881. — est irregularis 997.
Apostoli — charisma infallibilitatis 1369. — conatus eos coniunctim celebrandi 1370. — cultus liturgicus 1369-70. — de potestate remittendi peccata 743-5. — extra limina Imperii defuncti 1370. — festa secundaria 1374-7. — festa singulorum natalitia 1369-77. — festum collectivum Omnium Apostolorum 1370. — fundamentum dogmaticum cultus 1369. — Hierosolymis sepulti quattuor 1369-70. — historia cultus 1369-70. — in Imperio Romano mortui 1369-70. — nexus eorum cum Ecclesia 1369. — intimus cum Christo 1369. — specialis cum Spiritu Sancto 1369.
Apostolica benedictio v. Benedictio papalis
Apostolicum (symbolum) v. Symbolum apostolorum.
« Apostolus » = lectio in lit. Gallicana 95
Apotactitae = renuntiantes saeculo 1368.
Apotropaeicus scopus — in benedictione herbarum 1346.
Apotyroseos = Dominica caseiprivii 1146.
Apparatus — altaris 1409-11. — ecclesiae 1407-20.
Apparitio BMV. 11. febr. 1352.
Apparitio Christi in carne — celebrata 6. jan. 1134.
Apparitio S. Michaelis, 8. maii 1388.
Appellans — ad universale Concilium, censura 883.
Applicatio Missae 323-6. — « pro petituro » Missam 318. — « pro populo « 313-4. 728.
Approbatio v. lurisdictio delegata, Examen 871-2.
Aqua baptismalis — delatio in Vig. Pasch., ritus 1244.
Aqua benedicta — effectus eius 73· — removenda Triduo Sacro 1179. — benedictio in pervigilio Ep'phaniae 1135. — in Vig. Pasch. v. Fontis baptismalis benedictio. — infusio in Missa lecta 382. — in Missa sollemni 397 — non frangit ieiu-

nium eucharisticum 566-7. — qua res sacra 72-73. — vino admista, symbolismus 520°.
Aquaria liturgica 1415-6.
Aquarii 517.
Aquilegiensis ritus 93.
Aratarea = Epiphania 1134.
« Arbor natalitius » v. Natalis Domini, arbor natalities.
Area Noe = Ecclesia 1272.
Architectura sacra — leges speciales 1401.
Ariani — contra festum Natalis Dom. 1113-4.
Armeniaca liturgia 125. 130.
Arrhatio v. subarrhatio.
Ars sacra — artificium qualitates 1401. — autonomia eius negatur 1490. — commissio dioecesana 1401. — definitio 1399. — evolutio non prohibetur 1400 finis 1399. — ind:gna arcenda 1400. — in scholis institutiones fieri debent 1401. — leges Ecclesiae 1399-1402. — novae formae non vetantur 1400. — traditio sana servanda 1400.
Ars sacra *figurativa* — finis est devotio 1402. — leges speciales 1402. — naturalismus, réalismes, symbolismus 1402. — notio 1402.
Articulus mortis — definitio 873.
Artotyritae 517.
Arundo = fistula 1435.
Ascensio Domini 1262-8. — consuetudines populares 1267. — festum peculiare 1263-4, perperam quaeritur penes Eusebium 1262-3, singulare 40. die post Pascha Hierosolymis 1265-6. — indoles liturgica 1264-7. — leges cultuales 1267-8. — nomina festi 1264-65. — origo festi 1262-4.
Asceticae exercitationes — in Quadragesima 1159-62.
« Asketeiia » seu consociationes aevo aureo Missae 296.
Aspectus oculorum — in caelum 47-48. — ut gestus liturgicus 47-51. — versus diversas regiones caeli 50-51. — versus omnes caeli partes 51. — versus Orientem 48-50. — versus septentrionem 50-51.
Aspersio aquae in Dominicis 73.
Aspersorium — historia 1442. — nomina 1441. — usus 1442.
Asser ad pacem = pacificale 1440.
Asscrvatio Eucharistiae — conditones 635. — locus piopior 636, proximus 630-8, remotus 635-6.
' Assumptio » = nomen Ascensionis 1264-5.
Assumptio BMV. — corporalis extollitur novo officio 1347. — festum 1343-9, in Occidente 1343-5, in Oriente 1343. — gaudium Ecclesiae in Assumpt. BMV. 1343-9, — herbarum benedictio 1345-7. — historia festi 1343-7. — indoles liturgica festi 1347-9. — Missa ct officium edita 1951: 1345. 1347-9. — octava abolita 1345. — proclamatio dogmatica Pii XII. anno 1950: 1.345. — vigilia 1345.
Attentans matrimonium — est irregularis 997.
Attentio — in Sacramentis 211-2. — in officio 434-5.
Attributa contritionis v. Contritionis proprietates.
Attritio — effectus 782-3. — notio 781.
Attritionistae v. Contritionistae et attritionistae.
Audientes — catechumeni 686.
Augsburg - centrum peregrinationis 494.
« Aureae » Missae v. Novem Missae BMV in Adventu.
Auri, thuris et cretae — benedictio in Epiphania 1136.
Austriae Patrona 8. dec. 1361.
Autoorganum 1418.
Auxilians excommunicato in delicto suo, censura 883.
Auxilium Christianorum, festum 24. maii 1358.
« Ave Maria » — in lit. S. Jacobi 1322. — primigenium in apocryphis 1320. — textus biblicus in liturgia 62-3.
« Ave maris stella » 1326-7.
« Ave regina caelorum » 1328.
Azymus panis — in Coena novissima 292. — introductio 302. — materia ritus latini 1519-20.

B

Baculus — forma 1469. — historia 1468-9 — in benedictione abbatis 1030. 1031. — materia 1469. — modus portandi 1470. — nomina 1468. — quibus competit 1469 — sensus 1469. — usus 1469. — traditio in consecratione episcopi 1021.
Balsamum — benedictio in Fer. V. Coenae Dom., ritus 1199. — in confirmatione 708-8.
Balteus — subcinctorium 1452.
Baptismus 640-701. — Actus debet exprimi 651-2. — actus essentialis ritualis 693. — adnotatio 700-1. — collatio primae gratiae 661-2. — domi collatus 699-700. — effectus princeps: incorporatio in Christum 657-9. — effectus: regeneratio 659-60. — efficientia 656-64. — essentia 647-56. — existentia 640-7. — forma 650-6. — forma valida 652. — forma respectu pastorali 655-6. — formae invalidae 656. — fructus pastorales 694-6. — imitatio in dedicatione ecclesiae 1422 — infantium catholicorum 677. — in Adventu praeparatus 1103. — in nomine Christi 650-1. — in utero matris 677-8. — in Vig. Pasch., ritus 1244. 1247. — institutio

642. — institutio, tempus 642-3. — instructio catechetica 696. — Joannis Bapt. 642. — leges cultuales 697-701. — locus proprius, extraordinarius 699-700. — materia proxima respectu pastorali 654-5. — materia remota 647-9. — respectu pastorali 652-4. — minister extraordinarius 674-5. — necessitatis 675, ordinarius 673-4. — momentum eius inculcandum 1155. — necessitas 664-73. — necessitas medii adultis 664-5. — infantibus 665-9. — necessitatis, regulae pastorales 675-6. — nomina 643-5. — per acatholicum collatus, censura 885. — per aspersionem 648-9. 693. — per ignem 641. — per immersionem 648, historia et ritus 693. — per infus'onem 648. — praeambulum praefigurativum 6-12, — praeparanda ad ritum 694. — praeparatio in Quadragesima 1154-5. — privatus 685. — privatus in mortis periculo 697. — promissio Domini 642. — recordatio privata 695. — remissio omnium peccatorum 660, poenarum 631. — ritus baptismales 686-701, evolutio ritus 686-8. — ritus qualis eligendus 698. — « sanguinis » supplet baptismum 670-2. — sollemniter collatus in coctu liturgico 695. — « sub conditione » 697. — subiectum 677-82. — tempus 698-9. — theo'ogia Paulina 643. — tribus actibus componitur ritus 688-94. — votum supplet sacramentum 669-70.

Baptismus Christi v. Commemoratio baptismatis Christi.

« Baptismus secundus « = nomen professionis monasticae 1028-9.

Baptistae — sectae 665-6.

Baptisterium — historia 1415. — locus 699. — qualitates legales 699.

Baptizabis fit membrum verae Ecclesiae 662. — servus Christi 662-3. — ius accipit ad gratias 663-4.

Barile v. Doliola.

Barnabas ap. — festum 11. iun. 1373.

Bartholomaeus ap. — festum 24. aug. 1373.

Basilica nomen sacri aedificii 1404 — sensu historiae architecturae 1406.

Basilica cultuali-iuridico sensu 1404. — privilegia Iturgica 1404. 1405.

Basilica — ad vincula Petri 1377. — S. Pauli historia 1314. — S. Petri, historia: 1314.

Batista (pannus linteus) ad paramenta 1444.

Beati — altaria quando iis dedicari possunt 338.

Beatificatio 1369.

Bcfana = Epiphania 1134.

« Benedicamus Domini » — in Missa 316. — Fer, V. Coenae Dom. 1197.

Benedictio — aquae baptismalis, necessitas 649. — cum reliquiis 460. — eucharistica, historia 591, in processione Corporis Christi 1286, leges cultuales 634, ritus 634-5. — in fine Missae, ritus 387, sollemnis 400. — in Missa gallicana 95-6. — in Missa quomodo dicenda 361. — mulieris fecundatae 1073, post partum 1074-5. — pra g-nantis 1073-4. — nuptialis, mozarab. 1068. penes Tertulianum 1066, textus antiquissimi 1066-7. — papalis in die Paschae 1250, quoties danda moribundis 956, plenaria indulgentia 839-40. — post primam Missam novi sacerdotis 478-9. — sacerdotalis extra Missam 150. — vexillorum 150. — v. adhuc Sacramentalia peculiaria.

Benedictiones — episcopales, historia 302. — infirmorum v. Infirmorum benedetiones — invocativae, constitutivae 147. 149.

Bened'ctorium = aspersorium 1441.

Benedictus Anianus, cultor SS. Trinitatis 1278.

Berengar — contra praesentiam Christi eucharisticam 570.

Bergomensc sacramentarium ambrosianum 103.

Beroldi Kalendarium Mediolan. 103.

Bethlehem, spelunca nativitatis v. Spelunca bethlchemitica.

Biasca, sacramentarium ambrosian. 103.

Bicycletum — usus in delatione Eucharistiae 629.

Bigami — sunt irregulares 997.

Binatio — in Fer. V. Coenae Dom. 1200-1. — in Vig. Pasch. 1246. — lex quoad stipendium 318. — per indultum 333 4

Birretum — historia 1477. — modus deponendi et sumendi 1477. — nomina 1477. — pileolus 1478. — usus 1477-8. — usus in procession bus 497.

BMV a Rosario 1355-6.

BMV Missa votiva in Adventu v. Rorate.

Bobicnse Missale 106.

Bogojavlcnije = Epiphania 1134.

Bona Fer. V. = Fer. V. Coenae Dom. 1188.

Bona Fer. VI. 1203.

Bonum sacramenti v. Indissolubilitas matrimonii.

« Boxing day » v. Natalis Dom., dona natalitia.

Boze telo = Corpus Christi, festum 12S4.

Breve — notio 22.

Breviaria neogallicana 425. — parva fidelium 440-1.

Breviarium camerale, chorale, notatum 420-1. — « Curiae romanac », origo et divulgatio 421-2. — primordia breviarii 419-20, per fusionem, per iuxtapositionem 240. — reformatio saec. XVI. 422-4. — Romanum S. Pii V. 423-4. — « S. Crucis » 423. — Urbani VIII. 423-4.

Brumae · = solstitium hiemale ut datum Natalis Domini 1114-5.
Bulla apostolica, notio 22
Bureta = ampulla 1440.
Bursa, lex 341.
Byzantina liturgia — descriptio 131-6. — expansio 129-31. — origo 127-8 — universalis 129-36.

Cadaver — compositio 500-1. — non recondendum sub altari 338.
Caecus — est irregularis 996. — sacerdos celebrans lex 333.
Caecutiens — sacerdos, lex 333.
Caelestinus — de usu peculiarium vestium sacerdotalium 1443.
Caeremonia — in baptismo necessitatis supplendae 676. — notio 21.
Caeremoniarius — in Missa sollemni 392.
Calamus 1435.
Calcei — in benedictione abbatis 1030-1.
Caldarotium = aspersorium 1441,
Caligae — color 1476. — historia 1476. — materia 1476. — ubi sumi debent 1476-7.
Calix 1434-5. — baptismalis 1434. — « benedictionis », in Coena novissima 293. — consecratio calicis et patenae, historia 1436, ritus 1437. — « consecrationis » 1434. — forma: cum pede, ansatus 1435. — in (piem aliquid ceciderit 343. — instrumenta calicis 1435. — leges cultuales 338-9. — materia 1434-5. — « ministerialis » 1434. — nomina 1434. — « ofFerendarius » 1434. — species 1434. — « viaticus » 1434.
Calotte = pileolus 1478.
Calvinistae — contra indulgentias 824.
Calvinus — contra Poenitentiam 738. — contra praesentiam Christi eucharisticam 572. — contra sacramentalitatem matrimonii 1036-7. — contra satisfactionem 811-2.
Cambuta = baculus 1468.
Camelaucum = mitra 1466.
Camisia = alba 1450 = rochettum 1453.
Campagi, compagi = sandalia 1476.
Campana 1418-20. — benedictio, ritus 1420 — consecratio, ritus 1419 — in pervigilio maiorum festorum 465-6. — leges cultuales 465. — machina ad sonum imitandum 1420. — nomina 1418. — origo et historia 1418. — pulsatio ad «Gloria in excelsus» Fer. V. Coenae Dom. 1196, in Triduo Sacro 1179. — sensus 465. — symbolismus 1419. — usus 465-7.
Campanula, sensus 465. — usus 467-9.
Campanularum ludus 1420.
Camporum benedictio — historia 1260-1, possibilitates hodiernae 1261.

Cana — festum vini transmutati ex aqua 1133. — transmutatio aquae celebrata 6. ian 1134.
Cancellatio manuum v. Manuum cancellabo.
Candelabra altaris — historia 1410. — lex 341.
Candelae — ardentis porrectio in baptismo 694. — benedictio in festo S. Blasii mart. 955-6. — benedictio, historia 1141. — benedictio 2. febr., ritus 1143. — liturgicae, historia 75, praescriptiones 75. — 12 in dedicatione ecclesiae in ritu Gallicano 1421.
Candelaria (candelora, chandeleur) = Purificatio 2. febr. 1139.
Canna, caneta = ampulla 1440
Canna = fistula 1435.
Canon Missae — evolutio ulterior 299-300. — forma primigenia 299. — in lit. ambrosiana 103-4. — in lit. celtica 107. — symmetria 300. — post consecrationem, ritus 384-5. — usque ad consecrationem 383-4.
Canonizatio prima anno 993: 1368-9. — leges 1369.
Cantica laetitiae paschalia 1227.
Cantus confractorius panis consecrati 121.
Cantus ecclesiasticus polyphonicus 397.
Cantus « gregorianus » 298. — authentia 114. — ordinatio 114.
Cantus in Missa — cantata 377. — modus seu tonus 377. — sollemni 376-7. — variabiles, historia 1275-6.
Cantus religiosus popularis 349-50. — in devotione pomeridiana 457.
Capacitas requisita — in sacramentis suscipiendis 216.
Capella — nomen, significatio 1404,
«Capitilavium» = Dom. II. Passionis 1181.
Capitis inclinatio v. Inclinatio capitis.
Capitulare v. lectionarium.
Capitularium 419.
Cappa = pluviale 1458.
Cappa magna — forma 1472. — historia 1472. — materia 1472. — quibus competit 1472-3. — ubi portari debet 1473.
Cappadociae liturgia 127.
Capsa, capsula = pyxis 1437.
Capuanus ritus 93.
Capuita = baculus 1468.
Caput ieunii 1165-68. v. Fer. IV. Cinerum.
Caristia, cara cognatio — festum paganum 22. febr. 1375.
Caritatis festum v. Natalis Dom., lestum pacis et caritatis — officia in Dominica 1092-3. — opera caritatis in Quadragesima 1158.
Carmen cerei v. Cerei laus.
Carmina Scripturarum 61-2.
« Carnevale » = camisprivium 1146.
Carnifices — sunt irregulares 997.

Carolus Magnus — fautor Romani ritus 97. 122.
« Cartagloria » — lex 341.
- Casti connubii », encycl. anno 1939; 1057.
Castitas — exemplar est BMV 1326. — in matrimonio 1055-6.
Casula — forma 1456. — formae mutationes 1454-5. — historia 1454. — in ordinatione presbyteri 1012-3, 1015. — Instauratio priscae formae anno 1957: 1455. — materia 1456. — ornatus 1456. — repraesentatio figurative, historia 305. — sensus symbolicus 1455. — usus 1456.
Casus — ab Ordinario reservati 889-91. — poenitentiales saec. II.: 749. — reservatio v. Reservatio casuum. — « casus urgcntior » in absolutione a censuris reservatis 888-9.
Catacumbae — in Imperio Romano 1430. — S. Sebastiani, ubi Petrus et Paulus anno 258 reconditi fuerunt 1371.
Catechumenatus — classes 687. — evolutio 686. — institutio 686-7. — ritus in baptismo 688-90.
Cathedra Petri — festum 22. febr. 1375-6. — « in Antiochia » caret fundamento 1376. — in Gallia 18. ian. 1375. — Romae 22. febr. celebrata 1375-6.
Causae cultuales — ad varias S. Congregationes pertinentes 24-5.
Causalitas — physica sacramentorum 175 81. — sacramentorum 174-81.
Celebratio Missae — completa 334. — continuata 334. — in mari 332. — ratione beneficii 315-6. — consecrationis 312-3. — oboedientiae 314-5. — officii 313-4. — promissionis 135. — stipendii 316-23. — spatium 328. — tempus debitum 326-9. — v. Applicatio Missae.
Celtica liturgia 105-7. — descriptio ritus 106-7. — fontes 106. — territorium 105-6.
Celtica spiritualitas — influxus in liiurgiam 301-2.
Cento, centonisatio 82. — in Iit. mozarab. 99.
Censurae reservatae 878-91. — absolutio 887-9.
Cerei laus — in Vig. Pasci). 1231.
Cereorum incensio — in Vig. Pasch. v. Incensio cereorum. — usus in processionibus 497.
Cereus v. Candelae.
Cereus paschalis — benedictio, historia 1231-2. — extinguitur in Ascensione 1267. — historia 75-6., 12-30-2. — leges liturgicae 1246, 1248. — ritus benedictionis sec. OHS. 1241. — symbolismus 1239.
Ceroferarii — ad « Sanctus » in Missa sollemni 398.
Cessatio a laboribus die festo — historia 1093. — lex 350-1.
Character — definitio 188. — natura et effectus 191-3. — natura ontologica 191. — theologica 192. — quo deputantur homines ad cultum Dei 193. — ut quaedam virtus instrumentalis 192-3. — ut participatio sacerdotii Christi 192. — sacramentorum v. Baptismus, Confirmatio, Ordo. — ut signaculum 191.
« Cherubikon » — in ritu Byzantino 133
Chirbct Qumran — benedictio aquae 686. — Liber Regulae 1099.
Chirothecae — historia 1475. — impositio in benedictione abbatis 1031. — in consecratione episcopi 1022. — materia et forma 1475. — minister 1476. — usus 1475-6. — quibus competunt 1475.
Choralium puerorum festum 28. dec. 1130
Chorus — cantorum 1414. — chorus ecclesiae v. Presbyterium — ut locus cleri- v. Presbyterium, ut locus cleri.
Chrisma — consecratio in Fer. V. Coenar Dom., ritus 1199-1200. — leges cultuales 708. — in confirmatione 707-8.
Chrismale — significatio quintuplex 1437.
Christiana salutatio — indulgentiae 8-33.
Christiani S. Thomae 126.
Christus — agonizans: Pium exercitium Fer. V. Coenae Dom. 1177. — festa minora in aliquibus locis celebrata 1315-6. — in universa ecclesia celebrata 1295-1315. — « historicus » et Christus » pneumaticus » 1308. — in Ecclesia perseverans est annus liturgicus 1079.
« Christus Dominus ». Const. Ap. anno 1953: de ieiunio eucharistico 559-65.
» Christus Rex — celebratus in liturgia v. Regia maiestas Christi. — festum 1308-13. — historia festi 1308-10. — indoles liturgica festi 1310-3. — inductum a Pio XI.: 1308-10.
Ciborium = concameratio altaris 14)8.
Ciborium = pyxis 1437 — materia 638.
Cibus animarum — celebratus in festo Corporis Christi 1284-5.
C daris, cidarium = mitra 1466.
Cineres — benedictio, historia 1166, « privata » benedictio 1160, ritus hodiernum 1167. — dies Cinerum v. Fer. IV. Cinerum. — impositio in domibus 1168, iterari permissa 1168, ritus hodiernus 1167-8. — impositio ut sacramentale 1166. — — processio Cinerum medio aevo 1163-7. — usus cinerum in liturgia 1166.
Cingulum 1451-2. — color 1452. — forma 1452. — historia 1451. — lex 339. — materia 1452. — sensus symbolicus 1452.
Circumcisio 145. 146. — Domini 1. ian. 1130-1.

Circumstantiae — aggravantes in confcssone 798-9. — celebrationis Missae 326-36. — servandae in Missis stipe donatis 323. — spec cm mutantes in confessione 798.
Clausulae orationum v. Orationum Clausulae.
Clausura — papalis, violat o, censura 883.
Clavium potestas — directe exerceri debet 765-6. — Ecclesiae data in sacramento Poenitentiae 739-40. — peccata debito modo subiici debent 766.
Clemens V. — festi Corporis Christi propa gator 1283.
Clerici in sacris attentantes matrimonium, censura 884.
Cochlear — ad aquam imponendam 1435.
Codex luris Canonici — fons legis cultum ordinantis 22-3.
Coemeterium 1429-33. — benedictio ritu pontificali 1431, ritu simplici 1431-2 — custodia 1432. — distinctiones in eo 1432. — historia 1430. — ius Ecclesiae 1432. — leges cultualcs 1432-3. — munie pale 1430-1. — nomina 1430. — Romana coemeteria aevi antiqui 1430.
Coena Domini v. Fer. V. Coenac Dom
Coena Dominica 512.
Coena novissima — « Missa n 292-3.
Coena paschalis — iudeorum 292-3.
Cogens ad statum clericalem vel religiosum, censura 886.
» Collecta » — nomen Missae 226.
Collectae — duae in systemate Gelasiano 1274-5. — imperatae v. Orationes impetratae.
Collectarium 417.
Collectio — in lit. Gallicana 94-5. — post nomina, in lit. Gallicana 95. — rituum pro Germania v. Rituale germaniae.
Color — flavus 339. — non debet servari in Missis votivis IV. cl. 370.
Colores liturgici — canon colorum, historia 1445-6, pro quibus vestibus valeat 1148. — historia 305, 1445. — leges cultuales 1447-8. — quando quales adhibendi 1447-8. — sensus symbolicus 1446.
Combustio Judae — consuetudo popularis 1177.
Comes Murbaccnsis saec. VIII. 1275.
Comitatus — gratiae habitualis 184-5.
« Comites Christi * — seu festa natalem Domini sequentia 1126-7.
Commemoratio Baptismatis Christi 13. ian. 1138.
Commemoratio BMV, cuius dos est Anglia 4. mai 1361.
Commemoratio — in Missa 355-6. — inse parabilis 358. — privilegiata 355.
Commemoratio Omnium Fidelium Defunctorum — devotio in pervigilio 473. — historia 1395-6. — indulgentia plenaria 831-2. — leges cultualcs 1396. — Missa intra Octiduurn 373. — varii dies omnium defunctorum 1395. — Vesperae I. abolitae 1397.
Commemoratio Passion's, festum 1315.
Commemoratio S. Pauli — festum 30. iun. 1377.
Commemorationes communes abolitae 356
Commune Sanctorum — e formulis pluribus electio fieri potest 371. — in Missa'i Romano 368.
Commendatio animae 498-501.
« Communicantes » — aevo aureo 299. — ambrosiam 104. — Ascensionis 1267. — historia 118.
Communio sacra — aevo aureo 297. — aevo catacumbarum 295-6. — antifona ad communioni m 361. — clericorum 619. — dispositio animae 552-7, quomodo procurantia 554-6. — dispositio corporis 557-67. — dispositio melior 556-7. — dispositio requisita 546. — distributio: dies 617 8. horae 618, locus 618-9, praecedentia 619 — Fer V. Coenac Dom. historia 1192-3, leges 1201. ritus 1197. — Fer. VI. Pass. Mortis Dom. historia 1206-8, ritus see. OILS. 1213-4, un:ce inter actionem liturgicam distribuenda 1215. — fidelium extra Missam, ritus 389. — infra Missam, ritus 388-9. — sollemnem 400. — frequens et cotidiana 621-3. — frequentia 545-6. — aetate Gothica 305. — gratiarum actio 557. — in altari expos'tionis d:stribui nequ t 451. — in Missa dominical! 1092. — in Missa Gallicana 95-6. — in Missa sollemni 400. — e in os », flexis genibus suscepta, historia 302. — infirmorum, ieiunium eucharisticum 566. — Missae ritu Byzantino 134-5. — monialium 619. — non potest distribui in Missa chrismatis 1195. — paschalis 620-1, cantus specialis 1249, sollemms in die Paseh. 1249. — per novem Ferias VI. continue sibi successa 469-70. — populi intra Missam 251. — praeparatio ad communionem 556-7. — prima v. Prima communio. — promiscuo ritu sumi potest 91. — ritus tempore paschali 1229. — sacerdot:s a semetipso ministrata 552. — in Missa 385-6. — ut pars integratis Missae 249-50. — sacrilega 556. — spiritualis 623. — sub una specie aetate Gothica 305. — sub utraque specie Latinis permissa in aliis ritibus 545. — Vig. Pasch. 1246.
Commutatio poenae aeternae in temporalem in Poenitentia 859.
Compassio cum BMV. v. Dolores BMV. compassione celebrati. — festa 1329-31.

« Competentes » — seu electi ad baptismum 687. — ritus in baptismo 690-2.
Complendum — quomodo sacrificium Missae 250-1.
Completorium — origo 417. — ritus 445. — sensus et structura 410.
Complex — absolutio v. Absolutio complicis — manifestatio in confessione 802-3.
Compostella — centrum peregrinationis 491.
Compunctio 772.
Concelebratio — « ad instar » in benedictione abbatis 1031. — episcopi recenter consecrati 1021-2. — in ordinatione presbyteri 1010. 1014. — lex 332. — olim in benedictione oleorum sacrorum 1191-2.
Conceptio S. Joannis Bapt. — festum 24. sept, olm celebratum 1383-4. — virginalis BMV. in apocryphis 1319.
Conciliorum decreta — uti fons legis cultum ordinantis 27-8.
Concilium — Elibcritanum de « Pentecoste » i.e. de tempore paschali 1264. — Vaticanum 1. de reformando breviario 425. — Vaticanum II. 310
Conciones sacrae — in Quadragesima 1165.
Conconsecratores — in consecratione episcopi 1017.
Concrematio cadaveris 504.
Concupiscentia — refraenatio in matrimono 1055.
Concurrentia dierum liturgicorum 365.
Condonatio — Missarum 322.
« Confarreatio » — in celebratione matrimonii 1066.
« Conferentiae — pro confessariis 898.
Confessarius religiosarum 876-8.
Confessio — in altari immobili, lex 338 — adloquium poenitcntialc 904. — annua 793-1. — bonum commune promovet 803 — consuetudinarius quomodo tractandus 905-6. — defectus circa integritatem 90S. circa obligationes 908-9, circa validitatem 908. — diacono vel laico facta 863. — et communio ante nuptias 1060. — fidelitas 795. — fidelium currente Ilebd. Sancta 1176-7. — generalis 806-8. — generica 766. — incompleta 805. — infirmi 946-8. — integritas 797-803. — invalida 805-6. — iteratio 805-8. — indicium ferendum in confessione 903. — locus extraordinarius 1414. — materia Poenitentiae 789-808, v. Mater a sufficiens necessaria, libera. — monitio poenitentis 904-5. — obligatio interrogandi 901-2. — occasionarius quomodo tractandus 906-8. — proprietates 795-803. — recidivus quomodo tractandus 906. — ritus 850-2, — secreta 796. — seminaristarum 878. — tempus obligatorium 793-4. — usus notitiae e confessione 917-8. — utilitas 793. — vocalis 796-7.
Confessionale v. Sedes confessionalis.
Confessor — cultus liturgici nucleus 1367-8 — fidelis pro fide detentus 1367. — sensu latiore saec. IV. 1368.
Confirmatio 702-727. — adversar i 702-3. — ante tonsuram requisita 993. — benedictio finalis 726-7. — definitio 702. — efficientia 710-5. — essentia 70.5-10. — evolutio ritus Romani 722-4. — existe; tia 702-5. — exsecutio in S. Scriptura 703-4. — forma 709-10. — historia 722-4. — in mortis pericu'o ob morbum gravem 718-9. — institutio 705-7. — instructio 721-2. — materia 707-9. — minister extraordinarius 717-20, ordinarius 715-6. — neces sitas 714-5. — nomina 704-5. — perfectio aetatis in Christo 712. — personae sacramentales 715-22. — praeparanda ad ritum 727. — promissio in S. Scriptura 703. — ritus descriptio 724-7. — Spiritus Sanctus ut robur in confirmatione 712-4. — subiectum 720-2.
« Confiteor » — ante communionem intra Missam omittitur 388-400. — in Missa lecta 379. — in Missa sollemni 392.
« Confractorum » — in Missa ambrosiana 104.
Congregatio Rituum — fundatio 23.
Congressus seu conventus eucharistici 479-81
Coniugium 1035.
Coniunctio dexterarum in matrimonio, historia 1067-1069.
Connubium 1035.
Conopaeum 341, 637-8.
Consecratio — diaconi, presbyteri, episcop v. Ordinatio. — ecclesiae v. Dedicatio ecclesiae. — illicita episcopi, censura 880.
Consecratio eucharistica — dubium circa valorem 531. — duplex in Coena novissima 292-3. — essentia Missae 247-9 — forma 530-2. — in Missa ambrosiana 104. Byzantina 131, Celtica (« periculosa oratio ») 107, Gallicana 95. — in Missa lecta 384, sollemni 398. — iterata, si hostia dspareat vel Sanguis effundatur 342. — materiae corruptae vel invalidae in Missa 342. — pulsatio campanulae ante consecrationem 468. — theoria quoad Missam 258. — unius speciei altera 250-1.
Consecratio operae cotidianae in Prima 409.
Consecratio virginum — historia, ritus 1026-8.
Consecrationes — in Sacramentalibus 147-148.
Consecratorius actus in dedicatione ecclesiae 1423-4.
Consensus — eius confirmatio in matrimonio 1072 — maritalis 1041-2. — matrimonialis formulae 1067-1069.
« Consolamentum » — loco baptismi apud Waldenses 641.

Constitutio Apostohca, notio 22.
Constitutiones Apostolicae saec. V. 126.
Omsuetudo — in liturgia 28-9. — peccandi 905-6.
Consummatio Oeconomiae habetur in Ascensione 1265-6.
Consummationis festum = Pentecostes 1269-70.
Consurrectio cum Christo in mysterio paschali 1225.
Contactus sacralis — in benedictione fontis cum cereo paschali 1244.
« Contestatio » — in lit. Gallicana 95
' Continuata festivitas » = tempus paschale 1253.
Contra tempestates — benedictio 1267.
Contritio — appretiative summa 784-5. — definitio 775. — imperfecta v. Attritio. — motivum, imperfectae 781, perfectae 776-7. — mutuus influxus cum confessione 785-6. — nomen 772. — perfecta, definitio 776, effectus 777-8, natura 776-7. — proprietates 783-6. — sufficientia ad plures confessiones 786. — tempus 785.
Contritionistae et attritionistae 780-1.
Controversia de Paschate v. Pascha, lis de.
Controversiae eucharisticae 569-72.
Conventus liturgici in Quadragesima 1157.
Conversio relate ad Eucharistiam — divisio 595. — falsae notiones (annihilatio, actio adducliva, productiva) 601-3. — nomina 596-7. — notio 595. — termini distinguendi 595-6. — totalis 596, 600-1.
Conversio S. Pauli — festum 25. ian. 1376.
Copia confessarii — quoad communionem 555-6.
Coptica liturgia 125-6.
Cor Jesu cultus liturgicus — adversarii cultus 1292. — cultus initialis 1289. — cultus est signum temporum modernorum 469. — dedicatio familiarum SS. Cordi Jesu facta 1309. — « eucharisticum », devotio approbata 1295, festum particulare concessum 1295, titulus 1294-5. — exercitia publica ad reparandas iniurias 470-1. — intima natura cultus 1291-3. — leges cultuales cultus 1294-5. — mensis iunius eidem dicatus 487. — « misericors », titulus prohibitus 1294. — Missa in honorem SS. Cordis 470. — novena in honorem SS. Cordis 483. — obtectum formale c/uo, remotum et proximum 1293. — obiectum formale *quod:* triplex amor Redemptoris 1293. — obiectum materiale cultus 1292-3. — physicum ut obiectum materiale 1292-3. — « poenitens », titulus prohibitus 1294. - prima ecclesia ei dedicata 1585 in Brasilia 1289. — repraesentationis qualitates ab Ecclesia praescriptae 1294. — symbolum inexhaustae caritatis 1293. — tituli prohibiti 1294-5.
Cor Jesu, *festum* 1289-95. — Dom. post festum 1294. — indoles liturgica 1291-3. — Missa et officium anno 1765; composita 1290, anno 1778 approbata 1290, anno 1929 edita: 1291. — octava anno 1928 inducta, 1955 abolita: 1291, 1294. — origo et historia 1239-91. — praeparatio festi 1289. — primum festum a S. Sede concessum 1290. — universae Ecclesiae anno 1856: 1290-1.
Corda Jesu et Mariae — simul exhibita permitti possunt 1294.
Cordis Immaculati BMV festum 22. aug. 1354.
Corona — adventualis 1111. — nomen anni liturgici 1081. — nuptialis 1067. — virginum 1028. — coronae quibus indulgentiae adnexae sunt 834-5.
Coronatio regis — Summi Pontificis v. Regis, Summi Pontificis coronatio.
Corporale — historia 1410. — lex 340.
Corporales exercitationes v. Exercitationes corporales in Quadragesima.
Corporis habitudo signa sacra peragentis 44-7.
Corporis inclinatio v. Inclinatio corporis.
Corpus Christi, *festum* 1281-9. — Dominica olim infra octavam 1287. — festi institutio universalis 1283. — festum dogmaticum 1284. — finis festi 1284. — gaudiosum festum 1285. — inconvenientiae popularis consuetudinis 1288. — incunabula festi 1282. — indoles liturgica 1284-5. — leges cultuales 1287-9. — Missae ritus 1285. — nomina 1284. — novena ante festum 483. — octava abolita 1287. — officium et Missa inquantum ab Aquinate composita 1283. — officium festi primigenium 1282. — orationes Missae festivae Summae Aquinatis adaptatae 1283. — Origo et historia 1281-3. — praefatio Missae 1287. — ritus festi et processionis 1285-7.
Corpus Christi *eucharisticum* v. Eucharistia, Praesentia Christi, Species.
Corpus Christi *mysticum* — ut fundamentum cultus publici 11.
Cotidiana communio 621-3.
Cotta = superpelliceum 1452.
Crater = calix 1434.
Credentia v. Abacus.
» Credo » — aetate aurea 298. — apostolicum 69. — in Missa 69. — in Missa sollemni 396. — regulae dicendi 359-60.
Cretae benedictio v. Auri, thuris et cretae benedictio.
Crocia = baculus 1468.
« Crucem tuam adoramus Domine » — ant. Fer. VI. Pass. Mortis Dom. 1205.
Crucifixi imagines — indulgentiae 834-5.
Cnicis exaltatio v. Exaltatio Crucis.

Crucis detectio Fer. VI. Pass. Mortis Dom. — ritus sec. OHS. 1212-3.
Crucis inventio 1295-6.
Crucis recuperatio anno 624 a Persis 1295-6.
Crucis signatio 38-40. — in baptismo 689. — vis et momentum 39-40. — signum minus et manis 38-40. — triumphale signum in Exaltatione Crucis celebratum 1307.
Crucium velatio v. Velatio Crucium.
Crux — *altaris:* historia 1410, leges cultuales, 340. — apotropaeica indoles Crucis 1308. — *arehiepiscopi:* historia 1465-6, leges cultuales 1466, quibus competit 1466, quomodo deferenda 1465, sensus 1466. — delineatio in pavimento (dedicatio ecclesiae) 1423. — inventio in Jerusalem, factum historicum 1305-6. — *pectoralis:* historia 1471, materia 1471, quibus competit 1471. — *processionalis* 496. — Redemptio, salus nostra in festo Exaltationis 1307-8. — sepulta in Fer. VI. Pass. Mortis Dom. 1209. — *stationalis,* ut supplementum Viae Crucis 454-5. — *tumuli* 504. — *vera,* cultus debitus 459-60., leges cultuales 459-60.
Crystalla — adhibita ad ignem eliciendum Vig. Pasch. 1229.
Cultus — Eucharistiae 632-5. — officialis Ecclesiae 11. — publicus, genera 12-3, ordinatio 12.
Cuppa = pyis 1437.
Cura Ecclesiae pro mortuis 498-510.
Cursus — Franco-Romanus, Gallicanus, monasticus, Romanus 417. — « nocturnus » 414-5. — ut concentus harmonicus in textibus liturgicis 82.
Custodes Angeli v. Angeli Custodes.
Custodia — ad servandam Hostiam maiorem 1439. — ostensorium 1439.
Cussinus Altaris 1411.
Cyclus — festalis 1084. — hebdomadalis 1088-1102. — liturgicus, notio 10S4. — natalitius 1102-45. — paschalis 1145. 1084-85, computus 1222-3. — ut recursus noviluniorum 1222-3.
Cydra = mitra 1467.
Cvrillus Lucaris — contra Sacramenta 156-7.

D

Dalmatica — historia 1456. — leges cultua les 1457-8. — sensus symbolicus 1457.
Damascata tela — ad paramenta 1444.
Decreta Summi Pontificis — uti fons legis cultum ordinantis 22. — Congregationis rituum 24. — Curiae Romanae 2-3-25.
Decollatio Joannis Bapt. 29. aug. 1382-3.
Dedicatio Archibasilicae SS. Salvatoris, festum 9. nov. — historia 1313. — indoles liturgica 1313-4.
Dedicatio Basilicarum Petri et Pauli hist 1314.
Dedicatio BMV ad Nives 5. aug. 1354.
Dedicatio ecclesiae 1420-7. — anniversarium 473-6. — historia 1420-2. — leges cultuales 1426. — Missa in dedicatione 1426. 1427. ritus hodiernus 1422-7.
Defectus in celebratione occurrentes 342-4
Defensor populi Dei = Michael 1387.
Deformes — sunt irregulares 997.
Defuncti — invocari possunt 1387. — Missa pro iis offerri debet 277-8.
Defunctorum Missae 372-3. — anniversario 372-3. — exsequialis, notio ritus 372, quibus deneganda 324-5, pro sacerdote 372. — in die obitus 372. — in die III. VII XXX. ab obitu 372. — in ecclesia et sacello coemeterii 373. — in ultima sepultura 372. — quotidianae 373. — post acceptum nuntium mortis 372. — prohibitio 375-6. — pro praesumptis defunctis ne dicantur 373. — ritus 390, sollemnis 400-1.
Delatio SS. Sacramenti — campana pulsanda 467. — campanula pulsanda 463-9. — Fer. VI. Pass. Mortis Dom., ritus 1213. — privata, publica, ritus 626-7.
Delatio sollemnis Crucis, Fer. VI Pass. Mortis Dom. 1206.
Deletio peccatorum per eucharistiam 534-6.
Demissio oculorum v. Aspectus oculorum
Denudatio altarium — historia 1192. — ritus 1198.
Denuntiatio confessarii sollicitantis 895-5.
« Deo gratias », acclamatio liturgica 64.
Depositio defuncti — historia 502 — leges 504. — ritus 505-6.
« Deprecatio Gelasii » in Missa 67.
Descensus Christi ad inferos — Sabbato Sancto 1216.
Desponsatio BMV, festum 23. ian. 1357.
Destructio in Missa frustra supponitur 255-7.
Der-el-Balizeh — papyrus eucharisticus epiclesim continens 526.
Devotiones — non stricte liturgicae 7-8. — pomeridianae 456-7.
Diaconatus — explicatio rituum 1008-9.
Diaconissa — benedictio, ordo, munera 1025-6. — historia 991. — in Novo Test 991. — protestantium 1026.
Diaconorum festum 26. dec. 1128.
Diaconus — minister communionis 550-1. — baptismi 674-5. — laudis cerei paschalis, historia 1231. — partes in liturgia 81-2. — reconcilians poenitentem 865-6. — v. adhuc Ordo.
Dialogus praefationis in ritu Byzantino 134.
Dies — absolutionis = Fer. V. Coenae Dom. 1188. — « aridi » = suchedni, slav. Quattuor Tempora 1099. — cleri sanctificationi sacer 469. 471. — congressus seu conventus eucharistici 479-80. — Domi-

in = Corpus Christi festum 1284. — Eucharisticus seu adoratio publica 476. — eventus seu impletionis = Purificatio 1142. — Expiationis = Dominica 1094. — gratiarum actionis 477-8. — indulgentiae = Fer. V. Coenae Dom. 1188. — iuventutis 26. dec. 1128. — liturgicus, notio see. NCR. 362. — mandati = Fer. V. Coenae Dom. 1188. — missionum, penultima Dom. oct. 481. — « nundinae » = Dominica, hung. 1089. — patrocinii v. Patrocinium. — requietionis = Dominica 1093. — poenitentialcs 1096-8. — *a* sacerdotum 469. 471. — Summi Pontificis 481. — « solis » = Dominica 1089. 1090. — « Simeonis » — Purificatio 1139.

Dimissio — in baptismo 694.

Dionysius Exiguus — cycli novi paschalis auctor 1223.

Diptycha in Missa Gallicana 95. — Moza rabica 100.

Directio spiritualis — in confessione 794-5.

Directorium quo uti debet ecclesia 336.

Dissimulat o — sacramentorum licita 216 905.

Diskos = patena 1435.

Distinctio ritualis 89-90.

Diversitas rituum v. 'I ypi sacrales.

• Divini cultus » Const. Ap. 1928 Pii XI. 1400.

« Divino afflatu » 424. 425-6. 309.

Doliola — in consecratione episcopi 1021.

Dolores BMV compassione celebrati (tres, quinque, septem), Missae 1330-1.

« Domine non sum dignus », ritus, Missae 385.

Dominica — classes sec. NCR. 362. — cur prima die hebdomadae 1089. — gradus seu dignitas liturgica 1095. — indoles lilurgica 1090-5. — in primis scriptis christ. 1089-90. — leges cultuales 362, 1095-6. — numerus 1095. — nomen 1089. — origo 1088-9. — prima mensis 1096. — privilegia 1095-6. — series dominicarum 1095. — trinitaria indoles 1094-5. — vaga 1096.

Dominica — ante Natalem Dom.: festum olim Deiparae 1323-4. — de exceptato in ritu ambrosiano 1324. — ▮ florifera » = Dom. II. Pass. 1181. — in Albis, nomina et indoles liturgica 1254. — Dom. «rndulgcntia» = Dom. II. Pass. 1181. — Dom. infra octavam Corporis CHR.. nunc mutata in Dom. II. post Pent. 1287. — • mortise = I. Pass. 1169. — «nigra» = Dom. I. Pass. 1169. — «palmarum» = Dom. II. Pass. 1181. — Pentecostes, leges cultuales 1272. — «Repus» = Dom. I. Pass 1169. — Resurrectionis 1248-55., nomina d stinctiva 1248. — «Spiritus» = Pentecostes 1269. — «surda» = Dom. I. Pass. 1169. — «ultima octobris » = festurn Christi Regis, cur electa sit 1309-10.

Dominica I. Passionis, indoles liturgica 1169-71., nomina 1169. — II. Passionis 1180-8., leges cultuales 1186-8, locus celebrationis 1188, Missa d ei, historia 1182. 1188., nomina 1181, origo rituum 1181-4., ritus descriptio sec. OILS. 1184-6, tempus celebrationis 1187-8. — II. post Pentecostem v. Dom. infra octavam Corporis Chr. — III. post Pentecostem 1294.

Dominicae — paschales 1254-6. — postpentecostales 1274-7, formulae in Leoniano 1274, indoles liturgica 1276-7, origo et historia 1274-6. — post SS. Trinitatis 1275.

« Dominicale » v. Temporale.

« Dominicum » = ecclesia 1403. — nomen Missae 226.

« Dominus vobiscum » in ritu ambrosiano 103. — uti salutatio liturgica 64.

Domorum benedictio — est ius parochiale 1247. — in Epiphania 1136. — Sabbato Sancto prohibita 1178. 1247.

Domus almae BMV. translatio, festum 10. dec. 1360.

Domus Dei — nomen aed'ficii sacri 1403-4

« Domus ecclesiae » — 1405.

Dona — gratiae in Novo Test, accepta, laudata in Pentecoste 1271. — natalitia v. Natalis Domini, dona natalitia — Magorum, benedictio v. Auri, Thuris benedictio.

Dormitio BMV. = Assumptio 1343.

Dotes contritionis v. Contritionis proprietates.

Doxologia — notio, species 65-6. — finalis Canonis 385. — in Missa catacumbarum 296.

Drama liturgicum v. Officium stellae, Locatio sepulchri, Resurrectionis repraesentatio.

Dualistae haereses — contra Missam 229. — contra Sacramenta 141, 155-6.

Dubia peccata v. Peccata dub'a.

Dubium iuris et facti — suppletur iurisdictio ab Ecclesia 874-5.

E

Easter — etymon vocis 1220.

« Ecce lignum Crucis » — antiphona, historia 1205.

Eccles:a — aliena, celebratio Missae 336.

Ecclesia, ut locus sacer 1403-7. — benedictio, Missa 1428, ritus hodiernus 1428 — « communitatis » aevo antiquo 1405. — « consecratio » v. Dedicatio ecclesiae — funeris 503. — leges cultuales benedictionis 1427. — nomina 1403-4. — reconciliatio, le 331. — origo et historia 1405. — partes constitutivae 1407-20 — parte integrantes 1406. — sepulchralis 1405. — spe-

cies variae 1404. — species iuridicae 329. — ubi asservari debet vel potest Eucharistia 635.
Ecclesiae — fundatio, celebrata in Pentecoste 1271-2.
Educatio prolis — extra Ecclesiam v. Matrimonium cum pacto deducationis p olis. — in religione aeatholica, censura 885.
Effeta, effetatio 691.
Efficacitas Missae — in actu primo, actu secundo: in genere 270. — in actu secundo non est simpliciter infinita 285-7.
Eiectio poenitendum — ritus antiquus 1155-6.
Ektenia — historia 67. — in Missa Byzantina 132-3.
Electrophonicum — organum 1417.
Eleemosyna Missae v. Stipendium.
« Elevatio Crucis » — in Vig. Pasch. 1237.
Elevatio Missae — ambrosianae 104. — Byzantinae 135. — historia 304, 590. — « parva » 385, v. adhuc Doxologia finalis. — pulsatio campanae 466-7, campanulae 467-8. — ritus 384. — sollemnis Missae 398.
Elevatio oculorum v. Aspectus oculorum.
Elevatio SS. Sacramenti in Vig. Pasch. 1237-8.
« Einber-davs » = Quattuor Temnora, angi. 1099.
Embolismus Missae — ritus 385.
Emendatio — breviarii et missalis, nostro saeculo 308-9, et 424-8.
Enarxis in Missa Byzantina 132.
Encyclicae — notio 22.
« Energumenus » 1003.
Enkolpion 1471.
Ephpheta seu ephphetatio 691.
Ephraem diae. — de S. Thoma ap. in urbe Edessa 1374.
Epiclesis — in Occidente 528. — in ordinatione monachi 1029. — in Oriente 528. — in ritu Byzant no 134. — notio 526. — primigenia 522-3. — seu oratio epicletica in confirmatione 724-5.
Epilychnicon v. Lucernarium.
Epiphania, festum 6. ian. 1132-8 — complexivum 1133. — diffusio 1133-4. — festum Aegyptiacum 1132-3. — festum gnosticum 1132-3. — ieiunium 40 dierum post ‹piphaniam apud Coptos 1153. — indoles liturgica 1134-5. — nomina 1134. — octava nunc abolita 1137-8. — vigilia 1137. — ut π antiquum natale» Puritanorum 1133.
Episcopatus — evolutio rituum consecrationis 1015-7.
Episcopi — saec. IV-V. post mortem Sancti habiti 1368.
Episcopus — minister ordinarius Ordinis 986. 987. 988-9.
Episozomene (= Salutis consummatio) = Ascensio 1265.
Epistola Apostolorum — de Paschate 1223. — de Pentecoste 1268. — in Missa sollemni 394-5, lecta 382.
« Epistolae festales » — S. Pauli 1221.
« Epitaph os » = sepulti Christi imago adorata in Oriente 1204.
Equorum benedictio 26. dec. 1128.
Error — communis, iurisdictio ab Ecclesia suppletur 874. — dogmaticus in liturgia 19. — historicus in liturgia 19. in applicatione Missae 326. — in matrimonio 1059. — in recitatione officii divini 432. — invucibilis in confessione deprehensus 905.
Esculentorum benedictio in pascha 1250.
Euangelismos — festum unicum marianum Ecclesiae primaevae 1323-4.
Eucharistia — adultis necessaria necessitate morali 540-1. — clarificatio corporis, ius ad: 536-7. — compositio physica 517-33. — computatio numerica 515-6. — cultus 632-5. — custodia 635-8 — definit o 514. — effectus ex unione resultantes 534-7. — effectus principalis 533. — efficientia 533-7. — essentia 517-33. — forma, normae pastorales 530-2. — forma, quid sit 522-5, quid non sit 525-32, substantialis 595. — infantibus non est necessaria necessitate medii 538-40. — institutio 577-8. commemorata in Fer. V. Coenae Dom. 1190. — leges cultuales 617-38. — materia proxima 520-2, remota 517-20a. — minister confectionis 549-50, dispensationis (ordinarius, extraordinarius, necessitatis) 550-2. — monumentum primum Traditionis 579. — necessitas 537-48, sub praecepto 541-2 — nomina 510-2, ut nomen Missae 225. Sacramenti 513. — notae sacramcntalitatis 514-5. — promissio Chr'sti 573-6. — sub utraque specie sumpta 542-5. — sumptio triplex (sacramentalis, spiritualis, sacramentalis simul et spiritualis) 553. — unio caritatis membrorum Ecclesiae 537. — veritas Sacramenti 567-94, ratione comprobata 584-6. testimonio S. Pauli roborata 578-9.
Eucharistica motio saec. XIII. 590-1.
Eucharistici Cordis Jesu festum 1315.
Euchologicae leges Missae v. Leges euchologicae Missae.
Eudes Joannes — festum SS. Cordis Jesu celebrans 1289-90.
Eulogia 512-13.
Evangelium — historiae Passionis Christi v. Passio Domini.
Evangelium — impositio in consecratione epseopi 1016. 1018. — in liturgia Gallicana 95. — in Missa ambrosiana 103. — in Missa sollemni 395-6. — lecta 381. —

Missac 359 — polyglottum in Dom. Resurrectionis 12*19. — processio aevo aureo 297. — traditio in consecratione episcopi 1021. — transgressus sacerdotis 305. — ultimum, regulae 361-2.
Evangelium et lectio Missae — interpretata lingua vulgari 349. 60.
Evolutio — poenitentiae severioris saec III-FV. 752-3. — ritus Missae 292-311.
Exaltatio Crucis, festum 14. sept. 1305-8. — historia 1305-7. — indoles liturgica 1307-8.
Examen — abbatis ordinandi 1031. — ante collationem jurisdictionis ad confessiones 871-2. — conscientiae in confessione 803-5. — electi in consecratione episcopi 1018. — nupturientium 1061-2. — ordinandorum 975.
Excommunicat! — in administratione Sacramentorum 212.
Excommunicationes — conditiones in quibus incurruntur 879-80 — iure communi Ordinario reservatae 88-1-6. — simpliciter reservatae 883-4. — speciali modo reservatae 880-3. — specialissimo modo reservatae 880.
Exercitationes corporales asceticae in Quadragesima 1159-62.
Exercitia annua fidelium in Quadragesima 1157-9. — eucharistica extra Missam 591-2. pia mensilia 485-92. — quadragesimalia olim spontanea 1162.
Exercitium virtutum v. Virtutum Exercitium.
Exhortatio confessarii 904
Exhumatio 504.
Existentia Eucharistiae 512-6.
Exorcismus 147. 148. — in baptismo 691.
Exorcistatus — ritus explicatus 1003 4.
Expectatio — Messiae celebrata in Adventu 1107-8. — partus BMV, festum 18. dec. 1360
Expiatio peccatorum in Quadragesima 1155-7
Expositio — «antiquae liturgiae Gallicanae·' 94. — Divini Infantis in Natali Dom. 1124. — « Missae canonicae « nmbros. 102. — reliquiae 460. — SS. Sacramenti « ad instar » 453. — historia 591. — notio, ornatus, privata, publica, ritus 633-4. — Missa expositionis 390. 450
Exsecratio ecclesiae, lex 330.
Exsequiae — historia 502. — ritus 505-6.
Exsequialis Missa v. Defunctorum Missae
Exspiratio, ritus 500-1.
Exsufflatio — in baptismo 689.
Extrema unctio — adversarii 921-2. — alleviatio animae 933-4. — casus necessitatis 927 — compositio metaphysica 928, physica 925-7. — confessio infirmi ante 946. <147-8. — contritio perfecta quando abesse potest 930. — definitio 919. — efficien tia 927-36 — essentia 925-7. — existentia 920-4. — forma 927. — intentio habitualis implicita sufficit 948. — introitus immediatus in gloriam 931-3. — iteratio 939-40. — lustratio cubiculi in ritu 946. — materia proxima 926-7, remota 925-6. — minister 940-3, ministri plures administrare possunt 941-2. — necessitas 940. — nomma 919. — obligatio 943. — operatio chirurgica 938-9. — « oratio fidei » in ritu 947. — orationes lustrationis 946. — partus difficilis, ministratio 939. — per culum mortis 938. — personae sacramentales 936-43. — pluribus simul ministra ta 927. — poena temporalis remittitur 931. — praeparatio liturgica infirmi 945-6. — pueris quoque danda 937. — rationis usus 937-8. — reliquiae peccati remittuntur 930-3. — remissio peccatorum 929-30. — ritus 943-7, evolutio 943, tribus actibus componitur 945-7. — sanatio cor poris 93*1-6. — schismatico etc. quand·» ministranda 936-7. — senibus 939. — subiectum 936-40. — ver tas e S. Scriptura 920-1, e S. Traditione 922-4.
« Exultet », laus cerei paschalis – historia 1231. — ritus 1242.
Fabae — benedictio 1267.
Faldistorium 1412-3.
Falsa denuntiatio confessarii, censura 881.
Falsarius — litterarum etc. episcopi, censura 884. - litterarum etc. S. Sedis, censura 881. reliquiarum, censura 886.
Familiae — cultus occidentales et orientales 86-136. — rituum v. Typus sacralis. — SS. festum, Dom. post Epiphaniam I 138
Fano = amictus 1449.
Femina — confessio 850. — iurisdictio Umitari potest 875-6. Missae inserviens 882-3. — Ordinis sacramentalis incapax 989-92.
« Feralia » — memoria cognatorum défunt torum apud paganos 1375.
Feria II. — ut dies poemtentialis in Orion'.· 1098
Feria II. III. IV hebdomadae sanctae — indoles liturgica 1172-3. — leges cultuales 1174-5.
Feria IV — ut dies ieiunii, ratio 1097-8
Feria *IV. Cinerum* 1165-8, v. Cineres — impositio cinerum, historia 1166-7. — Missa diei 1168. — origo diei 1165-6.
Feria IV. et VI. — ut dies poenitentiak·' 1096-7.
Feria V. alba = Fer. V. Coenae Dom. 1189
Feria V. *Coenae Domini* 1188-1202. — actuosae participationis praeparatio 1175 — leges cultuales 1200-2. — nomin.' 1188-9 — origo et historia 1189-95. —

ritus antiquus reconciliationis 753. — ritus see. OHS. 1195-200. — tempus celebrationis 1201.
Feria V. communicantium = nomen Ascensionis, hung. 1265.
Feria V. « magna » = Fer V. Coenae Dom. 1188.
Fera V. post Dum. I. Pass. — Missae textus olim usitatus ad reconciliationem 1170.
Feria VI. in Parasceve 1202.
Feria VI maior = Fer. VI. Pass. Mort. Dom. 1202.
Feria *VI. Passionis et Mortis Domini* 1202-15. — actio liturgica sollemnis, ritus see. OHS. 1210-4. — actuosae participationis praeparatio 1175. — adoratio Crucis symbolica seu ostensio 1206. — conventus a'iturgicus, origo 1203-4. — leges cultuales 1214-5. — nomina 1202-3. — origo act:ouis liturgicae 1203-10 — repetitio actionis liturgicae 1214-5. — tempus actionis liturgicae 1214.
Feria VI. Quatuor Temporum — ut dies poenitentialis 1100.
Feria — classes et leges liturgicae 362-3. — notio 363.
Feriae — legitimae — in Quadragesima 1164. — messis, sementinae et vindemiales in Occidente 1099, in Oriente sub protectione BMV) 1324-5. — poenitentiales 1096-8. — Quatuor temporum v. Quatuor Tempora.
Fermentatus panis — materia rituum orientalium 519-20.
« Fermentum » — seu particula consecrata olim transmissa 1171.
Ferula = baculus 1468.
Festa BMV. — Romae introducta sub influxu Orientis 121. — v. Mariae festa.
Festa S. Crucis Romae introducta 121.
• Festivitas S. Mariae » 18. ian. in ecclesia Gallicana 1325.
Festum — classes liturgicae 364. — divisio 363-4. — fori seu feriatum 363. — mobile, immob le 364, notio 363. — omissio 365-6. — particulare 364-5. — proprium 364. — ratione obiecti cultus 363-4. — reductum ad commemorationem 364 — repositio 366. — suppressum 363. — tituli 475. — translatio 365. — universale 364.
« Festum Eucharistiae » = festum Corporis Christi 1284.
• Fictio n in Sacramentis v. Obex.
Fideles exhortandi ut Missae frequenter intersint 283-4.
Fides — seu imitas matrimonii 1046-9. — et liturg'a 16-19.
• Figura b seu « forma, imago, species, schema » dc Eucharistia apud Tertullianum 582.
Filokali — kalendarium quoad Natalem Dom 1113.
Fimbriae — ad ornanda paramenta 1445.
Finis — Missac in ritu Byzant. 135. — rituum sacrorum duplex 10.
Fistula — ad sanguinem Christi sumendum 1435.
Flabellum 1435.
« Flammeum » seu velamen sponsae 1066.
« Flectamus genua » — Fer. VI Pass. Mortis Dom. 1211. — in Hebd. Sancta 1174-5. — in Missa sollemni 394. — in Vig. Pasch. 1243. — omittitur 2. febr 1143, — ritus ab anno 1961: 359.
Flocci — ad ornanda paramenta 1445
Flores in altari 1441.
Foetus abortivus — baptismus 678. — excisio 678. — nonnatus, baptismus 677-8
Fons baptismatis — benedictio, historia 1234-5, ritus: in Vig. Pasch. 1243-4, in Vig. Pentec. historia 1268-9, nunc omittenda 1272. — lex 699.
Fontes legis cultum ordinantis 21-9.
Forenses lites olim vetitae in Quadragesima 1161-2.
Forma officii 430-2.
Formae dynamicae relate ad Sacramenta 174-5.
Formulae sacrae 61-71.
Fractio — Hostiae, ritus 385. — panis 512. in Lit. Celtica 107, in lit. Byzantina 135.
Fragmenta, collectio in Missa 386
Franco-Romana liturgia 123.
Frequenta communionis diminuta a saec XIII. 591. — fundamentum dogmaticum 545-6. — praxis pastoralis 621-3.
Frohnfasten = Quatuor tempora, germ 1099.
Fronleichnam Corpus Christi, festum 1284.
Fructus — Missae — generalis 282. — ministerialis seu « medius » 282-3. — plurium missarum participari possunt 251. — specialis 282. — specialissimus 283-4.
Fuga in Aegyptum, festum 1315.
Funebria officia quibus deneganda v. Missa exsequialis.

G

Gabriel Archangelus — cultus eius in Aegypto saec. IV. 1387-8. — Festa in Occidente 1381. — festa olim in Occidente 1389 — festum 24. mart. 1390. — nomen 1389.
Gallicana liturgia 93-7. — descriptio 94 6. — fontes 94. — origo typi Gallicani 107-10. — suppressio 96-7. — territorium 93-4.
Gamos = matrimonium 1035.
Garganus mons, cultus S. Michaelis 1388

Gaudete », Dom. III. Adventus 1109.
Gaudia BMV. — celebrata aevo Gothico 1329. — celebrata apud S. Petrum Damiani 1327-8. — Missae tres in honorem gaudiorum 1329-30. — septem BMV. 1329-30, festa varia 1330.
Gaudium paschale v. Tempus gaudiosum Pascha.
Gelasius — ut compositor Missarum postpcntecostalium 1274-5.
Genealogia Christi — cantus in Epiphania 1136. — in Natali Domini 1125.
Genua fixa 45.
Gcnuflexio — ad communionem 389. — ad verba « ct incarnatus est » festo 25. mart. 1340. — ante Crucem altaris maioris Biduo Sacro 1179. — coram SS. Sacramento in Triduo Sacro 1179. — habitudo corporis liturgica 44-6. — vis ac momentum 44-5.
Georgica liturgia 125-130.
Germanicae spiritualitatis influxus in l.turgiam 302-4.
Gestus liturgicus — admirationis 42. — deprecationis 42. — subectionis 41-2. — v. adhuc Impositio manuum, Manus expansae, — iunetac, — in pugnum compressae, Manuum cancellatio — absconsio, Manus digitis insertae.
Gloria Ecclesiae — celebrata in festo Omnium Sanctorum 1493.
« Gloria in excelss » — aevo aureo 29S. — historia 65-6. — leges euchologicae 354. — omittitur in Quadragesima 1164, tempore Septuagesimae 1151. — ritus in Missa leda 380, sollemni 394. — sonitus campanarum Fer. V. Coenae Dom. et Vig. Pasch. 467. — Tempore paschali 1228. — v. adhuc Doxologia.
Gloria Patri » — historia 65. — omissio partialis tempore Passionis 1174.
« Gloria tibi Domine » historia 302.
Gnostici — contra baptismum 640-1. — contra matrimonium 1036.
Gradatio in ordinat onibus 995. — liturgica Alleluiae in Missa Vig. Pasch. 1236. — in ostensione Crucis Fer. VI. Pass. Mortis Dom. 1206.
Godefridus (Geoffroi de Breteuil) — auctor Planctus BMV. 1331-2.
Gossypium = linum xylinum ad paramenta 1444.
Gothicae spritualitatis influxus in liturgiam 304-6.
Graduate in Missa — historia 297. — ritus in Missa lecta 381, sollemni 394-5.
Grammophonium — usus in ecclesia 1418.
Gratia — cuique Sacramento specialis seu sacramcntalis, in genere 186-7. — prima ct secunda 185. — sanctificans in Sacramentis 182-6
Gratiarum actio — d:es publici pii exercitii 477-8. — oratio aevo postapostolico 295. — post communionem Fer. VI. Pass. Mortis Dom. 1214. — post confirmationem 726.
Gratiarum mediatrix BMV. in apochryphis 1319.
Gravia peccata v. Mortalia peccata.
Gremiale, historia 1460.
« Gründonnerstag » = Fer. V. Coenae Dom 1188.
Guadelupe 494.
Guttulae vini calici adhaerentes 520d-521.

H

Habitus pravus peccati v. consuetudo peccandi.
Hadrianus I. — in suppressione liturgiae Gallicanae 97.
« Haec dies quam fecit Dominus » — canticum paschale 1227. — haereses dualistae — contra realem praesentiam eucharisticam 1282. — contra matrimonium 1036. — v. adhuc Dualistac haereses. — interemptae per BMV. 1342.
Haeretici, censura 881.
Hajdnuthiun = Epiphania 1134.
« Hanc igitur » — aevo aureo Missae 299 — ritus 383-4.
Harmonium 1417.
« Haurietis aquas », encycl. Pii XII. anno 1956: 1289.
Hebdomada — » authentica », maior, «mula », « poenalis » = Hebd. Sancta 1171 — Pentecostes v. Octava Pentec. — « splendida » = Octava Paschae.
Hebdomada Sancta 1171-3. — consuetudines populares 1177-8. — indoles liturgica 1172-4. — instauratio anno 1955, historia 309. — monita liturgiae pastoralis 1175-8. nomina 1171. — origo 1171-2. — praeparatio ritualis 1176. — ritus diaconalis, simplex, sollemnis 1179. — rituum celebrationis diversitas 1178-9.
Helena, mater Constantini, invenit Crucem Christi 1306.
Henotheismus solar's — expugnatus festo Natalis Christi 1114-5.
Heortologia, quid 1077.
Herbarum — benedictio 1345-7.
« Herbergsuchen » — in Adventu 1111.
Hcsychastae 1302.
Hierosolymitana — liturgia 124-5.
Hierotheca = ostensorium 1439.
Hierotopologia 1399-1443.
Hippolytus — homilia paschalis 1223. 1225 1226.
Historia — Missae v. Evolutio ritus Missae — religionum, quoad Eucharistiam 572-3.

llodaegus animarum — *S.* Michael 1386.
Homagium — in benedictione abbatis 1031-2.
Homicidium — perpetrans est irregularis 998.
Homilia in Missa 334. — suadetur brevis sec. NCR 359. — in Missa sollemni 396.
Homiliarium 419.
Hora Sancta — in honorem Christi agonizantis 477.
Horae — BMV saec. X. exortae 1327. — minores, evolutio aetate aurea 415-6, sensus 409, structura 410. — « publicae » 414.
« Hospitium quaerendi mos in Adventu 1111.
Hostia — nomen Eucharistiae 514. — si inciderit in vestes communicantis 620. — « calamilates » in Missa 343.
Ilostiac — debent fideles effici in sacrificio Missae 239. — eucharisticae sanguinolentes 1299-1300. — in eodem sacrificio consecratae Fer. V. Coenae Dom. 1195.
Hugo a S. Victore — de Sacramentis 141-2.
Humana natura sublimata in Christi ascensione 1265.
« Humani generis », encycl. quoad sacrificium Missae 262. — quoad Poenitentiam 745.
Humerale 1449.
‹ Humiliate capita vestra Deo » — ritus 387. — in Missa sollemni 400.
Humilitatis BMV, festum 17. iul. 1359.
Huss tae — contra communionem sub una specie 543.
Hymnarium 418.
Hymni — breviarii retractati sub Urbano VIII. 423-4. — officii divini 418.
Hymnodia — mozarabica 99.
Ilypapante 1138.
Hyperdulia BMV — fundamentum dogmaticum 1317-8.
Hyperveneratio — aetate Gothica 305.

I

Iconographia sacra 1402.
Identitas mysterii — in Missis Domini primae Fer. VI. cuiusvis mensis 470. — in Missis votivis 370.
Ignis — accensus in Natali Domini v. Natalis Domini, illuminatio. — aequinoctialis (vernalis) 74. 1177. — benedicto, origo 74, ritus sec. OHS 1240-1., historia 1229-30. — ut lumen ardens 74-5. — novus, finis apotropaeicus 74. — qua res sacra 73-6. — vernalis paganus transmutatus in usum Christianum 1177. 1229-30.
Illatio Sanguinis Christi v. Adventus Sanguinis Christi.
Illeg timi — sunt irregulares 996.
« Illuminati » sunt baptizat! 687.
Illuminatio in .Natali Dom v. Natalis Dom. illuminatio.
u Imago » sensu eucharistico 585-6. — Christi sub variis respectibus considerata 1308.
Immaculata Conceptio BMV. 8. dec. festum IÎ32-8. — historia 1'332-6. — in occidente 1333-6. — in Oriente 1332-3. — indoles liturgica 1336-8. — novena ante festum 484. — officium et Missa 1336. — penes SS. Patres 1332-3. — proclamatio a llccc anno 1854; 13-36.
Immaculatae BMW a Sacro Numismate, festum. 27. nov. 1360.
Immaculati Cordis BMW v. Cordis Immaculati BMV.
Immixtio particulae in calicem, historia 305.
Immolatio in sacrificio Missae 257.
Immunitas Quadragesimae 1161-2.
Impediens exercitium iurisdictionis Ecclesiae, censura 882.
In p dimeuta — dirimentia 1059. — constituit Ecclesia privative 1042-4. — impedientia matrimonium 1030.
Imperatae orationes v. Orationes imperatae.
Imperfectiones — in confessione 763.
Impositio — cinerum v. Cineres, impositio. — manuum, in baptismo 689, in confirmatione 709. - in ordinatione 1007. 1009. 972, in extrema unctione 946.
Improperia, historia 1205-6.
Incarnatio — celebrata in Adventu 1106. — in festo Annuntiationis BMV 1341. — et nativitas, ut « insignia » salutis 1106.
Incensatio — in Missa cantata potest fieri 353, debet Dom. II. Passionis 1187, Fer. V. Coenae Dom. 1195, Vig. Pasch. 1245. — in Missa sollemni 392-3. — post offertorium 397-8. — usus liturgicus, historia 78, praescriptiones 79.
Incensio — cereorum ab uno magno cereo in Vig. Pasch. historia 1230-1.
Incensorium = thuribulum 1442.
Incensum v. Quinque grana incensi.
Inclinatio — capitis ad nomina in Missa 381, post Memento mortuorum 305. profunda, simplex 47. — corporis profunda, med ocris 47. — uti habitudo corporis liturgica 47.
Indissolubilitas matrimonii 1049-55.
Individualismus constructivus aetatis Gothicae 304.
Indulgentiae 820-42. — adversarii 823-4. — capacitas requisita 836. — communio requisita 837-8. — commutatio operis praescripti 839. — confessio requisita 837. definitio 820-1. — differt a satisfactione 822-3. — divisio 829. — fundamentum dogmaticum 823-7. — historia 824-6. — locales 833-4. — modus concession's 828-35. — modus debitus 837-9. — opera in-

iuncta 837-9. — oratio ad mentem Summi Pontificis 838. — partiales 832-3. — personae concedentes 836. — personales 835. — plenariae 830-2. — plenariae toties-quoties 831-2. — pro mortuis ratione suffragii 829-30. — pro vivis ad modum remissionis 829. — Quali idiomate persolvitur oratio 838-9. — reales 834-5. — realitas consecutionis 836-9. — « suetae conditiones » 837-9. — supputatio temporis 835. — « temporales » 835. — visitatio ecclesiae requisita 838. — vocalis oratio 838-9.

Indulgentiae *peculiares,* pio — adoratione privata Eucharistiae 632. — Commem. Omnium Fidel. Defunct, pervigilio 473, mense novembri 492. — congressu eucharistico 480-1. — cultu SS. Cordis Jesu prim s Feriis VI. 471. — maialibus devotionibus 486. — piis exerciti s S. Joseph 485 6. — mense iunio in honorem SS. Cordis 487. — mense iulio in honorem Sanguinis lesu 488. — mense octobri SS. Rosarii 491. — pio exercitio Jesu Summi et Aeterni Sacerdotis 472. — prima Missa sacerdotis 479. — Quadraginta Horarum Orationis 450. — Rosarii BMV. recitatione 490. — « Te Deum » ultimo anni die 473. — « Veni Creator » primo anni die 472. — Via Crucis 453.

Indumenta liturgica v. Vestes sacrae.

« Ineffabilis Deus », bulla dogin. Pii IX. anno 1854: 1336.

Infamia facti — affecti impediti sunt ab Ordine 999. — quoad patrinos baptismi et confirmationis 684.

Infamia iuris — affecti sunt irregulares 997. — quoad patrinos baptismi et confirmationis 682-3.

Infans Divinus — novena in honorem eius 483. — expositio Divini Infantis 1124. — festum v. Natalis Domini, festum Jesu parvuli.

Infantes — baptismus 665-9. — expositi, baptismus 679. — haereticorum et schismaticorum, baptismus 679-80. — infidelium baptismus 679-80. — innocentes v. Innocentes infantes.

Infirmus — benedictio apostolica 956, cum ligno SS. Crucis 953, pueri aegrotantis 952. — benedictiones personales 952-3, reales 953. — communio 626-30, casus speciales 628-30, delatio ad infirmum 626-7, ieiunium cucharisticum 566. 627-8, ritus 628. — communio infirmis concessa Fer. V. Coenae Dom. 1201. — confessio ante extremam unctionem 946. 947-8. — want scentia sensuum in moribundis 948. — « oratio fidei » in extrema unctione 947. — peregrinorum aegrotantium benedictio 952-3. — praeparatio liturgica ad extremam unctionem 945-6. — praeparatio pastoralis ad extremam unctionem 94S — provisio pastoralis 947-9. — quomodo tractari debeat 630. — respuens Sacramenta, modus agendi 948-9. — Sacramentalis sanationem exposcentia 954-6. — sensibus destitutus, modus agendi 948. — tentationes et pravae opiniones infirmorum 950-1. — tria Sacramenta plerumque continuo ministrantur 948. — visitatio et cura pastoralis 949-51. — visitatio liturgica 951-2.

Infula = birretum 1477 = mitra 1466.

« Ingressa » = introitus ambrosiam 103.

Ingressus — ad altare in Missa sollemni 392. — Domini in templum = Purificatio BMV. 1139. — per processionem ad Missam Fer. V. Coenae Dom. 1196. — sacerdotis ad altare 378-9. — triumphalis Christi, celebratus in Oriente et Occidente 1182-3.

Inhumatio defuncti — historia 501. — leges 502. — ritus 504.

Initiatio in mysteria Christi nocte Vig. Pasch. 1239-40.

« Inlatio » = praefatio mozarab. 100.

Innocentes infantes, festum 28. dec. 1129-30.

Insertio manuum v. Manus digitis insertae.

Insignia liturgica 1460-72.

Installatio parochorum 461-2.

Instructio S. Officii de arte sacra 30. iun. anno 1952: 1399-1402.

Instructio S. C. Rituum de musica sacra et sacra liturgia 3. sept. 1958: 1417.

Instrumenta automatica in ecclesiis 1418.

Instrumenti usus in administranda communione 629.

Instrumentorum traditio v. Traditio instrumentorum.

Integritas confessionis 797-803. — causae excusantes 800-3.

Intentio — celebrantis in consecratione 342-3. — cum errore coniuncta in administratione Sacramentorum 208. — divisio 206-7. — faciendi quod facit Ecclesia 206. — praedominans in applicatione Missae 325. — recta in Sacramentis suscipiendis 216-7.

Interpres — in confessione 796.

Interrogandi obligatio in confessione 901.

Interrogationes de fide in baptismo 692.

Interruptio extraordinaria Missae 334. — Interruptiones Missae v. Celebratio Missae continuata.

Inthronizatio — abbatis 1031. — episcopi 1016. 1020. 1022. — regis 1033.

Introductio in ecclesiam in ritu baptismi 691.

Introitus Missae — antiphona, quando dee··! 354. — aetate aurea 297. — lectae 380. sollemnis 393-4.

Inventio — Capitis praecursoris, festum 24. febr. oliin celebratum 1384. — Crucis, festum expunctum 1295-6, divulgatio festi 1296, origo 1296. — Pueri Jesu in templo, festum 1328-9.
Investitio — in ordinatione diaconi 1007. 1008. 1009. — presbyteri 1010. 1012-3. — subdiaconi 1006.
Invocationes v. Acclamationes ordinem componentes.
Irenaeus de Paschate 1221-2.
Irregulares — in administratione Sacramentorum 213.
Irregularitates — ex defectu m ordinationi 996-7. — ex delicto 997-8.
Italograeca liturgia 130.
« Ite Missa est » quando dicendum 361.

J

Jacobus Maior ap. festum 25. iul. 1373.
Jaculatoriae preces, quoad indulgentias oratio mentalis sufficit 839.
Jansenistae contra — cultum SS. Cordis Jesu 1292. — frequentem communionem 547.
Jejunium cucharisticum 558-67. — historia 558-9. — lex « Christus Dominus » anno 1953; 309. 559-65. — lex « S. Communionem n anno 1957: 565-7. — ratio 558.
Jejunium — quadraginta dierum, ut imitatio Christi 1153-4. — « pneumaticum » in quadragesima 1158. — praeparatorium Paschatis 1152-3.
Jesus — Christus Rex, novena ante festum 483. — parvulus 1121-2. — Summus et Aeternus Sacerdos, Missa votiva 472, pia exercitia 472.
Joachim — pater BMV., festum 16. aug. 1380. — ct Anna, parentes BMV., festum collectivum in Oriente 1379.
Joannes ap. — festum 27. dec. 1128-9. — ad Portam Latinam, festum expunctum 6. mai. 1376-7.
Joannes a Capestrano — victoria anno 1456 super Tureas et festum Transfigurationis 1304.
Joannes Baptista — corporis eius vicissitudines 1381. — cultus liturgicus, initia 1381. — cyclus festivus saec. V-o exortus 1381. — festa 1381-4. — festum primaevum Orientis 1381. — in Adventu 1103. — relatio eius ad Christum 1381. — sanctificatus in utero matris 1382.
Jocale = ostensorium 1439.
Jordan v. Manifestatio Christi in Jordane.
Joseph Sponsus BMV. — cultus initia 1378. — ecclesiae universae Patronus 1378. — festa eius 1378. — festum 19. mart. 1378. — festum Patrocinii Fer. IV. ante Dom. III. Pasch. expunctum 1378-9. — festum 1. mai. 1379. — novena ante festum 19. mart. 484. — pia exercitia mense martio 485-6.
Judae proditio — in Fer. V. Coenae Dom. commemorata 1190.
Judica Ps. — momentum 379. — omissio 354. 390. 1174. — sollemnis Missae 392
Julius mensis Sanguini Jesu dicatus 487-8.
Junius mensis Cordi Jesu dicatus 487.
Juramentum matrimoniale 1069-70
Jurisdictio — abusus 891-7. — ad absolutionem venialium 867. — delegata 869-72, cessatio 872, concessio 872, normae pastorales 871-2, revocatio vel suspensio 872. — in maritimo vel aerio itinere 870-1. — limitata quoad materiam 878-91, quoad poenitentem 875-8. — ordinaria 868-9, cessatio 872. — suppleta 872-5.
Jus ordinans cultum publicum 20-29.

K

Kafargamala, reliquiae Stephani protomartyris 1127.
Kalendarium Filokalianum — de festo Petri et Pauli 1370. — quo uti debet ecclesia 336.
Kamilavkion 1466.
« Karfreitag » 1203.
Karwoche 1171.
Kathisma = ecclesia BMV. Palaestinae 1343.
Klasis tou artou 225.
Koinonia 512.
Koinonikon 135.
Kurbono — nomen MLssae 225.
Kurobho — nomen Missae 225.
Kyriake, nomen novum Dominicae 1089. 1090. — anthophoros = Dom. II. Pass. 1181.
Kyriakon = Dominicum 1403. — deipnon '225.
« Kyrie eleison » — acclamatio liturgica 64. — cantus aetate antiqua 298. — ritus in Missa lecta 380, sollemni 393-4.

L

Labrum aquae lustralis 1416.
Lacticinia — benedictio in Pascha 1250. — olim vetita in Quadragesima 1161.
« Lactare » = Dom. IV. Quadr. 1164-5.
Laetitiae dies = Dominica 1093-4.
Laicus — minister necessitatis baptismi 675. — Eucharistiae 551-2. — vestes sacras tractare possunt 1449.
Lampas iugiter ardens — historia 76. 305. — praescriptiones 76.
Lanceae et clavorum festum 1315.

Lardi — benedictio in Pascha 1250.
Laterana basilica — dedicatio v. Dedicatio Archibasilicae SS. Salvatoris. — historia 1313.
Laudes — insertae Missae Vig. Pasch. 438. 1245. — primo mane dicuntur 435. — ritus 444. — sensus 407-8. — structura 408. — matutinae Laudes 415.
Laus cerei 1231.
« Laus tibi Domine Rex aeternae gloriae » 1151.
« Lavabo in Missa lecta 383, sollemni 397.
Lectae Missae ritus v. Missa lecta, ritus.
Lectio e Vet. Testamento in ritu Byzantino 132. — ambrosiano 103.
Lectionarium 419.
Lectiones — biblicae 61. — Fer. VI Pass. Mortis Dom., historia 1203, ritus see. OHS. 1210-1. — matutini 507. — Missae ambrosianae 103. — Missae, leges lectionis 359. — ordo saec. VIII-X. 418. — Vigiliae Pasch. historia: lectiones quatuor 1233, decem 1233, duodecim 1233, ritus saec. OHS, 1242-3.
Lectoratus — ritus explicatus 1003.
LectOrium = Sedes concionatoria 1415.
Lcgendarium 419.
Leges cultuales — et leges mere liturgicae 20-21. — cultuales Missae 311-52. — observandae in administratione Sacramentorum 212. — officii divini 428-42. — Quadragesimae 1164-5.
Leges edens contra Ecclesiam, censura 882
Leges euchologicae Missae 352-77.
Legile — altaris 1411.
« Leitourgia », nomen Missae 226.
Lemuria, festa pagana 9. 11. 13. mai 1382.
Lenitatis defectus in ordinatione 997.
Leodia (= Liège) — festum SS. Trinitatis 1279. — institutio festi Corporis Christi 1283.
Lconianae preces in fine Missae 387-8.
Leprosis — communio quomodo ministranda 620.
« Letania » — historia 67.
Levatio cadaveris 502-3.
Lex cultualis et lex liturgica — discrimen 20. — notio 21.
I^ex orandi lex credendi 15-6.
• Libellus Orationum » mozarab. 99.
Liber — baptizatorum, inscribendum in eo matrimonium 1065, v. adhuc Baptismus, adnotatio. — « comicus » mozarab. 99. — comitis v. Lectionarium. — defunctorum 504. — « generationis » Domini v. Genealogia Christi. — infirmorum 919. — intentionum Missae 322. — matrimoniorum 1065-6. — « Ordinum » mozarab. 99.
Librorum apostasiam etc. propugnantium editores, lectores, censura 881
Licentia Ecclesiae — in administratione Sacramentorum 212.
Licita seu legitima susceptio Sacramentorum 217.
Limbus — ad ornanda paramenta 1445.
Limitatio jurisdictionis 875-8.
Linea = alba 1450.
Lingua — liturgica in officio divino 431. — sacralis 51-61, adversarii 52-4, definitio 51, historia 55-8, vis ac momentum in liturgia 5-1-5. — vulgaris, usus liturgicus partialis valde utilis 58-60.
Lintea tela ad paramenta 1444.
Linteamina altaris 1409-10.
Linum xylinum ad paramenta 1444.
Litaniae — ad usum privatum 68. — ad usum publicum approbatae 68. — diaconales in ritu ambrosiano 103. — historia 66-8. — Lauretanae 68. — Maiores et Minores 1256-62, leges cultuales, 1259 62, ritus hodiernus 1258-9. — Maiores, origo et itinerarium 1256-7. — Minores, origo et historia 1257-8. — quinae, septenae, ternae 1234. — pretios. Sanguinis Jesu 68. — S. Joseph 68. — SS. Cordis 68. — SS. Nominis Jesu 68.
Litaniae *Omnium Sanctorum* — die 26. apr. et Feriis Rogationum 430-1 ct 728. — divisio et historia 67-8. — duplicatio invocationum, historia 1234. nunc iam non praescripta 1259. — in benedictione abbatis 1031. — in collatione ordinum sacrorum 1005. 1007. 1010. — in coronatione regis 1033. — in dedicatione eccles'ae, historia 1421. — in ordinatione presbyteri 1012. — in Vig. Pasch. historia 1234, ritus: prima pars 1243, altera pars 1245. — privatim recitandae 1259. — triplex forma litaniarum 68.
Litterae apostolicae, notio 22.
Liturgia — definitio 7. — Apostolorum (Addai et Mar) 126. — « S. Basilii » 127. — epaenetica 402. — « S. Jacobi » 125. — «Ncstorii» 126. — pastoralis, notio 1-6. — praesanetificatorum, historia 128. — ut locus theologicus 14-20.
Liturgiae *testimonium* de — Assumptione BMV. 1347-9. — assumptione corporea BMV. 1347-8. — causalitate Sacramentorum 178-9. — cultu Sanctorum per Missam 272. — dignitate BMV. manifestata m nativitate 1351. — effectu Missae eucharistico 274, impetratorio 280-1, latrcutico 271, propitiatorio 276. — effectu regenerationis baptismalis 659-60. — eo, quod fideles debent hostiae effici in sacrificio Missae 239. — co, pro quibus offeratur Missa 244. — forma extremae unctionis 927. — Immaculata Conceptione BMV. 1336-8, <piam coronat assumptio 1347. — immediato intro tu in gloriam per extre-

mam unctionem 932. — incarnatione dic 25. mart. 1341. — lege divini commercii 281. — inaternitate divina BMV. 1341-2. — Missis pro defunctis 278. — partheno-genesi 1341. — regia maiestate Christi 1310-3. — remissione peccatorum per ex-tremam unctionem 929. — renovatione per Missam consecuta 277. — sacerdotio uni-versali 205. — de sacrificalitatc Missae 228. — sanatione corporali in extrema unc-tione 935.
Liturgiae « typi Gallicani » 93.
Locatio reliquiarum v. Reliquiae, reconditio.
Locatio sepulchri — consuetudo popularis Fer. VI. Pass. Mortis Dom. 1177, ritus non stricte liturgicus 1209-10.
I^ocus celebrationis Missae 329-32.
Logion Lc 24, 46 s. de poenitentia 743.
Longa Feria VI, 1203.
Lotio — altarium in Fer. V. Coenae Dom 1192. — pedum v. Mandatum Fer. V. Coenae Dom. — purificatorii, pallae, cor-poralis 979, quod clerico competit 341.
Lucas ev. — festum 18. oct. 1373.
Lucernarium, evolutio aetate antiqua 413. 415. — v. Salutatio luminis.
Ludus liturgicus epiphaniae v. Officium stellae.
Lumen sacrale = ignis ut lumen ardens 74-5.
Luminaria = Purificatio BMV. 1139.
Luminis festum v. Photophoria.
« Luminum mater » = nox Vig. Pasch. 1239
Lunula 1439.
Luther — contra extremam unctionem 921-2. — impetrationem Missae 279. — in-dulgentias 823-4. — propitiationem Mis-sae 275. — matrimonii sacramentalitatem 1036. 1050. — Missam 230. — satisfac-tiones 811. — de confessione retinenda 738. — Poenitentia 737. 738. — praesen-tia Christi in Eucharistia 571-2. — de Sacramentis 155.
Lux nova v. Sol iustitiac, nova lux.
Luxoviense Lectionarium 94.
« Lyrismus » liturgicus 303-4.
Machinae automaticae in ecclesiis 1418.
Machinans contra legitimas auctoritates, cen-sura 882.
Mactatio deest in Missa 256. — theoria quoad Missam 252-3.
Magi orientales — festum 6. ian. 1133. — manifestatio Christi coram eis 1134-5.
Magna Feria VI. 1203.
Magna Hungarorum Domina, festum 8. oct 1361.
Magnetophonium in ecclesia 1418.
« Magnificat « in zXssumptione BMV 1322 — in Vesperis 410. 444-5.
Ma alcs devotiones 486-7.
* Maiestas Domini », imago Christi aevo an-tiquo 1308.
« Mandati dies » = Fer. V. Coenae Dom. 1188. — historia 1191. — ritus liturgicus see. OHS. 1196-7.
Mandatum in Fer. V. Coenae Dom.
Manicae 1452.
Manichci contra — baptismum 641. — fes-tum Natalis Christi 1115. — matrimonium 1036.
Manifestatio Christi in Jordane die 6. ian. 1134.
Manipulus — deponendus, s: pluviale adhi-betur 1459. — forma 1461. — historia 1460. — in ordinatione subdiaconi 1006 — materia 1461. — nomina 1460. — or-do induendi 1462. — qu bus competit 1461-2. — sensus symbolicus 1461. — subcinctoriuin 1452. — usus 1462.
Mantelletum — color 1473. — historia 1473. — materia 1473. — quando usus per-missus 1474-5. — quibus competit 1474
Mantum = pluviale 1458.
Manuductor ad primam Missam novi sacer-dotis 478.
Manus — absconditae, gestus praeterliturgi-cus 43-4. — cancellatae 43. — digitis in-sertae, gestus praetcrliturgicus 44. — ex-pansae, gestus liturgicus 40-1. — exten-sae in ritu orientali et occidentali 40-1. — in pugnum compressae, gestus liturgicu*. 42-43. — iniiciens in cardinales, episco-pos, censura 883, in clericos 886, in Rom. Pontificem 880. — iunctae, gestus liturgi-cus 41-2.
Manuum — clausio in ordinatione presbyte-ri 1013. — gestus praeterliturgici 43-4. — impositio in baptismo 689, in benedictione abbatis 1030. 1031, in confirmatione 709, in consecratione episcopi 1018-9, in or-dinatione presbyteri 1014, ut gestus li-turgicus 37-8. — signa liturgica 37-44.
Mappae altaris, leges 339. v. adhuc Toba-leae.
Mappula — manipulus 1460.
Marco Polo = de S. Thoma in India 1374.
Marcus ev., festum 25. apr. 1372.
Mare v. Celebratio Missae in mari.
Maria (Virgo SS.) *cultus liturgicus* 1317-32 — aevo aureo (saec. IV-V.) 1320-5. — aevo Carolingico 1326-7. — aevo gothico (saec. XII-XV.) 1328-32. — aevo medio 1325-32. — aevo reformationis monasti-cae (saec. X-XI.) 1327-8. — apocryphis collustratur 1319-20. — ecclesiae et ima-gines saec. IV-V. 1320-1. in ecclesia mo-zarabica 132.5-6. — in ecclesia primaeva (saec. I-III.) 1317-20. — in picturis cata-

cumbarum 1319. — Missae votivae quae celebrari possunt 371. — specialis cultus in Adventu 1109-10. — textus liturgici mariani saec. IV-V. 1321-3, in apocryphis 1319-20, in papyro saec. III. 1320. — textus poetici mariani saec. IV-V. 1322-3. — tituli honoris in liturgia mozarabica 1326. — titulo « misericordiae » celebrata 1327.

Maria *et Eva.* comparatio a SS. Patribus et liturgia invecta 1318.

Maria (Virgo SS.) *festa* 1317-63. — de Bono Consilio festum 26. apr. 1357-8. — de Consolatione, festum Sabb. post. 27. aug. 1359. — de Monte Carmelo festum 16. ml. 1353-4. — de Mercede festum 24. 'ept. 1355. — de Perpetuo Succursu festum 27. iun. 1359. — festa agriculturae mariana saec. IV-V. 1324-5. — festa minora 1351-62. — minore pro aliquibus locis 1357-60. — minora universae ecclesiae 1351-7. — patronatus nationalis 1361-2. — Singula festa v. sub voce.

Maria (Virgo SS.) *nomen* — penes S. Anselmum celebratum 1328.

Maria *Regina* — celebrata aevo Carolingico 1327. — celebrata a poetis saec. X-XI. 1328. — celebrata regina in Assumptione 1348. — festum 31. maii 1352-3.

Maria — « *Stella puerpera solis* » in Natali Domini 1120-1.

Maritimum iter 870-1.

Maronitae 127.

Martyr, martys = testis — vocatus etiam confessore 1367.

Martyres — celebratio gaudiosa tempore Paschali 1256. — cultus liturgicus 1365-7, in Occidente, in Oriente 1366, initio cultus tantum localis 1366, modus cultus liturgici 1367. — digni immediato introitu sitae aeternae 1365. — festum Omnium SS. Martyrum in Oriente 1391-2. — in Occidente 1391-2. — fundamentum dogmaticum cultus 1365. — instrumenta Spiritus Sancti 1365. — reliquiae eorum in altari 338.

Martyrium = memoria 1404. — supplens baptismum 670-2.

Marlyrologium 418. — in Vig. Natalis Christi 1122. — lectio in Prima 408.

Mater Divini Pastoris festum 3. sept. 1360.

Maternitas BMV. festum 11. oct. 1356-7. — in festo Annuntiationis BMV 1341-2. — m ritu mozarabico 1326.

Materia ad insuendos pannos ad paramenta 1445.

Matricula v. Liber baptismatis etc.

Matrimonium, Sacramentum 1035-76. — abusus 1055-6. — adnotatio 1065-6. — adversarii 1036-7 — adultus, quando inire potest 1058-9. — attentans, clericus in -acris 884 — auxilium peculiare ad officia coniugalia 1056. — capacitas ad usum 1059. — « celebritas matrimonii » 1070-1. — « civile », lice'tas, obligatio 1044. — conditiones ad validam et licitam assistentium 1063-4. — consanguineorum 1059. — consecratio matrimonii 1057. — coram ministro acatholico, censura 885. — definitio 1035. — effectus naturales 1045-55, supematurales 1055-7. — efficientia 1045-7. — essentia 1040-5. — evolutio rituum 1066-70. — existentia 1036-40. — explicatio rituum 1070-2. — forma Tridentina 1063-5. — instructio nupturientium 1062. — 0 iubilaeum », benedictio 1075-6, Missa 374. — leges cultuales celebrationis 1063-6. — legitimum, dispensatio S Pontificis 1052. — libertas actus 1059. — locus celebrationis 1065. — materia et forma 1040-41. — metaphysice compositum 1045. — ministri 1058. — nomen dare ad matrimonium 1060-1. — nomina 1035. — osculum in celebratione 1069. — pactum educationis prolis extra Ecclesiam, censura 885. — parochus si haberi nequit 1065. — periculum mortis quoad matrimonium 1064. — personae sacramentales 1058-65. — praeparatio 1060-3. — ritus explicatus 1066-76. — ritus postnuptiales 1073-6. — sacramentalitas 1039-40. — S. Scripturae testimonium 1037-8. — status contrahentis 1059. — subiectum 1058-60, quoad liceitatem 1060, quoad validitatem 1059- tempus celebrationis 1065. — testes duo 1063. — traditionis te timo nium 1038-9.

Matris de gratia festum 9. iun. 1358. — misericordiae festum Sabb. ante Dom. IV. iul. 1359. — providentiae Divinae festum Sabb. ante Dom. III. nov. 1360.

Matthaeus ap. festum 21. sept. 1373.

Matthias ap. festum 24. febr. 1372.

Matutinae laudes — evolutio aevo aureo 415. — aevo primaevo Ecclesiae 413.

Matutinum — ritus 444. — sensus 405. — structura 405-7 — « tenebrarum », historia 1194-5.

.Mausoleum = coemeterium 1430

Mediana = Dom. I. Pass. 1168.

« Mediator Dei », encycl. Pii XII. 20. nov. 1947: 1. — *Doctrinae summa capita:* adoratio Christi eucharistica 58S-9. — altare 1408. — annus liturgicus 1078-81. — communio intra Missam 251, invitatio ad eam suscipiendam 639. — consecratio est essentia Missae 248. — cultus Sanctorum 1363-4. — hostiae debent effici fideles et sacerdotes in Missa 239. — liturgia, definitio 7-8. — liturgia sequitur fidem 14-15 — lingua vulgaris in ritibus sacris 53. — Missa, liturgiae res maxima 220, fines quatuor: 270-1. 273-4 279, ratio formalis Mis-

sae 262-8. — officium divinum, definitio 103-5. — pia exercitia non pugnant cuin l turgia 445-9. — Pius XII. ob hanc encyclicani « Magister liturgiae » 309. — praesentia Christi in omni actione liturgica 259-60. — sacerdotium universale christianorum 205-6. — theologicus locus est liturgia 17-18. — theologia sacramentalis, obiectum materiale et formale 1-4.

Mediatricis omnium gratiarum festum 31. maii 1358.

Medicam artem exercentes quando irregulares 998.

Mediolanensis ritus 93.

Megalynarion — in apocryphis 1320, in ritu byzantino 1322.

Melanchthon — de Poenitentia 737.

Melchitae 130.

Melito Sardensis — monographia de Paschate 1223.

Membro carentes — irregulares 997.

Memento — mortuorum aetate aurea Missae 299, ritus Missae lectae 42. — mortuorum et vivorum in ritu byzantino 134. — vivorum aetate aurea Missae 299, ritus in Missa lecta 38-3.

Memoria = cappella in honorem martyrum constructa 1404.

Memoria Deiparae » — festum Ecclesiae primaevae 1323-4. — nucleus fuit festi Annuntiationis 1338-9.

Memoriale Rituum — suffectum per libellum « Ritus simplex » 1957. pro Hebd. Sancta 1179.

Mensa Domini 512.

Mensae benedictio — Sabb. Sancto 1248.

Mensis SS. Cordis Jesu — die qua clauditur indulg. plen. 831.

‹ Menti nostrae », Litt. Ap. anno 1950; 981.

Meritorum reviviscentia v. Reviviscentia meritorum.

Messiae expectatio in Adventu 1107-8.

Metanoia 771. 772.

Micae panis 521.

Michael archangelus — cultus 1386-9. — festa in Occidente 1388. — in Oriente 1387-8. — functiones 1386. — loca cultualia 1387-8. — natale basilicae Angeli in Salaria 30. sept, et 29. sept. 1388. — nomen 1386. — Michaelis in periculo maris festum 16. oct. 1389.

Milites — clerici (piando irregulares 998. — quando impediti ah Ordine 999.

Minister — immunitas in administratione sacramentorum 212-3.

Ministrans adhibendus in Missa 332-3

Ministri sacri Missae sollemnis 391.

Minora festa — BMV 1351-62. — Domini 1295-1316.

Minores ordines — evolutio rituum 1000-1.

« Miserere » Ps. Triduo Sacro olim cantatus 1194.

Missa — adversarii 229-30, — « angelica » m Adventu 1110. — cantata iuncta cum populi cantu 309, notio 353, * in cantu », notio 35-3. — celebrata de commemoratione festi occurrentis 368. — conclusio Missae 361-2. — conventualis 314-5, leges liturgicae 353-4. — chrismatis, processio ad altare 1199, ritus sec. OHS 1195. — cura adhibenda in celebratione 2-39-240. — denominatione 225-7. — « dialogata » 348. — effectus Missae in genere 270. — efficientia 262-92, modus efficientiae 288-91. — essentia 242-69. — existentia 227-42. — finis Missae in genere 269-70, « cucharisticus » 273-4, impeIratorius 278-81, latreuticus 270, 4, propitiatorius 274-8. — fructus seu bona Missae in genere 270. dividi possunt 287-8, ratione participantium 281-4. — in honorem Sanctorum 271-2. — initium 354. — lecta, notio 353, ritus 377-89. — nomen sacrificii 226 — pars centralis, leges euchologicae 360-1. — pars dida :tica. leges cucholog cae 359. — pontificalis, notio 353. — « privata » nomen vitandum ■353. — ratio formalis Missae: quid sit 261-9, quid non sit 2-52-61. — remittit venialia 770. — repraesentatio sacrificii Cnicis 242-6. — sacrificium relativum Cnicis 242-7. — sollemnis, notio 353, ritus 390-401. — species 353. — ut anamnesis sacrificii Cnicis 246, ut consecratio Dominicae 1091-2. — v. adhuc Sacrificium.

Missae — « eligendae » seu faeultativae 368, 371. — extra ordinem officii 369-73. — fundatae si fundatio periit 322. — « privatae », origo 301. — pro aliquibus locis 368. 371. — secundum ordinem officii 368-9. — septem vel novem Missae ante Natalem Christi 1109-10. — temporales 368. — tres Natalis Domini 1122-3.

Missa, *historia* 292-311. — «aurea» in Adventu 1110. — bifaciata 306. — abusus ante Tridentinum 306-7. — aetate antiqua 296-300. — aetate apostolica 293. — aetate catacumbarum 295-6. — aetate Gothica 304-6. — aetate media 301-6. — aetate post Tridentinum 308-10. — aetate recentiore 306-10. — aetate Romanistiea 302-4 – incunabula Missae saec. I-III 292-6. — in ritu Franco-Romano 301-2. — saeculi post apostolos 293-4.

Missio Spiritus Sancti — in Pentecoste a Patre et Filio 1270.

Missionum dies 481-2.

Missale — adhibendum 341. — Ambrosianum duplex 103. — Bobiense 106. — Francorum 94. — Gallicanum Vetus 94

— Gothicum 9-1. — Mixtum mozarab. 99 — Romanum Benedicti XV. anno 1920; 309. — a Stowe 106. — Tridentinum seu S. Pii V. anno 1570; 308.
Mitra — color 1468. — forma 1467. — historia 1467. — impositio in benedictione abbatis 1031, in consecratione episcopi 1022. — nomina 1466. — qualis quando imponenda 1467. — quando deponenda 1468. — quibus competit 1468. — regulae generales assumptionis 1468. — species: auriphrygiata, pretiosa, simp'cx 1467.
Modemistae — contra extremam unctionem 922. — error circa matrimonium 1037. — de praesentia Christi eucharistica 573. — falsa de Sacramentis 1.56.
Modus — celebrationis 332-7. — efficientiae Sacramentorum 174-81. — iuvandi molientes 499. — loquendi in re eucharistica 616.
Monachi ordinatio 1029-30.
Monasteria et ecclesiae orientales Romae 120.
• Monasterium » = nomen ecclesiae 1404.
Monazontes = monachi 1368.
Mone S. J., Missae gallicanae 94.
Monogamia 1046 — imperfecta licita 1048-9.
Monophagia in Quadragesma 1160-1.
Monophysitae et Ncstoriani de Sacramentis 156.
Monstra et ostenta, baptismus 678-9.
Monstrantia = ostensoriuin 1435. — velo perlucido tecta 1209-10.
Montanistae — contra matrimonium 1036. — contra Poenitentiam 737.
Morbi impedientes communionem 629.
Mortaria peccata — confessio omnium 791-3. — numerus accusandus 799-8(0.
Mors Christi — apparens in Missa exemplum pro fidelibus 268. — iteratur in M ssa 266-7 — meditata intra Missam a fidelibus 268. — memorialis demonstratio in Missa 262-3.
Mors eum Christo — in mysterio Paschali 1225.
Mors fidelium — annuntianda per Campanam 467. 500.
Mortificatio Christi - theoria quoad M's-sam 253-4.
Mortis articulus 873.
Motiva poenitentiae in liturgia quadragesimae 1156-7.
Motu proprio, not o 22
Moyses ‹t Elias —in Transfiguratione 1303.
Mozarabica liturgia 97-101. — descriptio ritus 99-101. — fontes 98-9. — proprietate·. 99-100. — sortes ulteriores 101. — territorium 97-8.
Moneta — color 1473. — historia 1473. — mater i 1473. — quando usus perm ss is 1474-5 quibus competit 1474.
Mulier v. Femina.
Multiplicatio panum celebrata 6. ian. 1133 1135.
Multipraesentia Christi in eucharistia 615.
« Munificentissimus Deus », encycl. Pii XII. anno 1950; 1345.
Munuscula in festo Natalis Domini 1119.
Muscarium = flabellum 1435.
Musica sacra — cantus popularis 349-50. — cantus sollemnis, simplex 376-7. — concentus musici in processione 496. — harmonium 1417. — historia 114. — hymni, hymnologia 418. 423-4. — Instructio de musica sacra et sacra liturgia anno 1958: 1417-8. — instnimentalis musica 1417. — machinae automaticae 1418. — Motupr. Pii X. dc musica 496. — « Musicae sacrae disciplina » const, ap. Pii XII. anno 1955: 349. — organi sonus 1417. — polyphonia 307. — prosae, sequentiae, tropi 303. 306 307.
Mutatio arbitraria rituum 306-7. — « sensus » i. e. vocis 1244. — in Missa 335-6.
Mutilantes scipsos su it irregulares 99S.
Mysteria Christi — causa formalis anni liturgici 1078-9. — finis seu terminus est Ascensio 1265. — gratia sacramentalis ad ca d'gne ministrandum 984-5. — praesentia sunt in anno liturgico 1079.
« Mysteriengegenwart » 258-61.
« Mysterion » — etymon 138. — significationes 139.
Mvsterium — « fidei » in consecratione calicis 532. — nativitatis singulare 1117. — paschale penes primos scriptores Christianos 1223-4.
« Mystici Corporis n, encycl. Pii XII. anno 1943: de confessione crebra 768-9.

Natale calicis = Fer. V. Coenae Dom. 118S. — S. Mariae 1. ian. 1131.
Natalis Dom ni 1111-32. — ab arianis non celebratus 1113-4. — arbor natalitius 1119. — commercium magnum reparationis 1117. — consuetudines populares 1124-5. — dies nat vitatis varii: *28. mart., 2. apr., 19. apr., 20. inaii.* 1112, *21, maii.* 1112-3, *25. nov.* 1113, *25. dec.* 1113-5, dies historice verus 1111-2. — divulgatio festi 1115-7. — dona natalitia 1119. — festum idcologicum 1115, Jesu parvuli 1121-2, oitmn Romae 1113-5, pacis et caritat s 1119-20. veris supernaturalis 1118-9. — illuminatio ut mos popularis 1118. — indoles liturgica 1117-22. — leges cultuales 1122-5. — matutinum festi 1122 — mysterium triplex celebratum 1117. — octava 1125-32. — octavus dies = 1. ian. 1130-1 — origo festi 1111-7. — polyli-

lurgia festi seu tres Missae, historia et leges 1122-3. — reformatio conditionis humanae celebrata 1117. — vigilia 1122.
Natalis Legis Novae in Pentecoste 1270-1.
Natalitium tempus 1131-2.
Nationalis linguae usus 58-60.
Nativitas BMV. festum 8. sept. 1349-51. — historia 1349-50. — indoles liturgica 1350-1. — in Occidente 1350, in Oriente 1349-50. — octava abolita 1350.
Nativitas Christi — festum 6. ian. 1133. — Domini v. Natalis Domini.
Nativitas Joannis Bapt. 24. iun. 1381-2.
Navicula 1442.
Navis Ecclesiae 1272.
Nazareni 666.
Neapolitanus ritus 93.
Necessitas — gravis, extrema in administrandis Sacramentis 215.
Negotiatio clericis vetita, censura 882. — species arcenda quoad stipendia 320.
Neobaptistae 666.
Neophyti — impediti ab Ordine 999.
Nicaena synodus de Paschate 1222.
Nisus cumulationis aetate Gothica 305 6.
» Nobis quoque » — aetate aurea Missae 300. — historia 118. — ritus 384-5.
Nomen — baptismale 697-8. — christianum 698.
« Nomen dare » — ad baptismum 688.
Nominis — Jesu festum 1131. — Mariae 12. sept. 1355.
Normae ad concinnanda Ritualia bilinguia 5).
Normannorum incursiones in Gallia saec. IX 1279.
Nostra Domina GaUiae 15. aug. 1361
Novatores contra Missam 229-30. — contra Sacramenta 155-6. — contra sacramentalitatem matrimonii 1036-7. — liberales de Poenitentia 738-9, de praesentia Christi eucharistici 572.
Nov. 1. — anni initium more Celtarum celebratum 1393.
November in suffragium defunctorum dic a tus 492.
Novenae seu novendiales preces 483-5. — notio 483. — species 483-4. — ritu 484-5.
Nova lux = Christus 1117-8.
Novus Codex Rubricarum (NCR), édites a Joanne XXIII. 25. iul. I960: 310. 352-3. 426-8. — *Praecipua capita·,* anticipatio matutini 438. — colores liturgici 1446. — completorium precatio vespertina 436. — dedicatio ecclesiae 1426-7. — dies Omnium Fidelium Defunctorum 1396-7. — kalendarium quod sequi debent 432-3. — leges euchologicae Missae 353-77. — Litaniae Maiores, Minores 1259 62. — octava Nataris Dom. 1125-6. 1129-31. — officium divinum, scopus 435. — Purificatio BMV. 1142-3. — tempus Ascensionis 1267-8, Epiphaniae 1137-8, na'alitîum 1131-2. — Vig. Pentcc. ct hebdomada 1272.
Numerus Sacramentorum 141-2.
Numismata — quibus indulgentiae adhaerent 835.
Nundinae — in Dominica 1094.
Nuptiae 1035. — Missa nuptialis, leges 373-4, ritus 1071-2. — sollemnis benedictio vefta in Quadragesima 1165, ritus explicatus 1066-76.

o

Obex Sacramentorum 172-3.
Obiecta recordationis baptismi 696.
Oblatio — Christi, theoria quoad Missam 257-8. — Missae: cui, a quo, qui, pro quibus, quomodo offeratur 243-5. — nomen Missae 225. — « rationabilis » in Missa 267.
Obligatio — cessationis 350-1. — Missae adstandi 344-7, excusatio 347. fontes 344-5, locus 3-15-6, modus 346, sublectum •345, substantia 345, tempus 345. — Missam celebrandi 311-23. — officii divini 428-30.
Occasio peccandi — definitio, pro.x'm.i, remota 903-7.
Occurrentia — accidentals, perpetui 465. — derum liturgicorum 365-6. — in Litaniis Maioribus 1259. — solutio 365-6.
Occursus — celebratus die 2. febr. 1142. — Christi in Adventu 1109. = Purificatio BMV. 2. febr. 1139.
Octava — Ascensionis abolita 1267-8, historia 1264. — classes 363. — Epiphaniae, abolita 1137-8. — Immaculatae Conceptionis. instituta anno 1693, aboi ta 1955: 1335-6. — Natalis Domini 1125-32. — notio 363. — Paschatis seu Hebd. alba, historia et indoles, leges cultualcs 1228-9 et 1251-3, Missae propriae singulis 1251. — Pentecostes, historia 1269, leges cultualcs 1272.
Octiduum — Omnium Fidelium Defunctorum 509 — pia exercitia per octo dies 482.
October — BMV'. a Rosario dicatus 488-91.
Octoechos = tertius cvclus lit. Orientalis 1086-7.
Oculorum aspectus v. .Aspectus Oculorum.
Odilo Clunvacensis — institutore diei 2 nov. 1395-6.
Offertorium — in Missa ambrosiana 163. Byzantina 133, Celtica 107. — Missae: aetate aurea 297, catacumbarum 295. — ritus in Missa lecta 382-3, sollemni 397.

• Officium » = introitus mozarabicus 100. — nomen Missae 226.
Officium — capituli in Prima 408-9. — defunctorum 505.
Officium divinum 403-42. — actuosa participatio fidelium 440-2. — anticipatio 438. — attentio requisita 434-5. — corporis habitus in officio 443. — cotidiana recitatio inducta saec. IV. 414-6. — definitio 403-5. — dispensat o 439. — excusatio a recitatione 438-9. — evolutio saec. IV-X. 414-6. — historia et evolutio 413-28. — ingressus in officium 442. — intentio debita in officio 434. — Hebdomadae Sanctae 438. — modus persohitionis 433-8. — mutationes tomplementariae saec. VI-VII. 416-7. — nomina 403-4. — notio 403-5. — partes accessoriae officii 430-1. — qualitas et quantitas 431-2. — recitatio ante SS. Sacramentum, indulg. plen. 832. — recitationis leges 433-8, continuata 435-6, cum aliis seu in choro 433-4, integra 435, oralis 433-4, ordinata 436, situ et loco debito 436-7, tempestiva 437-8. — structura 405-12. — tabella 411-2. — Tridui Sacri 1179-80. — ulterior evolutio saec. VIII-X. 417-9.
Officium — «fontis·, per octavam Pasch., historia 1252. — « orbiculare » = annus liturgicus 1081. — Paschale, historia, instauratio 1248-9. — proprium, quinam ad id tenentur 432-3. — « stellae » = drama liturgicum 6. ian. 1137. — vetitum gerentes impediti sunt ab Ordine 999.
• Old christmas » = 6. ian. penes Puritanos 1133.
Olea sacra — benedictio Fer. V. Coenae Dom., historia 1191-2, ritus 1198-1200. — leges cultuales 700. 707-8.
Oleum — benedictiones v. Sacramentalia = peculiaria, Unctio. — cathechumcnorum, benedictio Fer. V. Coenae Dom., ritus 1200. — infirmorum, benedict o Fer. V. Coenae Dom., ritus 1198-9, usus in ex trema unctione 925-7. — olivarum in confirmatione 707. — res sacra 76-7. — usus liturgicus 77. — vascula oleorum, benedictio 1442.
‹hnisslo — in Missa 335. — festorum 365-6.
Omnes Sancti festum 1. nov. 1392-5. — historia 1392. — indoles liturgica 1394. — octava abolita 1393. — vigilia 1393-4.
Omophorion 1464.
Omphalopsychoi 1302.
Opera — servilia, liberalia 350-1.
Operatio chirurgica — extrema unctio quando ministrari potest 938-9.
‹ >pus — acu pictum ad paramenta 1444. — lenticulatum ad paramenta 1445. — « operantis » 172, operantis Ecclesiae 172, n Missa 289. — · operatum » 172, in Missa 289-90. — redemptivuin repraesentatum 258-60. — Redemptoris in cultu publico 9.
Orarium = stola 1462.
« Orate fratres » — historia 302. — ritus in Missa lecta 383.
Oratio — ad mensam Domini Fer. VI. Pass. Mortis Dom. 1213-4. — ante altare (Stufengebet) 354, omissio 354, ritus in Missa lecta 379-80, sollemni 392. — « communis » i.e. fidelium in Missa Byzantina 133. — de anniversario electionis aut translationis aut consecrationis episcopi 356, electionis ct coronationis Papae 356. — de SS. Sacramento 356. — Dominica uti textus liturgicus 62. — « En ego », indulg. plen. 832. — « fidelium » in ritu Byzantino 133, in ritu Missae aevi antiqui 294. 295. — fixis genibus 45. — imperata ab Ordinario, leges 357-8, a parocho 358, universalis Ecclesiae 356-7. — in die Missionum 357. — in Missa mozarabica 100, sollemni 394-5, lecta 380-1. — Missae « votiva » 355. — post communionem in Missa sollemni 400, lecta 386-7. — pro electione novi episcopi 356, Papae 356. — pro seipso sacerdote 355. — sub eadem (unica) conclusione 358-9. — super populum in Quadragesima 1164, non computanda in numerum orationum 355, ritus in Missa sollemni 400, lecta 387.
Orationes — clausulae seu conclusiones 358-9. — compos'tio in ritu Romano 83-4. — Missae, leges euchologicae 354-8, numerus 354-5. — ordo servandus in orationibus 356. — praeparatoriae communionis Missae 385. — « rituales » sec. NCR 356. — ▮ sollemnes » Fer. VI. Pass. Mortis Dom. historia 1203-4, ritus see. OHS 1211-12. — stilum individualem habentes 301. 304.
Orationis Domini festum 1315.
Oratorium — ut locus liturgicus 329-30. — ut nomen ecclesiae 1404.
Ordinandorum — documenta, examen, exercitia, inquisitio, interstitia, scrutinia, tempus v. Ordinatio Sacra, sub vocabulis allegatis.
Ordinatio sacra — aetas canonica ad singulos Ordines 994. — cessatio irregularitatum ct impedimentorum 999-1000. — documenta ante ordinationem necessaria 974-5. — epilogus seu finis ordinationis presbyteri 1014-5. — examen ordinando rum 975. — exercitia spiritualia ante ordinationes 975-6. — impedimenta simplicia 998-9. — inquisitio ante ordinationes 973-4. — interstitia 975. 995. — locus legitimus 976. — « monachi », evolutio 1029-30. — inores congruentes requisitae

993-4. — praeparanda ad ritum 1023-5. — praesentatio ordinandorum 1007. — presbyteri, ritus 1009-15. — publicatio facienda ante ordines maiores 974. — requisita negativa subiecti 996-1000. — requisita positiva subiecti 992-6. — Sabb. Sancto non convenit 1247. — scrutinia lacienda 973-5. — tempus legitimum 976. — titulus canonicus 995-6.
Ordinationes et Declarationes circa OHS anno 1957: 1187.
Ordines sacri — evolutio rituum 1005. 1006-8. 1009-1010. — ritus 1004-15.
Ordinis actum illegitime ponentes — fiunt irregulares 998.
Ordo — acolythatus, potestas, regulae 979 — charisma 960. — compositio metaphysica 977. — definitio 958. — diaconatus est sacramentum 966-7, materia et forma 972, potestas 977-8. — efficientia 977-85. — episcopatus est sacramentum 935-6, materia et forma 972, potestas 978. — episcopi consecratio, ritus 1015-23. — essentia Ordinis 969-77, existentia 959-63. — exorcistatus, potestas 979. — gradus Ordinis 963-9. — gratia sacramentalis 981-5, ad digne ministranda mysteria Christi 984-5. — in S. Scriptura 959-61. — lectoris potestas 979. — materia et forma Ordinis, historia 969-71, in consecratione episcopi ritibus circumdata 1018-9, iuxta doctrinam recentem Ecclesiae 871-2, in presbyteratu 1012. — s Menti nostrae », Litt. Ap. anno 1950: 981. — minister ad liceitatem 988-9, extraordinarius 986-7. 987-8, ad validitatem 987-8. — minores ordines, historia 964, materia et forma 973, per presbyteros collati 987-8, qua gradus ad sacerdotium 980. — nomina 958. — ordinationis leges cultuales 973-6, v. Ordinatio sacra — ordines non a Christo instituti 963-9, non-sacramentales 963-4, sacràmentales 965-8. — ostiarii potestas 980. — potestas Ordinis 977-80. — presbyteratus, materia et forma 972, est Sacramentum 966, potestas 978. — ritus Sacramenti Ordinis 1000-23. — subdiaconatus, mater a et forma 972-3, non est Sacramentum 967-8, potestas 978-9. — subiectum Ordinis ad liceitatem 992-1000, ad validitatem 989-92. — tactus moralis in administrations Sacramenti Ordinis 972. — tonsura prima, effectus 980. — traditio instrumentorum in Sacramento Ordinis 971. — Traditionis testimonium de Ordine 961-2. — unitas Sacramenti Ordinis 968.
Ordo Sacramentorum ad Eucharistiam 511-2.
( )rdo Hebdomadae Sanctae instauratus anno 1956: 1174-7.
Ordo Missae mozarabicus S. Isidori Hisp, 99.
« Ordo Rhenanus » Missae 304 = « Ordo Sagiensis » (= Scezgruppe) 304.
• Oremus » — ritus in Missa 380-1.
Organum — historia 1416. — leges cultuales 1417. — pulsatio in Adventu 1109 — usus prohibitus 1417.
Oriens, precatio versus Orientem 48-50.
Orientales — liturgiac 124-36. — presbyteri confirmare valentes 720 — ritus, conspectus unitorum 131.
Ornatus altaris — in Adventu 1109.
Orthros 413. 415.
Osculatorium = parificale 1440.
Osculum — altaris 380. 383. 397. — in celebratione matrimonii 1066. 1059. — liturgicum in Missa 385. 393. 395. 397. omittendum Fer. VI. Pass. Mnrtis Dom 1179, post ultimum Evangelium Dom. Pass. II. 387. — pacis aevo catacumbarum 295, in ritu Byzant. 133, paschale 1250-1
Ostensio Crucis — Fer. VI Pass. Mortis Dom. 1206.
Ostensorium 1438-9. — benedictio 1439. — forma (cum arrectario, cum pede) 1439-40. — historia 1439. — nomina 1439
« Ostem » — etymon vocis 1220.
Ostiariatus — ritus explicatus 1002-3.
Ovorum benedictio in Pascha 1250.

Pacificale — forma 14*11. — historia 1440-1. — nomina 1440. — usus liturgicus 1441
Pacis festum v. Natalis Dom., festum pacis.
Pacis instrumentum v. Pacificale
Paedobaptismus 667-9.
Paenula 1454.
Palamitae v. Hesychastae.
Palimpsestum Guelferbitanum 94.
Palla — corporalis v. Corporale. — lex 340.
Pali'uni — forma 1465. — historia 1464 — insigne omnino personale 1465. — impositio 1465. — materia 1464. — petitio eius 1465. — quibus competit 1465. — sensus symbolicus 1464. — usus 1465.
Palmarum benedictio — historia 1182-3. — in ritu Missalis Pii V. usque 1956: 1183-4. — ritus see. OHS 1185-6. — Veteris Test, processio 493.
» Palmesel » 1183.
Panchristiani 87.
« Pange lingua gloriosi lauream certaminis » — hymnus Fer. VI. Pass. Mortis Dom . historia 1206.
« Panis angelorum » 514.
Panis — benedictio in Pascha 1250. — « caelestis » 513. — materia Eucharistiae, qualitates ad validitatem et liceitatem 517-520.
Pantheon — in honorem omnium Martyrum consecratum 1391.

Papyrus saec. III. — carmen lit. paschale 1224.
Parallelismus — in orationibus ritus Romani 84.
Paramenta v. Vestes sacrae. — ad Missam sollemnem 391-2.
Paramentica 1443-79.
Parasceve 1202.
Parochus — confirmare valens in mortis periculo 718-9. — installatio 461-2. — partes eius in matrimonio 1063-4.
Paropsis = patena 1435.
Pars centralis Missae, — leges euchologicae 360-1. — ritus in Missa lecta 382-6, sollemni 398-400.
Pars didactica Missae — leges euchologicae 359. — ritus in Missa lecta 380-1, sollemni 394-6.
Parthenogenesis, partus virgineus — celebratur festo Annuntiationis 1341.
Participat'o actuosa — ad Missam 347-50. — ad officium divinum 440-2.
Particulae — altari contra leges liturgicas inpositac 521.
Panisia v. Adventus Christi.
Parvuli Jesu — expositio 1124. — festum 1121-2.
« Parvus introitus » in ritu Byzantino 132.
Pascha — « annotinum » 695. — « competentium » = Dom. II. Pass. 1181. — controversia de termino et celebratione Paschatis 1221-2, auctoritas episcopi Roman 90. — «Crucis» et «Resurrectionis » 1223. 1224. — « florida » = Dom. II. Pass. 1181. — in genere 1219-29. — indoles liturgica 1223-9. — Judaicum 1220. — leges cultuales 1228-9. — nomina 1219-20. — origo historica 1220-3. — Paulus de Paschate 1220-1. — prima vestigia festi christiani 1220-1.
Paschale — praeceptum comm nionis 620-1. — tempus in Ecclesia Orientali 1086-7.
Paschales termini v. Termini Paschales.
Paschalis communio 620-1. 1249.
Paschasius Radhertus — de praesentia eucharistica 569.
• Pasqua rossa » = Pentecostes 1269.
Passio — Domini, idea imbuit I. hebdomadam Passionis 1169-70, — in Ilebd. Sancta leges liturgicae 1187. — in quadragesima celebrata 1162-3. = nomen Dom. II. Pass. 1168. — origo temporis 1168-73. — « see. Joannem » (Fer. VI. Pass. Mortis Dom.), ritu·, see OHS 1211. — «sec. Mattheum» Dom. 11. Pass.), historia 1184. — tempus Passionis 1168 89, Hebdomada prima 1169-71, secunda 1171-3, leges cultuales 1173-80, nomina 1168-9.
Passionar um 419.
Pastophorion v. Sacristia.
Pastorale = baculus 1468.
Pastoralis liturgia, notio 1-6.
Patena 1435-6 — forma 1436. — leges 339. — materia 1436. — occultata: sub corporali, historia 305, ritus in Missa lecta 382; sollemni cum velo 397.
Patera = patena 1435.
Patina ad communionem — ritus in Missa lecta ct extra Missam 388. 389. — in Missa sollemni non adhibetur 400.
« Pater noster » — aetate aurea Missae 300 — Fer. VI. Pass. Mortis Dom. ab omnibus latine recitari debet 1213, potest 361. — in Missa Byzantina 135, Gallicana 95. — in Missa lecta 385, sollemni 399. — in officio divino 406. — traditio eius in ritibus Baptismi olim 687, ritu hodie no 691. — una cum celebrante recitari potest, excluso vulgari idiomate 361. — uti textus biblicus in liturgia 62.
Patrini — in baptismo et confirmatione 682-5. — in prima Missa novi sacerdotia 478.
Patrocinium — dies patrocinii 473-6.
Patrona — Australasiae — festum 24. mai 1361. — Bavariae, festum 14. maii 1361. — Boliviae, festum 16. iul. 1361. — Catalauniae, festum 27. apr. 1361 Hungariae v. Magna Hungarorum Domina. — Novae Hispaniae (= Mexico), festum 12 dec. 1361-2. — Reipublicae Chilenae, festum 16. iul. 1361. — Reipublcate Dominicariae (= San Domingo), festum 24. sept. 1361.
Patronatus nationalis BMV 1361-2.
Patronus — caelestis, dies festus onomasticus 695. — ecclesiae, privilegia liturgica 1413.
Pauli — Commemoratio 1377 — Conversio 1376.
« Pax » — ritus in Missa sollemni 399.
« Pax tecum », « pax vobis » — uti salutatio liturgica 64.
Peccata — confitenda post baptismum con dicionatum haeretici 763. — confitenda non sunt post baptismum condicionatum catholici 763. — debite accusari debent 766. — directe nondum remissa subiici debent in Poenitentia 765-6. — dubia num confitenda 764. — mortalia: materia necessaria Poenitentiae 764-5. — remissa, quomodo verificatur forma absolutionis 847. — reservata 878-91. — venialia v Venialia peccata.
Peccator occultus, publicus in suscipiendis Sacramentis 215-6.
Peccatorum expiatio 1155-7.
Pectorii inscriptio eucharistica 582.
Pectoris tunsio ut signum poenitentiae et excitationis 43.
Pedum = baculus 1468.

Pentecostes — aevo apostolico 1288. — festum 1268-73. — hebdomadae indoles liturgica 1269-70, festi 1269-72. — leges cultuales 1272. — nomina 1269. — novena ante festum 484. — origo 1268-9. — rabbinica traditio de Pentecoste 1270-1. — supplementum functionum Paschalium 1268-9.
Pentecostarion = secundus cyclus Ecclesiae orientalis 1086.
Percontatio de fide — in baptismo 688.
Perduellium, censura 884.
Peregrinationes sacrae 494.
Pericopae — dominicales perturbato ordine in Missali Romano 1275.
Periculum mortis — baptismus 681. — confirmatio per parochum 718-9. — definitio 873. — Ecclesia supplet jurisdictionem 873-4. — extrema unctio 939-40. — matrimonium 1064. — quomodo diiudicanda 938.
Pernae benedictio in Pascha 1250.
Perpetua onera Missarum 315.
Pesach — etymon vocis 1219.
Petra sacra — in altari 338.
Petri ad vincula, festum expunctum 1. aug. 1377.
Petrobrusiani — contra Sacramenta 154-5.
Petri et Pauli basilicarum dedicatio 1314.
Petrus et Paulus — festum 29. iun. 1370-2. — festi divulgatio 1371-2. — novena ante festum 484.
Phelones, phelonion 1454.
Philanthropia 1158.
Philippus et Jacobus ap. — festum 11. maii 1372-3.
Photophoria — celebrata 2. febr. 1141.
Phrygium = mitra 1466.
Phos hilaron, hymnus vespertinus 413.
Phylacterion = enkolpion 1471.
Pia exercitia — dignitas et momentum 447-8. — in cyclo mysteriorum Christi 448-9. — inseruntur in ordinem liturgicum 448-9. — non pugnant cum liturgia 446-7. — notio 445-9. — quorundam dierum 469-81. — quovis tempore peragenda 449-69. — statis temporibus peragenda 469-92.
Pietas liturgica — et pietas subiectiva 8-9.
Pileolus — historia 1478. — materia 1478. — nomina 1478. — quibus competit 1478. — usus 1478.
Pileus = birretum 1477.
Pipa = fistula 1435.
Pippinus — introducens cantum Romanum 94.
Pius XII. — Magister liturgiae 309.
« Placeat » — in fine Missae 387.
Planctus BMV — devotio popularis medii aevi 1331-2.
Planeta = casula 1454. — plicata, abolita 1456. — historia 302.
Pluvia rosarum Dom. \1 post Pascha 1256.
Pluviale — leges cultuales 1458-9. — historia 1458. — sensus symbolicus 1458.
Pneumaticum ieiunium 1158.
Poderes = alba 1450.
Poena temporalis — remissio in indulgentiis 820-2. — in Poenitentia (partialis) 856-8.
Poenitentia — adversarii 737-9. — compositio metaphysica 852-62. — contritio qua materia Poenitentiae 771-89. — definitio 737. — dispositio poenitentis diiudicanda 900-4. — effectus Sacramenti 852-62. — essentia physica 759-61. — etymon vocis 772. — existentia 736-59. — forma 842-52. — gratia sanans, qua gratia Sacramentalis 859-61. — gratiae sanctificantis actuatio 852-3. — historia administrationis 746-55. — institutio iuxta Jo 20, 21-23. 740-3. — «interiora in Sacramento Poenitentiae 852-3. — iurisdictio limitata quoad materiam 878-91, quoad poenitentem 875-8. — materia: insufficiens 762-4, sufficiens libera 767-70, sufficiens necessaria 764-7. — minister Sacramenti: bonitas 900, iudex 900-4, pater 908-9, potestas 863-97, prudentia 899-900, scientia 898-9. — motiva in liturgia quadragesimali 1156-7. — nomina 736. — nomina virtutis 771-2. — obligationes ministri 897-918. — pax ct serenitas animae 862. — « privata » 753-5. — ratione commendata 756-7. — remissio peccatorum plena 853-5. — remissio poenae aetemae 855-6, temporalis (partialis) 856-8. — reviviscentia meritorum 858-9. — S. Scripturae testimonium 739-45. — sigiilum sacramentale 909-18. — traditionis testimonium 746-56. — ut virtus 771-5.
Pollicis et indicis — iunctio post consecrationem, historia 305, ritus 384.
Polyandria 1046.
Polyandrium = coemeterium 1430.
Polychronion — seu adclamatio episcopi 1023. — in benedictione abbatis 1032.
Polygamia, simultanea, successiva 1046.
Polygynia 1046-8.
Polyliturgia — Commemorat o Omnium Defunctorum, lex 333, historia 1396. — Fer. V. Coenae Dom. 1189-90. — in Natali Domini, historia 1122-3. leges cultuales 333. 1123-4. — triplex in festo Joannis Bapt. 1382, Petri et Pauli saec. IV. 1371.
Pontifex futurorum bonorum — celebratus in festo Prêt. Sanguinis 1301-2.
Portiuncula — indulg. plenaria 832.
• Possessio ⅱ — in dedicatione 1422-3.
« Post pridie », « post Sanctus » in liturgia Gallicana 95.

Poterion 1434.
Potestas — auctoritatis in Sacramentis 195-8. — Ecclesiae circa indulgentias 823-8. in matrimonium 1042-4, in Sacramento Poen tentiae 741. 742-3. — excellentiae in Sacramentis 198-9. — iurisdictionis in Sacramento Poenitentiae 866-7. — ministri in Sacramento Poenitentiae 863-97. — ordinis ibidem (sacerdotum) 863-6. — requisita ad Sacramenta ministranda 203-5.
Praecedentia — communionis Fer. V. Coenae Dom. 1197. — dierum liturgicorum 365-7. — in processionibus 496, Corporis Christi 1288. — tabella 365-7.
Praecinctorium = subcinctorium 1452.
Praeconium paschale — ritus et partes praeconii 1242.
Praefationes *consecratoriae* 70. — abbatis 1031. — aquae baptismalis 12-35. — baptismalis fontis in Vig. Pasch. 1244. — cerei paschalis 1242. — chrismatis, ritus 1199-2000, verba expungenda e fine huius praefationis 1200. — dedicationis altaris 1426. — dedicatOnis ecclesiae 1424. — diaconi 1008. 1009. — episcopi 1008. 1016. 1019. — presbyteri 1012.
Praefationes *Missarum* 70-1. — Byzantina 134. — Christi Regis 1312-3. — in liturgia Gallicana sic vocatur adhortatio ad orationem 94-5. — olim Omnium Sanctorum 1395. — regulae praefationum 360. — ritus in Missa lecta 382. 383, sollemni 398.
Praefationes *primigeniae* 70.
Praefectus apostolicus — minister extraordinarius Ordinis 988.
Praeparatio — baptismi in Quadragesima 1154-5. — et gratiarum actio Missae 335. — oblatorum in Iturgia Celtica 107, moz.arabica 100. — Paschatis cum ieiunio saec. II-III. 1153-4. — sacerdotis celebraturi 377-8.
Praepositus paradisi = Michael 1387.
Pracquadragesima — Gallicana 1147. — in Occidente 1147. — in Oriente 1146. — Romana 1148.
Praesanctificatorum Missa — denominatio vitanda 1175. — historia 128. — liturgia Fer. VI. Pass. Mortis Dom., historia 1208-9. — origo in Oriente 1208. — ritus usque 1955 celebratus 1208-9.
Praesentatio — BMV festum 21. nov. 1357. — Domini = Purificatio 2. febr. 1139. — « lecti in consecratione episcopi 1017. — in ordinatione abbatis 1031. — in ordinatione presbyteri 1010. 1011 — ordinandorum 1007.
Praesentia — Christi « ad modum mysterii « 258-31. — Christi in omni actione liturrica 10. Christi in sacrificio Missae 262. — mysteriorum Christi in anno liturgico 1079. — SS. Trinitatis in Eucharistia 612.
Praesentia eucharistica 567-94. — adversarii 568-73. — explicatio definitionis 568. — modus 604-17. — non est localis 613, sed substantialis 613-4, et replicationis 615-6. — per concomitantiam 611-2, per unionem hypostaticam 612, vi verborum 610. — permanens 607-10, ante et post communionem 607-8, usque ad desitionem specicrum 608-9. — ratio eius formalis 610-2. — totalis 604-7, ante separationem 606-7, post separationem 606, sub unaquaque specie 604-6.
« Praesepe Domini n — in Natali Dom. 1124-5.
Praxis poenitentialis saec. II. 747-50. — saec. III. 750-2.
Precatio — ad Christum directa in liturgia 81. — summa eucharistica aevo antiquo 295. — versus orientem 48-50.
Preces — communes 133. — feriales in Adventu 1109, in Quadragesima 1164. — litanicae 66-8. — post Missam lectam 387-8.
Prex — deprecativa eucharistica in lit. Byzantina 134. — « fidelium » in Missa, historia 66-7.
Presbyter — in missionibus confirmare valens 720. — minister extraordinarius Ordinis 987-8. — ordinans diaconum 987, presbyterum 987. — v. adhuc Sacerdos, Confessarius.
Presbytera 991.
Presbyteratus, evolutio ritus 1009-10. — explicatio ritus 1010-15.
Presbyterium ecclesiae — locus cleri (chorus) 1414. — saeculares ex eo arcendi 1413.
Pretiosissimi Sanguinis Christi festum v. Sanguinis Prêt. Christi festum.
Prima aetas officii divini 413-4.
Prima communio — aetas 547-8. — generalis 625. — historia 1254. — in periculo mortis 625-6. — praxis pastoralis 623-6 — « privata » 623-5. — ritus 625.
Prima — Fer. V. cuiusvis mensis 469. — Fer. VI. cuiusvis mensis 469-71. — Missa novi sacerdotis: benedictio 479, historia 478, leges cultuales 478-9, manuductor 333. 478. — officii divini: origo 417, sensus 408, structura 408-9. — secunda et prima gratia in Sacramentis 185.
Primum Sabbatum cuiusvis mensis 471-2.
Primus anni dies 470.
Principium Missae et confessio, ritus in Missa lecta 379-80, sollemni 392-3.
« Privatae n Missae — vetitae Triduo Sacro 1200.
Privilegium — canonis 880. 883. 886. — Paulinum 1051-2. — « sabbatinum » 835.

Processiones 492-8. — birreti usus 497. — Crux 496. — definitio 492. — habitus processionals 496-7. — historia 493-4. — leges cultuales 494-7. — licentia 494-5. — paramenta 497. — praecedentia 496 — pulsatio campanae 466, campanulas 468-9. — quinam intéressé debent 495. — regulae generales 496-7. — reverentiae 497. — species 492-3. — theophoricac 591. — vexilla 495-6. — vigilantia Ordinarii 495.

Processiones *peculiares* — ad sepulchrum 506. — Ascensionis 1267. — candelarum die 2. febr. 1143. — Corporis Christi: historia 1283, obligatio 1287, ornatus 1288, personae assistentes 1287, praecedentia 1288, ritus particularis Germaniae, Hungariae 1286-7, ritus hodiernus 1285-6, tempus 1288-9. — deducendi episcopum 463. — lustralis pagana 2. febr. in Urbe 1139-40. — palmarum: actuosae participationis praeparatio 1175, historia 1181-2, ritus see. OHS 1186. — poenitentialis Litaniarum 1258-9. — quatuor processiones Missae exortae saec. IV-V. 297. _ reliquiarum 460-1. 493. — Vig. Pasch. ritus 1241-2.

Procuratio abortus, censura 855-6.

Professi matrimonium contrahentes, censura 886.

Professio — fidei, historia 69-70. — monastica, evolutio, sensus, ritus 1028-30. _solemnis et matrimonium legitimum 1052.

Professiones fidei v. Symbola sacra.

Prokimenon in ritu Byzantino 132.

Prolepsis liturgica 529. — Proslepsis 529-30.

Promissio occasionem vitandi in confessione 788.

« Prophetia » in liturgia Gallicana 94.

Propitiatio — effectus propitiatorii particulares 273-5. — in Missa 274-5.

Propositum non peccandi de cetero 786-8. — actus voluntatis 786. — explicitas 788. — pars contritionis 786. — proprietates 787. — specialiter determinatum 788.

Proprietates — absolutionis 847-50. — confessionis 795-803. — contritionis 783-6. — propositi non peccandi 787.

« Prosa » liturgica 303.

Prosabbaton = Parasceve 1202.

Proskomidia — in ritu Byzantino 131-2. — v. Praeparatio oblatorum.

Prostratio — habitudo corporis liturgica 46. — totalis, simplex 46.

Prosveszenije = Epiphania 1134.

Protestantes v. Novatores.

Prothesis — in ritu Byzantino 131.

Proto-Adventus 1102-4.

Proto-Annuntiatio BMV 1338-9.

Proto-Ascensio 1262-3.

Proto-Assumptio 1343.

Provisio infirmorum — normae pastorales 947-9, v. Infirmus.

Psallendi modus aetate aurea 416.

« Psalmellus » — in Missa ambrosiana 103.

Psalmi — « antiphonicus « psalmus 416. — — cantica fidelium 414. — « idiotici » qua textus liturgici 62. — poenitentiales, in benedictione abbatis 1030. 1031, in dedicatione 1422. — « responsorius » psalmus 416. — utilitas in vita spirituali 414.

Psalmodia — corporis habitus 443. — cum lectionibus 406-7. — habitus seu vestitus 442. — ingressus 442. — modus: historia 416, hodiernus 443-4. — regulae generales 440-2. — ritus 442-5.

Psalterium — gallicanum 418. — Romanum 418. — see. novam dispositionem S. Pii X. 425-6. — « Vaticanum » novae interpretationis Pii XII. 426.

Psychotici — in ordinatione 997.

Publica officia funebria quibus deneganda 324-5.

Publicatio — ante ordines maiores 974. — festorum mobilium in Epiphania 1136-7 — matrimonii 1062-3.

Puerorum — choralium festum 1130. — prima communio v. Prima communio.

Pugillaris = fistula 1435.

Pura Feria V. = Fer. V. Coenae Dom. 1188.

Purificatio — binationis 1124. — ciborii seu pyxidis 389-90. — patenae et patinae 388-9. — sacerdotis in Missa 386, in Commemoratione Omnium Fidei. Def. 1124, in Natali Dom. 1124, in Vig. Pasch. 1245.

Purificatio BMV 1138-43. — festum evangelicum Hierosolymis 1139. — indoles liturgica 1141-2. — leges cultuales 1142-3. — mulieris puerperae in Veteri Test. 1139. — nomina 1138-9. — origo et evolutio festi 2. febr. 1138-41. — qua festum christianum in Urbe 1139-40.

Purificatorium — lex 341. — lotio 979.

Puritatis BMV festum 16. oct. 1360.

Pyxis — benedictio 1438. — infirmorum 1439. — materia 638. 1437. — nomina 1437. — purificatio 389-90.

Q

Quadragesima 1152-68. — divulgatio 1154. — conventus liturgici 1157. — Dom. III praeparatio electorum ad baptismum 1154-5. — « immunitas n in quo consistat 1161-2. — in Ecclesia orientali 1085-6. — indoles liturgica 1154-63. — Missae Fer. V. in Quadragesima 122. — nomen primigenium Ascensionis 1264-5. — nomina tem-

poris 1152 — notio 1152. — origo 1152-1. — quadraginta dies ieiunii sacrati per historiam salutis 1153-4.
Quadraginta Horarum Oratio — historia 449-50. — notio 450. — praescripta generalia 4-50-1. — primus dies 451-2, secundus dies 452, tertius dies 452-3.
Quaestum facientes ex indulgentiis, censura 883.
Qualitates — absolut onis, confessionis, contritionis, propositi v. Proprietates absolutionis etc.
' Quam singulari » decr. de aetate admittendorum ad communionem 547-8.
Quantitas in Eucharistia 595.
Quartodccimani 1221-2. — Melito ct Apollinaris 1223.
Quasi-matcria Poenitentiae 759-61.
« Quas primas », encvcl. Pii XI. anno 1925: 1309.
' Quatember » = Quatuor Tempora germ., rumen. 1099.
Quattuor Tempora 1093-1101. — finis 1099-1100. — historia 1099. — leges cultualcs 1100-1. — liturgia archaica 1100-1. — nomina 1098-9. — officium divinum 1100. — Sabbato lectiones Missae breviari possunt 359. — termini fixi 1110.
Quinquagesima — Dominica 1150-1. — nomen Pentecostes 1269. — « paschalis » = tempus paschale 1248-62. — tempus paschale penes Tertullianum 1262.
Quinquatria — festum paganum opificum et artificum 1378.
Quinque grana incensi — benedictio in Vig. Pasch., historia 1230. — ritus see. OIIS 1241.
Quinque vulnerum Christi festum 1315.

R

Radicalismus — absolutus in reformafone liturgiae. Missae: 307, officii divini: 422. — mitigatus quoad Mssani; 308, quoad officium divinum: 422-3.
Radiophonium — in ecclesia 1418.
Ramorum benedictio — in Dom. II. Pass, ritus see. OIIS 1185-6.
Raphael nrchangelus — festa in Occidente 1390. — in Oriente 1390. — festum 24. oct. 1390. — nomen 1389.
Raptus mulieris quoad matrimonium 1059.
Rationes Missam participandi 347-50.
Rationis usus ad — baptismum non requiritur 666-9 — confirmationem per se non requiritur 720, praescribitur 720-1. — commun onem per se non requiritur 539, praescribitur a lege 547. — extremam unctionem 937-8. — matrimonium 1058. — ordinem per se non requiritur, sed praescribitur 217. — Poenitentiam 850. — Sacramenta in genere 217.
Ratramnus — contra praesentiam eucharisticam 569.
Ravennatum ritus 93.
Realismus aetatis Gothicae 304-5.
Rebaptizantes 209.
Reconciliatio — altaris 1429. — coemeterii 1432. — ecclesiae: benedictae, ritus hodiernus 1429, consecratae 1429, leges cultualcs 1428-9. — poenitentium, Fer. V. Coenac Dom. Missae textus anti juus 1170, Missa Fer. V. Coenae Dom. 1190, ritus antiquus 752-3.
Recursus — ad laicalem potestatem, censura 883. — post absolutionem censurae reservatae in casu urgentiori 888-9.
Redemptio applicata — celebrata in .Adventu 1107, celebrata sub triplici respectu in cyclis liturgicis 1273-4. — primogeniti post partum in Veteri Test. 1139. — universa'is redemptionis festum complexivum = Pascha 1223-4.
Redemptoris — opus in cultu publico 9. — festum 1315.
Reductio Missarum 322.
Refectio unica 1160-1.
Reformatio Missae Tridentina 307-8.
Refugium peccatorum, festum BMV 13. aug. 1359.
Regenerationis — impedimenta removenda in mysterio paschali 1225-6. — sacrae dies = Pascha 1225-6.
Regia dignitas BMV — fundamentum dogmaticum 1352-3.
Regia maiestas Christi — celebrata continuo a liturgia 1310-1. — in festo Christi Regis 1311-13. — in Transfiguratione 1305. — fundamentum dogmaticum 1311-2.
Regina — apostolorum, festum 1358. — caeli, fe tum 1352. — « Regina Caeli laetare » 1328. — Liguriae, festum 1361. — Poloniae, festum 1. apr. 1361. — Sanctorum omnium festum 31. maii 1358. — v. adhuc Maria Regina.
Regis coronatio 1032-3.
Relapsi — quaestio quoad Poenitentiam 755-6.
Relatio cleri ad fideles aevo Franco-Romano 302.
Relationes coenae eucharisticae 576-8.
Relativitas sacrificii Missae 242-7.
« Religionis dies consecratus » = Dominica 1091.
Relig onis virtus 1-2.
Religiosarum confessio 876-7.
Religiosorum confessio 876.
Reliquiae 457-61. — cultus debitus 460-1. — historia 457-8. — leges cultualcs 458-9. — nomen et notio 457-8. — recondi-

tio in dedicatione saec. IV. in ritu Romano 1421-2, Sanctorum in sepulchre altaris, leges 338, ritus 1424. — vigiliae coram eis in dedicatione 1422.
Reliquiare = ostensorium 1439.
« Remedium naturae » — parvulorum 143.
Remissio — peccatorum in extrema unctione 929-30, in Poenitentia 741, sensibilis 742. — venialium in confessione 768-70, extra 769-70.
Renovat:o — hostiarum 638 et... — promissionum baptismalium, historia 695. 1235-6, ritus in Vig. Pasch. 1244-5. 1247. — in prima communione generali 625.
Repraesentatio — mystica = sacrificii relativi theoria quoad Missam 254-5. — sacrificii Crucis in Missa 242-6.
Replicatio seu multipraesentia, circumscriptiva, definitiva, mixta 615.
Repristinatio liturgiae in Missa 308. — in offic'O divino 423.
Reportatio Sanguinis Christi 1299-1300.
Repositio — festorum 366. — Sanctissimi in Fer. V. Coenae Dom. historia 1193-4, locus 1201-2, ritus 1197-8.
« Requiem n, Missae v. Defunctorum Missae
« Requiescant in pace » 361.
Re piies sabbatina Christi sepulti 1215-6.
Requisita ad celebrationem 337-41.
Rerum rusticarum celebratio mariana 1324-5.
« Res et sacramentum » 163-5.
Res sacrae 71-9. — definitio 71.
Reservatio casuum 878-91.
Responsoria in officio divino 407.
Respuentes — Sacramenta qualiter tractandi 948-9.
Restauratio — imaginum vel statuarum 1402.
Resurrectio Domini — nomen Paschae 1220. — repraesentata in Vig. Pasch., consuetudo popularis 1177-8. 1237.
« Resurrectionis dies » = Dominica 1090-1.
« Retabel » — altaris, historia 302.
Retrotabulum v. Retabel, 1408.
Reverentiae Triduo Sacro 1179.
Reviviscentia — meritorum in Poenitentia 858-9. — Sacramentorum 166.
Ritualia bilinguia 58-60. — pro territorio missionum 59-60.
Ritus elationis — in sepultura 502.
Ritus — et caeremoniae, adversarii 31-2. — Missae lectae 377-90, sollemnis 390-401. — ordinationi analogi 1025-34. — sacri: adminicula naturae humanae 34-5, non sunt irritabula impietatis 30-7, perducunt ad rerum altissimanim contemplationem 35, quo animo untendum est eis 36-7, uti commendatio maiestatis liturgiae 35, uti visibilia religionis et pietatis signa 35. — sensu stricto, latiore et latissimo 21. — « simplex » anno 1957 pro Hebd. Sancta editus 1179.
Rituum diversitas 86-92. — adversarii 86-7. — distinctio ritualis in Ecclesia primaeva 89-90. — Ecclesiae doctrina 87-90.
Rochettum — historia 1453. — nomina 1453. — quibus conceditur 145-3-4. — usus 1454.
Rogationes v. Litaniae Minores.
Rogationum Missa — indoles, locus, regulae, ritus 1261.
Rogi — benedictio in Vig. Joannis Bapt. 74.
Romana liturgia *antiqua* 110-9. — origo 110-4. — proprietates 115-9.
Romana liturgia *universalis* 119-23. — sub influxu Gallicano 122-3. — sub influxu Orientali 120-2.
« Rorate » = Missa votiva BMV in Adventu 1109-10.
Rosarium BMV 480-91. — recitatio coram SS. Sacramento (indulg. plen.) 831.
Rostarolhim = flabellum 1435. — rotula = flabellum 1435.
Rotulus Ravennatus opistographus 1104.
Rubricae — librorum liturgicomm 25-6. — obligatio 25-6. — redactio ad simpliciores formas anno 1955: 309.
« Rubricarum instructum », motuproprio 25. iul. 1960: 310.

S

Sabbatum — dies BMV dicatus 1327. — dies ieiunii 1098. — in Albis 1253. — post. Dom. I. Pass. 1170-1. — primum in honorem Immaculati Cordis BMV' 472. — Quatuor Temporum, ordinat o, historia 1100, Missae qualitas 1100. — Sanctum 1215-7, indoles aliturgica 1175-6, gaudiosa diei 1216-7, luctuosa diei 1215-6.
Sacerdos — amor sacerdotalis 982. — bonitas excellens 981. — castitas 983-4. — coelibatus 983-4. — cura in celebrando 239-41. — delegatus ad nuptias 1063. — fides 981. humilitas 984. — liberalitas 982. — magnanimitas 983. — mansuetudo 984. — patientia 983. — prudentia pastoralis 982. — religio 982-3. — sobrietas 984. — veracitas 982. — v. adhuc Presbyter, Confessarius
Sacerdotes — duodecim « cooperatores » in consecratione chrismatis 1199. — extranei quoad celebrationem 331.
Sacerdotium dignitas 246-7. — universale Christianorum 205-6.
« Sacram Communionem », Motuproprio Pii XII. anno 1957: 565-7.
Sacramenta — adversarii 154-6. — attentio in administratione Sacramentorum 211-2. — character indelebilis 187-93. — convenientia necessitatis 157-8. _ definitio 152-3. — denegatio adrninistrationis 215. — effectus communes 182-94. — efficien-

tia 172-94. — essentia 182-72. — exeuntium, ordo 945. — existentia 154-61. — extra Ecclesiam nullum Sacramentum 202. — gratia sacramentalis 186-7, sanctificans per sacramenta producta 182-6. — gratiae collatio per se et per accidens 185, mensura subiectiva et obiectiva in Sacramentis 185-6. — intentio recta in administrations 206-8. — iterabilitas 159. — liceitas 202. — licita administratio 208-13. — ministerium; principale in sacramentis 199, secundarium generale 199-202, secundarium speciale 202-16. — numerus septenarius 140-1. 155. 156-7. 158-9. — obligatio ministrandi ex caritate 215, ex iustitia 213-4 — reviviscentia 166. — signi sacramentalis natura 162-3. — subiectum ut causa suscipiens 216-8. — validitas 160. 202. — virtus obiectiva eorum 172-4.

Sacramenta, *causalités* — agens principalis 179-80. — causae gratiam 174-81. — causae instrumentalis natura in Sacramentis 179-80. — causae Sacramentorum 195-219. — causalitas: conditionalis 176, intentionalis 176-7, moralis 176, causalitas Sacramentorum iuxta liturgiam 178-9, iuxta Traditionem 178. — comparatio virtutis principalis agentis cum virtute instrumental! 180-1. — correlatio actionis instrumentalis cum actione agentis principalis in sacramentis 180. — independentia Christi a Sacramentis 199. — institutionis modus (immediatus, mediatus in genere, in specie) 197. — occasionalismus in Sacramentis 176.

Sacramenta, *compositio* — quasi-metaphysica 163-6, quasi-physica 166-9. — forma Sacramentorum: interruptio, repetitio 171, nonnae pastorales 171, vocalitas 171. — materia Sacramentorum, normae pastorales 169-70. — materia et forma habenda ut analogia 168-9. — rebus et verbis constant 167-8. — structura eorum (Tabella) 165.

Sacramenta, *divido* — divisio pastoralis 159-60. — formata, informia 160. — improprie dicta 143. — in statu naturae purae et integrae 143. — in re, in voto 159 — legis naturae 142-4. — « minora » = Sacramentalia 142. — necessaria, non necessaria 159. — « necessitatis » ante Legem 144. — Veteris Legis 144-6. — vivorum, mortuorum 159.

Sacramentalia — aevo antiquo 141, Carolingien 141. — definitio, divisio 146-7. — effectus 147-8. — ministri 148-9. — remissio venialium 770. — ritus sacri 149-50. — subiectum 149. — vis et momentum 150-2.

Sacramentalia *peculiaria* — benedictio: aquae ad usum infirmorum 954, S. Alberti pro febricitantibus 955, S. Ignatii pro infirmis 954-5, S. Petri inr. pro infirmis 955, S. Raymundi Nonnati pro infirmis 955, S. Vine, a Paulo pro infirmis 955, S. Vine. Ferrcrii pro infirmis 955. — aquae, salis et panis S. Huberti 955. — candelarum 2. febr. 1141-3, S. Blasii 955-6. — camporum 1260. — contra tempestates 1286. — esculentorum 1250. — herbarum 1345-6. — linteaminum 953. — medicinae 953. — mulieris fecundatae 1073, post parium 1074-5. nosocomii 953. — nuptiarum 1071-2. — olei ad usum infirmorum 954, S. Serapionis pro infirmis 955. — oleorum sacrorum 1198-1200. — panis ad usum infirmorum 954. — panis et aquae in honorem S. Machuti, S. Adclhaidis 955. — panis, vini, aquae et fructuum contra gutturis aegritudinem 956. — sanationem infirmi exposcentes benedictiones 954-6. — scapularis BMV sub tituto Salus infirmorum 955. — segretum 1260. — vini 1129, pro infirmis 954. — v. adhuc Benedictio, Domorum benedictio, Infirmus.

Sacramentarium — Bcrgomense 103. — Boldvense 1110. — Gelasianum: primigenium 96. 112, Missae postpentecostales 1274-5. — Gelasianum saec. VIII-i seu Gelasiana Francica vel Juniora (Junggelasiana) 96. 122, Dominicae postpentecostales eorumve nomina 1275. — Gregorianum 97. 113-4, « fusionatum » 123, primigenium 114, carentia Missarum postpentecostalium 1275, recensiones: Hadrianum 114. 122, Paduanum 114. — Leonianum 111, formulae Dominicarum 1274. — Mozarabicum 99.

« Sacramenti Ordinis », Const. Ap. anni 1947: 971-2.

Sacramentum — « altaris », nomen Eucharistiae 513. — seu indissolubilités matrimonii 1049-55. — terminus technicus 138-42.

Sacrarium, = puteus parvus in ecclesia 1415-6.

Scripturae — usus in confessione 796-7.

Scripturae Sacrae — editio sine debita licentia, censura 886. — lectio et expositio in Quadragesima 1157-8.

« Sacra Tridentina Synodus », decr. de frequenti communione 546.

« Sacra virginitas », encycl. anni 1954: 983-4.

« Sacratius tempus » = annus liturgicus see. S. Augustinum 1080.

Sacrificatio — vera ac propria in Missa 263-4.

Sacrificium — definitio in genere 221-2. — Ecclesiae 220-1. — forma externa, interna Missae 224. — in Missa mozarabica 100. — materia sacrificii Missae 224. — Missae applicatur definitio sacrificii 222-5. — nomen Missae 225. — notio generalis 221-

2. — praestantia Missae 268. — sensu latiore 221-2, stricto 222. — theoriae sacrificales: destructionem supponentes 252-7, per defectum peccantes 257-8.
Sacrilegium — in communione 556.
Sacristia, secretarium 1406.
« Sacrum » — nomen Missae 226.
« Saecularizatio » — Dominicae 1094.
Sal benedictum — in baptismo, leges cultuales 700. — in baptismo 689-90.
Salicum — benedictio 28. dec. 1130.
Salis et raphani benedictio in Pascha 1250.
Salivae usus in baptismo 691.
Salus infirmorum, festum BMV Sabb. ante Dom. ultimam augusti 1359.
Salutatio — angelica, uti textus liturgicus 62-3. — luminis in Vig. Pasch. historia 1230, ritus see. OHS 1241-2.
Salutationes chori — omittendae Fer. VI. Pass. Mortis Dom. 1179.
Salutatorium = sacristia 1406.
« Salve Regina » 410. 1327.
« Salve sancta parens » hymnus Sedulii 1322-3.
Sancti — advocati in adversitatibus vitae 1394. — cultus liturgicus 1363-95, finis talis cultus 1363-5. — eximii, festa 1377-84. — festa Sanctorum immoderate aucta a saec. XIII. 421-2. — festa in Quadragesima, historia 1162, nunc festa III. cl. in Quadragesima iam non celebrantur 368-9. 1164. — festa multiplicata: aetate Gothica 305-6, item inter annos 1568-1911: 424. — festa restringuntur anno 1955: 310. — in Gelasiano et in Gregoriano differentes 1368. — Missa in honorem eorum celebrari potest 271-2. — non-martyres 1367-9. — novena ante festum eorum 484. — V. adhuc Martyres.
Sanctificatio mundi per Sacramenta 153.
Sanctissimi delatio v. Delatio Sanctissimi. — repositio v. Repositio Sanctissimi.
Sanctitas — qua homines imbuuntur per Sacramenta 10.
Sanctorale breviarii 420.
« Sanctuarium » = Sanctorale 420.
» Sanctum viride » = Pentecostes 1269.
« Sanctus ♭ BMV 303. — campanulae pulsatio 467. — in Missa aevi antiqui 295. — ritus in Missa lecta 382. 383, sollemni 398.
Sandalia — color 1476. — historia 1476. — materia serica 1476. — ubi sumi debent 1476-7.
Sanguis Christi — apparitiones miraculosae 1298. — fundamentum dogmaticum cultus 1296-8. — eucharisticus 1297, congelatio speciei vini 343-4. — historia cultus relativi 1298-1300, — naturalis 1297-8, effusio septuplex 1301, effusus Triduo passionis 1297. — festa reliquiarum Sanguinis 1298-1300. — in guttulis remanens 1297-8. — typi Veteris Testamenti 1301.
Sanguinis Prêt. Christi festum 1296-1302. — historia 1300, — indoles liturgica 1301-2. — universae Ecclesiae 1300.
Sarcophagum — altare in forma sarcophagi 1408.
Satisfactio — acceptatio 818. — adimpletio 818-9. — commutatio 819. — effectus 813-4. — impositio 814-8. — in re, in voto 812. — necessitas 811-3. — notio 810-11. — qualificatarum satisfactionum exempla 815-6. — qualitas et quantitas 815-6. — ut est actus virtutis 808-9. — ut materia Poenitentiae 808-20.
Scamnum 1413. — in Missa pro assistentia 391.
Scapularia — quibus indulgentiae adhaerent 8:35. — v. Sacramentalia, scapulare.
Schismaticus, censura 881. — qua subiectum extremae unctionis 936-7.
Scotus Eriugena — de praesentia Christi eucharistica 569-70.
Scrutinium — ante ordinationes 973-5. — in baptismo 690-1. — in ritu matrimonii 1072.
Scyphus = calix 1434.
Sectarii associationum contra Ecclesiam machinantium censura 883.
Secundus Christi adventus 1100.
Sedes — concionatoria 1415. — confessionalis, historia 1414, leges 1414. 850-1.
Sedilia liturgica 1412-5. — magistratuum 1413. — mulierum distincta a viris 1413. — pro fidelibus in navi ecclesiae 1413. — reservatio loci in ecclesia 1413.
Semanthron = campana in Oriente 1418-9.
Semasiologia sacralis, notio 137-8.
Semicinctium = subcinctorium 1452.
Semiepiclcsismus 530.
Semilinteum ad paramenta 1444.
Semisericus pannus ad paramenta 1444.
Sententia iudicialis — in Sacramento Poenitentiae 742.
Septem dolorum BMV — Fer. VI. post Dom. I. Passionis 1352. — 15. sept. 1355.
Septem psalmi poenitentiales — in benedictione abbatis 10-30. 1031. — in dedicatione 1422.
Septimana — sancta, maior 1171.
Septuagesima — Dominica 1149-50. — indoles liturgica temporis 1148-51. — leges cultuales 1151-2. — leges officii 1151-2. — nomina temporis 1145-6. — origo 1145-8. — origo temporis praequadragesimalis 1145-8. — symbolismus numericus temporis 1149. — tempus liturgicum 1145-52.
Sepulchrum — ecclesiale 1431. — hypogaeum 1431. — in altari immobili, lex 338. — sacerdotum 504. — subdivanum 1431.

Sepultura 501-8. — ecclesiastica infidelium etc., censura 887. — historia 502-3. — leges cultuales 503-4. — notio et momentum 501-2. — parvulorum 507-8. — pulsatio campanae 767. — ritus 505-7.

Sequentia liturgica 303. — regulae liturgicae 359.

Sericum — operatum ad paramenta 1444.

Sericus pannus — ad paramenta 1444.

Series Missarum — aetate Gothica 306. — unica nunc vigens: tricenarius Gregorianus 323.

Sermo — eucharisticus in Caphamaum 573-6. — infra Missam, lex 334. — in laudem defuncti 504, — post evangelium: in Missa lecta 359, sollemni 396. — sacri sermones in Adventu 1111, in Quadragesima 1157. 1165.

Servi — impediti ab Ordine 999.

Sexagesima — Dominica 1150.

Sessio — in Missa sollemni 394.

Sigillum sacramentale — definitio 909. — fons obligationis 909-11. — historia 910-11. — inviolabilitas 911-2. — obiectum 913-4. — subiectum 912-3. — violatio 914-7, censura 880.

Signa — cantionis in textu Passionis Hebd. Sanctae 1184.

Signatio — cum Cruce 38-40. — in baptismo 689.

Signum — divisio 162-3. — in genere 37-51. — » rei sacrae » 142. — S. Mauri 953. — ut conceptus genericus 172-3.

Silens Fer. VI. 1203.

Simeon senex — die 2. febr. 1142.

Simon et Judas ap. — festum 28. oct. 1373-4.

Simonin, censura 884.

Simulans — Missae celebrationem, censura 882.

Simulatio — Sacramentorum illicita 215-6.

Sindonis SS. festum 1315-6.

Sipho = fistula 1435.

Situla, situlus = aspersorium 1441.

Soli-Deo = pileolus 1478.

Sol — festum 6. ian. 1133. — « iustitiae » = Christus natus 1115, qua nova lux celebrata in Natali Domini 1117-8.

Sollemnitas — externa, quando transferenda 366. — gloriosae dominicae matris 18. dee. mozarabiea 1324.

Sollicitatio — in confessione 893-6. — obligatio denuntiandi confessarium, censura 887.

Solstitium hiemale 1114-5.

• Sonitus lugubris » campanae 467.

▮ Sonus » — in liturgia Gallicana 95.

Soteriologia — celebrata in Adventu 1107.

Spasnvd.m nomen Ascensionis slav. 1265.

Species eucharisticae — abusus, censura 880. — accidentia 594. — dualitas non est superflua 605. — exhibent separationem in Missa 264-5. — separatae necessariae sunt tantum ad ostendendam immolationem 268-9. — ut « distincti indices » in sacrificio Missae 264. — vini quali liquido mutentur 609-10.

Spectacula — olim vetita in Quadragesima 1162.

Spelunca Bethleemitica 1123.

Sphragis, sphragizein 187. 189-90.

Spineae Coronae — festum 1315.

Spiritus Sanctus — adventus in Pentecoste 1299-1300. — festum eius peculiare in Pentecoste 1271. — missio eius in Pentecoste 1270.

« Spiritus Sancti munera », decr. 1948 de confirmatione moribundi 718-9.

Sponsalitia 1060.

Sponsio fidelitatis — in ordinatione presbyteri 1015.

Stallum chorale 1414.

Stare ante Deum — habitudo corporis liturgica 44.

Stationes — in Litaniis facultativae 1258-9. qua termini processionis 493. — Romanae earumque in fluxus in liturgia 116-8.

Statuae et effigies mediocris notae 1402.

Status gratiae — ad matrimonium 1060. — in administrandis Sacramentis requisita 208-11. — in fine operum ad indulgentias 836. — in susceptione Sacramentorum 217.

« Stellae officium · 1137.

Stephaniis *Leodiensis* — partes eius in festo SS. Trinitatis instituendo 1278-9.

Stephaniis *protomr.* festum 26. dec. 1127-8.

Stilus — architecturae 1401. 1406. — in benedictione cerei paschalis 1231-2. — liturgicus occidentalis et orientalis 80-2, Romanus et Gallicanus 82-5. — sacralis, notio 30.

Stipendium — duplicatum 318-9. — fundatum 318. — leges 318-23- — manualia stipendia 317. 321-2, manualia ad instar 318. 322. — notio 315-6. — persolutionis spatium 320. — pro sola celebratione 318. — recongitionis leges 322. — species 317-8. — supputatio 319-20. — traditio alteri facta 321-2.

Stola — diaconi 1009. — diaconissae 1025. — discrimen in assumendo 1463. — historia 1462-3. — insigne etiam in vita cotidiana 1463. — « latior » 1456. — materia et forma 1463. — modus imponendi 1463. — nomina 1462. — presbyteri 1462. 1463. — sensus symbolicus 1463. — signum officii, non jurisdictionis 1463. — usus 1464.

Strenae — festum paganum 1. ian. 1130.
Strepitus — olim in fine Matutini « Tenebrarum » 1194.
Stricta = tunica 1457.
Structura — officii divini (Tabella) 411-2.
Subarrhatio — in matrimonio, ritus 1070-1. 1072.
Subbiretum = pileolus 1478.
Subcinctorium 1452.
Subcingulum = subcinctorium 1452.
Subdiaconatus — evolutio rituum 1004-5. — ritus explicatus 1005-6.
Subiectum Eucharistiae 552-67. — virtutis poenitentiae proximum et remotum 774.
Submitrale = pileolus 1478.
Subta = rochettum 1453.
Subtalares = caligae 1476.
Subtile = tunica 1457.
Succa = rochettum 1453.
Sudarium = manipulus 1400.
Suffragia pro mortuis — notio 508. — Missa 508-9. — orationes 509. — pietatis officia 509-10.
Suggestum = sedes concionatoria 1415.
Summa prex eucharistica 70.
Summi Pontifices — ex Oriente oriundi 120.
Summi Pontificis — coronatio 1034. — dies 481.
Sumptorium = fistula 1435.
Supellex altaris 341.
« Supernum caeleste regnum « celebratum in Ascensione 1266.
Superpelliceum 1452-3. — historia 1452-3. — materia 1453. — usus 1453. — vestis communis clerici 1453.
Supplementum Sacramentarii Gregoriani 122.
Superhumerale = amictus 1449.
Supputatio temporis — in officiis liturgicis 327-9.
Suspensi — in administratione Sacramentorum 212-3.
Symbola sacra 69-70.
Symbolum — Apostolicum, historia 69. — Athanasianum 70. — Nicaeno-Constantinopolitanum seu symbolum Missae, historia 69, in lit. Byzantina 133, ritus v. Credo. — redditio symboli in baptismo 691. 687. — repraesentativum, historia 303. — traditio symboli in baptismo 687. 1155.
Symbolisions liturgicus 35-6.
Synaxis — euchologica in Vig. Pasch., historia 1232-4. — nomen Eucharistiae 513. — nomen Missae 226.
Syria — influxus Pturgicus in Occidente 109-10 — liturgia syriaca occidentalis 126-7, orientalis 126, pura 127.
Syro-Chaldaica liturgia 126.
Syro-Malabarica liturgia 126.
Syro-Maronitica liturgia 127.
Syrma 1472.
Syzcuxis = coniugium 1035.
Tabella praecedentiae 366-7. — secretarum, historia 1411, lex 341.
Tabernaculum — correlatio altaris et tabernaculi 1411-2. — forma exterior congruat altari 1411-2. — leges cultuales 636-7. — ne sit in altari maiore in maioribus sanctuariis 1411. — origo 590. — omatus 637-8. = ostensorium 1438.
Tabula = pacificale 1440.
Talaris = alba 1450.
Taxae funerales 504.
« *Te* Deum » — divisio hymni 66. — historia 66. — in benedictione abbatis 1031. — in consecratione episcopi 1022-3. — in coronatione regis 1033. — in gratiarum actionem 477-8. — in matutino 407. — in triduis vel octiduis 483. — omittendum tempore Quadragesimae 1164, Septuagesimae 1151. — tempore paschali 1228.
Telephonium — absolutio 848-9.
Televisio — in ecclesiis 1418.
Tempestas — sonitus campanae 467.
Temporale 420. — magis praevalere incipit 310.
Templa — haereticorum vel schismaticorum 330. — patere debent fidelibus 632.
Templum — nomen loci sacri 1404.
Tempus — Ascensionis 1267-8. — confessionis 793-4. — Epiphaniae 1137-8. — gaudiosum: cycli paschalis 1219. = pascha 1226-7. — liturgicum extracyclicum 1273-4. — Nativitatis 1131-2. — paschale: commune = post octavam Pasch 1253-6, lectiones in Missa et officio 1253. — poenitentiale cycli paschalis 1145-12IS. — praequadragesimale v. Septuagesima.
Termini paschales 1222.
Tertullianus — de festo Pentecostes 1268.
Tessarakoste — nomen Ascensionis 1264 = Quadragesima 1152. — quadraginta dies usque ad Ascensionem 1264.
Testes in baptismo necessitatis 676. — in matrimonio 1063.
Textus — biblici in liturgia qua formulae sacrae 61-3. — pseudobiblici in liturgia 62.
Thabor mons 1303.
Thalamus — benedictio in nuptiis, mozarab. 1067-8. — ritus 1073.
Thanatologia 948.
Thcophania = 6. ian. 1134.
Thesaurus Ecclesiae 827-8.
Thomas ap. — festum 21. dec. 1374.
Thronus — eucharistiae 305. — pontificalis 1412, cessio, historia, leges cultuales 1412.
Thuribulum 1442.
Thurifer in Missa sollemni 392.
Thurificatio v. Incensatio.

Thymiama — qua res sacra 78-9. — sacrificium symbolicum in dedicatione 1426. — usus liturgicus, historia 78.
Tiara, impositio 1034.
Tintinnabulum 341.
Titularis — persona cui ecclesia dedicatur 475.
Titulus — aevo ecclesiae antiquo 1405. — canonicus 995-6.
• Tobalea pulchra » = gremiale 1460.
Tobalcae altaris — historia 1409-10. — leges 339. — symbolismus 1409-10.
Tonsura — ritus explicatus 1002.
Tonus — fcrialis, sollemnis in Missa 377.
fractus — tempore Quadragesimae 1164. — Septuagesimae 1151.
Traditio — Evangelii in diaconatu 1008. 1009. — instrumentorum: in benedictione abbatis 1031, in coronatione regis 1033, m ordinibus minoribus 1001. 1003. 1004., in ordinatione presbyteri 1010. 1013, in subdiaconatu 1005, officii episcopalis 1021. — symboli Fer. IV. post Dom. IV. Quadr. 1155.
'trahens ad iudicem laicalem — dignitarios Ecclesiae, censura 883. — episcopum, censura 883.
Transfiguratio Christi — factum historicum 1302-3. — festum 6. aug. 1302-5. — his-1or5a festi 1303-4. — indoles liturgica 1304-5. — locus 1303. — nubes lucida quid sit 1303. — significatio eventus 1303.
• Transitorium » in Missa ambrosiana 104.
Transitus Mariae — liber apocryphus de Assumptione BMV 1322.
Translatio — externae sollemnitatis 366. — festorum 365-6. — SS. Sacramenti per diaconum 551. — ritus 638. — Sanguinis Christi 1299-1300.
Transmutatio — seu immutatio, theoria quoad Missam 254.
Transsubstantiatio 594-604. — dogmatis circumscriptio 597-8. — et consecratio 596. — nomina 596-7. — notio 597-8. — probatio 599-603. — ut ostensio seu figuratio sacrificationis in Missa 265-6.
ı Trecanum » — in Missa Gallicana 96.
Tres Missae — novo sacerdoti impositae 479. v. adhuc Polyliturgia.
Triangulum — Triduo Sacro 1194.
Tricenarius Gregorianus 323.
Tridua sacra — notio 482. — species 482-3. — ritus 483.
Ittiduum sacrum — abstinentia et ieiunium 1180. 1247. — aqua benedicta removentia 1179. — campanarum pulsatio 467. 1179. — genuflexio ante Crucem, coram SS. Sacramento 1179. — historia 1171-2. — leges cultuales 1178-80. — monita pastoralia 1175-6. — obligatio celebrandi 1178. — officium divinum 1179-80. — oscula liturgica, reverentiae, salutationes omittuntur 1179.
Triduanae preces 482-3.
Trinitas SS. — festum 1277-81. — a Romanis diu repudiatum 1279-80. — gratiarum actio in festo 1280. — laus eius in festo 1280. — indoles liturgica 1280-1. — origo 1278-80. — professio eius in festo 1280. — scopus institutionis 1279. — supplicatio in festo 1281.
Trinitatis SS. — Missa votiva 1278. — officium a Stephano Leodiensi compositum 1278. — praefatio in Gelasiano 1278, ord'nata anno 1759 pro Dominicis praefatione propria carentibus 1094, nunc est propria 360. — trinitaria indoles Dominicae 1094-5.
Triodion = primus cyclus liturgicus Ecclesiae orientalis 1085-6.
Tropus liturgicus 303.
Tunica — historia 1457. — leges cultuales 1457-8. — « linea « = alba 1450. — sensus symbolicus 1457. — usus 1458.
Tunicella = tunica 1457. — in ordinatione subdiaconi 1006.
Turris — ecclesiae 1406-7. — campanarum (= campanile) 1407.
Typus sacralis seu typologia 86-136. — adversarii diversitatis 86-7. — definitio 86. — divisio 86. — unitas ecclesiae non destruitur 86-92.

U

ш Ubi caritas et amor n, antiphona Fer. V. Coenae Dom. 1196.
Udones = caligae 1476.
Ultimum evangelium 361-2 — quando omittitur 316-2. 1195. 1187. 1197. — ritus in Missa lecta 387. sollemni 400.
Ultimus anni dies 472-3.
Unctio — brachii et scapulae regis 1033. — capitis episcopi consecrati 1019. — catechumenorum in baptismo 692. — chrismatis: in baptismo 693, in confirmatione 708-9, ritus 725. — infirmi in extrema unctione 925-7. 946. — manuum: in consecratione episcopi 1020. in ordinatione presbyteri 1010. 1013.
Unica refectio 1160-61.
Unio — eum Christo in Eucharistia 533. — hypostatica celebrata in Adventu 1106.
Unitas — matrimonii 1046-9. — moralis in Sacramentis 170. — Ordinis 968. — personalis in Sacramentis 170.
Uniti — rituum orientalium 131.
Urbanus IV. institutor festi SS. Corporis Christi 1283.
Urceus = aspersorium 1441.

Urceolus = ampulla 1440.
Usurpatio bonorum ecclesiasticorum, censura 884, Ecclesiae Romanae, censura 883.
Usus rationis v. Rationis usus.
Uteroptismus 677-8.
Utraquistae 543.
Uvae benedictio 6. aug. 1305.
Uxorati — impediti ab Ordine 999.

« Valde sollicitum », Motuproprio 30. nov. 1952 Pii XII. 1472.
Valida — susceptio Sacramentorum 216-7.
Valor — Missae extensive et intensive infinitus 284-5, in genere 270, in specie 284-S. — theologicus liturgiae 16-9. v. adhuc Liturgiae testimonium.
Vas aquae benedicendae in Vig. Pasch. 1248.
Vas, vasculum = pyxis 1437.
Vasa sacra 1433-42. — ad Missam pertinentia 1433-7. — eucharistica 1437-9. — secundaria 1439-42.
Vascula (lorum 1441. — ad purificationem 1440.
Vegetatio — animae per Eucharistiam 537.
Velatio — Crucium ante Dom. I. Passionis 1173-4. — nuptialis 1066. — virginum 1026.
Vellutum — ad paramenta 1444.
Velum — acolythi 1459. — calicis 341, — Crucis tempore Passionis 1173-4. — Eucharisticum 1459. — historia 1459. — humerale in Missa sollemni 391. 397. — leges cultuales 1460. — librorum sacrorum 1460. — oleorum sacrorum 1198. 1460. — reliquiarum 1460. — sponsae 1066. — subdiaconi 391. 397. 1459. — virginum 1026. 1028.
• Veni Creator » — in consecratione episcopi 1019. — in ordinatione presbyteri 1010. 1013.
Venialia peccata — confessio valde utilis 768-9. — materia libera Poenitentiae 768-70. — remissio extra Sacramentum Poenitentiae 769-70.
Ventilabrum = flabellum 1435.
Ver — caeleste, laetum, nunquam interiturum, spirituale = Natalis Domini 1118-9. — pneumaticum = Pascha 1226. — sacrum = Pascha 1226. — sacrum eucharisticum 547.
Verbi Dei auditio in Dominica 1092.
Vernaculae linguae usus 58-60.
Versus — in officio 406.
Vesperae — sensus et structura 410. — ritus 444-5. — v. adhuc Lucernarium.
Vesperale = tobalea exterior 1410.
Vespertinae Missae 563-5. — ab Ordinariis permitti possunt 327. — in mari 332.
Vestes sacrae 1443-79. — accessoriae liturgicae 1472-9. — a laicis in quantum tractari possunt 1449. — benedictio, historia 1448. — benedictio, leges cultuales 339. 1449. — benedictio, ritus hodiernus 1448. — historia et ratio 1443-4. — imae liturgicae, lex 339. 1449-54. — materia 1444-5. — summae liturgicae 1454-60, lex 339. — usus incipiens saec. V-o in Gallia 1443.
Vestimenta — calicis 341. — liturgica v. Vestes sacrae.
Vestis conveniens — ad celebrandum 334-5.
Vestitio baptizati 694.
Vestitus choralis, regulae 442.
Vexilla — benedictio 150. — in processionibus 495-6.
Via Crucis 453-6. — erectio legitima 454. — historia 453. — indulgentia plenaria 831. — leges cultuales 453-5. — modus peragendi validus 454. — ritus sollemnior 455. — stationum compositio 455.
Viaticum — leges cultuales 630-1. — nomen Eucharistiae 513. — notio 630. — ritus 632.
« Victimae paschali laudes » — sequentia paschalis 1253.
Victor Papa — lis de Paschate 1221.
« Vidi aquam » — tempore paschali 1229.
Vidua v. Presbytera.
« Vigiliarum omnium mater » = Vig. Pasch. 1238.
Vigilationis momentum — in Adventu 1109.
Vigilia — aevo aureo Ecclesiae 415. — ante Missam aevo antiquo 294. — Ascensionis, historia 1264. — classes 363. — coemeterialis, dominicalis, stationalis 294. — coram reliquiis in dedicatione 1422. — dominicalis 1092. — Epiphaniae 1137. — Immaculatae Conceptionis, abolita 1336. = matutinum, sensus 405, structura 405-7. — Natalis Domini 1122. — notio 363. — paschalis 1229-48, actuosae participationis praeparatio 1176, indoles liturgica 1238-40 instauratio 309, leges cultuales 1246-8, Missa vigiliae 1236-7, origo rituum 1229-38. ritus 1245-6, tempus celebrationis 1246. — Pentecostes, leges liturgicae 1272.
Vigilius — compositor Missarum Leoniani 1274.
Vinageria = ampulla 1440.
Vincula S. Petri — archaeologicae inquisitioni subiectae 1377.
Vinculum — matrimonii non baptizatomm 1051-2.
Vinum — artefactum, adustum, e pomis, pirris, e ribibus rubris, secundum (= lora) 520*. — benedictio 27. dec. 1129. — congelatum, quid faciendum 520b — con-

secrationi adiecta verba 532. — ex uva expressum statim consecratum olim 6. aug. 520*. 1305. — materia Eucharistiae, qualitates ad validitatem ct liceitatem 520*b. — usus in Quadragesima 1161.
Violatio — ecclesiae, lex 330-4. — sigilli sacramcntalis 914-7.
Vita aeterna — imaginata in Paschate 1228.
Vitiati corpore — sunt irregulares 996-7.
Virga = baculus 1468. = fistula 1435.
Virgines — consecratio 1026-8. — «sanctae» 296. 1368.
Virginitas — excellentia 983. — perpetua BMV in apocryphis 1319, in liturgia mozarabica 1326.
Virtutum exercitium — in Quadragesima 1158-9.
Vis et metus — in matrimonio 1059.
▮ Visio » — desiderium videndi Eucharistiam 591.
Visitatio — BMV festum 2. iul. 1353. — Crucium, consuetudo popularis Hebd. Sanctae 1177. — infimiorum pastoralis 949-51, liturgica 951-2. — parochiae 462-5, actus ipse visitationis 464-5, actus liturgicus 463-4. — « scpulchri » in Vig. Pasch. 12-38.
Vizkereszt = Epiphania 1134.
Vocatio sacerdotalis 993.
Vodosvjiastije = sanctificatio aquae 1134.
Vomitus in sumptione Eucharistiae 344.
Voskresenije = Dominica 1089.
Vota religiosa — emittenda in quibusdam religionibus ante communionem 619.
Votivae Missae — «ad diversa» 371. — ante Tridcntinum 307. — classes 369-70. — de Angelis 371. — de BMV 371. — de Jesu Summo et Aeterno Sacerdote 472. — de Mysteriis Domini 371. — de Sanctis 371. — de Sancto in Martyrologio elogium habente 368. — gratiarum actionis 477-8. — in honorem Immaculati Cordis BMV 472. — notio 369. — pro Ecclesiae defensione 371. — pro res publicas moderantibus 372. — pro unitate Ecclesiae 371. — prohibitio 374-5. — prohibitio in casu particulari 375. — species 369-70. regulae 370.
Vox clara — in Missa 376.
Vox secreta — in Missa 376.
Vulgaris linguae usus 58-60.

W

Waldenses et Albenses — contra eucharisticam praesentiam Christi 570. — contra extremam unctionem 921. — contra Missam 229. — contra poenitentiam 737. — contra Sacramenta 141. 154-5. — v. Haereses dualistae.
White Sunday = Pentecostes 1269.
WicIefF — contra Eucharistiam 570-1. — contra extremam unctionem 921-30. — contra indulgentias 823. — contra Missam 229. — contra Poenitentiam 737. — contra Sacramenta 155.

Xerophagia — in Quadragesima 1161.
Xylinum linum 1444.

Y

Ysopum = aspersorium 1441.

Z

Zucchetto = pileolus 1478.
Zwingli = contra eucharisticam praesentiam Christi 572. — contra Missam 2-30. — contra Sacramenta 156.

INDEX B1BLI0GRAPHICUS

PARS GENERALIS

Tract. I. Euchologia.

Jus liturgicum 29.
Liturgia ut locus theologicus 19-20.
Notio liturgiae 13-4.

Tract. II. Stilistica.

Formulae sacrae 71.
Lingua sacralis 60-1.
Res sacrae 79.
Signa sacra 51.
Stilistica liturgica 85.

Tract. III. Typologia.

Aetas migrationis populorum 119.
Diversitas rituum 92.
Liturgia Alexandrina 128-9
— Ambrosiana 104-5.
— Antiochena 129.
— Armeniaca et Georgica 136.
— Byzantina universalis 135.
— Cappadociae 129.
— Celtica 107.
— S. Chrysostomi 136.
— Gallicana 97 et 110.
— Hierosolymitana 128.
— Gallicani typi origo 110.
— Mozarabica 101.
— Occid. quae iam evanuerunt 97.
— Orientales in genere 128.
— Romana antiqua, origo 119.
— — proprietates 119.
— — influxus Gallicanus 123.
— — influxus Orientalis 123

Tract. IV. Semasiologia.

Sacramenta in genere 160.
Adversarii Sacramentorum 161.
Causalitas Sacramentorum 194.
Compositio inetaphysica Sacramentorum 171.
— physica Sacramentorum 171-2.
Doctrina Ecclesiae quoad Sacramenta 161.
Effectus communes Sacramentorum 194.
Efficientia Sacramentorum 194.
Essentia Sacramentorum 171-2.
Existentia Sacramentorum 160-1.
Ministerium secundarium generale 219.
—speciale Sacramentorum 219.
Notio Sacramentorum 153-4.
Potestas auctoritatis Sacramentorum 219.
— excellentiae Sacramentorum 219.
Sacramenta legis naturae 154.
— respectu pastorali 161.
— Veteris Legis 154.
Sacramentalia 154.
Signa in genere 171.
Subiectum suscipiens Sacramentorum 219.
Virtus obiectiva Sacramentorum 194.

PARS SPECIALIS

Tract. I. Ecclesia sacrificans.

Actuosa participatio Missae 352.
Applicatio Missae 351.
Circumstantiae celebrationis 351.
Efficientia Missae 291-2.
Essentia Missae 269.
Evolutio et historia Missae 311.
Existentia Missae 241-2.
Notio Missae 227.
Leges liturg cae usque 1960 vigentes 377.
Obligatio celebrandi 351.
Praesentia ad modum mysterii 260-1.
Reformatio liturgica Joannis XXIII. 377.
Requisita ad celebrationem 351-2.
Ritus Missae lectae, sollemnis 401.

Tract. II. Ecclesia orans.

.Actuosa participatio fidelium in officio 442.
Breviaria « parva » fidelium 441.
Cor Jesu 487.
Cura pro mortuis gerenda 510.
Devotiones pomeridianae 457.
Historia officii et breviarii 428.
Joseph Sponsus BMV 486.
Leges cultuales officii divini 441-2.
Maiales devotiones 486-7.
Officium divinum 412.
Pia exercitia 449.
Processiones 497-8.
Quadraginta Horarum Oratio 453.

Reliquiae 461,
Ritus Psalmodiae 445.
Rosarium mense octobri 491-2.
Via Crucis 455-6.

Traci. III. SS. Eucharistia.

Adoratio Christi eucharistici 593-4.
Communio sub utraque specie 548.
Dispositio corporis ad communionem 567.
Epiclesis 532.
Essentia Eucharistiae respectu pastorali 532-3.
Existentia Eucharistiae 514.
Forma Eucharistiae 532.
Ieiunium eucharisticum 567.
Materia Eucharistiae 532.
Modus praesentiae eucharisticae 616-7.
Necessitas communionis 548.
— Eucharistiae 537.
Praesentia Christi in Eucharistia 593.

Tract. IV. Baptismus.

Efficientia baptismi 66-1.
Essentia baptismi 656.
Existentia baptismi 647.
Necessitas baptismi 672-3.
Rebaptizantes 219.
Ritus baptismi 701.

Tract. V. Confirmatio.

Effectus confirmationis 715.
Existentia et essentia confirmationis 710.
Ritus confirmationis 727.

Tract. VI. Poenitentia.

Confessio 808.
Contritio 788-9.
Effectus Poenitentiae 862.
Existentia Poenitentiae 757-9.
Forma Poenitentiae (absolutio) 852.
Indulgentiae 841-2.
Materia remota Poenitentiae 770-1.
ObbVgationes ministri Poenitentiae 918.
Potestas ministri Poenitentiae 897.
Satisfactio 819-20.
Sigillum sacramentale 918.

Tract. VII. Extrema unctio.

Existentia extremae unctionis 924-5.
Effectus extrema unctionis 936.
Ritus extremae unctionis 956-7.

Tract. VIII. Ordo.

Dignitas sacerdotalis 247.
Essentia Ordinis 976-7.
Existentia Ordinis 962-3.
Gradus Ordinis 968-9.
Minister et subiectum Ordinis 1000.
Ritus ordinationis 1034.
Ritus ordinationi analogi 1034.

Tract. IX. Matrimonium.

Essentia matrimonii 1044-5.
Existentia matrimonii 1040.
Examen et instructio sponsorum 1062.
Effectus matrimonii 1057.
Ritus matrimonii 1076.

Tract. X. Heortologia.

Sanctorale:
Angelorum festa 1398.
Apostolorum festa 1397.
BMV cultus liturgicus 1362.
— Annuntiatio 25. mart. 1362.
— Assumptio 15. aug. 1362-3.
— Immaculata Conceptio 8. dee. 1362
— Nativitas 8. sept. 1363.
— Purificatio 2. febr. 1144-5.
— festa minora 1363.
Sancti eximii 1397-8.
Sanctorum cultus liturgicus 1397.
Sanctorum Omnium festum 1. nov. 1398.

Temporale.

Adventus 1143-4.
Annus liturgicus 1087-8.
Ascensio 1273.
Caput ieiunii 1217.
Cordis Jesu festum 1316-7.
Corporis Christi festum 1316.
Dies poenitentiales 1101.
Dominica II. Passionis 1218.
Dominicae 1101.
— postpentecostales 1316.
Epiphania 1144.
Fer. VI. Pass. Mortis Dom. 1218.
Hebdomada Sancta 1217-8.
Minora festa Domini 1317.
Nativitas Domini 1144.
Pascha in genere 1272-3.
— benedictio ignis 1273.
— — fontis 1273.
— nox sacratissima 1273.
— vigilia instaurata 1273.
Pentecostes 1273.
Quadragesima 1217.
Quatuor Tempora 1101-2.
Septuagesima 1217.
Trinitatis festum 1316.

Tract. XI Hierotopologia et Paramentica.

Arsa sacra 1403.
Coemeteria 1433.
Ecclesiae ut loca cultus 1433.
Ecclesiae apparatus, praxis 1433.
Dedicatio ecclesiae 1433.
Indumenta liturgica 1478-9.
Insignia liturgica 1479.
Paramentica 1478.
Vasa sacra 1442.
Vestimenta accessoria 1479.

''45 1«? 5

FINITO DI STAMPARE
IL 25 MAGGIO 1961
DALLE
ARTI GRAFICHE SAV
IN NAPOLI